НАУКОВА БІБЛІОТЕКА ОНУ ім. І.І. МЕЧНИКОВА

VI
156

HENRICI CORNELII

AGRIPPÆ

AB NETTESHEYM,

ARMATÆ MILITIÆ EQVITIS

AVRATI, ET IVRIS VTRIVSQVE

ac Medicinæ Doctoris,

OPERVM PARS POSTERIOR.

Quorum Catalogum exhibebunt tibi paginæ sequentes.

VNA CVM RERVM ET VERBORVM HOC tomo memorabilium INDICE, & locuplete & certo.

Huic accesserunt Epistolarum ad familiares libri septem, & orationes decem ante hoc seorsim editæ.

LVGDVNI.

PER BERINGOS FRATRES.

НАУКОВА БІБЛІОТЕКА ОНУ ім. І.І. МЕЧНИКОВА

OPERVM HOC ALTERO TOMO CONTENTORUM Elenchus.

DE incertitudine & vanitate Scientiarum atq; artium declamatio invectiva, seu Cynica qua docetur, Nusquam certi quicquam perpetui & divini, nisi in solidis DEI eloquiis atque eminentia verbi Dei latere pag. 1

Apologia pro defensione Declamationis de vanitate Scientiarum, & excellentia verbi DEI, contra Theologistas Lovanienses 257

Querela ob eandem Declamationem ipsi, qui ad Cæsar. Majest. 407

In artem brevem Ray. Lullii Commentaria 334

Tabula abbreviata in artē brevem Ray Lul. 460

De triplici ratione cognoscēdi Deū lib unus 480

Dehortatio Gentilis Theologiæ 502

Expostulatio cum Joanne Carilineto, Theologiæ Doctore, super expositione sua in librum Joannis Capnionis de verbo mirifico 508

De nobilitate & præcellentia fœminei sexus declamatio seu libellus 518

De Sacramento Matrimonii Declamatio 544

De Originali peccato disputabilis opinionis Declamatio 553

De vita Monastica sermo, per venerabilem Abbatem in Brovviler habitus. 565

De inventione reliquiarum B. Antonii Eremitæ sermo pro quodam venerabili ejus ordinis religioso conscriptus 573

Regimen, seu Antidota adversus pestem 578

НАУКОВА БІБЛІОТЕКА ОДНМ ім. І. МЕЧНИКОВА

De beatissimæ Annæ Monogamia ac unico puerperio propositiones abbreviatæ & articulatæ, 588
Defensio propositionum prænarratarum contra quendam Dominicastrum earundem impugnatorem 594
Epistolarum ad Familiares, & eorum ad ipsum libri septem, nunc primum evulgati 683

Orationes decem, scilicet:

I. In prælectionem convivii Platonis, Amoris laudem continens, in Ticinensi gymnasio habita.
II. In prælectionem Hermetis Trismegisti, de potestate & sapientia Dei.
III. Pro quodam doctorando.
IV. Ad Metensium Dominos, cùm in illorum advocatum, syndicum & oratorē acceptaretur.
V. Ad senatum Lucemburgiorum, pro dominis suis Metensibus habita.
VI. In salutatione cujusdam Principis & episcopi, pro dominis suis Metensibus scripta.
VII. In salutatione cujusdam magnifici viri, pro dominis Metensibus scripta.
VIII. Per quendam affinem suum Carmelitanum, sacræ Theologiæ baccalaureum formatum, Parisiis habita.
IX. Pro filio Christierni regis Daciæ Norvvegiæ & Sueciæ, &c. in adventu Cæsaris habita.
X. In funere D. Margaretæ, Austriacorum & Burgundionum Principis, habita.
Historiola de duplici coronatione Caroli V. Romanorum Imperatoris apud Bononiam.
Epigrammata nonnulla partim ipsius Agrippæ, partim verò aliorum doctorum virorum.

SPECTA-

SPECTABILI VIRO
D. AUGUSTINO FURNARIO Civi Genuensi,

HENRICUS CORNELIUS AGRIPPA AB NETTESHEYM, S. P. D.

Cogitanti mihi, integerrime Augustine, qui bene merendi studio me tibi perpetuò debendæ gratiæ reum effecisti, quo cultu, qua veneratione, quo pignore, quáve ingenij industria tibi hanc animi mei observantiam testarer, animus erat te pulchro aliquo & magno (quando tu pulcherrimis maximisque dignissimus) munere adornare, ac cùm ornatissima sermonis integritate, tum locupletissima rerum dignitate, gravissimoque sententiarum pondere, tibi de penitissimis utriusq; divinæ & humanæ literaturæ libros offerre: verùm cum ego tanto animo meo cùm doctrina & ingenio longè sim inferior, tum dicendi facundia, sermonisq; elegantia illum remoto gressu sequar, non habeo in mei ingenij supellectile, quod præstare possim, præter insignem ignorātiam, ipsumq; jacet ingenium fortunæ meæ indignatione dejectum, adeo ut ex ipsa indignatione fermè cum Trojana illa Hecuba versus sim in canem, ac nullarum virium sim ad benedicendum, nil amplius memini, nisi mordere, oblatrare, maledicere, conviciari: atq; sic affectus scripsi his diebus volumen satis amplum, cui De incertitudine & vanitate scientiarum titulum feci, in quo sic in universam illam scientiarum atque artium gigantomachiam oblatravi sic omnes illos scientiarum

НУЮ БИБЛИОТЕКА ОДЕССКИЙ ГОСУДАРСТВЕННЫЙ МЕДИЦИНСКИЙ

& artium robustissimos venatores validissimis morsibus perstrinxi, ut quoties opus ipsum reviso, ipse ego me demirer talem in homine canem, & cui nihil caninum desit præter unam adulationem, licèt aulico admodũ necessariam. Ne igitur observantiæ tuæ desertor esse videar, dum condigna te & ex scientiarum deprompta thesaurus fœcunda munera impendere nequeo, saltem ex eadem ignorantiæ & indignationis meæ officina hãc Cynicam declamationem in observantiæ in te meæ argumentum tibi nunc offero, hac te dono, hanc tibi dedicatam constituo, magnitudinem animi erga te mei libenter ostensurus, atque quàm vigilem custodem, quàm oculatum speculatorem, quàm audacem militem, quàm magnanimum ducem in me tibi acquisieris: qui cùm velut è sublimi specula hostes procul denuncio, quò se divinarum literarum cives in loca recipiant tutiora, tum pro eorundem omnium salute omnibus me lacerandum obijciens, primùm comminusque in acie propugno: quo facinore tantum abest, quod metuam invidiam, ut gratiam ab omnibus mihi deberi putem, qui ad operam publicæ utilitatis simul speculator & miles denunciem & impugnem, quibus salus periclitatur humana, atque insuper ducem me præbeam iis, qui egredientes humanarum scientiarum labyrinthum, in arcem tendunt veritatis. Accipe igitur nunc, Augustine colendissime, hanc qualiscunque est, declamationem, atque illam tibi tuo jure habe. Scio enim, si venatores & canes amas, non poterit illa tibi non esse gratissima. Verùm ego nunc è cane in crocodilum, aut draconem, aliumve ignivomum serpentem migrabor, & Pyrographiam (opus quale hactenus non viderit ætas, sed non nisi famoso cuiquam orbis vastatori profuturum) protinus absolvam: tum sacrame sparga lympha, & flumine vivo abluam, quò tandem

dem fatalibus his larvis exutus, rursus in hominem revertar, ne quando nimium pythagorizans, & in tam varias beluas demigrans, tandem Luciani & Apuleij instar, in philosophantem asinum vertar. Sed tu nunc fœlicissime vale: meminerisque, cum hæc nostra legeris, quia nihil scire fœlicissima vita.

HENRICVS CORNELIVS AGRIPPA AD Lectorem.

AN non tibi, lector studiose magnanimum præaudaxq; ac penè Herculeum hoc meum facinus videbitur, contra universam illam scientiarum omniũ atq; artium gygantomachiam arma sumere, ac universos illos scientiarum artiumq; robustissimos venatores in arenam provocare? Infrement adversum me Doctorum supercilium, Licentiatorum eruditio, Magistrorum autoritas, Baccalaureorum conatus, & scholasticorum omnium zelus, mechanicorumque seditio: quos si confecero, nonne aut par aut majus erit, atque leonem Nemeum clava percutere, hydram lernæam igne interimere, aprũ Erymanthæum occidere, cervam in Mænalio nemore aurea cornua gerentem capere, Stymphalidas aves in nubibus sagittis confodere, Antæum intra ulnas opprimere, columnas in Oceano figere, Gereonem tricipitem vincere, boves abigere, taurum perimere, Acheloum monomahia superare, Diomedis equos abducere, Cerberum vinctum catena trahere, aurea Hesperidum mala rapere ejusque generis plura quæ ab Hercule & magnis laboribus nec minori periculo gesta sunt: cum non minoris laboris, periculi autem quàm maximi sit, hæc gymnasiorum atque palæstrarum monstra superare? Neque enim non video, quàm cruenta pugna hic mihi cominus ineunda est, atque quàm plenum periculo bellum, cum sim tam potentissimorum hostium vallatus exercitu. Hei, quot me machinis oppugnabunt, quot me

HATHI TRUST DIGITAL LIBRARY

impetent moliminibus, quot me persequentur ignominiis? obstrepent imprimis pediculosi Grammatici, atque etymologiis suis ex Agrippa nomen indent podagricum. Attoniti poëtæ pro Momo, vel hirco Aesopico, traducent carminibus. Nugiuendæ Historiographi supra Pausaniam & Herostratum profanabunt. Magnicrepi Rhetores iratis oculis, terribili vultu, grandistrepis vocibus dirisque gesticulationibus perduellionatus accusabunt. Monstruosi Memoriographi larvis cerebrū obtundent. Pugnaces dialectici innumera syllogismorum tela in me conjicient. Flexiloqui Sophistæ verborum laqueis suisque indissolubilibus, ceu injecto freno, obturabunt. Barbarus Lullista absurdis verbis ac solœcismis dementabit caput. Terra cœloque proscribent impii Mathematici. Atomographi Arithmetici, concitatis in me fœneratoribus ad alieni æris rationem cogent. Ad laqueum adiget pervicax Aleator. infaustos numeros supputabit sortilegus Pytagorista. carcerem tristitiamque infœlices figuras projiciet punctator Geomantes. canent me in triviis vulgi fabulam multitoni Musici, ac stridulis ronchis dissonisque concharum, pelvium, patinarumque strepitibus, plus quàm solent, digamorum sponsalitiis, obthurabunt, excludent choreis pomposæ Matronæ, oscula negabunt blandulæ puellæ: camelum saltantem subsannabunt garrulæ Anchillulæ, saltator Histrio ludet in me turpi scena tragœdiā. dextera lævaque impetet centimanus Gladiator. perplexi Geometræ, injectis triquetris tetragonisque circulis, tanquam Gordionis nodis irretitum, captivabunt. simia, vel ipso Therside deformiorem pinget sculpetque inanis opticus. ultra Sauromatas glacialem relegabunt vagi Cosmimetræ, dædaleus Architectus inexpugnabilibus machinis clandestinè subcuniculabit, correptum inobservabilibus labyrinthis errare coget. ad arrugias condemnabit Stygius Metallarius: suspendium comminabuntur fatales Astrologi, cœlorumque labili vertigine conscensum ad superos cohibebunt: ominabuntur omne malum minaces divinatores: frigidum in venerem invalidique femoris diffamabit importunus Physiognomus. cerebricosum asellum pronunciabit delirus Metoposcopus: divinabit omnia siniſtre latidicus Chiromantes: tristi auspicio exaugurabit præsagus aruspex. Mittet ultrices flammas Iovis, & præsāgi fulminis ignes protentosus speculator. Nocturnis terrrbit lemuribus tenebricosus oniropola. Furens vates ambiguo decipiet oraculo. Prodigiosi magi tanquam alterum Apuleium, aut Lucianum in asinum, non tamen aureum, sed sortè stercorarium

rium transformabunt. Spectris atque manibus persequetur ater goëticus. Sacrilegicus theurgus caput consecrabit εἰς κόφινας vel fortè in cloacas. Imprecabuntur suam detractim de mentulati cabalistæ. Acephalum spadonémve repræsentabit anilis præstigiator. Discrepent pugnacissimis opinionib. contentiosi Philosophi. Nosque inter canem & crocodilum migrare facient circulatores Pythagorici, dolio aut sepulcro recludent fœdi mordacesq; Cynici. Vxorem communicandam clamabunt pestilentes Academici. Enecabunt crapula glutones Epicurei. Mortificabunt animam excludentque Paradyso impii Peripatetici. Severi Stoici ademptis humanis affectibus in silicem permutabunt. Vaniloqui Metaphysici velut ex chao Demogorgoneo eorum quæ nusquàm sunt, nec erunt, nunquam non paradoxis mentem evertent. Censores Ethici in cētum referent tabulas, interdicet muneribus legislator politicus. Abdicabit aula voluptarius princeps. Sissitiis propellent ambitiosi optimates. Insensatus populus vicatim affliget opprobriis. Phalaris tauro cruciandum recludet terribilis tyrannus. In exilium agent factiosi oligarchæ. Plebs impetuosa, & multorum capitum mala bestia, indicta causa, rapiet in exitium. Proditionis insimulabit afflicta quævis Respublica. Aris interdicent avari sacerdotes. A pulpito lacessent larvati cucculliones, contumeliosique hypocritæ. Peccata reservabunt æternis ignibus plenipotentes Pontifices. Gallicam scabiem comminabuntur falaces meretriculæ. Rapax leno lenaque temulenta obstetricabunt loculos. Excludent xenodochiis hulcerosi mendicantes. Sacrum incendium rabidosque morsus offerent, gyrovagi quæstuarii, suisque destituent indulgentiis. Obærabit macello infidus dispensator œconomus. Impinget in Scyllas blasphemus nauta. Mercator improbus usuris oppignoratum absumet. Furax quæstor compilabit stipendium. Prohibebunt amœnis hortulis duri agricolæ. Lupis me devovebunt otiosi pastores. Hamum subjiciet latentem undivagus piscator. Canes accipitresque immitet clamabundus venator. Deprædabit armipotens miles. Submovebunt ordine purpurati nobiles. Exuent majorum imaginibus paludati heraldi, indictisque equitiis, quæ torneamenta vocant, pro rustico exactionario inclamitabunt. Lotio & tetrimentis scatophagi medici perfundent. E quibus loquax logisticus disputando de morbo, tempestivum subtrahet remedium. Temerariusque empyricus dubio experimento mortis exponet periculo. Fallax methodicus procrastinando remedia, ægritudinē producet suum

HATHI TRUST DIGITAL LIBRARY

ad compendium. Exugent clysteriis sordidi pharmacopolæ, Dentibus ac testibus insidiabuntur emasculatores chirurgi. Dissecandum postulabunt crudeles anatomistæ. Angario recludet immundus veterinarius, ac quadrigario pulvere occæcabit oculos. Fame conficiet prævaricator diætarius. Offensam insulsam siticulosus obtrudet coquus. Divitiis interdicet prodigus alchumista, ablegabitque fornaculis. Vastissimis glossarum voluminibus obruent inexpugnabiles Iuristæ. Majestatis reum agent fastuosi legulei. Excommunicabunt diris execrationibus arrogantes canonistæ. Sexcentas calumnias intentabunt litigiosi causidici. Colludet cum adversario deserta causa subdolus procurator. Subscribet falsum dubius tabellio. Condemnabit actionis inexorabilis judex, negabitq; (quas vocant) appellandi Apostolos. Destituet rescripto imperiosus archiscriba cancellarius. Hæreseos inclamabũt obstinati theosophistæ aut ad idola sua sectari compellent. Ad Palinodiam vociferabunt supercilioſi magistri nostri, magnisque sigillis proscribent Sorbonici Atlantes. Vides nunc Lector, quanta obeam pericula? Facilè tamen hos insultus evadenti spes est, si tu modò veritatis patiens, posito livore, candido animo ad hęc legenda accesseris. Habeo præterea quo me tuear, verbum Dei, quod ego his pro clypeo scutoque intrepidus opponam. Et si o. qui pro illo lubens tantos in me concitavi hostes, libens etiam occumbam, priusquam deseram. Et te scire volo, me non odio, non ambitione, non dolo, non errore inductum, hæc scripsisse, nec me sacrilega cupiditas, nec improbæ mentis arrogãtia ad hoc impegit, sed causa omnium cum justissima, tum verissima, quod videlicet videam, multos humanis disciplinis scientiisque usque adeò insolescere, ut sacrarum literarum eloquia, & Canonicas Spiritus sancti Scripturas (quia careant ornamentis verborum, viribus syllogismorum, affectisq; suadelis, & peregrina philosophorum eruditione, sed simpliciter in operatione virtutis, & nuda fide firmatæ sunt) idcirco tanquam rusticas & idiotas, non modò despicere & aspernari, sed & velut contemptu quodam insuper insectari. Alios etiam videmus, licet sibi magis pii videantur, qui Christi leges probare & confirmare nituntur, decretum philosophorum, illis plus tribuentes, quam sanctis Dei Prophetis. Evangelistis & Apostolis, cùm tamen hi ab illis plus diapason absunt. Præterea in multis ac fermè omnibus gymnasiis perversus mos, ac damnabilis consuetudo molevit, initiandos discipulos jurejurando adigunt Aristoteli aut Boethio, aut Thomæ, aut Alberto, seu alio

alio cujus suo scholastico, Deo sese nunquam repugnaturos: à quibus si quis latum unguem diversum senserit, hunc hæreticum scandolosum, piarum aurium offensivum, igne flammisque absumendum proclamant. Hi igitur tam temerarii gigantes, & sacrarum literarum hostes aggrediendi sunt, illorum castra & arces expugnanda sunt, ostendendumque, quanta sit hominum cæcitas, cum tot scientiis & artibus cum tot insuper singularum magistris & autoribus, semper à veritatis cognitione aberrare, quanta etiam temeritas, quam arrogans præsumptio, Philosophorum scholas præferre Ecclesiæ Christi, opinionesque hominum præponere, aut adæquare verbo Dei. Denique quam impia tyrannis, captivare ad præfinitos authores studiosorum ingenia, & adimere discipulis libertatem indagandæ, & sequendæ veritatis. Quæ omnia cum tam manifesta sint, ut inficias iri non possint, venia danda erit, si liberius ac fortè amarulentus in aliqua disciplinarum genera, earundémve professores videat perorare. Vale.

DECLA-

PATRIOT LIBRARY OHY im. WAWELBERGA

DECLAMATIONIS

DE INCERTITVDINE ET VANITATE SCIENTIARUM atque artium, Loci communes seu capitum argumenta.

I. Juxta ordinem tractandorum.

1 DE scientiis in generali. 1
2 De literarum elementis. 6
3 De Gramatica. 8
4 De poesi. 14
5 De historia. 17
6 De Rhetorica. 22
7 De Dialectica. 26
8 De Sophistica. 28
9 De arte Lullii. 31
10 De arte memorativa. 32
11 De mathematica in genere. 32
12 De Arithmetica. 33
13 De Geomantia. 33
14 De aleatoria. 33
15 De sorte Pythagorica 34
16 Adhuc de Arithmetica. 35
17 De Musica. 35
18 De saltationibus & choreis. 39
19 De gladiatoria. 41
20 De histrionica. 41
21 De rhetorismo 42
22 De Geometria. 42
23 De Optica, vel perspectiva. 44
24 De pictura. 45
25 De statuaria & plastica. 46
26 De speculatoria. 47
27 De Cosmimetria. 48
28 De Architectura. 50
29 De metallaria. 52
30 De astronomia. 53
31 De astrologia judiciaria. 57

32 De

32 De divinationibus in genere. 64
33 De physiognomia. 65
34 De metoscopia 65
35 De chiromantia. 65
36 Iterum de Geomantia. 66
37 De aruspicia. 67
38 De speculatoria 67
39 De somnispicia. 68
40 De furore 69
41 De magia, in genere 70
42 De magia naturali. 70
43 De magia mathematta. 72
44 De magia venefica 72
45 De goetia & necromantica. 47
46 De theurgia. 76
47 De cabala. 77
48 De præstigiis. 80
49 De philosophia naturali. 82
50 De principiis rerum naturalium. 83
51 De mundi pluralitate, & ejus duratione. 84
52 De anima 85
53 De metaphysica. 90
54 De morali philosophia. 93
55 De politica. 98
56 De religione in genere. 102
57 De imaginibus. 104
58 De templa. 107
59 De festis. 109
60 De cæremoniis. 110
61 De magistratibus Ecclesiæ. 113
62 De sectis monasticis. 118
63 De arte meretricia. 120
64 De arte lenonia. 127
65 De mendicitate. 136
66 De œconomia, in genere. 140
67 De œconomia privata. 141
68 De œconomia regia, sive aulica. 145
69 De nobilibus aulicis. 147
70 De plebeis aulicis. 149
71 De mulieribus aulicis. 151
72 De mercatura. 153
73 De quæstura. 156

74 De

НАУКОВА БІБЛІОТЕКА ОНУ ІМ. ПЕЧНИКОВА

74 De agricultura. 157
75 De pastura. 157
76 De piscatione. 158
77 De venatica, & Aucupio. 159
78 De agricultura, residuum. 161
79 De arte militari. 163
80 De nobilitate. 167
81 De arte Heraldica. 180
82 De medicina in genere. 184
83 De medicina operatrice. 186
84 De pharmacopolia. 197
85 De Chirurgia 200
86 De anatomistica. 201
87 De veterinaria. 201
88 De diætaria 202
89 De arte coquinaria. 203
90 De alcumistica. 206
91 De jure & legibus. 209
92 De jure canonico. 212
93 De arte advocatoria. 216
94 De arte notariatus, & procuratoria. 216
95 De juris prudentia. 217
96 De arte inquisitorum. 218
97 De theologia scholastica. 221
98 De theologia interpretativa. 225
99 De theologia prophetica. 227
100 De Verbo Dei. 233
101 De scientiarum magistris. 238
102 Ad encomium Asini digressio. 241
103 Operis peroratio. 244

II. Ordine alphabetico.

A Dvocatoria arte. ca. 83
Agricultura. 74. & 78
Alcumistica. 90
Aleatoria. 14
Anatomistica. 86
Anima. 52
Architectura. 28
Aritmetica. 12. & 16
Arte advocatoria 83
Arte coquinaria. 89
Arte Heraldica. 81
Arte inquisitorum. 96
Arte lenonia. 64
Arte Lullii. 9
Arte memorativa. 10
Arte meretricia. 63
Arte militari. 79
Arte notariatus 97

Aruspicia. 37
Asini encomio. 102
Astrologia judiciaria. 31
Astronomia 30
Aucupio. 77
Aulica œconomia. 68
Aulicis mulieribus. 71
Aulicis nobilibus 69
Aulicis plebeis. 70
Cabala. 47
Cæremoniis. 60
Canonico jure. 92
Chiromantia. 35
Chirurgia. 85
Choræis. 18
Coquinaria arte 89
Cosmimetria. 27
Dei verbo. 100
Dialectica. 7
Diætaria. 88
Divinationibus in genere. 32
Ecclesiæ magistratibus. 61
Elementis literarum. 2
Festis. 59
Furore. 40
Geomantia. 13. & 36
Geometria. 22
Gladiatoria. 19
Goetia 45
Grammatica. 3
Heraldica arte. 81
Historia. 5
Histrionica. 20
Imaginibus. 57
Inquisitorum arte. 96
Interpretativa theologia. 98
Iudiciaria astrologia. 31
Iurisprudentia. 95
Iure. 91
Iure canonico. 92
Legibus. 91
Lenonia. 64
Literarum elementis. 2
Lullii arte. 9
Magia in genere. 41
Magia mathematica 43
Magia naturali. 42
Magia veneficia. 44
Magistratibus ecclesiæ. 61
Magistris scientiarum. 101
Mathematica, in genere. 11
Medicina in genere. 82
Medicina operatrice. 83
Memorativa arte. 10
Mendicitate. 65
Mercatura 72
Meretricia arte 63
Metallaria. 29
Metaphysica 53
Metoposcopia. 34
Militari arte 79
Monasticis sectis. 62
Morali philosophia. 54
Mulieribus aulicis. 71
Mundi pluralitate & ejus duratione 51
Musica 17
Naturali philosophia. 49
Naturalium rerũ principiis 50
Necromantia. 45
Nobilibus aulicis. 69
Nobilitate. 80
Notariatus arte 94
Oeconomia, in genere. 66
Oeconomia privata. 67
Oeconomia regia, sive aulica
Operatrice medicina. 83. (6
Optica. 23
Pastura. 75
Perspectiva. 25
Pharmacopolia. 84
Philosophia morali. 54
Philosophia naturali. 49
Physiognomia. 38

НАУКОВА БІБЛІОТЕКА ОНУ ім. І.І. МЕЧНИКОВА

Pictura.	24	Scholastica theologia	97
Piscatione.	76	Scientiarum magistris.	101
Plastica.	25	Scientiis, in generali cap.	1
Plebeis aulicis.	70	Sectis monasticis	62
Poesi.	4	Somnispicia	39
Politica.	55	Sorte Pythagorica.	15
Præstigiis	48	Sophistica.	8
Principiis rerũ naturalium	50	Specularia.	26
Privata œconomia.	67	Speculatoria.	38
Procuratoria.	94	Statuaria	25
Prophetica theologia.	99	Templis	58
Pythagorica sorte	13	Theologia interpretativa.	98
Quæstura.	73	Theologia prophetica.	99
Regia œconomia.	68	Theologia scholastica.	97
Religione, in genere	36	Theurgia.	46
Rerũ naturaliũ principiis	50	Verbo Dei.	100
Rhethorica.	6	Venatica.	77
Rethorismo.	21	Veterinaria.	87
Saltationibus	18		

Inter divos nullos non carpit momus.
Inter heroas monstra quæq; insectatur Hercules.
Inter dæmones, Rex Herebi Pluton irascitur omnibus umbris.
Inter philosophos ridet omnia Democritus.
Contrà deflet cuncta Heraclitus.
Nescit quæq; Pyrrhias.
Et scire se putas omnia Aristoteles.
Contemnit cuncta Diogenes.
Nullis hic parcit Agrippa.
Contemnit, scit, nescit, flet, ridet, irascitur, insectatur, carpit omnia.
Ipse Philosophus, dæmon, heros, Deus & omnia.

NOBI-

NOBILIS VIRI,

HENRICI CORNELII AGRIPPÆ, EQVITIS AVRATI, ET UTRIUSQUE JURIS DOCTORIS, Sacræ Cæsareæ Majestatis à consilio & archivis judiciarii.

DE INCERTITUDINE ET VAnitate scientiarum atq; artium, DECLAMATIO.

De scientijs in generali. CAP. I.

ETsi opinio est, & fermè omnium Philosophantium concors & unanimis sententia, qua arbitrantur scientiam quamlibet homini ipsi pro utriusq; captu ac valore nonnihil divinitatis adferre, ita ut sæpe ultra humanitatis limites in Deorum beatorum choros eos referre possint: hinc varia illa & innumera scientiarum encomia prodierunt, quibus unusquisque eas artes atque disciplinas, in quibus jam diuturno exercitio ingenii sui vires exacuit, nõ minus ornato, quàm longo sermone nititur omnibus anteferre, & vel supra cœlos ipsos extollere. Ego verò alius generis persuasus rationibus, nil pernicios̃ius, nil pestilentius hominum vitæ, animarumque nostrarum saluti posse contingere arbitror, quàm ipsas artes, ipsasque scientias. Ideoq; converso ordine agendum censeo, & scientias ipsas non tantis præconiis extollendas, sed magna ex parte vituperandas esse, mea opinio est, nec ullam esse, quæ careat justa reprehensionis censura, neq; rursus quæ ex seipsa laudem aliquam mereatur, nisi quam à possessoris probitate mutuatur. ea autem modestia hanc sententiam meam à vobis accipi volo, ut me nec alios reprehendere, qui diversum sentiunt, nec mihi aliquid arrogare insolentius putetis. Itaq; mihi in hoc à reliquis dissentiẽti veniam dabitis, donec à singulis per ordinem literarum facultatibus, hanc sententiam auspicabimur, nõ vulgarib⁹ duntaxat argumentis, & à superficie rerum sumptis, sed rationib⁹ firmissimis, & ex intimis rerum visceribus eductis, non illa Demosthenis aut Chrysippi argumentosa eloquentia, quæ mihi

НАУКОВА БІБЛІОТЕКА ОНЗ ім. І.І. МЕЧНИКОВА

sacras literas profitenti opprobrio esset futura, tanquam adulationes amanti, si fucos dicendi sequar. Nam loqui propriè, non eloqui: & rei veritatem, non sermonis ornatum, sacrarum literarum possessorem intendere decet. Non enim in lingua, sed in corde veritatis sedes est. Nec interest in dicendis veris quali sermone utamur. Mendacium enim eloquentia, verbisque phaleratis indiget, ut se possit hominum mentibus insinuare: veritatis autem sermo ut scribit Euripides, simplex existit, non quærens fucum, nec pigmenta. Quod si ergo assumptum negotium absque omni eloquentiæ flore (quæ ea ipsa quoq; nunc à nobis, etiã non tam negligenda, quam damnanda erit) vestris delicatissimis auribus offundam, ea vos precor feratis patientia, qua Romanus ille Imperator, quondam cum exercitu constitit, ut audiret mulierculam: atque Archelãus rex interdum audire voluit raucos & inamœnæ vocis homines, quo audiens postea eloquentes plus caperet delectamenti. Memineritis illius Theophrasti sententiæ apud maximos quoiq; & elegantissimos viros etiam rudes loqui posse, dummodo fide & ratione loquantur: atq; ne quasi oscitantes vos auribus pendere sinam, quibus vestigiis & indiciis veluti canibus hanc narratam opinionem meam venatus deprehenderim, nunc proferam in medium: si modo id vos prius commonuero, scientias omnes tam malas esse quàm bonas: nec aliam nobis supra humanitatis metam afferre deitatis beatitudinem, nisi illam fortè, quam antiquus ille serpens pollicebatur primis parentibus, inquiens: Eritis sicut Dii scientes bonum & malum. In hoc itaque serpente glorietur, qui gloriatur se scire scientiam, quod probè factitasse legimus Ophitos hæreticos, qui serpente in sacris suis colebant, dicentes, Ipsum in paradiso virtutis cognitionem induxisse. Astipulatur istis Platonica historia, Theutum quendam humano generi infensum dæmonem scientias primum excogitasse, non minus offensivas, quàm utiles, ut prudentissime disseruit ille totius Aegypti rex Thamus, de scientiarum ac literarum inventoribus. Hinc est, quod Grammatici plerique dæmones quasi sciẽtes exponunt: sed esto, has fabulas suis Poetis philosophisque relinquamus, & non sint alii scientiarum inventores, quam homines, atq; illos scimus fuisse pessimæ generationis filios, filios inquam Cain, & de quibus verè dictum est: Filii hujus sæculi prudentiores sunt filiis lucis in generatione hac. Si itaque nunc scientiarum invẽtores homines sunt, nonne omnis homo mendax, nec est qui faciat bonum usque ad unum. Sed esto:

esto: rursus sint homines aliqui boni nihil scientiæ ipsæ bonitatis, nihil veritatis habebunt, nisi quantum ab ipsis inventoribus vel possessoribus mutuantur, vel acquirunt. Nam si in malum quempiam inciderint noxæ erunt, illumque ex malo reddent deteriorem ut perversum grammaticum, vaniloquũ poetam, mendacem historicum, rhetorem palponem, memoriographum ostentatorem, litigiosum dialecticum, sophistam perturbatorem, linguacem Lullistam, arithmeticum sortilegum, lascivum musicum, impudicum saltatorem, geometram jactatorem, cosmographum erronem, architectum perniciosum, nautam piratã, astronomum fallacem, magum flagitiosum, perfidum caballeum, physicum somniatorem, portentosum metaphysicum, morosum ethicum, iniquum politicum, principem tyrannum, magistratuin oppressorem, populum seditiosum, sacerdotem schismaticum, monachum superstitiosum, prodigum œconomum, mercatorem fallijuriũ, quæstorem compilatorem, segnem agricolam, pastorem abigeũ, piscatorem maledicum, venatorem latronem, militem prædonem, nobilem exactorem, medicum occisorem, pharmacopolam veneficum, coquum helluonem, alchimistam impostorẽ, jurisconsultum versipellem, causidicum mille scelerum protectorem, tabellionem falsarium, judicem venalem, & è sublimi tribunali iatronem, theologum hæreticum, & universæ multitudinis seductorem. Nihil autem inauspicatius, quàm ars, quàm scientia impietate constipata, & malarum rerum pernicios issimus est maximus quisque artifex & doctissimus author. Quod si etiam in non tam malum, sed stultum aliquem incidat, nil illo insolentius ac importunum magis, nam præter id, quod illi de cognata stultitia supereſt tuetur illum doctrinæ authoritas, habetq; literarum instrumenta, quibus suam defendat amentiam, quibus cæteri stulti carentes mitius insaniunt, quemadmodum de Rhetore ait Plato: Nam quò erit (inquit) ineptior atque indoctior, hoc plura narrabit, imitabitur omnia, nihilq; se indignum existimabit. Nihil igitur exitialius, quàm cum ratione insanire. Si quis autem vir bonus & sapiens possideat, fortassis bonæ erunt scientiæ, ac Reip. utiles, possessorem autem suum nihilo reddent beatiorem: non enim (ut ajunt Porphyrius & Iamblicus) verborum accumulatio disciplinarumq; multitudo beatitudo est, quæ nec illum insuper pro rationum ac verborum qualitate accipit incrementum: quod si ita esset, nihil prohiberet illos, qui omnes congregaverunt disciplinas, esse beatos: hunc verò

HERCULI LIBRARY OF YALE UNIVERSITY

qui his careat, nequaquam : essentque philosophi sacerdotibus beatiores. Vera enim beatitudo non consistit in bonorum cognitione, sed in vita bona : non intelligere, sed in intellectu vivere : neque enim bona intelligentia, sed bona voluntas conjungit homines Deo, nec aliud efficiunt disciplinæ foris adhibitæ, nisi quia conditionem nobis quandam purgatoriam adhibent, ad beatitudinem aliquid conducentem, non tamen rationem ipsam, qua nobis beatitudo compleatur, nisi eis adsit & vita in ipsam bonorum translata naturam : sæpissimè enim est compertum, ut ait Cicero pro Archia, ad laudem atque virtutem naturam sine doctrina, quàm doctrinam sine natura valuisse. Non igitur tàm longa, tàm difficili, & vix unquam perscrutabili (ut Averroistæ contendunt) scientiarum omnium disciplina animum imbuere opus erit, quam ipse etiam Aristot. beatitudinem ait valdè communẽ, & quam cuncti facilè adipisci queant per disciplinam quandam & diligentiam, quam scilicet ait facilem, & quasi communem facultatẽ contemplandi objectum omnium nobilissimum, scil. Deum : qui quidem tam facilis omnibus communis contemplandi actus, non syllogizando & demonstrando perficitur, sed credẽdo & colendo. Quæ ergo nunc scientiarum felicitas? quæ sapientum philosophorumque laus & beatitudo, quibus scholæ omnes perstrepunt, resonantque encomiis eorum, quorum animas diris cruciatibus distrahi audiunt, videntque inferi? Vidit hæc August. & timuit, exclamans illud Pauli : Surgunt indocti & rapiunt cœlos, & nos cum scientia nostra mergimur in infernum. Quod si audendum est verum fateri, tam est scientiarum omnium periculosa, inconstansq; traditio, ut longè tutius sit ignorare, quàm scire. Adam nunquam è beatitudinis paradiso pulsus fuisset, nisi serpente magistro didicisset scire bonum & malum. Et Paulus ejiciendos censet de ecclesia, qui plus scire volunt quàm oportet. Socrates, dum omnes fermè disciplinas perscrutatus esset, tunc primum ab oraculo sapientissimus omnium judicatus est, cùm se nihil scire palàm fateretur. Tam est scientiarum omnium cognitio difficilis, ne dicam impossibilis, ut prius vita tota hominis deficiat, quàm vel unius disciplinæ minima ratio perfectè investigari possit. Quod mihi hic affirmare videtur Ecclesiastes, dum ait : Intellexi, quod omnium operum Dei nullam possit homo invenire rationem eorum, quæ fiunt sub sole, & quantò plus laboraverit ad quærendum, tantò minus inveniat, etiamsi dixerit sapiens se nosse, non poterit reperire. Nihil homini

mini pestilentius contingere potest quàm scientia: hæc est vera illa pestis, quæ totum ac omne hominum genus ad unum subvertit, quæ omnem innocentiam expulit, & nos tot peccatorum generibus, mortique fecit obnoxios, quæ fidei lumen extinxit, animas nostras in profundas conjiciens tenebras, quę veritatem damnans, errores in altissimo throno collocavit. Quare jam non vituperandi mihi videntur, Valentinianus ille Imperator, quem acerrimum literarum hostem extitisse ajunt atque Licinius Imperator, qui literas virus ac pestem publicam dictabat: quin & Ciceronem ipsum fontem literarum abundantissimum refert Valerius tandem literas contempsisse. Tanta autem est veritatis ampla libertas, liberaque amplitudo, ut nullius scientiæ speculationibus, non ullo sensuum urgenti judicio, non ullis logici artificii argumẽtis, nulla probatione evidente, nullo syllogismo demonstrãte, nec ullo humano rationis discursu possit deprehendi, nisi sola fide: quam qui habet, is ab Aristot. in priorum resolutionum lib. dicitur melius dispositus, quàm si esset sciens: quod exponens Philoponus, ait, id esse melius cognoscentem, quàm per demonstrationem, quæ per causam fit. Et Theophrastus in suis Transnaturalibus sic ait. Vsque ad aliquid quidem possumus per causam speculari, principia à sensibus sumentes: quando autem ad ipsa extrema & prima transierimus, non amplius possumus scire, sive quia non habemus causam, sive propter intellectus nostri infirmitatem. Et Plato in Timæo ait, quod illa explicare plus est, quàm vires nostræ sufficiunt, sed credi jubet iis, qui antè dixerunt, quanquam nulla demonstrationis necessitate loquantur : fuerunt enim Academici philosophi in precio, qui dixerunt : Nihil posse affirmari : fuerunt Pyrronici, & alii multi, qui quidem nihil affirmabant. Nihil itaque præcipuum habet scientia supra ipsum credere, ubi videlicet probitas authoris movet discipulorum liberam credendi voluntatem. Hinc Pythagoricum præsumptum illud de magistro responsum, ipse dixit. Et Peripateticorum illud vulgatũ proverbium, unicuiq; perito in arte sua credendum est. Sic creditur Grammatico de verborum significationibus. Credit Dialecticus de parte orationis à Grammatico accepta. Assumit à Dialectico Rhetor argumentationis locos. Poeta mensuras mutuatur à Musico. Geometra proportiones sumit ab Arithmetico. Astrologus utrisque fidem dat. Deinde transnaturales conjecturis utuntur naturaliũ, & quisq; artifex rectè præsumit de statutis alterius. Habet enim quævis scientia ceræ

HARVARD UNIVERSITY LIBRARY

quædam principia, quæ credere oporteat, nec ullo modo queāt demonstrari: quæ si quis pertinacius negare velit, non habent philosophi illi, quod contra illum disputent, moxque dicent contra negantem principia non esse disputandum, aut ad alia, quædam extra scientiæ metas relegabunt, ut si quis (dicunt) neget ignem esse calidum, projiciatur in ignem, & quæratur ab eo quid sentiat. ita demum ex Philosophis tortores fiunt & carnifices, volunt nos vi cogere fateri id, quod ratione debuerant docere. Proinde nil Reip. infensum ac perniciosum magis quàm literæ, quàm scientiæ: in qua si qui eruditione & scientia præditi sunt homines, eorum arbitrio, veluti plus sapientium plurimum res geruntur, ac plebis simplicitate, multitudinisq; imperitia freti, omnem magistratus authoritatē sibi soli usurpant, unde Reipub. status à populari in oligarchiam migrat, atq; exinde in factiones divisa, in tyrannidem facilè transit, quā nemo unquam uspiam terrarum obtinuisse legitur sine scientia, sine doctrina, sine literis, præter unum L. Syllam Dictatorem, qui solus sine literis Rempublicam occupavit, in quo tamen literarum ignorantiæ vel hoc Respublica maximè debet, quod tyrannidem sponte tandem deposuerit. Præterea omnes scientiæ nil nisi decreta & opiniones hominum sunt, tam noxiæ, quàm utiles, tam pestiferæ, quàm salubres, tā malæ, quàm bonæ, nusquam completæ, sed & ambiguæ, plenæ erroris & contentionis. atque id nunc ita esse per singulas scientiarum disciplinas progrediendo ostendemus.

De literarum elementis. CAP. II.

NAm in primis quis non videt bene dicendi artes, dico Grāmaticam, Logicam, Rhetoricam, quæ solum vestibula ac fores scientiarum sunt, non autem scientiæ, sæpè non minus pestilitatis adferre, quam voluptatis: quibus tamen nulla alia veritatis regula est, quam primorum quorumcunque instituētium placita atque voluntas. quod ab ipsis usque literarum inventis. quæ prima artium illarum elementa instrumentaque sunt, plenissimè constat: quarum primæ fuerunt Chaldææ, inventore Abrahamo, ut ait Philo, quib. Chaldæi, Assyrii, & Phœnices usi sunt: sed sunt qui ajunt, Assyriis primum literas dedisse Rhadamanthum. Post has Moyses literas tradidit Iudeis, fortè non quidem his characteribus, quibus hodie utuntur, quæ inventum putantur Ezræ, quem omnium ferè veteris instrumenti librorum scriptorem existimant. Porrò quidam Linus Chalcides literas ex Phœnice tulit ad Græcos, sed phœniceas, donec

donec Cadmus Agenoris filius alio charactere illis novas literas daret numero sexdecim, quibus Trojano bello quatuor addidit Palamedes. Postea totidem Simonides Melicus Aegyptiis autem primum scribendi usum tradidit, quidam nomine Memmona per animalium effigies, ut in obeliscis cernitur, sed literas illis primum dedit Mercurius, ille videlicet, quē Lactantius ait quintum Mercurium fuisse, cui Vulcanus Nili filius successit in regnum. Latinis verò literas tradidit mulier Nicostrata, cognomento Carmentæ. Septem itaq; literarum genera antiquitus præcellebant, Hebrææ, Græcæ, Latinæ, Syriæ, Chaldææ, Aegyptiæ, & Geticæ, de quibus in perveſtuto codice hos sequentes versiculos sese legisse refert Crinitus,

Moyses primus Hebraicas exaravit literas.
Mente Phœnices sagaci condiderunt Atticas.
Quas Latini scripsitamus, edidit Nicostrata.
Abraham Syras, & idem repperit Chaldaicas.
Isis arte non minore protulit Ægyptias.
Gallia prompsit Getarum quas videmus ultimas.

Cæterę verò gentes & barbaræ nationes recentioribus temporibus novas literas invenerunt. Nam Gotthis Cardanus Episcopus literas dedit, & antiqui Franci, qui sub Marcomiro & Pharamundo Gallias devicerunt, suos habuere literarum characteres à Græcis parum distantes, quibus Vuastaldus eorum patrio sermone descripsit historiam, sed inventore illarum literarum incerto, extant etiam aliæ Francorum literæ, quarum inventor quidam nomine Doracus, sed à Vuastaldi charactere longè diversæ: & adhuc aliæ inventore Hicho Franco, qui cum Marcomiro ad ostia Rheni venit è Scythia. Quin & Beda aliquas descripsit, sed incerto inventore, aliquorum Normanorum literas. Et multæ aliæ gentes simili modo vel novos sibi literarum characteres constituerunt, vel ab antiquis acceptos pro parte aut immutarunt, aut corruperunt, ut Dalmatæ Græcas, & Armenii Chaldæas: at Gothi, Longobardique Latinarum literarum characteres dehonestavērunt. Multæ præterea antiquæ literæ periērunt, sicuti veterum Hetruscorum, quæ tamen olim Plinio, Livioq; testibus, magno in precio fuerunt apud Rom. & adhuc cernuntur in antiquis monumentis harum effigies, sed penitus incognitæ: nam Romanis olim orbem terrarum vastantibus, obsoletis antiquis & cujusque nationis propriis, suarum usum literarum illis violenter imponebant. Sic Hebræorum literæ sub captivitate Babylonis periērunt, & lingua eorū à Chaldęis corrupta est. Sic antiquā Germanorum,

Hispanorum, & aliarum nationum literæ introductis Romanis characteribus perierunt, linguæque earum gentium corruptæ sunt. Contrà Romanorum & literæ & linguæ à Gothis, Longobardis, Francis, aliisque barbaris gentibus vice versâ corrupta sunt & immutata: neque enim Latina lingua, ea ipsa est hodie, quæ olim: de Hebræa lingua & charactere inter ipsos Thalmudistas non modice dissensio est: nam Rabbi Iehuda ait, protoplastum Adamum Aramæo idiomate locutũ, Marsutra ait, traditam à Moyse legem charactere, qui dicitur Hebræo, idiomate verò sancto, quæ ab Esdra in Aramæũ idioma, Assyriosq; characteres mutata, paulò pòst characteres retinens Assyrios, sanctum idioma resumpsit. Hebræo charactere cum Aramæo sermone relictis Chusi, hoc est, iis, qui simul legem susceperunt, & idola colunt, ut Samaritæ. Alii dicunt, non aliis à primordio, quàm nunc characteribus scriptam fuisse legem: propter prævaricationem autem aliquando mutatum fuisse characterem, sed post pœnitentiam restitutum. Rabbi Simon Eleazaris filius, & sermonem & characterem nullo tẽpore mutatum putat. adeò de Hebraicis, ne apud ipsos Hebræos quidem aliquid habetur certi. Atq; hæc est temporum vicissitudo, ut nullæ sint literæ, nullæ linguæ, quæ hodie formam antiquitatis suæ agnoscant, aut intelligant.

De Grammatica. Cap. III.

At ex his tam inconstantibus & ad omne tempus mutabilibus principiis, literarum dico & linguarum, prior Grammatica, deinde cæteræ, quas diximus, bene dicendi artes prodiere. Nam cùm parum visum esset literas scire, nisi certo gradu formaque jungerentur, atque ex literis syllabæ, ex illis tandem verba & dictiones formarentur, sibique ad intelligentiam sermonis jungerentur, ausi sunt ingeniosi homines loquendi regulas, videlicet constructus, regiminis & significatorum ponere, ac velut linguæ frænum injicere, ut quicquid secundum illas diceretur, benè dictum esset, esseretque ars benè dicendi, vocârunt; artem hanc Grammaticam. Ejus inventor apud Græcos primus traditur Prometheus: Romam primus intulit Crates Mallotes, missus ad Senatum ab Attalo, inter secundum & tertium bellum Punicum: quam postea magno fastu professus est Palæmo, adeò ut nomen arti indiderit, voceturq; Grammatica ars Palæmonia; vir admodum arrogans, ut jactaret secum & natas literas, & interituras, tamque superbus, ut omnes ævi sui doctissimos viros contemptui haberet: etiam ipsum M. Varronem porcum appellare ausus sit. Veruntamen ipsa Latina Grammatica tam egena est, ac Græcæ literaturæ obnoxia, ut qui hanc non calleat, is è Grammaticorum numero protinus sit ejiciendus. Omnis itaque Literaturæ seu Grammaticæ ratio, non nisi in solo usu Majorum, authoritateque consistit: quibus placitum est, ita rem vocari, sicque scribi, verbaque sic & sic componi & construi. quod ipsi tunc benè dictum vocant. Vnde Grammatica se rectè loquendi artem jactat, sed falsò, cùm idipsum longè melius discimus à matribus, aut nutricibus mulierculis, quàm à Grammaticis. Graecchorum linguam (qui eloquentissimi sunt habiti) mater Cornelia formavit. Silem Aripithis, Schythiæ regis filium Istrine mater Græcam linguam docuit. Notum est in multis provinciis exterarum gentium colonias inductas, natos filios matrum sermonem semper tenuisse. Hinc Plato atque Quintilianus de deligenda pueris nutrice idonea, tam solicitè statuerunt. Absit ergò ut rectè loquendi rationem ab illis in Grammatistas transferamus: qui cùm nihil præter unam Grammaticam profiteantur, nihil sciunt minus. Siquidem Priscianus hanc ne toto vitæ suæ tempore discere potuit: & Didymus de ea quatuor, sive, ut alii dicũt, sex millia librorum scripsisse perhibetur. Legimus Claudium Cæsarem ita fuisse Græcis literis deditum, ut tres literas novas illi linguæ adinvenerit, quas postea Princeps non omisit. Et Carolus ille Magnus Germanicæ linguæ Grammaticam commẽtus est, mensibusq; ac ventis nova nomina indidit. Et in hunc usque diem dies noctesque laboratur, scribuntur Commentaria, elegantiæ, quæstiones, annotationes, scholia, observationes, castigationes, centuriæ, miscellanea, antiquitates, paradoxa, collectanea, additiones, lucubrationes, iteratæ ac reiteratæ editiones. Atque interim parturiuntur nobis totidem Grammaticæ, quot sunt Grammatici. Neque tamen quispiam illorum, sive Græcus, sive Latinus fuerit, rationem reddidit, quomodo orationis partes distinguende sunt, quis illarum in constructione servandus ordo: an quindecim duntaxat sint pronomina, ut sentit Priscianus, an plura, ut Diomedes & Phoca voluerunt: an participium per se positum remaneat aliquando participium, utrum gerundia nomina sint an verba: cur Græcis neutri generis pluralia nomina cum verbo singularis numeri conjungantur. Qua ratione liceat Latinis nomina terminata in a & in vs proferre in vm, sicut pro margarita margaritũ, pro punctus punctum: quo modo nominativus Iupiter producat genitivum Iovis. Atque, qua ratione verba neutralia ad-

HARVARD COLLEGE LIBRARY

mittunt, alii excludunt. Cur plerasque Latinas dictiones alii cum Græca diphthongo scribunt, alii non, ut fœlix, quæstio. Atq; an Latinæ æ, & œ diphthongi scribantur tantum, & non proferantur, aut tam bæ vocales: sicut scribitur, ita sub una syllaba exprimantur. Similiterq; cur in Latinis plerisq; vocabulis, aliqui y Græco, alii i Latino solummodo utantur, sicut in Considero. Item in aliquibus quidam duplicant literas, quidã non, ut in caussa, religio. Cur caccabus, cùm habeat primam syllabam positione geminati c c productam, nihilominus à plerisq; Poetis ut plurimum corripiatur. Item utrum Aristotelis anima scribi debeat endelechia per delta, vel entelechia per tau. Prætereo infinitas & nunquam cessaturas eorum contentiones de accentibus, de orthographia de pronuntiatione literarum, de figuris, de etymologiis, analogiis, deque cæteris præceptionibus & regulis, inflexionibus & modis significandi: de mutatione casuum, varietateq; temporum, modorum, personarum, numerorum, deque variis impedimentis, & ordine constructionis. deniq; de ipso literarum Latinarum numero ac genealogia: & utrùm H, sit litera, nec ne & hujusmodi plura. Ita non solùm in dictionibus & syllabis sed & in elementis nulla ratione reddita à se invicem dissentiunt. Cujusmodi pugnã Lucianus Samosatensis de S, T, consonantibus lepidissimo libello derisit, cujus exemplum esse potest in thalassia & thalatta. Quidam etiam Andreas Salernitanus de ea re grammaticale bellum studiosa facundia descripsit. Sed pauca & modica hæc sunt. Plura & majora de nominum depravatis interpretationibus dicere possemus, quibus universo orbi plurimum imponunt, è quibus primum in Repub. non minima malà procedunt, dum legibus subjici, servitutem exponunt: civium autem libertatem interpretantur eam, ubi unicuique licet, quod libet: ac isonomiam, hoc est, juris æqualitatem dicunt, ubi omnibus indiscretim idem jus, idem præmium. Simili modo trãquillum imperium ajunt, ubi omnia Principis libidini obsecundant: felicissimum, ubi populus luxu defluit & otio. Similibusq; admodum multis & medicina: & leges, & canones corruptæ sunt expositionibus, quibus cogũt ipsas etiam sacras literas ipsumque Christum à se dissentientes, contorquentes illas non ad sensum Spiritus sancti, nec ad communem hominum salutem, sed ad suum ipsorum compendiũ. Ex qua re sæpè gravissima imminerunt pericula, ut solet error in vocabulis errorem parere in rebus. Cujusmodi deceptus quondã Rex primus Hebræorũ Saul in verbo Zachar, quod & masculum significat & memo-

& memoriam, cùm dixisset Deus: Delebo memoriã Amelech, ipse Saul putabat, si mares abstulisset, se satisfecisse præcepto. Contigit & Græcis & Italis similis error in verbo Phos, quod & hominem significat & lumen. Vnde quondam Saturnalii cultores verbi ambiguitate decepti, hominem quotannis Saturno immolárunt, dum illum accensis luminibus æquè placare potuissent. Quæ gens tam stulta, tandem Hercule magistro resipuit. Tandem etiam Theologi, & fratres cucullati, sese Grammaticis inferentes, de verborum significationibus cum multis hæresum appendicibus digladiantur, evertentes scripturas occasione Grammaticę, interpretes mali effecti eorum, quæ bene dicta sunt, homines vani, & vere infelices, per arte suam semetipsos excæcantes fugientes lumen veritatis. & dum virtutem dictionum curiosè nimis scrutantur. sensum scripturarum nolũt intelligere, sed nuda vocabula tenentes circa illa morãtur, subvertentes & amittentes verbum veritatis. Sicut narratur de sacrificulo illo, sive verum, sive fabula sit, qui cùm plures haberet hostias, ne in Grammaticam committeret, in hæc verba consecravit: Hæc enim sunt corpora mea. Vndenam orta est illa Antidicomarianitarum & Elvidianorum execranda hæresis, divæ Christi matris perpetuam virginitatem negantium, nisi ex hoc unico vocabulo Donec: ubi legitur in Euangeliis, Quoniam Ioseph non cognoscebat eam, donec peperit filium suum primogenitum. At quantam Latinæ cum Græca Ecclesia contentionem concitarunt duæ ille dictiones, Ex & Per, Latinis asserentibus spiritum sanctum procedere ex parte & ex filio, Græcis autem dicentibus non ex filio, sed ex parte per filium? Quãtas rursus Tragœdias movit dictio illa Nisi, in concilio Basiliensi? Bohœmis utriusque speciei communionem necessariam affirmantibus, quia scriptum sit: Nisi manducaveritis carnem filii hominis, & biberitis ejus sanguinem, non habebitis vitam in vobis. Vndenam illa Vualdensium & sequacium recentiorum, quæ circa Eucharistiam hæresis? nisi ex illa dictione est, quam illi symbolicè ac significativè duntaxat dictam volunt, tropumq; subesse verbis: Romana Ecclesia illam essentialiter exponente? Sunt adhuc aliæ grammaticorum perniciosæ hæreses, verùm tam occultæ, tamq; subtiles, ut nisi Oxonienses acutissimi Anglorũ Theologi, atq; Parisiensium Sorbonistæ, lynceis oculis has perspexissent, magnisq; sigillis condemnassent, vix aliquis posset præcavere. Ejusmodi sunt, si quis æquè benè dictum senserit, Christus prædicas: CHRISTUS prædicat, Ego credis, Tu credit, Credens est ego. item, quod verbum, manens

manens verbum, potest privari omnibus accidentibus. Item, quòd nullum nomen est tertiæ personæ, & his similia. Quæ profectò si hæretica dici debeant, hæretici erunt in primis propheta Esaias & Malachias quorum uterque inducit Deum de se ipso loquentem: Prior ad Ezechiam his verbis: Ecce ego addet super dies tuos, &c. non enim dicit Addam, sed addet. Alter sic: Et si domini ego, ubi est timor meus? quo in loco facit Deum plurativè se appellare dominos: sed multò magis hæretici erunt omnes, qui nunc per universum Romanum orbem habentur Theologi, quatenus universam orthodoxæ Ecclesiæ doctrinam novitate pronunciationis contra omnem Grammaticorum artem ac usum ad confictas voces monstrosa vocabula, & perplexa sophismata protraxerunt, ausi insuper docere, Theologiam ipsam incorrupto sermone tradi non posse. Sunt infinita horum similia: & miserandum est ætate nostra, quantas contentiones & errores moveant pertinaces Grammatici, & superbi sophistæ suis perversis vocabulorum interpretationibus, dum alii ex verbis colligunt sententias, alii contra ex sententiis colligunt verba. Hinc in Medica arte, in utroque Iure, in Philosophia & Theologia, cæterisque facultatibus literarum infinitæ contentiones erroresque quotidie insurgunt. Nihil enim demonstrant Grammatici, sed solis nituntur authoritatibus, quæ sæpissimè inter se tam variæ sunt atque discordes, ut necessarium sit plurimas illarum esse mendaces, quarum præceptionibus qui maxime confidunt, hi rectè loquuntur omnium minimè. Omne enim sermonis jus non apud Grammaticos, sed penes populum existit, & vulgari consuetudine bene dicendi usum sortitur. Latini autem sermonis vigor postquam invalescentibus barbaris apud populum esse desierit, ejus ratio tamen non à Grammaticis, sed idoneis & doctis scriptoribus, ut à Cicerone, Catone, Varrone, utroque Plinio, Quintiliano, Seneca, Suetonio, Quinto Curtio, Tito Livio, Sallustio, similibusque est petenda: quos penes solos restant antiquæ deliciæ Latinitatis, ususque rectè loquendi, non apud Grammaticos literatores. qui suis regulis de verborum & casuum inflexionibus, & deponentiis ipsi Latinitati plurimùm imponunt, ac talia sæpissime constituunt vocabula, quæ fas non sit homini Latino usurpare, nisi fortè Parisiensis Sorbona inter articulos referat. Si quis dicat, de veritate sermonis Latini fidem Grammaticis non habendam, atque tamen hi literatores Grammatici sese solos scriptorum omnium censores, judices & interpretes constituunt, ac authores

thores omnes librosque in ordinem redigere, aut è canone submovere sibi arrogant, nullus unquam tam excellentis ingenii author extitit, qui maledicam istorum linguam evaserit, quem non taxaverint, aut in quo non plurimùm culpaverint. Criminantur in Platone confusionem, & ordinem desiderant, de cujus vitiis Georgius Trapezuntius libros composuit, qui ab aliis idcircò Conotimon & Etynim vocatus est, ut narrat Crinitus. Quærunt in Aristotele dilucidam perspicuitatem, arguunt tenebrosam ejus obscuritatem, & sepiam vocant: taxant Vergilium, ut pauci ingenii, & compilatorem, aliorumque usurpatorem criminantur, Tullio non satisfacit Demosthenes, & ille summus Latinorum rhetor à Græcis repetundarum petitur, & multis notis accusatur, timidus, superfluus in repetitionibus, frigidus in facetiis, lentus in principiis, ociosus in digressionibus, raro in calescens, tardè assurgens: quin & à nostris etiam reprehensus, à M. Capella tanquam turbato numero locutus, ab Apollinari flaccidus & supinus notatus est: jamque etiam Livianas orationes Trogus pro fictis damnat, & Horatio non placet Plautus, idem ab incompositis versibus damnat Lucilium, ut turbidum flumen nullis bene digestis: multa dicitur involvere Plinius, nimium fertur indulgere genio Ovidius, ab Asinio Pollione pro affectatore reprehenditur Salustius: furta & aliena prorsus recitasse: & à Labeone & Scipione adjutus arguitur Terentius: Seneca calx sine arena vocatus est, quem his verbis taxat Quintilianus: Si nullum æqualium contempsisset, si partim non concupisset, si non sua omnia amasset, si rerum pondera minutissimis sententiis non fregisset, sensu potius eruditorum, quàm puerorum amore comprobaretur. Sed M. Varro porcus appellatus est, & Ambrosius cornicula & fabulator nuncupatus: Macrobius homo eruditissimus, impudentis & ingrati ingenii taxatus, & ab Laurentio Valla Grammaticorum omnium eruditissimo, nullis eorum, qui unquam Latinè scripserunt, judultum est, & illum laniavit Mancinellus. Erat olim inter Grammaticos de lingua Latina bene meritus Servius, & hunc impugnavit Beroaldus: tandem & hunc posteriores Grammatici veluti barbarum omnino aversantur. Sic Grammatici omnes alter in alterum furere soliti sunt: denique horum opera factum est, ut sacræ Scripturæ traductio correctionis prætextu, toties immutata, jam tota à seipsa dissonet: horum censuris de Apocalypsi Ioannis Apostoli, de Epistola Pauli ad Hebræos, de epistola Iudæ, & aliis plerisq; novi Testamenti capitulis diu dubitatum

HAEC OLIM IN LIBRARIA EUROPA

bitatum est: quin & Evangelia ipsa ad problemata revocare conati sunt. Sed jam ad Poëtas.

De Poësi. CAP. IV.

POësis ipsa, authore Quintiliano, altera Grammaticæ pars est, hoc ipso non modicum superba, quòd olim theatra & amphitheatra, augustissima hominum ædificia, non philosophis, non jurisconsultis, non medicis, non rhetoribus, non mathematicis, non theologis, sed ipsis Poëtarum fabulis ingentibus sumptibus extructa sunt. Ars non in aliud inventa, nisi ut lascivientibus rhythmis, syllabarum numeris, ac ponderibus, nominumq; inani strepitu, stultorum hominum aures demulceat, ac fabularum oblectamentis, mendaciorumque centonibus decipiat animos. Quocirca architectrix mendaciorum, & cultrix perversorum dogmatum dici meruit, atque ut, quod ad furorem, & temulentiam, & impudentiam, & audaciam attinet, illo condonemus, certè interritam illam mentiendi fiduciam, quis æquo animo ferret? quem enim angulum insanis nugis fabulisq; reliquit vacuum? Iam enim ab ipso chaos faciens exordia fabularum, narrat cœli sectiones Veneris partus, Titanum pugnam, Iovis incunabula, Rheæ fraudes, & Iapigis suppositiones, Saturni vincula, gigantum rebellionem, Promethei furtum atque supplicium, Deli errores, Latonæ labores, Pythonis cædem, Tyri insidias, Deucalionis inundationes, hominumq; ex lapidibus ortum, Iacchi dilaniationes, Iunonis dolum, Semeles conflagrationem, Bacchi utranq; stirpem, & quæcunq; de Minerva, Vulcano, Erychthonio, Boria, Orichia, Theseo, Aegeo, Castore, Polluce, raptu Helenæ, & morte Hyppoliti in fabulis Atticis referuntur. Præterea errationem Cereris, raptam & inventam Proserpinam, & quæcunq; de Minoë, de Cadmo & Niobe, de Pentheo, Atthæo, Oedipode, de Herculis laboribus, de Solis & Neptuni pugna, Athamantis insania, de Io in vaccam mutata, & ejus custode Argo à Mercurio perempto, & quæ de Vellere aureo, Peleo, Iasone, Medæa, item de Agamemmonis morte, & Clitemnestræ supplicio, & quæ de Danae, Perseo, Gorgone, Cassiopæa, Andromeda, Orpheo, Oreste, de Aenea & Vlyssis erroribus, de Circe, Thelagonio, & Aeolo, Palamede, Nauplio, Ajace, Daphne, Ariadne, Europa, Phædra, Pasiphae, Dedalo, Icaro, Glauco, Athlante, Geryone, Tantalo, de Pane, Centauris, Satyris, Syrenibus, & reliquis hujusmodi insignibus mendaciis memoria prodidit. Nec interim humanis rebus contenta, ipsos deniq; deos in fabularum suarum partem vocat, eorũ ortus, interitus, lites, jurgia, odia, iras, prælia, vulnera, lamentationes, vincula, amores, lenocinia, libidines, fornicationes, adulteria, cum hominibus & bestiis concubitus, & quæ his absurdiora & nefanda magis, venenosis verborum leporibus, & noxia carminis suavitate texens, non præsentes tantùm fallit ac inficit, sed turpia hæc venefica pulchris versiculis metrisq; servata, etiam posteris communicat, & tanquam rabidi canis morsu quoscunq; dogmatibus suis mendaciisq; semel infecerit, consimili rabie furere compellit. Tanta enim arte mendacia ejus conficta sunt, ut non raro veris præjudicent historiis. Quemadmodum de emenuto Didonis cum Aenea adulterio, atq; capto à Græcis Ilio, manifestum est. Sunt tamen, qui ad tantum insaniæ furorem devenerint, ut illi nonnullas divinitatis sortes inesse putent, quia dæmones olim poeticis versiculis responsa dederint: hinc illos prophetas ac vates, divinoq; spiritu afflatos vocat, ac poetarum nugacissimis versiculis tanquã oraculis ad divinandum uruntur. Hinc apud priscos sortes Homericæ cognominatæ sunt, ab Homeri versiculis: sicut à Virgilii carminibus sortes Vergilianæ, quarum in vita Adriani meminit Spartianus. Quæ superstitio hodie & ad Sacras Literas, & Psalmorum versiculos translata est, etiam non improbantibus pleriſq; nostræ religionis Magistris nostris. Sed ad poesim revertamur, hanc Augustinus à civitate Dei exulare jubet. Ethnicus Plato à sua Republica expellit, Cicero admitti vetat. Socrates admonet, si cui fama maximè curæ est, illamq; servare cupiat illæsam, is caveat, ne poëtam aliquẽ inimicũ habeat, quia non tam magnã in laudando, quàm in maledicendo & vituperando vim habent. Minos rex justissimus abs Hesiodo & Homero celebratus, quia Athenensibus bellum intulit, tragicos poëtas in se concitavit, qui illum apud inferos relegârunt. Penelopem ab Homero singulari pudicitia illustratam, Lycophron aliquot procis concubuisse scribit. Didonem Carthaginis conditricem continentissimam viduam, Ennius Poeta. Scipionis gesta decantans, primus Aeneam adamasse finxit, quem tamen ex ratione temporum vidisse unquam non potuit: quod mendacium Virgil. deinde sic onavit, ut pro vera creditum sit historia. Tandem eousque hæc mentiendi licentia, maledicendiq; improbitas processit, ut necesse fuerit legem illis per Censores præscribere, qua ejusmodi Poetarum probra atque mendacia reprimerentur. Sed & apud priscos Romanos ipsa Poesis palam probro habebatur,

bebatur, atque adeò, ut (Gellio & Catone testibus) qui in illa studeret, publicus grassator vocaretur: quin & à M. Catone ob id taxatus fuit Q. Fulvius, quòd Proconsul missus in Aetoliam, Ennium Poetam secum assumpserit: & Imperator Iustinianus illius Professores nulla prorsus immunitate dignatur: Homerum etiam, quem omnium Poetarum Philosophum, & omnium Philosophorum Poetam vocant, veluti insanientem quinquaginta drachmis Athenienses mulctaverunt: & Tichteum Poetam veluti mentis inopem dimiserunt: quin & Lacedæmonii Archilochi Poetæ libros è civitate sua exportari jusserunt. Sic Poesim ipsam probissimi quique tanquam mendaciorum parentem aspernati sunt: Poetis adeo monstrosè mentientibus: quippe quibus studium est nihil sani dicere, aut literis prodere, sed consarcinatis versiculis, stultis auribus cantillare, & fabularum involucris perstrepere, & super fumo machinari omnia, sicut alicubi cecinit Campanus.

Virunt carmine insani Poetæ,
Si nugas adimas, fame peribunt,
His mendacia sunt opes & aurum,
Fingunt quæ, volunt, putantq; palmam
Mentiri bene gloriosiorem.

Sunt præterea apud Poetas acerrimæ contentiones, non solùm de carminis charactere, de pedibus, de accentibus, & syllabarum quantitatibus, (nam de iis etiam triviales quique Grammatici concertant) sed de iis ipsis suis nugis, figmentis atq; mendaciis, utputà de nodo Herculis, de casta arbore, de literis Hyacinthi de filijs Niobe, de arboribus apud quas Latona Dianam peperit. Item de Homeri patria, deque ejus sepulchro, atque utrum Homerus an Hesiodus ætate superior sit, an Patroclus antiquior Achille, quo corporis habitu Anacharsis Scytha dormierit, cur Homerus non honoraverit carmine Palamedem, utrum Lucanus inter Poetas aut Historicos reponendus sit. Item de furtis Vergilii, & quo anni mense mortuus fuerit, &, Quis exiguos elegos emiserit author, Grammatici certant, & adhuc sub judice lis est. Omnia autem Poetarum carmina plena fabulis sunt, non nisi sub adulationis, aut detractionis pessimorum vitiorum prætextu adstultorum delectationem decantata. Quicquid agunt Poetæ, narrent, laudent, invocent, fabulis suis adulantur. Rursus invehant, mordeant, accusent, fabulis debacchantur, semper vero insaniunt. Recte igitur Democritus hanc non artem, sed insaniam vocat.

vocat. Et Platonis sententia est, frustrà Poëticas fores compos sui pepulit. Tunc siquidem admiranda canunt Poetæ, quando videlicet insaniunt, aut temulenti sunt. Hinc Augustinus Poësim vocat vinum erroris, ab ebriis Doctoribus propinatum. Hieronymus eam dæmonum cibum appellat. Ars insuper pertenuis & nuda, quæ per se quidem tota insulsa res est, nisi alia quavis disciplina vestiatur, condiaturque: ars esuriens, semperq; famelica, & tanquam mures alienum panem comedens, atq; tamen nescio quam inter nugas & fabulas cum Tithonis cicadis, Lyciorum ranis, & Myrmidonum formicis polliceri audet immortalem gloriam nominis, ac dicere:

Vivite felices, si quid mea carmina possunt,
Nulla dies unquam memori vos eximet ævo.

quæ revera aut nulla est, aut nihil profutura. Sed hoc munus docent Historici, non Poetarum, sed suum esse.

De Historia. CAP. V.

EST autem Historia, rerum gestarum cum laude & vituperio narratio, quæ magnarum rerum consilia, actiones, exitus, regumque & magnorum virorum actus, cum temporum & locorum ordine ac descriptione, tanquam viva quadam pictura ante oculos exponit, ideoque hanc tanquam vitæ magistram, & ad ejus institutionem utilissimâ censent ferè omnes, eò quòd multarum rerum exemplis, cùm optimos quosq; ob laudis, nominisque immortalem gloriam, ad præclara quæq; facinora accendat, tùm quòd impios quosque ac pravos perpetuæ infamiæ metu à vitiis deterreat, quamvis res hæc sæpissimè in diversum cesserit, & multi, quod Livius dixit de Manlio Capitolino, malint esse famæ magnæ, quàm bonæ, & plerique, quod virtutibus nequeunt, sceleribus innotescere volunt, inscribiq; Historiis. quemadmodum de Pausania Macedone adolescente Philippi Regis parricidio illustri, ex Trogo recitat Iustinus, atq; de Herostrato, qui Dianæ Ephesiæ templum, opus omnium præclarissimum, à tota Asia annos ducentos ædificatum incendit, narrant Gellius, Valerius atque Solinus. Et quanquam severissimis legibus cautum fuerit, ne quis hominem illum voce scriptóve nominaret, finem tamen, cujus gratia perpetravit scelus, adsecutus est, fama videlicet & nomine ejus per tot secula ad nos usque deductis. Sed ad historiam revertamur. Hæc cùm maximè omnium rerum seriè, fidem, consonantiam, veritatemq; expoſcat, illa tamè minimè

HAN-CORPUS-PHILOSOPHIA-LIBRARY

omnium præstat: tam inter se dissentiunt historiographi, tam varia & diversa de eisdem tradunt, ut impossibile sit plurimos illorum non esse mendacissimos: non dico solùm de principio mundi, de diluvio universali, de urbe condita, à quibus exordiis res gestas scribere profitentur, cùm primum illorum omnes ignorent, alterum non omnes credant, tertium penes eos incertum sit. Quare cùm hæc remotissima sint, nec æqua ratione ab omnibus recepta, habeant erratorum illorum veniam. Sed de posterioribus temporibus haud poterit illis non imputari mendaciorum culpa: causæ autem tantæ illorū dissonantiæ multæ sunt. Nam pleriq; eò quòd narratorum temporibus, locis, personis, gestis non adfuerunt, ex aliorum relatu populares sermones colligentes, nihil certum, nihil constàs scribunt: quo vitio à Strabone taxantur Eratosthenes, Metrodorus Sceptius, Possidonius, & Patroclus geographus. Sunt alii, qui cùm partem rerum viderint, quasi in transitu militari, aut prætextu votorum mendaci per xenodochia provincias transcurrentes conscribere audent historiam: cujusmodi quòdam Onosicritus, & Aristobulus scripserunt de India: Sunt qui delectationis causa rebus veris nonnihil admentiuntur, sæpè etiam veritatem omittentes, de quo Herodotū notat Diodorus Siculus, ac Trebellium Liberianus & Vopiscus, at q; Tacitum Tertullianus & Orosius, in quorum numerum etiam Danudem & Philostratum reponemus. Sunt etiam, qui res veras ad fabulas convertunt: quales Gnidius, Ctesias, Hecatæus, & plures alii antiquorum historici. Sunt & multi, qui impudenter Historiographorum nomine se jactantes, ne videantur quicquam ignorare, aut aliquid aliud ab aliis retulisse, dum de ignotis & inaccessis provinciis verbosa novitate scribere præsumpserunt, nil nisi elegantes nugas, & monstrosa mendacia tradiderunt: cujusmodi ea, quæ de Arimaspis, Gryphis, Pygmæis, & Gruibus, ac de Cynocephalis, & Astromoris, Hypopodibus, Phanniſius, Troglodytis legimus. quorum erroribus proximi sunt, qui sub arctico mare congelatum affirmárunt, atque tamen invéniunt stultos, & sine judicio homines, qui illis talia credant, ac pro oraculis habeant: at ex horū numero sunt Ephorus, qui unam duntaxat civitatem esse Hybernis tradidit, cùm illi tantàm Hesperiæ partem inhabitare noscuntur. Et Stephanus Græcus, qui Francos Italiæ populos, & Viennam oppidum esse Galileæ, pro Galatiæ dixit. Et Arianus Græcus, qui Germanorum sedes non procul ab Ionio asserit, quibus accedit & Dionysius in his, quæ falsò tradidit de Pyre-

Pyrenæis montibus. Præterea quæ Cornelius Tacitus, Marcellus, Orosius, Biondus de Germaniæ locis differunt, magna ex parte à veritate discrepant. Similiter falsò scribit Strabo, Istrum, hoc est, Danubium, non procul ab Adriatico oriri, & Herodotus eundem ab Hespero fluere, & apud Celtas, qui omnium in Europa extremi sunt, oriri, & ad Scythiam ingredi, & iterum Strabo Lapum ac Visurgum fluvios ad Hanasium ait deferri, cùm Lapus Rheno misceatur, Visurgus autem mari exoneretur. Sic & Plinius Molam fluvium in Oceanum properare tradit, cùm is non Oceano, sed Rheno immergat. Consimilibus erroribus ex recentioribus Historicis ac Geographis, Sabellicus Alanos ab Alemanis falsò deducit, & Hungaros ab Hunnis falsò derivat: quin Gothos & Getas Scythas ait, & Danos cum Dacis confundit, ac D. Ottiliæ montem in Bavariam locat, cum non procul sit ab Argentorato. Volaterranus etiam Austerianam & Austriam, Avaros & Savaros, Lucernam quoque & Nausium confundit, & Plinium dicit Bernensium Helvetiorum mentionem fecisse, cùm illi longè posterioribus temporibus à Bartholdo duce Zaringiorum primum condi ti fuerunt. Similiter Conradus Celtes Dacos eosdem cum Cimbris existimat, & Cerusos eos, quos Cerusos, quin & Riphæos montes in Samaria sitos putat, & electrum gummam ex arbore defluentem tradit. Sunt & adhuc alii inter Historicos longe majorum mendaciorum culpam habentes, qui cùm aut rebus interfuerunt, aut aliter res ipsas, ut sunt, vel gestæ sunt, cognoverunt, tamen benevolentia & obsequio victi suis adulantes, contra fidem confirmant. Sunt ex iis qui ad accusándas aut defendendas alienas causas, historias narrare aggressi, ea sola quæ suo argumento conducunt, narrantes, cætera vero dissimulantes, prætereuntes, aut extenuantes, mancas & corruptas Historias scribunt, de quo vitio Biondus taxat Orosium, quòd ingentem illam Italiæ cladem, qua Gothi Ravennam, Candanum, Aquilejam, Ferrariam, ac totam ferè Italiam diripuerunt, conticuerit, suum ne attenuaret propositum argumentum. Sunt præterea, qui metu aut simultate, aut odio aliorum corrupti, detrahunt veritati. Alii dum suorum gesta extollere cupiunt, aliorum patrata extenuant, & in humilitatem dejiciunt, scribuntq; non quod est, sed quod cupiunt, quod volunt, quodque lubet, confidentes non defuturos mendaciorum suorum comites atque patronos, testesque eos, quibus egreditur, palpati fuerint. Quod vitium antiquitus Græcis scriptoribus familiare erat, hodie

verò fermè omnis nationis Chronographi eo ipso laborant, ut Sabellicus, & Blondus in rebus Venetorum, Paulus Aemilius, ac Gaguinus in gestis Francorum, quos nō ob alium fructum alunt Principes, nisi, quod ait Plutarchus, ut famulante ipsisbono ingenio, virtutem alienis meritis suffocantes, illorum facta nugis ac figmentis pro historica majestate attollāt, Sic Græci Historici de rerum inventoribus scribentes, omnia sibi, sed non sua vendicare voluerunt. Est & aliud corruptissimum adulatorum genus, qui cùm principum suorum originem ad antiquissimos quosq; reges extendere conentur, cùm in suo genere eò nequeant pervenire ad externas origines fabulasq; recurrunt, & Regum, & locorum nomina contingunt, & nihil non commentiuntur. Hujus generis est barbarus ille Hunibaldus, qui Francorum historias conscribens, Scythicā, Sicambriam, & Priamum juniorem, aliaq; locorū ac Regum nomina commentus est, quorum nullus unquam priorū meminit Historicus: atq; tamen illius nugas consimilis ingenii homines secuti sunt, videlicet Gregorius Turonensis, Rheginо, atque Sigisbertus, & plerique alii. Hujus furfuris est & Vitichindus, qui Saxones antiquissimos & primores Germaniæ incolas, Macedonum sobolem ait, & ab Alexandri Magni reliquiis derivat: quem in hoc errore sequuntur plerique alii. Multi præterea scribunt historias, non tam ut vera referant, quàm ut delectent, ut egregii Principis imaginem in quovis lubeat, exprimant, aut effingant. Quos si quis arguat mendacii, dicunt se non tam ad rem gestam, quàm ad posteritatis utilitatem & famam ingenii intueri: ideoque non omnia narrare ut acta sunt, sed ut narrare expedit: nec se veritatem pertinaciter velle tueri, sed ubi figmentum falsitatémve communis postulat utilitas, citantes testem Fabium, dicentem: Non esse vituperandum tale mendacium, quod ad honestatis persuasionem conducit: Præterea cùm posteris ipsis scribant, non magni referre, cujus nomine, quáve serie boni Principis exēplum proponatur in publicum. Tale profectò Xenophon de Cyro, non qualis esset, sed qualis esse debuisset, tanquam optimi Principis exemplar, & archetypum, scitam elegantemque, sed absq; veritatis fide Historiam descripsit. Hinc tandem factum est, ut multi & natura, & industria ad mentiendum apti, confictis argumentis, fabulosas describant historias, ut sunt illa Morgonæ, Magdalonæ, Melusinæ, Amadisi, Florandi, Tyranni, Conamori, Arcturi, Dietheri, Lanceloti, Tristanni, illa, inquam, prorsus fabulosa, ac simul inerudita deluamenta, Poeta-

Poëtarum Comœdiis ac fabulis fabulosiora: inter eruditos verò principatum in istis obtinuerunt Lucianus atque Apulejus: quin & apud Herodotum historiæ patrem, apud Diodorum, & apud Theopompum, quod ait Cicero, innumerabiles sunt fabulæ, & ipsi pleni mendaciis. Ibi enim epota Medo prandente flumina, & velificatum Athon legimus,

Et quidquid Græcia mendax
Audet in historia.

Atque hæ sunt causæ, cur nusquam verè exacta fides reperiatur historiæ, etsi hanc in ea maximè quæramus: judicium autem, quo in discernendo opus esset, difficillimum est cōsequi. Cùm enim publicè rerum gestarum conscriptiones non fierent, quæ rerum docerent veritatem, & mentientes arguerent, sed suæ opinioni quisq; permissus est, hinc nacti sunt errandi mentiendique potestatem: unde tanta apud historiographos discordia nata est, ut etiam (quod ait Iosephus contra Apionē) libris suis alter utros arguant, & valdè contraria de rebus eisdem conscribant, quantis quidem locis (idem ait) Hellanicus ab Agesilao de Genealogiis discrepat, & in quantis Herodotum corrigit Agesilaus, & quomodo Ephorus quidem Hellanicum in plurimis ostendit esse mendacem, Ephorum verò Timæus, Timæum, qui post eum fuere, Herodotum verò cuncti. Sed neq; de singulis cum Antiocho & Philisto, aut Callia Timæus concordare dignatus est: in multis etiam Thucydides tanquam fallax accusatur, licèt scrupulosissimam historiā conscripsisse videatur. Hæc de aliis scribit Iosephus, atq; hunc nostercorrigit Egesippus. Præterea ex historiographis multi multa narrant, sed non omnia probanda, & quidam probant haudquaquam probanda, pleriq; pessima exempla imitanda proponunt. Nam qui Herculem, Achillem, Hectorem, Thæseum, Epaminondam, Lysandrum, Themistoclem, denique Xerxem, Cyrum, Darium, Alexandrum, Pyrrhum, Hannibalem, Scipionem, Pompejum, Cæsarem, miris laudibus depingunt: quid, nisi magnos & furiosos latrones famososque orbis prædones descripserunt? Esto, fuerint Imperatores optimi, certè viri pessimi sceleratissimique. Quod si quis dicat mihi, ex historiarum lectione præcipuam nanciscī prudentiam, non negaverim, modò id quoque concedat, ex iisdem etiam summam hauriri perniciem, atque, ut alicubi canit Martialis: Sunt bona multa, sunt mediocria multa, sunt mala multa.

De Rethorica. CAP. VI.

RHetorica verò, quæ iis proxima est, aris sit, necne, inter gravissimos viros certatur. & adhuc sub judice lis est. Ipse siquidem Socrates apud Platonem tirmissimis rationibus eam nec artem, nec scientiam contendit, sed fugacitatem quandam, ipsamq; nec præclaram, nec honestam, quinimo turpem, illiberalem ac servilem adulationem. Sed & Lysias & Cleanthes, & Menedemus censuerunt eloquentiam nulla arte posse contineri, sed à natura duntaxat proficisci, quæ quemlibet doceat dum opus sit, blandiri, & res suas enarrare, argumētisq; firmare, atq; veram pronunciationem, memoriam, pulchrumq; inveniendi modum. non nisi à natura proficisci: quod ipsum in Antonio Romanorum Oratorum Principe visum est. Quin & cùm ante Thysiam, Coracem, & Gorgiam nullus adhuc rhetoricæ artem scripserit, aut docuerit, multos tamen ingenii bonitate fuisse eloquentissimos. Præterea cùm ars definiatur esse collectio præceptorum ad unum finem tendentiū, adhuc certant rhetores, quis illius finis sit, an persuadere, an bene dicere, nec consentiunt veris causis, novas & fictas etiam excogitant. Præterea tot theses, hypotheses, figuras, colores, ductus, characteres, suasorias, controversias, declamationes, procœmia, insinuationes, benevolentiæ captiones, artificiosissimas narrationes invenerunt, ut vix numerare sufficiat, & tamen rhetoricæ finē factum esse inficiantur. Hanc Lacedæmonii omnino reprobārunt, æstimantes proborum hominum sermonem non ab arte, sed a pectore proficisci oportere. Antiqui etiam Romani serò admodum rhetores in urbem admiserūt; cumq; post multam controversiam ostendere Cicero conatus esset orandi facultatem non tam ab arte, quàm à prudentia proficisci, atq; idcirco opus de perfecto Oratore scripsisset, tamen ille orator, quem ipse velut exemplar ibi fabricat, nō omnibus probatus est: quin & Bruto ipsi singularis integritatis viro admodum suspectus visus est, semperq; vicit sententia Rhetorum, bene dicendi præcepta hominū vitæ plus officere, quàm prodesse: atq; ut liceat verum fateri, constat totam illam ac omnem rhetoricæ disciplinam nihil aliud esse, quàm assentationis adulationisq; (& ut quidam audacius dicunt) mentiendi artificium, ut quod rei veritate efficere nō possit, persuadeat fuco orationis, quemadmodum de Pericle sophista ait Archidamus, (ut author est Ennapius) qui interrogatus, num esset illo potentior, respōdit: Etli Pericles in bello à me victus sit, ea tamen præditus est dicendi

cendi facundia, ut cùm de iis ratiocinetur, nō victus, sed victor appareat: atq; de Carneade ait Plinius, quòd ipso argumentāte, quid veri esset, haud facilè discerni poterat: de eodem traditum est, quod cùm pro justitia multa publicè elegantèr & sapienter disseruisset: postridie non minore doctrina atque copia contra justitiā peroravisse. Erat apud Syracusas Corax, Rhetor vir acuti ingenii & linguæ promptioris, qui hanc artem mercede docebat: ad hunc accessit Thysias, qui cùm promptam mercedem non haberet, pollicitus est duplicem, postquam ille eum docuerit rhetoricam, quem Corax hac cōditione susçepit & docuit. Hanc Thysias cùm didicisset, de precio magistrum circumvenire studens, interrogavit Coracem, quid esset rhetorica: quo respondente, effectricem persuasionum, in præceptorem sic argumentatus est: Quodcunq; igitur de mercede dixero, si tibi me nihil debere persuasero, nihil debeo, quia nō debere persuasi: si nō persuasero, non debebo etiā, quia me scire persuadere non docuisti. Tum Corax hoc argumentum in Thysiam retorquere nitus, Quodcunq;, ait, ego quoq; de mercede dixero, si me accepturum persuasero, accipiam, quoniam persuasi: si nō persuasero, etiam accipere debeo, quoniam tantum discipulū erudivi, qui præceptorem superaret. His antistrophis argumentis eos contendere audientes Syracusāni, exclamaverunt: Mali corvi malum ovum, significantes mali præceptoris pejorem discipulum. Haud absimilem historiam refert Gellius de Protagora sophista, & Euathlo ejus discipulo. Atqui scire exactè, ornatè graviter & copiosè dicere, pulchrum & delectabile, ac semper utile est, nonnunquam tamen turpe & importunū, sæpissimè verò periculosum, semper autem suspectū est: quocirca Socrates ipse Rhetores nulla æstimatione dignos censet, nec qui ullam in bene instituta repub. debeant potentiam obtinere: & Plato illos à sua repub. cum tragicis histrionibus & poetis simul excludendos censuit, nec injuria. Nam hoc artificio nihil periculosius civilibus officiis: ab hoc prævaricatores, tergiversatores, calumniatores, syncophantæ, & cætera hujusmodi sceleratæ linguæ hominum nomina descendunt. Hoc enim præditi homines in civitatibus plerunq; conjurant, ac seditiones movent, dum hac artificiosa loquacitate alios decipiunt, alios mordent: alios cavillant, blandiuntur aliis, ac in innocentes tyrannidem quandam sibi usurpant. Hinc rectè dixit Euripides, tyrannicum quoddam esse multa scire dicere: & Aeschilus ait, Malum omnium turpissimum esse dico compositos sermones, & Raphael Volaterranus, historiarum & ex-

emplorum ſtudioſiſſimus, fatetur, collatis quæcunque audiverit, quæque legerit, veterum & recentiorum exemplis, pauciſſimos viros bonos reperiri eloquentes. Nónne eo ipſo ingentes reſpub. ſæpè graviter vexatæ, ſæpè penitus deletæ ſunt? Exemplo ſunt ejus rei Bruti, Craſſi, Gracchi, Catones, Cicero, Demoſthenes, qui ut omnium habiti ſunt eloquentiſſimi, ita ſemper fuere omnium ſeditioſiſſimi. Nã Cenſorius Cato quadrageſies accuſatus, ipſe ſeptuageſies ac ultra alios reos fecit, tota ætate ſua inſanis declamationibus reipub. tranquillitatẽ perturbans. Alter Vticenſis provocato Cæſare, libertatem Romanam funditus ſubvertit. Non minus Cicero Antonium in reipub. perniciem provocavit, & Demoſthenes Philippum in detrimentum Athenienſium. Nullus denique reipub. ſtatus ab hoc artificio non eſt aliquando everſus, nullus ab eloquentiæ vitio, ſi aures præbuit, perſtitit illæſus. Perinde multum poteſt in judiciis fiducia eloquentiæ: hac patrona defenduntur malę cauſæ, & nocens reus eripitur legis periculo: hac accuſante ſæpè innocens damnatus eſt, nec ullus unquam eo artificio tam defenſus extitit, quin læſus ſit, qui ex diverſo erat. M. Cato Romanorum prudentiſſimus vetuit tres illos Athenienſium oratores, Carneadẽ, Critolaum, Diogenem in Romanam urbem publicè audiendos admitti, quia tam acuto ingenio, orationis facundia, ac valida eloquentia præditi eſſent, ut facilè poſſent æqua & iniqua perſuadere. Conſtat de hoc gloriatum apud amicos olim Demoſthenem, ſeſe quando liberet, poſſe judicum ſententias ad ſuam voluntatem convertere artificio ſermonis, ad cujus arbitrium Athenienſibus cum Philippo ſæpè bellum ſæpè pax fuit. Tanta illi vis erat eloquentiæ in concitandis ſedandisque animorum ac voluntatum affectibus, ut tanquam civium ſuorum imperium habens, illos, quo voluerat, verteret dicendo. Conſimilem ob rationem Cicero Romæ à pleriſque rex vocatus eſt quia Senatum, quovis vellet, verteret dicendo oratione ſua omnia regens. Hinc apparet, Rhetoricam non aliam eſſe, quàm perſuadendi & movendorum affectuum artẽ, ſubtili eloquio, exquiſito fuco, & ſubdola veriſimilitudine rapientem animos incautorum, eoſq; ducentem in captivitatem erroris, pervertendo ſenſum veritatis. Quod ſi naturæ beneficio nulla res non vera voce exprimitur, quod peſtilẽtius quàm verborum fucatorum ſtudium? Veritatis ſermo ſimplex eſt, ſed vivus & penetrans, & diſcretor intentionum cordis & tanquam ſecuris ac gladius anceps omnia artificioſa rethorũ enthymemata facilè diſſecans & abſcindens. Hinc Demoſthenes, quum

quum reliquos quoscunque ex arte dicentes facilè contemneret, unum Phocionem vera & ad rem pertinentia ſimpliciter & breviter dicentem metuebat, ideoq; orationum ſuarum ſecurim nuncupare ſolebat: fortè noverant hæc priſci Romani, qui (teſte Suetonio) Rhetores bis Roma civitate ſemel ſub C. Fannio Strabone, & M. Valerio Meſſala Conſulibus ſemel, iterum ſub Cn. Domitio Aenobarbo, & L. Licinio Craſſio Cenſoribus publico edicto ejicientes, tertio ſub Domitiano imperatore univerſali ſenatusconſulto & urbe Roma, & tota inſuper expulerunt Italia Athenienſes eos, tanquam juſtitiæ perverſores, foro prohibuerunt, ac Thymagoram, quòd inter officia ſalutationis Dario regi more gentis illius adulatus fuiſſet, capitali ſupplicio affecerunt. Pepulerunt Lacedæmonii Cteſiphonem, eo quod ſe jactarat de re quavis totum diem poſſe dicere. nihil enim apud illos magis inviſum quam curioſum hoc linguæ artificium eorum, quibus veritatis proferendæ nulla cura eſt, ſed opus modicum proponentes, illud orationis lenociniis & verborum ampullis excolere & dicendi dulcedine decipere animos auditorum, illosque lingua ſua revinctos ducere ab auribus jamque palàm eſt nullos hoc artificio factos meliores, complures autem deteriores reddi, qui etſi de virtutibus comptius dicere poſſent, longè tamen videmus elegantiores eſſe feliciorisq; eloquentiæ ad defendendos errores, ad ſeminandas lites, ad excitandas factiones, ad congerenda convicia, maledicta, calumnias, quàm ad reconciliandam pacem, concordiam tranquillitatem atque ad prædicandam charitatem, fidem, religionem. Porrò hoc artificio confiſi plurimi, ab orthodoxa fide deſciverunt, ſectæq; ac ſchiſmata, ſuperſtitionesq; ac hæreſes hinc pullularunt, dum nonnulli Scripturã ſacram, eo quod eloquentia Ciceronianoq; lepore careat ita aſpernantur, ut cũ ethnicorum fucatis argumentorum perſuaſionibus contra catholicam interdum veritatem ſentirent. Quod de Tacianis hæreticis in primis manifeſtum eſt, & iis, quos Libanius ſophiſta, & Symmachus orator idololatriæ defenſores, atq; Celſus Africanus, & Iulianus apoſtata, contra CHRISTUM magnis rhetoriſmis inſultantes ſeduxerunt: è quorum pernicioſo ac blaſphemo eloquio multas perſuaſionum argumentationes acceperunt hæretici, quas in aures hominum ſimplicium immittentes, totos ſeduxerunt à verbo veritatis. Sed quid veterum hæreticorum exemplis inſiſtimus? noſtra tempora ſpectemus. Qui ſunt duces Germanicarum hæreſium, quæ ab uno Luthero ſuſcepto exordio, hodie tam multæ ſunt, ut ferè ſingulæ ci-

vitates suam peculiarem habeant hæresim? nonne authores illorum homines disertissimi, linguæ eloquentia, & calami elegantia instructi? & quos ante annos aliquot à linguarum peritia, à sermonis ornatu, à dicendi scribendique promptitudine sic laudatos vidimus, ut nihil illorum laudibus potuisset adjici, hodie videmus capita & principes hæreticorum: ita sunt adhuc multi, qui eloquentiæ dediti, dum volunt Ciceroniani fieri, efficiuntur Pagani: & qui Aristoteli & Platoni impensius student, fiunt illi quidem superstitiosi, hi verò impii. Omnes autem illi, quicunque præter simplicia veritatis verba, ociosos sermones in aures hominum effundunt, assistent in judicio, rationem reddituri de iis, quæ vanè conjecerunt, & mentiti sunt adversus Deum.

De Dialectica. Cap. VII.

Succedit iltis in subsidium Dialectica: & ipsa quidem non nisi contentionis ac tenebrarum artificium est, per quam reliquæ omnes scientiæ obscuriores, ac cognitu difficiliores redduntur: atque hæc etiam sese, Logicam, videlicet dicendi & ratiocinandi scientiam vocat. Miserum profectò & irrationale hominum genus, si absque hac disciplina nesciat ratiocinari: hanc tamen Servius Sulpicius omnium artium maximam esse dixit, & quasi lucem ad ea quæ ab aliis doceantur: cùm ipsa (ut ait Cicero) rem universam doceat distribuere in partes, & latentem definiendo explicare, interpretando obscuram explanare, ambiguam contemplari & distinguere, atque regulam de iis omnibus tradat, qua vera & falsa judicentur. Præterea pollicentur Dialectici, se cujusque rei essentialem, ut ajunt, definitionem posse invenire: tamen hanc nullis unquam verbis præstare possunt tam lucidam, quin æque nescius maneat animus, quin dicat, quis idiota pro homine animal rationale mortale, minus intelliget, quàm si dixisset hominem? Plura de his scripsit inter Latinos Boetius, cujus opera non habentur: sed præstant omnibus, quæ scripsit Aristoteles, Prædicamenta, Elenchos, Topica, Perihermenias, Analytica, & reliqua: quem secuti Peripatetici, opinantur nihil stare, aut sciri posse, nisi quod syllogizando probetur per Demonstrationem, eam videlicet, quam depingit Aristoteles, sed nunquam in dogmatibus suis observavit, cum omnes suæ argumentationes ex præsuppositis ab eo deducantur, quem secuti omnes isti scientiarum pollicitatores, hactenus nullas, aut pauciissimas veras demonstrationes dederunt, ne dum in naturalibus: sed omnes deducunt

deducunt illas ex præceptis, aut ab suo Aristotele, aut abs alio, qui illa prior dixerit, quorum authoritatem servant sibi pro principiis demonstrationis: veram autem demonstrationem, quæ facere debeat scientiam, docet Aristoteles eam esse, quæ fit per quidditates, (ut loquuntur Dialectici) per proprias rerum differentias nobis occultas & ignotas. Ait insuper, demonstrationem ex causis fieri, ex iis quæ sunt De, Per, Se, & secundum quod ipsum: quæ quidem enunciationes cum sint convertibiles, se ad invicem inferentes, tamen ait non dari, nec concedi demonstrationem circularem ex causis. Si itaque nunc principia demonstrationis plurimum ignota sunt, & circulatio non admittetur, certa nulla inde aut pauciissima, eaque incerta haberi potest scientia. credere enim oportebit demonstratis per fragilia quædam principia, quibus aut propter præcedentem prudentium authoritatem, veluti notis terminis assentimur, aut quos ex experientia comprobamus per sensus. Omnis enim notitia (ut ajunt) ortum habet à sensibus: & experimentum sermonum verorum, ut ait Averroes est, ut concordent sensatis. Et illud notius est & verius, in quod plures sensus conveniunt. Ex sensibilibus itaque, eorum scientia manu ducimur ad omnia ea, quæ à nobis sciri possunt. Jam enim quum sensus omnes sæpè fallaces sunt, certè nullam nobis syncera probare possunt experientiam. Præterea quum sensus intellectualem naturam nequeant attingere, & rerum inferiorum causæ, ex quibus illarum naturæ effectus & proprietates seu passiones demonstrari deberent, sint omnium consensu nostris sensibus penitus ignotæ, nonne convincitur veritatis via sensibus esse præclusa? quare etiam omnes illæ deductiones & scientiæ, quæ in ipsis sensibus radicitus fundatæ sunt, omnes incertæ erunt, & erroneæ, & fallaces. Quæ ergo nunc utilitas Dialecticæ? quis fructus scientificæ illius Demonstrationis ex principiis & experimentis quibus cum veluti notis terminis assentire necesse erit, nonne jam ipsa principia & experimenta magis scientur, quam demonstrata? Sed hæc ars nunc paulò remotius nobis repetenda est. Dialectici decem numerant prædicamenta, quæ vocant genera generalissima: hæc sunt, Substantia, Quantitas, Qualitas, Relatio, Quando Vbi, Situs, Habitus, Actio, Passio, quibus omnia constare putant, & intelligi, quæcunque in toto universo; orbiculari mundo continentur, Tradunt insuper, quæ de iis ipsis ac earum partibus prædicentur: quinq; videlicet, Genus,

nus, Speciem, Differentiam, Proprium, Accidens, quæ ob id prædicabilia nominarunt. Porrò invenerunt quatuor cujuslibet rei causas, Materialem, Formalem, Efficientem, & Finalem, ex quibus omnium rerum veritatem & falsitatem sese invenire posse arbitrantur quadam infallibili (ut putant) demonstratione, hoc est syllogismo, quem altero trium ordinum ut vocant figurarum supra unde viginti modos esse oportebit. Componunt autem omnem syllogismum, sive demonstrationem, ex tribus terminis, qui sunt subjectum quæsiti, & dicitur Major: tertius est medium inter utrunq; participans: & juxta hos duas formant propositiones, quas præmissas appellant, Majorem & Minorem: ex illis tandem nascitur conclusio scilicet de altero ad extremum, alterum tanquam à limine ad metam procurrentes. Hoc totum est egregium illud artificium: hæc ejus sunt extrema confinia, quibus omnia combinare, dividere, & concludere opinantur, per quædam, quæ refelli posse impossibile putant, axiomata atque hæc sunt logici artificii portentosa & alta mysteria, magnoq; labore exquisita à magistris fallacibus, quæ tanquam occulta quædam & arcana non omnes profiteri licet, nec discere, nisi illos, qui grandes mercedes pro illis præstare possunt, magnisq; sumptibus authoritatem hanc sibi inter scholasticos coemerint. Denique ij sunt eorum canes, hæc illa retia, quibus (illorum opinione) rerum omnium sive naturæ subjectarum, ut physica, sive naturam ipsam comitantium, ut Mathematica, sive naturam ipsam quodammodo superantium, ut Metaphysica, venantur veritatem, quam tamen artificio, juxta P. Clodii, atque Varronis proverbium, nimium altercando amittunt: atque hæc sunt duntaxat veterum Dialecticorum confinia.

De Sophistica. Cap. VIII.

Sed longè plura prodigia majoraque portenta iis addidit recentior Sophistarum schola, de terminorum passionibus, de infinito, de comparativis, de superlativis, de differt aliud ab, de incipit & desinit, de formalitatibus, hæreditatibus, instantibus, ampliationibus, restrictionibus, distributionibus, intentionibus, suppositionibus, appellationibus, obligationibus, consequentibus, indissolubilibus, exponibilibus, reduplicativis, exclusivis, instantiis, casibus, particularisationibus, suppositis, mediatis & immediatis, completis, incompletis, complexis & incomplexis, & cæteris intolerandis, vanisq; vocabulis, quæ traduntur in parvis Logicalibus, quibus omnia,

omnia, quæcunque re ipsa falsa sunt, & impossibilia, vera esse facile convincent: & è contrario, quæcunque vera sunt, velut ex equo Troiano erumpentes, iis machinis subitò verborum incendio atque ruina vastabunt. Sunt rursus, qui non nisi tria prædicamenta recipiunt, nec nisi duas syllogismorum figuras, & tantùm octo illorum modos probant: modales autem propositiones, concretos insuper & abstractos terminos rideant. Nec desunt, qui undecimum numerent prædicamentum, & quartam syllogismorum figuram, augeantq; prædicabilium & causarum numerum, totque invictas & Stoicas subtilitates invexerunt, ut Cleanthis Chrysippique argutiæ cum Daphidæ, Euthydemi, Dionysiodori circunventiunculis, denitus crassæ, rusticanæq; futuræ sint si cum iis novis Sophistarum nostrorum inventis conferantur, in quibus nunc passim fere omnis Scholasticorum turba, cum misero labore ac damnabili studio occupata, nil magis agere videtur, nisi ut discat errare, ac perpetuis digladiationibus explicandam veritatem obscuriorem reddere vel amittere, quorum tota disciplina non aliud quicquam est, quàm captio quædam ex depravatis verborum dictionibus subdola quadam cavillatione pervertens usum loquendi & vim inferens linguæ, quam ignorat, transvertens veritatem secundum verisimilem expositionem, quorum gloria non nisi in convitiis & strepitu sita est, ut qui non tam victoriam appetant, quam certamen, nec veri inveniendi, sed altercandi propositum sit, adeò ut inter hos primas partes teneat, quicunq; clamosissimus est, & impudentissimus, & linguæ fremitu audacissimus: de quibus ait Petrarcha, Sive is styli pudor, sive ignorantiæ confessio est, lingua implacabiles sunt, calamo non contendunt, nolunt apparere, quia frivola sunt, quibus ornantur: ideoq; more Parthico fugitivam pugnam exercent, & volatilia verba jactantes, quasi ventis vela committunt. Hi sunt enim, quos Quintilianus dicit in disputando mirè callidos: cùm autem ab illa cavillatione discesserint, non magis sufficere in aliquo gravioreactu, quàm parva quædam animalcula, quæ in angustiis mobilia, campo deprehenduntur: itaq; campum timent: verumq; est illud, diverticula & anfractus suffugia esse infirmitatis, ut qui parum cursu valent, flexu elludant. Sic & Sophistæ metuunt sub notariis, & collatis libris, & authoribus pugnare, se solius memoriæ & linguæ viribus & fugitivis clamoribus, non ad calamos, sed ad oblivionas aures concertare volunt: nec referre putant, qua quisque ratione utatur, dum modo

modò instantiam det: nec curandum, quicquid sentiat, aut dicat, modò loquatur, & strenuè contendat. Nam qui verbosior est, is inter eos vadetur doctior, iis præstigiis circumeunt scholas & plateas & mensas, quærunt æmulos, quos ut congrediantur, invitant, instant, insiliunt: si congreditur & urget, ad diverticula prolabuntur, & latebras quærunt, & ad ulitata recurrunt, tot facientes anfractus, ac si labyrinthum circumiri oporteat: quòd si quis nolit, aut pigeat cum illis decertare, subdola aliqua interrogatione, & quam quis non optima cognitione inquisivit, aggrediuntur, ut si vel ex improviso respondentem de errore convincant, aut scire se negantem verecundiæ reum faciant & explodant, atque ipsi in utramque partem doctrinæ vendicent gloriam. Sed quos fructus nobis in Ecclesia Christi peperit, pariatq; Dialectica cum suis Sophistis, spectemus, qui non assentientes divinæ traditioni, illam compositis, & ex fallacibus sensibus, deductis rationibus confundunt: quibus dum nimium credunt, recedente luce veritatis, succrescunt tenebræ, quibus obvoluti & excæcati, factiq; magistri & duces cæcorum, multos secum iis falsis argumentationibus & apparentibus rationibus trahunt in foveam, semperq; ignorantiæ profundum, errorumq; pelagus innatantes, serpentum more lubrici, fraudulentiæ & seductionis verbis subinvolantes, imperitiores seducunt ad credendum figmentis suis & extollentes ea, persuadere audent sacratissimam Theologiam sine Logica, sine Dialectica, sine rixo, sine altercatione, sine sophismatibus constare non posse. Non inficior. Dialecticam ad scholasticam exercitationem, conferre, sed ad theologicam contemplationem quid conferat, non video, cujus summa Dialectica est in oratione constituta. Neq; enim vana promissione pollicitus est nobis Christus, inquiens: Petite, & accipietis. Itaq; priusquam contentiosi scholastici suam Dialecticam discant, isti Christi fideles ab ipso Magistro veritatis impetrant omnem necessariam veritatem. Præterea Dialectica per varias ambages tandem non altiùs pertingere potest, quàm ad Philosophiam: sed per fidelem orationem recta & certissima via cõscenditur ad summam divinarum atque etiam humanarum rerum sapientiam. Errant igitur, quicunque dicunt, Dialecticam hanc esse evertendorum hæreticorum machinam omnium potentissimam, quum revera ipsa sit robur omnium hæreticorum: hæc arte freti quondam Arrius & Nestorius hæretici tam impudenter desipuerunt, ut ille diversas per gradus & tempora in Trinitate substan-

substantias assereret: alter Mariam virginem theotocon esse negaret, quia divinas operationes logicis sophismatibus metiri præsumpserunt, plus Aristotelis observantes Dialectica sophismata, quam divinæ Scripturæ animadvertentes verba. Omnia namque (ut ait Hieronymus) hæreticorum dogmata sedem sibi & requiem inter Aristotelis & Chrysippi spineta repererunt. Inde Eunomius profert, quod natum est, non fuit antequam nasceretur. Inde Manichæus, ut Deum liberet à conditione malorum, alterum mali inducit authorem. Inde Novatus subtrahit veniam, ut tollat pœnitentiam. De illis fontibus universa hæreticorum dogmata argumentationum suarum rivulos trahunt. Nam cùm nullus sermo sit, qui non recipiat contradictionem, nec ulla argumentatio, quæ nõ possit per aliam subverti: inde est, quòd ad nullum finem scientiæ, ad nullam cognitionem veritatis per dialecticas disputationes homines pervenire possunt: sed & multos contingit declinare à veritate in hæreses, dum speciem sibi validoris veritatis logicis argumentationibus reperisse se credunt, aut sic hæreticos reprobant, ut ipsi nihilo saniora restituant: quare Plato ipse sero admodum voluit dialecticam attingi à veritatis custodibus, eo quòd hæc in utranque partem differat, & minus firmas reddat de honesto aut inhonesto rationes. Hæc de Dialectica hactenus.

De Arte Lulli, CAP. IX.

INvenit autem Raymundus Lullus recentioribus temporibus dialecticæ haud absimilem prodigiosam artem, per quam, tanquam olim Gorgias Leontinus, (qui primus in conventu literatorum hominum poscere ausus est, qua de re quisque audire vellet) de quovis subjecto sermone abundè quis valeat differere, atque invenire quadam artificiosa nominum ac verborum perturbatione, atque in utramque partem de omni sermone curioso hoc plus quàm eleganti artificio garrula loquacitatis ostentatione disputare, neque ullum vincendi locum aliis relinquere, & res minutissimas & pusillas in immensum dilatare. Sed hæc altiùs repetere non est necesse: nos ampla satis commentaria in hanc artem dedimus alibi: verùm nolo hæc alicui fucum faciant in artificio admodum levi, quod etsi eisdem extollere visi sumus, tamen res ipsa palàm se faciet, ut opus non sit circa hanc magnopere depugnare. Hoc autem admonere vos oportet, hanc artem ad pompam ingenii & doctrinæ ostentationem potius, quam ad

compa-

comparandam eruditionem valere, ac longè plus habere audaciæ, quàm efficaciæ. Esse præterea totam ineruditam ac barbaram, nisi elegantiore quadam literatura adornetur.

De Arte Memorativa. CAP. X.

His artibus adnumeratur etiam memorativa, quæ (ut ait Cicero) nihil aliud est, quàm inductio quædam, & præceptionis ratio, locis & imaginibus tanquam membrana constans, & characteribus, à Simonide Melitone primùm excogitata, deinde per Metrodorum Sceptium perfecta: ipsa tamen, qualis qualis sit, sine naturali memoria, persistere minimè potest, quam tot sæpissimè monstrosis obtundit imaginibus, ut pro memoriæ tenacitate maniam & phrænesim nonnunquam inducat, dum videlicet naturalem memoriam innumerabilium rerum ac verborum imaginibus prægravans, naturæ finibus non contentos, arte insanire facit. Hanc itaque cùm Simonides, aut alius quivis Themistocli obtulisset, ait ille: Oblivionis mallem, nam multa memoro, quæ nollem: oblivisci non possum, quæ vellem. Et Quintil. de Metrodoro: Vanitas, inquit, nimirum fuit, atque jactatio, circa memoriam suam potius arte quàm natura gloriantis. Scripserunt de ea Cicero lib. Rhetoricorum novorum, & Quintil. in Institutionibus, & Seneca: & ex recentioribus Franciscus Petrarcha, Marcol. Veronensis. Petrus Ravennas, & Hermannus Buschius, & alii, sed indigni cathalogo, obscuri homines permulti, & multi hanc quotidie profitentur, sed non reperitur, qui in ea multum proficiat, & magistri ejus pro lucro infamiam sæpe reportant. Solent enim in gymnasiis plerunque hujus artis professione nebulones quidam scolaribus imponere, ac rei novitate pecuniolam ab incautis emungere: denique puerilis gloria est, ostentare memoriam: turpe & impudentis est, multarum rerum lectionem instar mercimoniorum ante fores explicare, cùm interim vacua domus sit.

De Mathematica, in genere, CAP. XI.

Sed tempus est nunc de mathematicis disciplinis dicere, quæ multo omnium certissimæ putantur, omnes tamen non nisi in doctorum suorum quibus plurima fides datur, opinionibus consistunt: qui etiam in illis non parum errarunt, quod & Albumasar unus eorum nobis attestatur, inquens: Antiquos etiam usque post Aristotelis tempora non plane mathematica

matica scivisse, cumq; omnes hæ artes circa sphæricam seu rotundam, sive figuram, sive numerum, sive motum potissimè versentur, fateri tandem coguntur, perfectè rotundum seu sphæricum nusquam, neq; secundum artem reperiri, neq; secundum naturam. Atq; hæ disciplinæ licet vel paucas, vel nullas in Ecclesia hæreses dederint, tamen, quod ait Augustinus, nihil ad salutem pertinent, sed magis in errorem mittunt, & à Deo avocant, atque (ut ait Hieronymus) non sunt scientiæ pietatis.

De Arithmetica. CAP. XII.

Inter has prior est Arithmetica, hoc est, numerorum disciplina, quæ matris quodam modo ad cæteras obtinet vicem, non minus superstitiosa quàm vana, ac propter vilem numerandi practicam non nisi à mercatoribus avaritiæ causa in precio habitam: tractat enim de numeris & eorum divisionibus, quis par, quis impar, quis pariter par, quis pariter impar, quis impariter par, quis superfluus, quis diminutus, quis perfectus, quis compositus, quis incompositus, quis per se: quis ad alium. Item de proportione & proportionalitate, earundemque speciebus: de numeris harmonicis & geometricis, deque variis numerorum passionibus & minutiis, atq; modo supputandi.

De Geomantia. CAP. XIII.

Denique Arithmetica hæc nobis geomanticam divinationem, & præneſtinas tesseras, & talos, & aleas, & quicquid est ejusmodi numeralium sortilegorum, progenuit: quamvis Geomantiã omnes fermè astrologiæ adaptent, ob parilem judicandi rationem, tum quia vires ejus non tam ex numero, quàm ex motu eliceant, juxta illud Aristotelis dictum in primo Metheor. Motus cœli est perpetuus, & est principium & causa omnium motuum inferiorum. Scripserunt autem de hac ipsa ex antiquioribus, Hali: ex recentioribus, Gerardus Cremonensis, Bartholomæus Parmensis, & quidam Tundinus: scripsi & ego quandam Geomantiam ab aliis longè diversam, sed non minus superstitiosam fallacemque, aut si vultis, dicam etiam mendacem.

De Aleatoria. CAP. XIV.

Ars item Aleatoria & ipsa tota sortilega est: cujus quanto quis studiosior, tanto erit & nequior & infelicior, dum alieni concupiscentia sua profundit, nec vel patrimonii ullam reverentiam tenet. Hæc ars mendaciorum, perjuriorum, fur-

torum, litium, injuriarum, homicidiorumque mater, est verè malorum dæmonum inventum: quæ, excisо Asiæ regno inter eversiæ urbis manubias varia sub specie migravit ad Græcos. Hinc tesseræ, calculi, tricolus, lenio, monarchus, orbiculi, thaliorchus, vulpes, præterea octocedron, duodecacedron, quibus nonnihil divinationis inesse putatur. Sunt & qui dicant, Attalum Asiaticum artem hanc invenisse, & ab artificio numerandi excogitasse: è Romanis verò memoriæ proditum est, Claudium Imperatorem de illa librum composuisse, cujus ipse atque ante eum Augustus Cæsar ambo studiosissimi cupidissimique extiterunt. Ars tota infamis, & omnium gentium legibus interdicta: quin & Cobilon Lacedæmonius jungendæ societatis causa Corinthum legatus missus, cùm duces, ac seniores Corinthiorum invenisset in alea ludentes, infecto negotio rediit, dicens: Nolle se Spartanorum gloriam hac infamia maculare, ut dicerentur cum aleatoribus societatem contraxisse. Tanto probro apud maximos quosque habita est, ut regi Demetrio in levitatis opprobrium taxilli aurei à Parthorum rege missi sint: atque tamen hodie regum & nobilium hic exercitatissimus ludus est: quid ludus? imò sapientia eorum: qui fuerint in hac ad fallendum damnabiliùs instituti.

De Sorte Pythagorica. CAP. XV.

NEc illud prætereundum censeo, quod asserebant Pythagorici, & quod alii putant, ipse etiam credidit Aristoteles, literarum elementa certos suos possidere numeros, ex quibus per propria hominum nomina divinabatur, collectis in summam cujuslibet literarum numeris: quibus collatis, palmam illi tribuerunt, cujus summa alteram excesserat, sive de bello, sive de lite, sive de conjugio, sive de vita, aut alia consimili re quæsitum foret: eaque ratione dicunt Patroclum ab Hectore victum, illum verò ab Achille superatum: quam rem Terentianus tradit iis versibus, & nomina tradunt ita literis facta:

Hæc ut numeris pluribus, illa sint minutis.
Quandoque subibunt dubia pericula pugnæ.
Maior numerus quæ steterit favere palmam.
Præsagia Iecbi minima, patere summa.
Sic & Patroclem Hectoris manu perisse.
Sic Hectora tradunt cecidisse mox Achilli.

Et sunt, qui simili computo promittunt sese horroscopia inventuros, sicut de iis tradidit, nescio quis, nomine Alchandrius, obscurus philosophus, quem ferunt discipulum fuisse Aristotelis. Et narrat Plinius, Pythagoræ inventis etiam illud attribui, propriorum nominum imparem vocalium numerum, orbitates oculorum, claudicationes, consimilesve casus portendere.

Adhuc de Arithmetica. CAP. XVI.

SEd ad Arithmeticam redeamus: hanc Plato à malo dæmone unà cum talorum & alearum ludo primùm monstratã ait. Et Lycurgus, magnus ille Lacedæmoniorum legislator, illam ceu turbulentam è Repub. sua ejiciendam censuit. Vacuum enim & inanem laborem deposcit, & ab utilibus honestisque negociis homines abstrahit, ac de rebus futilibus sæpè magnis jurgiis contendit. Hinc illud Arithmeticorum irreconciliabile bellum, uter numerus, par an impar, præferendus sit: quis inter ternarium, senarium, denarium, numerus sit perfectior. Item quis numerus dicitur pariter par, circa cujus definitionem Euclidem, ipsum Geometriæ principem, non parum errasse contendunt. Præterea non facilè dixerim, quæ Pythagorica mysteria, quas magicas vires numeris inesse somniant, etiam ab ipsis rebus nudatis: dicereque audent, nisi illis instrumentis exemplaribusque mundum à Deo creatum iri non potuisse, ac divinorum omnium cognitionem in numeris, tanquam in regula omnium certissima, contineri. Hinc orti sunt Marci magi, & Valentini hæreses in numeris fundatæ & ex numeris progressæ, qui divinam religionem & innumerabilia divinæ veritatis secreta, sese per frigidissimos numeros posse invenire & enunciare præsumebant. Accedit istis Pythagorica retractis inter sacramenta habita, & alia plura iis similia, quæ omnia vana, ficta & falsa sunt, nec quicquam veri supereſt arithmeticis illis, nisi insensatus ac inanimatus numerus: atque tamen hinc sese divinos homines agere arbitrantur, quòd sciant numerare: sed hoc ægrè illis concedunt Musici, hunc honorem suæ harmoniæ libentiùs deferentes.

De Musica. CAP. XVII.

DE Musica igitur jam nobis sermo esto: de quâ ex Græcis copiosè scripsit Aristoxenus, qui & animam musicam esse dixit, cujus documenta Boëtius deinde latinis tradidit: dico autem illam, quæ in vocum ac sonorum modulatione consistit, non eam quam de metris & rhythmis ac carminum fictionibus nuncupant, quæ Poësis est; quæ, authore Alpharabio,

HAVE BEEN DIGITIZED BY THE CHANNING L. BETE MEMORIAL

non tam speculatione ac ratione, quàm furoris insania fertur, de qua superiùs diximus: verùm eam, quæ de modulationibus est, qui est concentus nervorum, aut vocum in suos modos sine aurium offensione consonantium: agit enim de sonis, de intervallis, de sistematis genere, de tono, de commutationibus ac modulationibus. Hanc veteres divisêre in enharmoniacam, chromaticam, diatonicam: priorem autem (videlicet enharmoniacam) ob nimis reconditam difficultatem pro impossibili ejus indagine deseruêre: alteram verò ob lasciviæ infamiam aspernati sunt atq; abdicârunt: tertiam verò speciem duntaxat (tanquam mundanæ compositioni conformem persuasi) admiserunt. Sunt etiam ex veteribus, qui musicos modos ex gentium vocabulis distinxerunt, ut in Phrygium, Lydium, Dorium, quos apud Polymestorem, & Saccadam, Argivum genere fuisse antiquissimos constat, quibus Sappho Lesbya, (ut inquit Aristoxenus) quarum videlicet myxolydiũ, superinstituit, cujus inventorem alii Terpandrum, alii Pythoclidem tibicinem putant, Lysias Lamproclem Athenienſem authorem posuit, atque hos quatuor modos veterum authoritas celebres notavit, totamq; astructionem encyclopædiam vocaverunt, quasi scientiarum orbem, quòd Musica omnes amplectatur disciplinas, sicut ait Plato in primo de legibus: Musicam sine universa disciplina tractari non posse. Inter hos verò quatuor modos Phrygium, quia distrahit & rapit animum, non probant, sed barbaricum Porphyrius illum vocat, quia ad furorem & pugnas excitandas tantùm commodum. Alii idcirco Bacchicũ vocant, uti furibundum, impetuosum, & perturbatum, cujus modulatione, quam anapæsto pede declarant, Lacedæmonios & Cretenses ad arma concitatos legimus: eodem Timotheus Alexandrum regem ad arma excitavit, & Tauriminitanus juvenis, narrante Boëthio, domum, in qua scortum latitabat, Phrygio sono excitus comburere festinavit. Lydium etiam Plato reprobat, ut qui acutus sit, & à modestia Dorii recedens, lamentationibus accommodus: verùm (ut quibusdam placet) etiam iis, qui natura hilares & jucundi sunt, congruus. Hinc Lydos hilares & perjucundos populos iis modulationibus delectatos ferunt, quas etiam Tusci Lydorum progenies choricis saltationibus adhibebant. Dorium autem tanquam graviorem honestioremque, & omnibus modis honestum, ad graviores animi affectus, & mortui corporis aptum, & ad rectè ac benè vivendum utilem, omnibus præstulerunt: ideo apud Cretenses, Lacedæmonios, Arcades,

des, in magna veneratione habitus. Imperator quoque Agamemnon ad bellum Trojanum profecturus, Doricum domi reliquit musicum, qui spondæo pede mulierem Clytemnestrã in pudicitia probitateq; conservaret. quare non prius ab Aegysthо vitiari potuit, quam is musicum prius è medio impiè sustulisset. Mixolydium verò Tragœdiis & commiserationibus congruum, incitationis & retractionis efficaciam habere & mœroris imperium tenere dicunt. His quatuor modis sunt qui alios superadinverunt, ut quos collaterales vocant, videlicet Hypodorium, Hypolydium & Hypophrygium, ut sint septem totidem Planetis correspondentes, quibus Ptolemæus addit octavum hypermixtolydium omnium acutissimum, firmamento attributum: verùm Lucius Apulejus primo Floridorum quinque modos describit, Aeolium, hyastium, varium, Lydium, querulum. Phrygium bellicosum. Dorium religiosum. His addunt alii Ionicum, jucundum & floridum. A Martiano etiam, juxta Aristoxeni traditionem, quinque numerantur modi principales, & decem collimitii. Et licet hanc artem suavitatem non modicam habere fateantur, communis tamen sententia est, atque ipsa experientia omnibus nota, esse illam vilium ac infelicis intemperantisque ingenii hominum exercitium, & qui nec incipiendi, nec finiendi rationem teneant: sicut de Archabio tibicine legitur, qui pluris conducendus erat, ut desineret, quàm conducendus, ut caneret. De quibus tam importunis musicis sic ait Horatius:

Omnibus hoc vitium est cantoribus, inter amicos
Vt nunquam inducant animum cantare rogati,
Iniussi nunquam desistant.

Hinc Musica ipsa ad precium & stipem semper vagabunda extitit, & lenociniorum clientela, quam nullus unquam professus est vir gravis, modestus, pudicus, fortis: ideoque Græci illos communi vocabulo Liberi patris artifices, sive (ut Aristoteles) Dionysiacos technitas, hoc est, artifices bacchanales, appellârunt, qui improbis esse moribus magna ex parte consueverunt, vitam plurimùm traducentes incontinenter, partim etiam cum inopia: quæ quidem vitia & gignit, & auget. Persarum ac Medorum Reges. Musicos inter Parasitos & Histriones referebant, videlicet ex opere illorum voluptatem sibi capientes: ipsos autem actores contemptui habentes, atque Antisthenes ille sapiens cùm audisset Ismeniam quendam optimum habere tibicinem, homo nequam est, inquit: non enim, si probus foret, tibicen esset: non enim, ut dicitur,

ars est illa viri sobrii & probi, sed otiosi & jocantis. Hanc Scipio Aemilianus & Cato, tanquam à Romanis moribus alienam, aspernabantur. Hinc Augusto atque Neroni probo datum est, quod Musicam avidius sectarentur. Sed Augustus correptus quidem abstinuit : Nero autem per amplius insequutus, ob hoc contemptui, ludibrioque habitus est. Philippus rex cùm audisset filium quodam loco suavius cecinisse, objurgatus est : Nonne pudet, inquiens, quòd tam benè scias canere? satis enim est, superque Principi viro caventibus aliis audiendi otium superesse. Non canit apud Græcos Poëtas Iupiter, nec pulsat cytharam, docta Pallas detestatur tibias. Apud Homerum pulsat citharœdus, præbent aures Alcyones, & Vlysses. Apud Vergilium sonat & cantat Iopas, auscultant Dido & Aeneas. Alexandro Magno quondam canente Antigonus pædagogus citharam fregit, abjecitque, inquiens, Aetati tuæ jam regnare convenit, non canere. Sed & Aegyptii, teste Diodoro, musicam, tanquam virorum animos effœminantem, prohibebant adolescentes suos perdiscere. Et Ephorus, teste Polybio, eam non nisi ad illudendos ac fallendos homines inventam tradidit. At revera quid inutilius, quid contemptibilius, quid fugiendum magis istis tibicinibus, cantoribus, ac reliqui generis musicis, qui tot vocibus canentium, præcinentium, decinentium, intercinentium, occinentium, & concinentium universarum avium garritus superantes, venenata quadam dulcedine, velut Syrenes hominum animos lascivientibus vocibus, gesticulationibus ac sonis præstigiant, atque corrumpunt? Quapropter Ciconum matres atque nurus Orpheum ipsum ad Parcarum usq; invidiam persecutæ sunt, quod modulis suis mares effœminaret. Quòd si fabulis quædam authoritas est, centum luminibus cinctum caput Argus habebat, quæ omnia tamen unius fistulæ modulo sopita sunt & extincta. Atque tamen hinc plurimum gloriantur musici isti, quasi ipsi supra Rhetores habeant movendorum affectuum imperium : quos insuper eò ipsa evexit insania, ut ipsos etiam cœlos canere affirment, vocibus tamen à nullo unquam mortalium auditis, nisi fortè quòd musicis istis per suum Evovae, semper temulentiam, vel insomniũ innotuerunt. Nullus tamen musicorum interim è cœlo descendit, qui vocum consonantias omnes noverit, quique proportionum inductiones omnes invenerit. Attamen dicunt artem esse consummatissimam, & quæ omnes amplectatur disciplinas, nec sine universa disciplina tractari posse, etiam divinationis vim illi tribuentes, qua corporis habitudines, animique affectus & mores hominum per ipsam judicentur : sed & dicunt artem esse infinitam, nec ullo ingenio exhauriri posse, sed indies illam pro cujusq; captu novos dare modulos. Propterea q; non malè Anaxilas : Musica per deos, inquit, perinde arq; Libya semper quotannis novam quampiam feram parit. Hanc Athanasius ob vanitatem suam interdixit Ecclesiis : sed Ambrosius cæremoniarum, & pompæ appetentior, Ecclesiis instituit canendi & psallendi usum. Augustinus verò in medio hæsens, inde sibi haud non difficile dubium ortum esse in Cõfessionibus suis meminit : hodie verò tanta in Ecclesiis Musicæ licentia est, ut etiam una cum Missæ ipsius canone obscœnæ quæque cantiunculæ interim in organis pares vices habeant, ipsaque divina officia, sacræ & orationum preces conductis magno ære lascivis musicis, non ad audientium intelligentiã, non ad spiritus elevationem, sed ad fornicariam pruriginem, non humanis vocibus, sed belvinis strepitibus cantillant, dum hinnitu discantum pueri, mugiunt alii tenorem, alii latrant contrapunctum, alii boant altum, alii frendent bassum, faciuntque, ut sonorum plurimum quidem audiatur, verborum, & orationis intelligatur nihil, sed auribus pariter & animo judicii subtrahitur authoritas.

De Saltationibus & Choræis. CAP. XVIII.

AD Musicam spectat etiam saltationum, sive choræarum artificium, puellis amatoribusq; longè gratissimũ, & quod magna cura discunt, & in medias noctes sive sacietate protrahunt, summaq; diligentia observant, ut ad lyræ tympaniq́ue ac tibiarum numeros compositis gestibus, moderatisq; incessib. saltent, ac rem omnium stultissimam, & ab insania quadam haud absimilem, prudentissimè, ut putant, scientissimeq; peragant : quam nisi tibiarum concentus temperaret, & (ut dicitur) vanitas vanitatem commendaret, nullum choræis spectaculum ridiculum ac inconditum magis : hæc laxamen petulantiæ, amica sceleris, incitamen libidinis, hostis pudicitiæ, ac ludus probis omnibus indignus : sæpe ibi matrona, ut ait Petrarcha, diu servatum decus perdidit, sæpè infelix virguncula ibi didicit, quod melius ignorasset, multarum ibi fama periit pudorque. Multæ inde domum impudicæ, pluris ambiguæ redeire, castior autem nulla : pudicitiam choræis sæpè stratam, semperque impulsam, oppugnatamq; videmus : laudârunt tamen hanc nonnulli Græcorum scriptores, sicut pleraque alia

fœda ac pernicioſa, ipſaq; ſaltationum exordia è ſummis cœlis, è ſtellarum ſiderumq; lationibus, eorumq; greſſu & regreſſu, complexu ad ordine tanquam harmonica quadam cœleſtium choræa, unà cum mundi generatione divinitùs prodiiſſe dicunt. Alii inventum eſſe Satyrorum: Bacchum quoq; hac arte Tyrrhenos, Indos, & Lydos bellicoſiſſimos populos deviciſſe ajunt. Hinc tandem ſaltatio ipſa in religionem relata eſt, & à Corybantis in Phrygia, à Curetis in Creta, abs dea Rhea fieri juſſa eſt, & in Delo nulla ſacra peragebantur, cui ſaltatio non fuiſſet adhibita, nec ullæ unquam celebratæ feſtivitates & ceremoniæ citra ſaltationem. Indorum quoq; Brachmanni manè & veſperè ad ſolem converſi, ſaltantes illū venerabantur. Apud Aethiopas etiam, & Aegyptios, & Thraces, & Scythas ſaltatio inter ſacrorum cæremonias habita eſt, quippe quæ ab Orpheo & Muſæo optimis ſaltatoribus conſtituta fuiſſet. Erant etiam apud Romanos ſacerdotes Salii, qui in honorem Martis ſaltabant. Lacedæmonii Græcorum præſtantiſſimi, cùm à Caſtore & Pollucē ſaltare perdidiciſſent, omnia ſaltationibus peragere ſoliti ſunt. In Theſſalia tāto in precio habita eſt, ut populi præſides & anteſignani præſaltatorum nomine honorarentur. Ipſe etiam Socrates, vir omnium ſapientiſſimus ab oraculo judicatus, illam jam natu grādior diſcere non erubuit: quin & ſummis laudibus extulit, & inter ſerias diſciplinas numeravit, viſaque illi res gravior, quàm ut de ea rectè pronunciari poſſit, quę tota divina cum mundi generatione nata eſſet, & cum Amore Deo vetuſtiſſimo in lucē prodierit. Sed quid mirū ſic à Græcis philoſophari, qui adulteria, qui ſtupra, qui parricida, denique nullum non facinus in deos referunt authores? Complures de ſaltatione libros ſcripſerunt, qui omnia genera ejus & ſpecies, numeroſque comprehenderunt, earundemque nomina percenſuerunt, & cujusmodi unaquæque illarum eſſet, à quo authore inventa: quare de illis plura hic dicere ſuperſedeo. Romani veteres, viri prudentia & authoritate graves, ſaltationes omnes repudiārunt, nec ulla penes eos honeſta matrona ſaltaſſe laudatur. Hinc Salluſtius improperat Semproniæ, quòd cantaſſet ſaltaſſetque doctius, quàm conveniret probæ: quin & Gabinio viro conſulari, atque M. Cælio nimia ſaltandi peritia probro data eſt: & M. Cato L. Murenæ, quòd in Aſia ſaltaſſet, pro crimine objecit, cui patrocinatus Cicero, id ut rectè factum defendere non eſt auſus, ſed conſtanter factum pernegavit: Nemo, inquiens, ſaltat ſobrius, ni fortè inſaniat, neque in ſolitudine, neq; in convivio moderato, atq; honeſto: intem-

peſtivi

peſtivi convivii, immoderati joci, turpium deliciarum comes eſt extrema ſaltatio. Itaq, ſaltationem neceſſe eſt omnium vitiorum eſſe poſtremum: neq; verò facilè dictu, quæ mala hic viſus hauriunt & auditus, quæ pariant colloquia & tactus. Saltatur inconditis geſtibus & monſtroſo pedum ritu, ad molles pulſationes, ad laſcivas cantilenas, ad obſcœna carmina, contrectantur puellæ & matronæ impudicis manibus & baſiis, meretriciisque complexibus, & quę abſcondit natura, velavit modeſtia, ipſa laſcivia tunc ſæpè nudantur, & ludi tegmine obducitur ſcelus. Exercitium profectò non è cœlis exortum, ſed à malis dæmonibus excogitatum in injuriam divinitatis, quando populus Iſrael erexit ſibi vitulum in deſerto, cui cùm ſacrificaſſent, cœperunt edere & bibere, & poſtea ſurrexerunt ludere, & cantantes ſaltabant in chorum. Hæc de chorearum ſaltationibus ſatis.

De Gladiatoria. CAP. XIX.

NEque tamen me præterit hoc loci eſſe adhuc alia pleraq; ſaltationum genera à priſcis ſcriptoribus celebrata, quorum maxima pars hodie obſoleta eſt, pars adhuc in uſu eſt, ut ſaltatio armata, gladiatoriæ, chironomiæ ac militiæ accōmodā, tragicum profectò artificium, quo hominem innoxium occidere ludus eſt: ac lethale vulnus excepiſſe paulò cunctātius, ſumma infamia. Execrandum omnibus artificium, cujus ſtultitiæ juxtà eſt impietas, & omnia ejusmodi ſaltationum genera, ut ſunt vanitatis & impudentiæ plena, non tam vituperanda ſunt, quàm execranda, eò quòd non aliud doceant, quàm mirificos quosdam ritus, quomodo inſanire oporteat.

De Hiſtrionica. CAP. XX.

HIſtrionica autem ſaltatio imitationis & demonſtrationis artificium eſt, res mente conceptas decenti geſticulatione explicans: tam clarè & perſpicuè mores & affectus omnes repræſentans, ut ſpectator omnis hiſtrionem, quamvis nihil loquentem, ex plurimis motibus & geſticulationibus clarè intelligat. Tantum præſtat hiſtrionica, ut nullis prorſus opus ſit interpretibus: tam aptè enim ſenem, puerum, mulierem, ſervum, ancillam, temulentum, iracundum, omniumque perſonarum differentias & affectus jucunda geſticulatione repræſentat, ut etiam è longinquo ſpectator non audiens fabulam, ex ſola hiſtrionis ſaltatione, illius intelligat argumentum. Hinc hiſtriones non parum in precio habitos legimus, conſtatq; refertę

Macrobio Ciceronem cum Roscio histrione, qui etiam Syllæ dictatori charissimus fuit, contendere solitum, ut ùm ille sæpius eandem sententiam variis gestibus efficeret, an ipse per eloquentiæ copiam sermone diverso pronunciaret. quæ res Roscium induxit, ut librum conscriberet, in quo eloquentiã compararet cum histrionica. Verùm Massiliensium civitas, teste Valerio, tantæ gravitatis custos extitit, ut nullum aditum histrionibus daret: nec mirum, quia eorũ argumenta magna ex parte stuprorum continent actus, ne talia spectandi consuetudo, imitandi etiam licentiam faceret. Proinde verò exercere histrionicam non solùm turpis & scelesta occupatio est, sed etiam conspicere & delectari, flagitiosum: siquidem & lascivientis animi oblectatio cadit in crimen. Nullum denique nomen olim fuit infamius, quàm histrionum, ac legibus ipsis arcebantur ab honoribus, quicunque fabulam saltassent in theatro.

De Rhetorismo. CAP. XXI.

ERat & saltatio Rhetorica, histrionicæ non dissimilis, sed remissior: quã Socrates, Plato, Cicero, Quintilianus, ac Stoicorum plurimi, admodum utilem, ac oratori perquam necessariam arbitrati sunt, quatenus apto quodam corporis gestu, vultus & corporis composita adformatione constat: tum vigore oculorum, pondere vultus, accommodatoq; singulis verbis ac sententiis sono vocis, cum efficaci corporis motu adea, quæ exprimuntur, sed gesticulatione tenus. Hæc autem saltatoria, sive histrionica rhetorica, porro apud quosque oratores tandem exulare cœpit, admonente Tiberium Augusto, ut ore nõ digitis loqueretur, & jam in totum sublata est, duntaxat à scenicis aliquot fraterculis adhuc colitur, (quamvis olim ab Ecclesia histriones etiam sacro Communionis sacramento illis denegato depulsi essent) quos hodie aliquos videmus mira vocum contentione, vultu multiformi, oculo vago & petulanti, jactatis brachiis, saltantibus pedibus, lascivientibus lumbis, ac variis motibus, inversionibus, circunductionibus, resupinationibus, saltibus, gesticulante toto corpore, animi videlicet mobilitate ipsum secum volvente, populares cõciones ad plebem è suggesto proclamare, memores fortassis Demosthenis sententiæ, qui (ut est apud Valer.) interrogatus, quidnam esset in dicendo efficacissimum, respondit, Hypocrisis: iterum deinde, & tertio interrogatus, idem dixit, ac penè totam dicendi vim huic deberi. Sed ne à mathesi longius progrediamur, ad Geometriam nunc properemus.

De Geo-

De Geometria. CAP. XXII.

IPsa Geometria, quam Philo Iudæus principem & matrem omnium disciplinarum appellat, hanc præ cæteris disciplinis laudem habet, quòd, cùm inter omnium fermè disciplinarum sectas magna & innumera sunt certamina, Geometriæ omnes undiq; sibi consonant: nec aliqua unquam de illa inter ipsos est contentio, nisi quod de punctis, de lineis, de superficiebus adhuc disputant, sintne hæc divisibilia, an indivisibilia: cæterùm non discrepant ab invicem, nec doctrina, nec traditione, sed quisque alterum novis vel subtilioribus inventis, & quæ nunquam quisquam excogitavit, nititur superare. Nullus tamen Geometra adhuc circuli veram quadraturam invenit, nec costæ æqualem lineam dedit: licèt Archimedes Syracusanus hæc se quondam invenisse putabat, & multi posteri usq; in hæc tempora idipsum, sed frustrà, quodammodo conati sunt, licèt proxima dixisse videantur. Ea tamen est eorum ambitio, ut priorum traditionibus nunquam acquiescant, sed in talibus amplius aliquid, quàm magistri eorum, invenire putantes, seipsos in tantam insaniam agunt, quam universæ terræ ellebororum non sufficiat expurgare. Ab ipsa autem Geometria ultra hoc, quod lineamenta, formas, intervalla, magnitudines, corpora, dimensiones atq; pondera rimatur, dependet, quæcunq; organica ingeniosa opificia, artificiosaque instrumenta maganaria, machanopoëtica, poliorcetica tam bellorum, quàm architecturæ, cæterorumque usibus accommoda, ut arietes, testudines, cuniculi, catapultæ, scorpiones, exostræ, sambucæ, scalæ, tolleones, turres ambulatoriæ, heliopoles, naves, triremes, pontes, molæ: item bigæ, trigæ, quadrigæ, trocleæ, cyclocleæ, rotæ, vectes, & quibuscunq; immania pondera vi minima trahuntur, aut attolluntur. Præterea quæcunq; aut pondere, aut aqua, aut spiritu, aut nervis & funiculis constant, sicut horologia, quæ pondere gradiuntur, & quæ ventorum impulsu resonant organa, etiam quæcunque hydraulica & spiritalia instrumenta, & quæ ex his etiam non nisi ad voluptatem admirationemq; fabricata sunt, ut pilæ sponte saltantes, lucernæ suas sibi producentes stupas, & oscula seu cucurbitæ sponte ignem suffiantes, & quale Politianus narrat animal, quod dum secatur in mensa, bibit interim, viventisq; repræsentat motus atq; voces. Cujusmodi fortè artificio narrat Mercurius Aegyptios Deorũ confinxisse simulachra, ut articulatam promerent vocem, atq; progrederentur. Ille etiam Archytas Tarentinus ligneam co-

lumbam,

BIBLIOTECA DE LA UNIVERSIDAD DE MURCIA

lumbam sic geometricis rationibus construxit, ut surgeret in altum & volitaret. Iam verò & Archimedes primus æneum cœlum tanto artis opificio fabricasse legitur, ut inibi planetarum omnium motus planissimè deprehenderentur, simulq; singularum cœlestium sphærarum vertigines, cujusmodi etiã proximis his diebus, fabricatum vidimus. Ex hac arte simul prodeunt tormentorum varia genera, & bombardæ, cæteraq; instrumenta ignivoma: de quibus ego nuper sub titulo pyrographiæ specialem librum composui, cujus nunc tandem pœnitet, quum nihil nisi pernicioſissimum magisterium doceat. Denique quicquid artificii est in pictura, in cosmimetria, in agricultura, arte bellica, in fusoria, in plastica, in statuaria, in fabrili, in architectura, in metallica, totum hoc vel potissimum à Geometria est.

De Optica, vel Perspectiva. Cap. XXIII.

A Geometria itaque proxima est Optica, quam vocant Perspectivam: deinde cosmimetria, atq; architectura, Perspectiva autem, sive optica hæc triplicem videndi rationem, directam, reflexam, refractamq; pertractat: quid lux, quid umbræ, quid intervalla, edocet: causasq; visibilium, quæ per intervalla falsa videntur, deprehendit: radiorumq; projectiones inquirit, per unum seu plura perspicua super diversas corporum figuras: tum umbrarum & lucis figurationes, atque quæ rebus, quæ visui, quæ modice accidant, atq; quomodo res & visio ex medii diversitate vano modo afficiantur, cõmonstrat. De ratione autem videndi variæ & dissonæ opiniones sunt: nam Plato secundùm conclaritatem visum fieri arbitratur, videlicet ea, quæ ex oculis est, luce defluente ad unum extrinsecum aërem, ea quæ à corporibus est luce obviam relata: ea verò, quæ circa aërem media est, facilè effusibilium vertibiliq; coextensæ igniformi visus virtuti. Galenus concorditer sentit cum Platone: verùm Hipparchus ait, radios ab oculis extensos usq; ad corpora ea quasi palpitatione quadam tangentes, susceptionem eorum ad visum reddere. Epicurei autem simulachra eorum, quæ apparent, sese oculis ingerere affirmant. Aristoteles autem simulachra non quidem corporea, sed secundùm qualitatem per alterationem aëris, quæ in circuitu est, à visibilibus usque ad visum devenire censet. Porphyrius verò neq; radios, neq; simulachra, neque aliud quicquam videndi causam ait, sed animam ipsam seipsam cognoscentem visibilem, & quæ est una omnium, seipsam in omnibus, quæ sunt, cognoscere. Verùm

rùm geometræ & optici Hippatcho quodammodo accedentes, conos quosdam ex coincidentia radiorum factos subscribunt, quæ per oculos emittuntur: unde multa simul visibilia comprehendere visum, sed illa certissima, ubicunq; radii coinciderint. Sed enim Alchindus de aspectibus omnino docet aliud: verùm Augustino videtur, animæ potentiam in oculo aliquid efficere, quod à sapientiæ studiosis nec dum sit pervestigatum. Hæc itaq; scientia ad deprehendendum cœlestium corporum varietatem, distantiam, magnitudinem, motum, eorumque reflexiones & refractiones, permultùm conducit: architecturæ etiam in metiendis ædificiis inservit. Proximè tamen pingendi artificio, atq; speculorum fabricæ plurimùm confert ornamenti, ut sine ipsa hæ artes perfici non possint. Monstrat enim, qua ratione nec abnumera, nec deformia fingamus in imaginibus, quæ cernuntur, intervallorum & altitudinum causa.

De Pictura. Cap. XXIV.

Pictura itaque ars monstrosa, sed imitatione rerum naturalium accuratissima, lineamentorum descriptione, & colorum debita appositione cõstans: hæc olim tanto in precio fuit, ut primum gradum liberalium artium obtineret. Ipsa verò non minus libera est, atque poësis, sicur bene cecinit Flaccus:

Pictoribus atq; poetis
Quæ libet audendi semper fuit æqua potestas.

Dicitur enim pictura non aliud, quam poësis tacens: poësis verò, pictura loquens: tam sunt sibi invicem affines. Nam sicut Poëtæ, sic pictores historias & fabulas fingunt, omniumque rerum imagines, lumen, splendorem, umbras, eminentias, depressiones exprimunt. Illud præterea ex ipsa optica habet pictura ut visum decipiat, ac in una imagine vario situ, plures species intuentium oculis obfundat: & quò statuaria pertingere non potest, ipsa pervenit: pingit ignem, radios, lumen, tonitrua, fulmina, fulgura, occasum, auroram, crepusculum, nebulas hominisque affectus, sensus animi ac pene vocem ipsam exprimit, & mentitis dimensionibus, commensurationibus, quæ non sunt, tanquam ea quæ sunt, aut quæ non ita sunt, ita tamen videri facit. Quemadmodum de Zeuxi & Parrhasio pictore narrant Historici: qui quum de artis prærogativa veniissent in certamen, & prior detulisset uvas pictas tanta similitudine ut aves advolarent, alter detulit pictum velum, sic veritatem mentiens, ut illi avium judicio tumens postularet,

BIBLIOTECA ICHIM

ret. deducto velo ostendi picturam: tandem agnito errore, coactus est illi palmam deferre, quum ipse aves se fefellisset, Parrhasius verò artificem. Et narrat Plinius in ludis Claudii fuisse picturæ admirationem, quum ad regularum similitudinem corvi decepti imagine advolarunt. Iam verò & celebri Triumviratu, narrante Plinio, experimento compertum est, avium cantus depicto dracone cohibitos. Habet insuper hoc pictura ut in omnibus suis operibus plus semper intelligatur, dijudicetur; quàm conspiciatur sicuti diligentissimè hæc scrutatus est Plutarchus in suis Iconibus, quumq; ars summa sit, ingenium tamen ultra artem est.

De statuaria & Plastica. CAP. XXV.

PIcturam comitatur statuaria & Plastica, fusoria & criptica, importuni ingenii artificia, quæ tamen etiam sub architectura comprehendi possunt. Statuaria ex lapide, ligno, ebore, rerum idola fabricat, eademq; ex gleba fingit plastes. Ars aüt fusoria, hæc in proplaste, ex ære aliisq; metallis exprimit criptices verò lapidibus & gemmis insculpit. Scripsit de istis è recentioribus Pomponius Gauricus. Verùm omnes hæ artes pariter cum pictura ad ostentationem & libidinem, superstitionemq; à malis, puto, dæmonibus repertæ sunt: cujus artifices fuerunt qui primi juxta verba Pauli commutaverunt gloriam incorruptibilis Dei in similitudinem imaginis corruptibilis hominis, & volucrum, & quadrupedum & serpentum: qui contra divinum præceptum vetans idolum sculptile & similitudinem, tam eorum quæ in cœlo sursum, quàm quæ in terra deorsum, fieri odiosissimam Deo idolatriam introduxerunt: de quibus ait Sapiens, Idolum ipsum maledictum est, & qui fecit illud, & quod factum est, tormenta patientur. Vanitas enim hominum, ut ait idem, invenit artes istas in tentationem animæ hominum, & in decipulam insipientium: & adinventio illarum, corruptio vitæ est. Nihilo minus tamen nos Christiani præ cæteris gentibus sic desipimus, in hanc vitæ, & morum corruptelam, ut ubiq; in atriis, in domibus, in cubiculis tenere non pudeat. quo lascivis imaginibus nostræ matronæ filiæq; ad lasciviam invitentur: quin etiam hæc in templa, in sacella, in aras Dei, magnis venerationibus traducimus, non absq; idololatriæ periculo, sed hoc latius in Religione disputabimus. Verùm in esse Picturis atque statuis non contemnendam authoritatem, ego olim in Italia didici: nam cum fratres Augustini cum Canonicis regularibus coram Romano pontifice de B. Augustini habitu,

habitu, videlicet nigramne ille stolam super alba tunica, an candidam super nigra induisset, pertinaciter litigarent, atq; ex Scripturis, quod in hanc litem dirimendam faceret, nihil compertum haberetur, visum fuit Romanis judicibus, rem omnem ad pictores & statuarios delegare, ut quod illi ex vetustis picturis atq; statuis adsererent, sententiæ haberet vigorem. Hoc exemplo confirmatus ego, quum aliquando in defatigata diligentia monachalis cucullæ originem investigarem, nec quicquam inde ex Scripturis invenire potuissem, tandem ad pictores me contuli, atq; in istis fratrum procœstriis atque porticibus, ubi utriusq; Testamenti historiæ ut plurimum depictæ cernuntur, rem perquisivi. Cumq; in toto veteri Testamento nullum ex Patriarchis, neq; ex sacerdotibus, neque ex Prophetis, neque ex levitis, neque Heliam ipsum, quem licet Carmelitæ sibi faciunt Patronum, invenissem, cucullatum: novum Testamentum adgressus, inveni illic Zachariam, Simeonem, Ioannem Baptistam, Ioseph, Christum, Apostolos Discipulos, Scribas, Pharisæos, Pontifices, Annam, Caypham Herodem, Pilatum & plerosq; alios, nullam uspiam conspexi cucullam: rursusq; ab initio omnia & singula diligenter examinans, mox in ipsa fronte historiæ sese offert cucullatus diabolus, ille videlicet qui erat Christum tentans in deserto. Gavisus sum plurimum reperisse me in picturis, quod hactenus nequivi in literis, diabolum scilicet fuisse primum cucullæ authorem a quo deinceps, puto cæteri monachi & fratres, hanc sub diversis coloribus mutuarunt, aut fortè velut hæreditario sibi relictam acceperunt.

De Specularia. CAP. XXVI.

SEd nunc ad Opticam revertamur, quæ etiam specularum artificio plurimo est adjumento, omnium illorum affectiones & impostoras indicans: quorum experimenta patent invariis specularum generibus, ut sunt cava, covexa, plana, columnaria, pyramidalia, turbinalia, gibbosa, orbicularia, angularia universa, eversa, regularia, irregularia, solida, perspicua. Sic legimus, narrante id Cælio in Antiquis lectionibus, Augusti temporibus Hostium virium quendam, sed obscœnitatis facilè principem, fecisse ejus notæ specula, quæ imagines longè majores redderent, ut digitos brachii mensuram & longitudine & crassitudine excederet. Fit quoq; speculum, in quo quis alterius videt imaginem, non suam Et aliud quod in certo loco positum, nihil imaginetur: aliorsum verò translatum facit imagi-

imagines. Item, quod universas reddat imagines, & quod unius rei plures reddat imagines. Et aliud quod contra aliorum speculorum morem dextrum reddit dextro, & sinistrum sinistro. Et fiunt specula comburentia anterius & posterius, atque aliud quod susceptam imaginem non intra se repræsentat, sed remotius extra se in aëra rejicit, ibiq; tanquam aëreum simulachrum apparere facit, ignemque collectis in se Solis radiis per remota spatia in quodcunque combustibile potenter incutit, & ejusmodi plura, qualia vidimus aliquando, & fabricare novimus. Habent etiam perspicua specula suas impostura videlicet, ut rem magnam apparere faciant parvam: & contra quæ minima sunt, apparere magna: & quæ remota sunt, propinqua: aut quæ propinqua: sunt, videantur remota: quæ infra pedes, sursum: & quæ supra nos sunt, hæc infima, alióve situ se se conspectu nostro offerant. Sunt & per quæ una res videtur plures, & alia quæ res ipsas diversis coloribus, ut in Iride, aut sub diversis dissimilibusque figuris decepto visu repræsentant & iis similia. Et novi ego fabricare specula, in quibus lucente Sole, omnia quæcunque illius radiis illustrantur per remotissima spatia, puta trium aut quatuor miliarium, plenissimè conspiciuntur. Est & illud in planis speculis mirandum, ut quanto minora sunt, pro eorum modulo rem repræsentent se ipsa minorem: quantumcunq; autem maxima, nunquam tamen rem ipsam se ipsa reddent majorem: quod considerans Augustinus, ad Nebridium scribens, aliquid occultum illic latere putat, atque tandem omnia vana & supervacua sunt, nec nisi ad ostentationem & otiosam delectationem adinventa. Scripserunt de speculis cum Græci, tum Latini per plures: præstat autem omnibus unus Vitellius.

De Cosmimetria. CAP. XXVII.

DEinceps nunc Cosmimetriam paucis discutiamus: atque hæc in Cosmographiam, & Geographiam dividitur, utraque orbem mensurat atque distinguit, sed prior juxta cœlestium rationem, ex illorum distinctione, terrarum & locorum illis subjectorum situs per graduum & minutorum mensuras commensurat, rationesque climatum, dierumque & noctium discrimina, ventorum cardines, siderum varios exortus, polorum elevationes, parallelos & meridianos, gnomorũ umbras, & quæ adhæc reliqua sunt, ad singula loca Mathematicis rationibus edocet. Altera verò nulla adhibita cœlestium ratione, orbem per stadia & miliaria mensurat, ac per montes, sylvas, lacus,

lacus, flumina, maria & littora distinguit: gentesque ac populos, regna, provincias, civitates, portus, & quę inter cætera memorabilia sunt commonstrat.

Ac patrios omnes cultus, habitusque locorum.
Et quid quæque ferat regio, & quid ferre recuset.

explicat: ac imitatione quadam picturæ, juxta Geometræ & Perspectivæ rationes orbem omnem in globo, vel plana tabula effingit.

Pingens in parvo totum volumine mundum.

Sub iis generibus quidam chorographiam numerant, quæ partialia quædam loca seorsum explorando, perfectiora insuper, & quasi consummata effigie depingit:

Ornatus vario paries distincta per omnes,
Vultus & sylvis prætorum fontibus agris,
Æquora quæque rigans humentia flumina, corpus,
Inque humiles premitur valles ubi surgit in altum,
Verticibus celsis tollens ad sidera montes.

Hæc omnia, & quæ antea diximus, ipsa nobis Cosmimetria pollicetur. Sed qui nos illam docturi sunt authores, inter se tantum non una discordia pugnant de limitibus, longitudinibus, latitudinibus, magnitudinibus, mensuris, distantiis, climatibus, eorundem habitudinibus, admodum à se invicem discrepantes. quæ aliter Eratosthenes, aliter Strabo, aliter Marinus, aliter Ptolemęus, aliter Dionysius, aliter Iuniores distinxère. Nec de terræ umbilico inter eos convenit, quem Ptolemæus sub æquinoctiali circulo collocat, Strabo Parnasum Græciæ montem credidit: cui assentiunt Plutarchus & Lactantius Grammaticus, putantes illum Cataclysimi tempore, aquarum cœliqúe fuisse discrimen: quemadmodum de hoc canit Lucanus:

Hoc solum, fluctu terras mergente, cacumen
Emicuit, pontoque fuit discrimen & astris.

Quod si hæc ratio ad renunciandum satis est, erit umbilicus terræ non in Parnaso Græciæ, sed in Gordico Armeniæ monte: qui teste Beroso, primus à diluvio emicans, arcam Noe excepit. Alii alia adferunt, & quomodo aquilarum volatu medium terræ inventum sit. Sunt etiam & Theologi, qui falcem suam in hanc messem mittentes, Hierosolymam medium terræ esse volunt, quia scriptum sit per Prophetam: Deus operatus est salutem in medio terræ. Accedunt ad hanc mensuram Lucretius, Lactantius & Augustinus, qui Antipodas tam constanter negârunt: atq; illi insuper, qui extra Europam, Asiam,

HAVCOBA BIBLIOTEKA OMSK

Africam, alium habitabilem orbem inficiárunt : quæ tamen Hiſpanorum, Luſitanorumq; navigationibus, poſteris nobis ſecùs comperta ſunt, qui etiam totam ſub Zodiaco Zonam, contra Poctarum nugas, ac Ariſtotelis falſam opinionem habitatam monſtrárunt. Alios præterea Geographorum plerosq; errores ſuperiùs inter Hiſtoricos recitavimus. Verùm hæc ars, dum terram immenſam, & inſcrutabilia maria, inſularumque & regionum omnium ſitus, limites, & inſignia, ac innumerabilium pariter gentium ignotas origines, ritus, mores, diſcrimina nos docere conatur, nullum alium fructum inde percipimus, niſi quòd aliena avidiùs ſcrutamur, nos ipſos diſcimus ignorare : &, ut ait Auguſtinus in Confeſſionibus, eunt homines admirare alta montium, & ingentes fluxus maris, & latiſſimos lapſus fluminum, & Oceani ambitum, & gyros ſiderum, & relinquunt ſeipſos. Plinius quoque inſaniam eſſe dicit, metiri terram, quamdiu metimur, ſæpiſſimè menſuram egredimur.

De Architectura. CAP. XXVIII.

ARchitectura autem non dubium, quin permultum commodi ornatusque adferat, & publicis, & privatis ædificiis : hæc parietes & tecta, piſtrinas & vehicula, pontes & naves, phana, templa, delubra, mœnia, turres & omnis generis machinas, quibus res hominum tam publicæ, quàm privatæ tuetur, ornanturque, nobis largitur, diſciplina alioqui perneceſſaria & honeſta, ſi nõ admodum faſcinaret mortalium animos, ut nemo fermè reperiatur, modò facultates non deſint, qui non totus cupiat etiam benè conſtructis ſemper aliquid coædificare. Quod inſatiabili ædificandi ſtudio deſiderioque effectum eſt, ut hujus rei nullus ſtatutus ſit modus, neque finis : hinc abſciſſæ rupes, completæ valles, acti in planum montes, perfoſſa ſaxa & adaperta maris promontoria, excavata terræ viſcera, deducta flumina, junctа maribus maria, exhauſti lacus, exiccatæ paludes, coërcita æquora ſcrutataque maris profunda, factæ novæ inſulæ, rurſusque aliæ reſtitutæ continenti: quæ omnia & his plura, cùm cum natura ipſa pugnent, ſæpè tamen non modicam univerſo orbi commoditatem attulerunt. Sed comparemus his, quæ nullo prorſus alio mortalibus ſunt uſui, quàm quòd ad mirandum ſpectandumque, &, ut ait Plinius, ad otioſam, & ſtultam pecuniæ oſtentationem ingentibus ſumptibus conſtructa ſunt : cujuſmodi ſunt Aegyptiorum, Græcorum, Hetruſcorum, Babyloniorum, ac cęterorum

rum aliquot gentium ſuperſtitioſa operum miracula, labyrinthi, pyramides, obeliſci, coloſſi, mauſolæi, Rapſinatis, Seſoſtris & Amaſis monſtroſæ ſtatuæ, atq; Sphynx illa miranda, in qua rex Amaſis conditus putatur. Erat enim, ut ait Plinius, à ſaxo naturali elaborata & rubrico: capitis monſtri ambitus per frontem, centum & duos pedes collegit : longitudo centũ quadraginta tres. Sed & ſunt his majora, opus Memnonis atq; Semiramidis, in Bagiſiano Mediæ monte. Vaſta ſtadiorum ſeptem & decem effigies : quæ tamen longè ſuperaſſet, quicunque ille architectus fuit, ſive Stesicrates, ut refert Plutarchus, ſive Dimocrates, ut refert Vitruvius, qui ex Athos monte Alexandri effigiem facturum ſe pollicebatur, in cujus manu civitas aſſideret decem millium hominum capax. Adnumerentur iſtis Babylonicam ſpeluncam, cujus baſis (teſte Herodoto) quaque verſus ſtadium adimplevit : atq; turrim illam, quæ in profundo mari vitreis cancris ſuperextructa memoratur. Accedunt etiam Gordianæ ædes, & arcus triumphales, deorum templa, & præcipuè illud Dianæ Epheſiæ per annos ducentos à tota Aſia fabricatum, & quod in Aegypto ad Latonæ templum conſtructum uno lapide ſacellum, latum fronte cubitos quadraginta, id ipſumque uno etiam lapide contectum : ac Aſſyrii regis Nabuchodonoſor ſtatua ex auro LX. cubitorum magnitudine, quam non adoraſſe capitale fuit, atq; alia cubitorum quatuor ex ingenti Topaſio Aegyptiæ reginæ facta. Huc ſpectant & noſtris divis templa ſuperbiſſimis faſtigiis extructa, & in miram altitudinem congeſta ingenti ſaxorum mole, erecta campanilia multis admodum ſacris pecuniis & eleemoſynis profuſis, quibus multi pauperes Chriſti, vera Dei templa & imagines, interea fame, ſiti, algore, ægritudine, egeſtateque periclitantia, rectius ædificari & ſuſtentari potuiſſent, deberentque. Cæterùm verò quantam perniciem hæc ars ſæpiſſimè adferat hominibus, ipſæ hoſtiles arces, bellorumque machinæ, cataphrattæ, ſcorpiones, baſiliſtæ, cæteraque ſubvertendæ mortalium vitæ inſtrumenta, devicti horum ingenio populi teſtes ſunt. Neque id in terra modo, quum etiam naves, caſtrorum ac artium inſtar, fabricare docuerit : quibus periculoſa maria non tam navigamus, quàm habitamus, & cũ natura ſua mille periculis nobis infeſta ſunt, his navigiis reddimus infeſtiora, in illis non ſecus, ac in ſolida terra latrocinantes, bellaque gerentes. Scripſerunt de architectura primus Agatarchus Athenienſis poſtea, Democritus & Anaxagoras, deinde Silenus, Archimenides, Ariſtoteles, Theo-

phrastus, Cato, Varro, Plinius: demum Vitruvius, Nigrigentus: ex recentioribus autem Leo Baptista, frater Lucas, Albertus Duterus.

De Metallaria. CAP. XXIX.

ARchitecturæ quoque subest ars metallica, ars revera non modici ingenii. Primum siquidem ex telluris montiumq; superficie, quæ quoquo loco venæ intus sitæ sint, quæ illarum extensiones, exitus, fibræ, cognoscere docet, & quomodo excavatis terræ visceribus, montium moles substruendæ sunt: de quibus scripsit apud veteres Strato Lampsacenus librum, quem de Machinis metallicis intitulavit. Porro quemadmodum ex erutis minerarum lapidibus ignis liquamine pura metalla excoquantur, eaque si mixta sunt, à se invicem discernantur, aut nulli, aut paucissimi hactenus integrè tradiderunt: fortè quòd ars hæc veluti mechanica & servilis, à doctis quibusque & liberis ingeniis despecta sit. Verùm cùm ego antè aliquot annos à Cæsarea Majestate aliquot mineris præfectus essem, omnia, quantum potui, indagatus, cœpi de illis specialem librum scribere, quem adhuc usq; in manibus habeo, cõtinuò pro majore rerum notitia adaugens, & corrigens, sperans me, quod tum ad metallorum inventionem, tum cognitionem, tum venarum examinationem & conflationem, motiumque substructionem, & tractoriarum machinarum, cæterarumque artificia hactenus incognita pertineat nihil omissurum. Hac arte omnes humanæ constant opes, quarum avaritiæ tanta mortales libido invasit, ut vivi ad inferos usque penetrent, & magna naturæ ruina in sedibus manium quærant divitias, ut canit Ovidius:

Itum est in viscera terræ,
Quasque recondiderat, stygiis admoverat umbris,
Effodiuntur opes irritamenta malorum:
Iamque nocens ferrum, ferroque nocentius aurum
Prodierat, cuius diraque cupidine tandem
Omne nefas fugere pudor, verumque fidesque,
In quorum subiere locum fraudesque dolique,
Insidiæque & vis, & amor sceleratus habendi:

Et, ut alius Poëta inquit:

Auro pulsa fides, auro venalia iura.

Pessimum igitur vitæ scelus invenit, quicunq; primus aurifodinas, cæterasque metallorum venas reperit, & (ut ait Plinius) tantò nocentiores fecerunt illi terras, ut non minus te-

merarii

merarii sint, quàm qui è profundo maris petunt margaritas. Inventum autem multis quidem, sed dissonantibus historiographis, attribuitur. Præcipuè verò plumbum in insulis, quæ Cassiterides dicuntur, contra Celtiberiam sitis, primò inventum tradunt: æs autem in Cypro: ferrum in Creta: sed aurum & argentum apud Pangeum Thraciæ montem, demum orbem omnẽ infecerunt. Soli Scythæ, ut refert Solinus, usum auri & argenti damnârunt, in æternum sese à publica avaritia abdicantes. De auri superfluitate apud Romanos olim veteri interdicto cautum erat, eratque lex censoria victimaliarum aurisodinæ, qua, ut ait Plinius, in Vercellensi agro cavebatur, ne plus quinque hominum publicani haberent. Arq; utinam homines eo studio ferrentur in cœlum, quo scrutantur terræ viscera, sola divitiarum vena allecti, quæ beatum hominem adeò facere non possunt, ut multos admodum, idque non rarò pœniteat insumptæ operæ.

De Astronomia. CAP. XXX.

SVpremo jam loco sese offert astrologia, quæ & astronomia, tota prorsus fallax, poëtarumque fabulamentis multò nugacior: cujus magistri audaces profectò homines, & prodigiorum authores, impia curiositate, pro eorum libito supra humanam sortem, (tanquam Basilides hæretici Abraxas fabricant orbes cœlorum, siderum mensuras, motus, figuras, imagines, numeros, concentusq; tanquam nuper è cœlis delapsi, ac in illis aliquandiu versati, depingunt, quibus omnia stare, ac fieri atque sciri posse arbitrantur, de iis ipsis tamen admodum inter se dissidentes, contrarii & adhuc pugnantes, ut cum Plinio dicere non dubitem, hujus artis inconstantiam palàm arguere, ipsam esse nullam: cùm de ejus etiam principiis aliter sentiant Indi, aliter Chaldæi, aliter Aegyptii, aliter Mauri, aliter Iudæi, aliter Arabes, aliter Græci, aliter Latini, aliter antiqui, aliter recentiores. Nam de numero sphærarum tractantes Plato, Proclus, Aristoteles, Averroës, ac omnes fermè ante Alphonsum Astrologi, præter paucos, octo duntaxat sphæras numerârunt. Hermeten tamen & aliquot Babylonios dicunt Averroës & Rabbi Isaac nonum orbem posuisse: cui opinioni adhæret Azarcheles Maurus, atq; Tebith, & idem doctus Rabbi Isaac, & Alpetragus, quibus adstipulantur Albertus Teutonicus suo ævo, nescio quo facinore magnus, & omnes, qui motum accessus & recessus probaverunt. Iuniores autẽ astrologi nunc decẽ orbes censent, quos ipse Albertus etiã Ptolomæum

tenuisse putant. Averroës quoq; novem illum censere arbitrãtur, cùm tamen revera non plures octo adfirmet Ptolomæus. Sed & Alphonsus sequutus aliquando judicium Rabbi Isaac cognomento Bazam, novem sphæras tenuit: sed post quatuor annos ab editione Tabularum suarum, adhærens sententiis Albuhassen Mauri, atq; Albategni, sese revocavit ad octo. Ipse etiam Rabbi, Abraam Abenazra, & Rabbi Levi, ac Rabbi Abraã Zacutus, nullum orbem mobilẽ supra octavũ esse autumant. Sed & de motu octavi orbis. ac stellarum fixarum admodum inter se variant. Chaldæi enim atq; Aegyptii illum unica duntaxat latione ferri adfirmant, quibus assentiunt. Alpetragus, & ex recentioribus Alexander Aquilinus: cæteri autem Astronomi ab Hipparcho ad nostra usque tempora, illum pluribus motibus circumagi dicunt. Iudæi Talmudistæ illi duplicem motum assignant. Azarcheles atq; Tebith, & Ioannes de monte regio motum Trepidationis, quem dicunt accessus & recessus, super parvis circulis circa capita Arietis & Libræ illi adscripserunt, sed in hoc à se invicem differentes quod Azarcheles ait, caput mobile à fixo non plus decem partibus distare posse: Tebith autem, non plus partibus quatuor cum decem & novem fermè minutiis: Ioannes de Regio monte, non plus partibus octo, atque idcirco stellas fixas non semper ad eandem mundi partem vergi sed quandoque reverti unde cœperunt, arbitrantur: sed Ptolemæus, Albategni, Rabbi Levi, Abenazra, Zacutus, & inter recentiores Paulus Florentinus, & Augustinus Ritius, mihi in Italia summa familiaritate devinctus, stellas juxta signorum successiones semper & continuò moveri affirmant. Recentiores autem astronomi triplicem octavæ sphæræ motum attribuunt, unum proprium, quem Trepidationis diximus, qui in septem millibus annis semel complcatur: alterum, quem gyrationis dicunt, à nona sphæra, cujus circumvolutio non minus, quàm quadraginta novem millibus annis finiatur: tertium à decimo orbe, quem vocant motum primi mobilis sive motum raptus, sive diurnum, qui intra diem naturalem ad principium suum quotidiè revertitur. Præterea qui duplicem motum octavæ sphæræ attribuerunt, non omnes inter se conveniunt. nam recentiores fermè omnes, & qui trepidationis motum admittunt, eam à superiori sphæra rapi argumentantur: sed Albategni, Albuhassen, Alfraganus, Averroes, Rabbi Levi, Abraam Zacutus, Augustinus Ritius motum diurnum, quem alii motum raptus putant, arbitrantur non esse alicujus sphæræ proprium, sed à toto fieri cœlo. Ipse

lo. Ipse etiam Averroës ait, Ptolemæum in libro suo, quem Narrationum inscripsit, negare motum gyrationis, & Rabbi Levi ait, illum cum Averroe sensisse motum diurnum fieri à toto cœlo. Rursus nunc de mensura motus octavi orbis, & stellarum fixarum non magis conveniunt. Nam Ptolemæus arbitratur, stellas fixas moveri in centum annis uno gradu. Albategni hoc fieri contendit in sexaginta sex annis Aegyptiis: cui adsentiunt Rabbi Levi, Rab, Zacutus, & Alphonsus in correctione Tabularum suarum. Azarcheles Maurus ait, in septuaginta quinque annis uno gradu moveri. Hipparchus in septuaginta & octo. Hebræorum plures, ut Rabbi Iosue, Moyses, Maymonus, Rabbi Avenazra, & post illos Haly Benrodam, in septuaginta annis. Ioannes de Monte regio in octoginta. Augustinus Ritius medium tenet inter opiniones Albategni & Hebræorum, sentiens stellas fixas unam cæli partem non citiùs, quàm sexaginta sex, nec tardiùs, quàm septuaginta annis moveri: sed & Rabbi Abraam Zacuti (ut narrat Ritius) refert ex Indorum traditione, esse adhuc in cœlo duas stellas sibi diametraliter oppositas, quæ cursum suum contra signorum ordinem, non nisi in centum & quadraginta quatuor annis compleant. Ipse etiam Alpetragus arbitratur, esse adhuc in cœlis varios motus hominibus ignotos: quod si ita est, possunt & inibi esse stellæ & corpora, quibus motus illi conveniant, quæ aut cernere homines non possunt propter exuberantiam altitudinis, aut hactenus nulla adhuc artis observatione deprehenderunt: cui assentit etiam Phavorinus Philosophus apud Gellium in oratione adversus genetliacos. Restat igitur, nullum adhuc astronomum è cœlis descendisse, qui vel motum aplanes verum certumq; nos docere potuerit, nec ipse etiam Martis verus motus hucusque cognitus fuit: quod etiam conqueritur Ioannes de monte regio in epistola quadam ad Blanchinum, ejusdemque motus errorem etiam quidam Gulielmus de sancto Clodoaldo, insignis astrologus, in suis observationibus ante ducentos & plures annos scriptum reliquit, nec posterorum quispiam hunc hactenus correxit. Quin & verum Solis ingressum in puncta æquinoctialia invenire impossibile est, quod Rabbi Levi multis rationibus probat. Sed quid dicemus de postea compertis, quomodo circa illa aberrarunt priores? Nam multi cum Tebith maximam solis declinationem continuò variari arbitrari sunt, cum tamen una semper mensura feratur: aliter tamen de illa opinatus est Ptolomæus, aliter compertum est per Albaten, Rabbi Levi,

Avenazram, & Alphonsum. Similiter etiam de motu solis & anni mensura, aliter illi compertum habent, quàm Ptolomæus & Hipparchus tradiderunt. Similiter de motu augis Solis aliter Albatechni ac cæteri sentiunt. De cæli insuper imaginibus, ac stellarum fixarum considerationibus aliter Indi, aliter Aegyptii, aliter Chaldæi, aliter Hebræi, aliter Arabes, aliter Timothæus, aliter Arsatilis, aliter Hipparchus, aliter Ptolomæus, aliter recentiores tradiderunt. Transeo hic de cœli principio, dextro atque sinistro, quàm desipiunt, narrare: de quibus tamen sanctus Thomas Aquinas & Albertus Teutonicus, superstitiosi Theologi, dum aliquid serio se dicere conarentur, nihil invenire potuerunt, quod ostenderent, nec ullus certè invenire poterit unquam. Quin & galaxias, hoc est lacteus circulus, quid sit, adhuc ab Astrologis ignoratur. Transeo etiam de excentricis, concentricis, epicyclis, retrogradationibus, trepidationibus, accessibus, recessibus, raptibus, cæterisque motibus, & motuum circulis, sermonem prorogare, cùm omnia hæc non sint nec DEI, nec naturæ opera, sed Mathematicorum monstra, & fingentium nugæ, à corrupta Philosophia, & Poëtarum fabulis derivata: quibus tamen, veluti rebus veris, & à Deo creatis, aut à natura firmatis, non pudet magistros illos tantum attribuere fidei, ut in has nugas, veluti causas, referant, quæcunque in istis fiunt inferioribus, illosque confictos motus dicunt esse principia omnium motuum inferiorum. Astronomos istos Anaximenis serva non spernendo dicto opportunè castigavit. hæc enim consueverat unà cum hero Anaximene ambulare: qui cùm quodam die sidera inspecturus, domo maturiùs exiuisset, immemor situs loci, dum securiùs cælum intuendo explorat astra, in subjectam cecidit foveam, dixitque tunc ancilla: Miror, here, qua ratione, quæ in cœlo sunt, præscire existimas, cùm, quæ sunt ante pedes, nequeas prævidere. Legitur eadem facetia Thales Milesius ab ancilla Tressa correptus. Haud absimile de illis ait Tullius, inquiens: Astrologi dum cæli scrutantur plagas, quod ante pedes est, nemo eorum spectat. Ego quoque hanc artem à parentibus puer imbibi: deinde non modicum temporis & laboris in ea amisi: tandem didici. totam hanc, & omnem nullo alio fundamento inniti, nisi meris nugis & figmentis imaginationum, tædetque & pœnitet insumptæ olim operæ, cuperemque omnem illius memoriam, usumque expoliare, abjecique jamdudum ex animo, nec reassumerem unquam, nisi me potentum violentæ preces (qui solent nonnunquam ad indigna artificia etiam magnis,

magnis, probisque ingeniis abuti) sæpè rursus impingere compellerent, suaderetque domestica utilitas me aliquando illorum frui debere stultitia, & nugas tantoperè cupientibus nugis obsequi: dico quidem nugis. quid enim habet Astrologia, nisi meras Poetarum nugas, & fabulas, portentosaque figmenta, quibus cælum ipsum refertissimum commenti sunt? Neque verò ulli hominum generi plus inter se cõvenit, quàm Astrologis cum Poetis, nisi quòd de Lucifero, & Vespere inter se dissentiunt, Poetis asserentibus, quo die Lucifer ante orientem Solem apparuerit, eodem occidentem Solem subsequi, quod eodem die fieri posse Astrologi negant ferè omnes: præter illos, qui Venerem supra Solem locant, quia Stellæ quæ longè ulteriores sunt, nobis in ortu citiùs oriri, & in occasu seriùs recidere videntur. Sed hanc Astrologorum de situ Stellarum, sive Planetarum discordiam, nisi nunc recordatus præteriissem, siquidem non tam Astrologorum, quàm Philosophorum est. Nam Plato post Lunam, secundam sphæram Solis locat, idem faciunt Aegyptii, inter Lunam & Mercurium Solem collocantes. Archimedes autem & Chaldæi Solem in ordine quartum collocant. Anaximander, & Metrodorus Chius, & Crates, Solem omnium supremum constitutum dicunt, post quem Lunam infra has cæteras errantesque inerrantesque. Xenocrates omnes una eademq; in superficie stellas moveri putat. Non minus de Solis & Lunæ, cæterarumque stellarum magnitudine & distantia discordant, nec ulla inter eos de cælestibus opinionum constantia, nec veritas: nec mirum id, cùm cælum ipsum, quod scrutantur, omnium sit inconstantissimum, nugisq; & fabulis repletissimum: nam ipsa duodecim signa, reliquæq; & boreales, & australes imagines, non nisi fabulis in cælum ascenderunt, atq; tamen in his fabulis vivunt, imponunt, lucrantur Astrologi, Poetis interim eorundem inventoribus egregiè esurientibus.

De Astrologia iudiciaria. CAP. XXXI.

RESTAT adhuc altera Astrologiæ species, quam Divinatoriam vocant, seu Iudiciariam, quæ agit de revolutionibus annorum mundi, de nativitatibus, de quæstionibus, de electionibus, de intentionibus, & cogitationibus, de virtutibus, ad omnium futurorum etiam, vel divinæ providentiæ arcanarum dispositionum eventus prædicendos, evocandos, devitandos, vel repellendos. Hinc Astrologi cœlorum siderumque effectus à remotissimis annis, ac ante omnem rei memoriam, aut Prome-

IN SOLIDUM TERRA OPUS EST MUNDUS

thei tempora, à magnis, ut ajunt, & ante diluvianis conjunctionibus nundinantur, omniumq; animantium, lapidum, metallorum, herbarum, & quæcunq; in his inferioribus creata sunt, effectus, vires ac motus, ab his ipsis cœlis syderibusque defluere, omninoq; dependere. ac indagari posse affirmant: homines profectò increduli, nec minus impii, vel hoc unum non agnoscentes, quòd Deus jam herbas, plantas, arbores, ante cœlos & stellas condiderat. Quin gravissimi quiq; Philosophi, ut Pythagoras, Democritus, Bion, Favorinus, Panætius, Carneades, Posidonius, Timæus, Aristoteles, Plato, Plotinus, Porphyrius, Avicenna, Averroes, Hippocrates, Galenus, Alexander Aphrodisius, præterea Cicero, Seneca, Plutarchus, & alii multi, qui ab omni arte, & scientia rerum causas scrutati sunt, nusquam nos in has Astrologicas causas remittunt: quæ etiamsi causæ essent, tamen quia stellarum cursus, & earum vires non planè cognoscunt, quod omnibus sapientibus notissimum est de eorum effectibus certum judicium dare non possent. Nec verò desunt inter ipsos, ut Eudoxus, Archelaus, Cassandrus, Hoychilax Halicarnassæus, peritissimi Mathematici & multi alii recentiores, gravissimique authores, qui fatentur, impossibile esse, posse quicquam certi de judiciorum scientia inveniri, cùm propter innumeras cooperantes cum cœlo alias causas, quas simul attendere oportet, jubetq; sic etiam Ptolomæus: tū, quia obstant illis occasiones quamplurimæ, ut putà consuetudines, mores, educatio, pudor, imperium, locus, genitura, sanguis, cibus, animiq; libertas & disciplina, cùm influxus illi non cogat, ut ajunt sed inclinent. Præterea qui judiciorum regulas perscripserunt, tam diversa plurimumq; pugnantia eadem de re statuunt, ut impossibile sit Prognosticatorem ex tot, tam variis, dissonisque opinionibus aliquid certi posse pronunciare, nisi insit illi intrinsecus quispiam futurorum, occultorumq; sensus, ac præsagii instinctus, sive potiùs occulta & latens dæmonis inspiratio, quo inter hæc valeat discernere, seu alio quovis modo nunc illi, nunc alteri opinioni adhærere inducatur, quo instinctu si quis careat, is in Astrologicis judiciis (ut ait Hali) veridicus esse non potest: quare jamnon tam arte, quàm obscura quadam rerum sorte Astrologica constat prædictio: & sicut non arte, sed sorte ex ludorum codicillis versus exit nonnunquam verum pronuncians, sic etiam ex animo Astrologi non arte, sed sorte prodeunt vaticinia: cui attestatur etiam Ptolemæus. Scientia, inquiens, stellarum ex te & illis est indicans futurorum occultorumq; prædictionem non tam esse ex observatione

servatione stellarum, quàm ex animi affectibus. Nulla igitur est certitudo hujus artis, sed convertibilis est ad omnia, secundum opinionem, quæ conjecturis, aut existimatione, aut imperceptibili dæmonum afflatu, aut superstitiosa sorte colligitur. Nihil igitur aliud est hæc ars, quàm superstitiosorum hominum fallax conjectura, qui ob multi temporis usum de rebus incertis scientiam fecerunt, in qua emungendæ pecuniæ gratia decipiant imperitos, atq; ipsi simul decipiantur. Quòd si ars istorum vera est, & ab illis intelligitur, unde tot & tanti errores ebulliunt in eorū Prognosticationibus? sin minùs, nonne frustrà, & stultè, & impie de rebus nullis, aut non intellectis, scientiam profitentur? Sed cautiores illorum de futuris non nisi obscura pronunciant, & quæ ad omnem rem, & tempus, & principem, & nationem adplicari possunt, ambigua Prognostica artificiosa versutia confingunt. Postea verò quam aliquid horum acciderit: tunc illius colligunt causas, atque post factum vetera vaticinia novis rationibus stabiliunt, ut videantur prævidisse, quemadmodum somniorum interpretes, ubi somnium viderint, nihil certi intelligunt: ubi autem pòst aliquid eis evenerit, tunc ad id, quod accidit, aptant etiam somnium visum. Præterea cùm impossibile sit, in tanta stellarum varietate non semper invenire quasdā benè, quasdam malè positas, occasionē capiunt ex his dicendi quod volūt: & quibus, volunt vitā, salutem, honores, opes, potentiam, victoriam, sanitatem, sobolem, amicos, conjugia, vel sacerdotia, magistratus, similiaq; prædicunt, Quòd si quibus sint malè propitii, iis mortes, suspendia, dedecora, clades, exilia, orbitates, languores, calamitatesq; renuncIant, nō tam ex scelerata arte, quàm ex sceleratis affectibus, huic impiæ curiositati credulos homines pertrahentes in exitium, populos ac Principes sæpè funestis seditionibus ac bellis inter se committentes. Quòd si cum Prognosticis illorum fortuna coincidat, ut inter tot ambigua, unum aut alterum verum evenerit, mirum, quàm tunc cristas efferunt, quàm id insolentissimè prædicant. Quòd si assiduè mentiuntur, convincantur mendacii, id tunc excusant blasphemia, vel mendacium mendacio tegunt, inquientes: Sapientem dominari astris, cùm reverà nec astra sapienti, nec sapiens astris sed utrisque dominetur Deus: aut ajunt, Ineptitudinem recipientes cœlestibus influxibus obstitisse, ulteriorem autem fidem requirentibus irascuntur, & inveniunt circulatores illi interim principes & magistratus, qui illis credant omnia, ac ornent publicis stipendiis, quum revera nullum genus hominum Reipu. sit pestulentius,

quàm

HAMBURGER STIFTUNG FÜR OKKULTE WISSENSCHAFT

quàm istorum, qui ex astris, ex inspectis manibus, ex somniis, consimilibusq; divinationum artificiis futura pollicentur, & vaticinia spargunt, homines insuper & Christo, & omnib. in illum credentibus semper offensi de quibus Cornelius Tacitus conqueritur: Mathematici, (sic enim eos vulgò nominant) inquiens, genus hominum Principibus infidum, credentibus fallax, à civitate nostra semper prohibentur, sed expelluntur nunquam. Quin & Varro, author gravis, omnium superstitionum vanitates ex Astrologiæ sinu profluxisse testatur. Erat enim in Alexandria vectigal, quod Astrologi persolvebant, blacenominon, à stultitia sic nuncupatum, quia ex ingeniosa stultitia quæstum facerent, nec, nisi stulti & temerarii homines illos consulere soleant: quippè si ab Astris est hominum vita atq; fortuna, quid timemus: quid solicitamur? quin Deo hæc & cælis, qui nec errare, nec malum agere possunt, relinquamus, atque homines cùm simus, non plus, quàm oportebat, ultra vires nostras altum, sed humana duntaxat sapiamus: quin & Christiani cùm simus, Christo linquamus horas, & momenta Deo patri, qui ea posuit in sua potestate. Quòd si verò vita nostra atq; fortuna ab Astris non sunt, nónne in vacuum currit omnis Astrologus? Sed est hominum genus adeò timidulum, credulumq; qui tanquam pueri ad lemurum fabulas plus timent, creduntque tam ea, quæ non sunt, quàm ea, quæ sunt, atq; quò res est minùs possibilis, hanc eò timent magis, atque quò est verisimilis minùs, hanc eò firmiùs credunt: qui profectò, si non essent Astrologi & divinatores, perirent fame, atque horum stulta credulitas præteritorum oblita, præsentium negligens, in futura præceps, sic deceptoribus illis favet. ut cùm in cæteris hominibus uno mendacio tam suspecta fides reddatur dicentis ut reliqua omnia vera obscurentur, contra in his mendaciorum magistris una fortuita veritas etiam publicis mendaciis faciat fidem. Quibus profectò qui maximè confidunt, maximè omnium redduntur infelicissimi, ut solent superstitiosæ illæ nugæ perniciem suis adferre cultoribus, quod in Zoroaste, Pharaone, Nabuchodonosor, Cæsare, Crasso, Pompeio, Deiotaro, Nerone, Iuliano apostata testatur antiquitas, ut his nugis fuere deditissimi, sic earundem confidentia periere infelicissimi, & quibus læta cuncta promiserant Astrologi, mœsta provenerunt omnia, ut Pompeio, Crasso, & Cæsari, quibus neminem eorum, nisi jam senem, nisi domi, nisi cum gloria moriturum promiserunt, attamen quisque eorum malè & immaturè periit. Pertinax profectò &

fectò & præposterum hominum genus, futura se præscire qui profiteantur, præteritorum & præsentiũ ignari: & cùm omnibus omnia occultissima se dicturos profiteantur, quid in propria domo, quid in thalamo suo fiat, sæpissimè nesciunt: cujusmodi astrologum Motus Angelicus hoc Epigrammate perpulchro taxavit:

Astra tibi æthereo pandunt sese omnia vati,
Omnibus & quæ sint fata futura, monent.
Omnibus ast uxor quod se tua publicat, id te
Astra, licèt videant omnia, nulla monent.
Saturnus procul est, iamq; olim cæcus, ut aiunt,
Nec propè decernens à puero lapidem.
Luna verecundis formosa incedit ocellis,
Nec nisi virgineam virgo videre potest.
Iuppiter Europem, Martem Venus, & Venerem Mars.
Daphnen Sol, Hercen Mercurius recolit.
Hinc factum astrologe est, tua cùm capit uxor amantes,
Sydera significent ut nihil inde tibi.

Præterea quàm inter se de his ipsis judiciorum regulis dissentiant Judæi, Chaldæi, Aegyptii, Persæ, Græci, Arabes, omnibus notum est: & quomodo omnem antiquorum astrologiam abjicit Ptolemæus, & hunc ut defendit Abenrodam, ita lacessit Albumasir, atque omnes hos lacerat Abraam Abenazara Hæbræus: denique Dorotheus, Paulus Alexandrinus: Ephæstion, Maternus, Aomar, Tebit, Alchindus, Zahel, Messaballa, & ferè omnes alii aliter sentiunt & opinantur, & cùm quæ dicunt, probare vera nequeunt, sola experimenti ratione sese tuentur, nec super ea quidem omnes unanimiter conveniunt: neq; minus de domorum proprietatibus, ex quibus omnium eventuum prædictionem venantur, discrepant, quæ aliter assignat Ptolemæus, aliter Heliodorus, aliter paulus, aliter Manlius, aliter Maternus, aliter Porphyrius, aliter Abentagel, aliter Aegyptii, aliter Arabes, aliter Græci & Latini, aliter veteres, aliter recentiores. Quandoquidem etiam initia finesq; domorum, quonam modo constituere oporteat, inter eos nondum liquet, cùm hæc aliter fabricant antiqui, aliter Ptolemæus, aliter Campanus, aliter Ioannes de Regio-monte: unde fit. ut suis ipsimet observationibus sibi fidem adimant, cùm locis eisdem diversi diversas adscribũt proprietates, initia atque fines. Impium hominum genus, qui quæ solius Dei sunt, tribuunt astris, & nos liberos natos, siderum servos faciunt: & cùm sciamus Deum creasse omnia bona, illi stellas aliquas

HARTOR LIBRARY OLIVIA, MINNESOTA

aliquas malevolas, & scelerum authores, & malorum influxuum tradunt, non absque maxima Dei cœlorumque injuria, statuentes, in cœlestibus, in illo divino senatu mala & scelera facienda decerni, & quicquid à nobis voluntatis culpa perpetratur, quod vitio materiæ in natura præter ordinem accidit, totum imputant syderibus. Iam verò & hæreses, & infidelitates pernicioſissimas docere non verentur, videlicet dum donum prophetiæ, vim religionum, arcana conscientiæ, imperium in dæmones, virtutem miraculorum, efficaciam supplicationum, futuræ vitæ statum omnia pendere ab astris, ab illis largiri, ex illis cognosci impia temeritate fatentur. Dicunt enim, ascendente Geminorum sydere, idq; Saturno Mercurioque sub Aquario junctis, in nona cœli plaga nasci Prophetam: ideoq; Christum Dominum tot claruisse virtutibus, quia eo in loco Saturnum habuerit in Geminis. Religionum etiam sectas, quibus Iovem præcipuum præficiunt patronum, per cæterarum stellarum commixtiones distribuunt, ita ut Iupiter ille cum Saturno religionem faciat Iudæorum, cum Marte Chaldæorum, cum Sole Aegyptiorum, cum Venere Saracenorum, cum Mercurio Christianorum, cum Luna eam, quam futuram dicunt, Antichristi: atq; Moysen Iudæis sabbathi diē ex astrologicis rationibus instituisse religiosum, ideoq; errare Christianos, qui diem sabbathi Iudæorum ritu operibus vacantes non feriantur, cùm sit illa dies Saturni: Fidelitatem autem cujusque, cùm ad homines, tum ad Deum, professamque religionem, conscientiæ etiam arcana à parte solis, ac tertia, nona, undecimaq; cœli domiciliis deprehendi posse putant, prænoscendisq; hominum cogitationibus, &, ut ajunt, intentionibus multi multas admodum regulas tradunt, ipsisq; divinæ omnipotentiæ miraculosis operibus, puta universalis diluvii, & datæ per Moysen legis, ac Virginis puerperio, cœlestium configurationes causas præficiunt, ac Christi redemptricem humani generis mortem, Martis opus fuisse fabulantur. Quin & Christum ipsum in miraculis suis horarum electione usum, quibus illum Iudæi lædere non possent, dum ascenderet Hierosolymam: ideoq; vetantibus discipulis dixisse: Nonne duodecim horæ sunt diei? Dicunt præterea, si cui Mars in nona cœli domo feliciter locatus fuerit, hunc dæmones ab obsessis sola præsentia expulsurum: qui verò Luna atq; Iove cum capite draconis in medio cœli conjunctis, Deo supplicaverit, omnia illum quæcunq; petierit, impetraturum: porrò futuram vitæ felicitatem à Iove Saturnoq; largiri. Quod si quis Saturnum

turnum in Leone feliciter constitutum habuerit in genesi, ejus animam post hanc mortalem vitam innumeris angustiis liberatam, ad cœlum & originis suæ primordia, applicatam diis, transituram. Atq; tamen istis execrandis nugis, pernicioſissimisq; hæresibus, Petrus Apponensis, Rogerius, Bacon, Guido Bonatus, Arnoldus de Villa nova, Philosophi: Alyacensis Cardinalis & Theologus, & plerique alii Christiani nominis doctores, haud absq; hæreseos infamia subscribunt, & sese vera hæc expertos esse restari atque tueri audent. Scripsit autem adversus astrologos recentioribus annis duodecim libris Ioannes Picus Mirandula, copia tanta, ut vix ullum perierit argumentum: tanta autem efficacia, ut hactenus nec Lucius Balantius acerrimus Astrologiæ propugnator, nec alius quisquā hujus artis defensor, hanc ab adductis à Pico rationibus potuerit salvare. Is enim probat validissimis argumentis, illam non hominum, sed malorum dæmonum fuisse inventum quod idem etiam Firmianus ait, per quam illi omnem Philosophiam, medicinam, leges atq; religionem in humani generis exterminium nisi sunt abolere. Nam primùm quidem religioni fidem adimit, miracula extenuat, providentiam tollit, dum omnia constellationum vi provenire, & à syderibus fatali necessitate pendere docet: insuper vitiis patrocinatur, excusans quasi cœlitùs in nos descentibus: bonas quascunq; artes contaminat atq; evertit, inprimis Philosophiam, rerum causas à veris rationibus ad fabulas traducens, deinde Medicinam à naturalibus efficacibusque remediis ad vanas observationes, perversasque & corpori & animo exitiales superstitiones convertens. Porrò leges, mores, & quascunque humanæ prudentiæ artes in totum pessundans, cùm quo tempore, qua ratione, quibus mediis quid agendum, sola Astrologia consuleretur, solaque vitæ & morum & rei publicæ & privatæ sceptra teneret, tanquam de cœlo omnium trahens authoritatem, vanaq; putarentur cætera omnia, quæ hanc non agnoscerent patronam. Dignissima profectò ars, quam olim etiam dæmones profiterentur in fallaciam hominum, & in injuriam divinitatis. Iam verò & Manichæorum hæresis arbitrii libertatem in totum tollens & auferens, non aliunde emanavit, quàm ex astrologorum de fato falsa opinione atque doctrina. Ex eodem fonte & Basilidis hæresis emanavit, qui trecentos sexaginta quinq; cœlos, per successionem & similitudinem ab invicem factos pronunciavit, & horum ostensionem esse numerum dierum anni, atque singulis eorum certa principia, &

virtutes,

EXEMPLAR CIVITATIS BIBLIOTHECA

virtutes, & angelos assignans, atq; illis nomina adfingens: esse autem omnium principem Abraxas, quod nomen juxta Græcam literaturam, continet in se tercentum sexaginta quinque, quot videlicet sunt illorum locales positiones ab illo commentæ. Hæc ideò narrata sunt, ut cognoscatis, Astrologiam etiam hæreticorum progenitricem esse. Porrò Astrologiam hanc divinatoriam, sicut splendidissimi quiq; explodunt Philosophi, sic Moyses, Esaias, Iob, Ieremias, cæteriq; antiquæ legis detestantur Prophetæ, & è Catholicis Doctoribus Augustinus, illam à Christiana religione expellendam censet. Hieronymus hanc Idololatriæ genus esse disputat. Rident eam Basilius & Cyprianus: refutant Chrysostomus, Eusebius & Lactantius: invehuntur Gregorius, Ambrosius, atq; Severianus, sanctumq; Toletanum Concilium eam prohibet atque damnat: etiam in synodo Martini, & abs Gregorio juniore, & Alexandro tertio Pontificibus anathematizata, & à civilibus Imperatorum legibus punita. Apud veteres Romanos sub Tiberio Vitellio, Diocletiano, Constantino, Gratiano, Valentiniano, Theodosio Imperatoribus urbe prohibita, ejecta atq; punita: ab ipso etiam Iustiniano capitis supplicio percussa: quod ex Codice ejus manifestum est.

De Divinationibus in genere, CAP. XXXII.

ADmonet hic locus etiam de cæteris divinationum artibus dicere, quæ non tam observatione cœlestium, quam rerum inferiorum quandam cœlestium umbram & imitationem habentium, vaticinia præbent, ut illis intellectis melius cognoscatis, hanc astrologicam arborem, de qua tales fructus descendunt, atque abs qua velut Lernæa hydra, multorum capitum fera generata est. Inter artes itaque ad divinandum quæstum properantes, physiognomia, metoposcopia, chiromantia, (de qua etiam supra diximus) aruspicina speculatoria, & onirocritica: quæ eis somniorum interpretatio, ac furentium oracula hic sedem sibi vindicârunt. Omnia autem hæc artificia nullius solidæ doctrinæ sunt, nec ullis certis rationibus constant, sed de rebus occultis, aut fortuita sorte, aut spiritus agitatione, aut apparentibus quibusdam conjecturis inquirunt, quæ ex quotidianis & longi temporis sumptæ sunt observationibus. Solent enim omnes illi divinationum prodigiosæ artes, non nisi experientiæ titulo se defendere, & se objectionum vinculis extricare, quoties aliquid supra fidem ac præter rationem doceant polliceanturq; : de quibus omnibus sic in lege præceptum est. Non inveniatur in te, qui colluserit filium, ducens per ignem, & ariolos scisciteretur: aut observet somnia atque auguria : nec sit maleficus, nec incantator, quoniam hæc abominatur Dominus.

De Physiognomia. CAP. XXXIII.

HArum itaq; Physiognomia naturali (ut ait) ducem secuta, ex totius corporis inspectione, quæ sunt animæ & corporis affectiones, quæ hominis fortuna, probabilibus signis sequi posse præsumit, quatenus hunc Saturnium aut Iovistam, illum Martium aut Solarem, alterum Venereum, Mercurialem, aut Lunarem pronunciat: & ex corporis habitudine illorum horoscopia colligit: ex affectibus paulatim (ut ajunt) ad causas videlicet astrologicas transcendens, ex quibus postea nugatur, quicquid libet.

De Metoposcopia. CAP. XXXIV.

METoposcopia autem ex solius frontis inspectione omnia hominum initia, progressus & fines sagacissimo ingenio ac docta experientia se præsentire jactat, ipsa se etiam Astrologiæ alumnam faciens.

De Chiromantia. CAP. XXXV.

CHiromantia autem in vola manus pro numero planetarum septem montes effingit: atque ex lineis, quæ ibi conspiciuntur, quæ hominis complexio, qui affectus, quæ vita, quæ fortuna, sese posse cognoscere arbitratur per linearum harmonicam correspondentiam, ceu per cœlestia quædam stigmata nobis à Deo & natura illic impressa, & quæ Deus, authore Iob, posuit in manibus hominum, ut inde noscat unusquisque opera sua, quamvis reverà divinus propheta illic non de chiromantica vanitate, sed de arbitrii libertate locutus fuerit. Præterea tuentur se prædicti divinatores, quòd licet non per rerum causas, tamen per signa ab eisdem, similibusve causis impressa, quæ semper sint eadem rebus eisdem, similiaque similibus de effectibus possent judicare : dicuntque : iis artibus usum quondam Pythagoram, qui adolescentum mores, naturas, ingenia, ex oris & vultus, totiusq; corporis filo ac habitu conjectabatur : quemque idoneum judicabat, hunc in disciplinam recipi jubebat. Idem consuevisse Pharaotem Indorum regem, narrat Philostratus : verùm harum omnium artium errorem non alia ratione nobis impugnare necesse est,

HAEC PUBLICA EST OPVS IN LIMEN FORA

nisi ea ipsa, quòd deficiunt videlicet omni ratione. Scripserunt tamen de istis permulti ex antiquis viri gravissimi, Hermes, Alchindus, Pythagoras, Pharaotes Indus, Zophyrus, Helenus, Ptolemæus, Aristoteles, Aspharabius: præterea Galenus, Avicenna, Rasis, Iulianus, Maternus, Loxius Phylemon, Palæmon, Constantinus, Africanus: ex Romanis deniq; Principibus, L. Sylla, & Cæsar Dictator ejus studiosissimi fuere. Ex posterioribus verò Petrus Apponensis, Albertus Teutonicus, Michael Scotus, Antiochus Bartholomæus, Coclitis, Michael Zavonarola, Antonius Cermisonus, Petrus de Arca, Andreas Corvus, Tricassius Mantuanus, Ioannes de Indagine, & plerique alii illustres Medici: omnes tamen ultra conjecturas, & experientiæ observationes tradere queunt nihil. Non esse autem conjecturis illis, & observationibus ullam veritatis regulam, ex eo manifestum est, quia figmenta sunt voluntaria, & super quibus ipsi etiam æqualis doctrinæ, & authoritatis illarum Doctores non concordant. Quare vehementer deliranr, errantque omnes, qui per hæc signa, ultra corporis complexionem, & naturæ dispositionem, mores quoque ipsos & fortunæ, animique affectus prædicere volunt: quod in Zopyri judicio de Socrate, satis comprobatum est. Nec vobis fidem faciat, quod Appion Grammaticus scriptum reliquit, Alexandrum quendam tam diserte imaginum similitudines pinxisse, ut ex his Metoposcopus futuræ aut præteritæ mortis annos dixerit: quod quidem posse iis artibus sciri, non tam incredibile est, quàm impossibile: sed solet hoc nugivendum hominum genus, instinctu malorum dæmonum sic delirare, trahentium illos ab errore in superstitionem, & ab hac paulatim in infidelitatem.

Iterum de Geomantia. CAP. XXXVI.

GEomantia etiam (de qua & in Arithmetica locuti sumus) quæ projectis punctis, vel casu, vel vi quadam deductis, ex quibus per pares & impares numeros, figuras quasdam cœlestibus attributas componit, per quas divinatur, idcircò omnes illius scriptores Astrologiæ filiam testantur. Est & alia Geomantiæ species, quam Almadal Arabs introducit, quę ipsa per conjecturas quasdam à similitudinibus sumptas ex terræ crepitu, motu, scissura, tumore, vel sponte, vel ab æstu & caumate, aut tonitruis provenientibus divinatur, quæ ipsa etiam inani Astrologiæ superstitione fulcitur, horas, & lunationes, & syderum ortus, figurasque coobservans.

De Aruspicia. CAP. XXXVII.

AVgurium verò, cujus multæ admodum sunt species, ars ipsa priscis temporibus in magna observatione fuit, ac tãta, ut nihil eorum, quæ ad publica, vel ad privata pertinerent, inauspicatè perfecerint. Hæc ars antiquissima est, ut tradit Pomponius Lætus, à Chaldęis ad Græcos, apud quos Amphiareus Tyresias, Mopsus Aphilotes, & Calchas summi augures habiti sunt, à Græcis ad Hetruscos venit, ab illis ad Latinos. Et ipse Romulus augur fuit, & magistratus instituit auguriis cõfirmari: & Dionysius tradit antiquam augurandi artem fuisse, etiam Aboriginum: & Ascanium, priusquam aciem contra Mezentium educeret, augurium captasse: quod ubi felix conspexit, pugnavit, atque vicit. Denique Phrygii, Pisidæ, Cilices, Arabes, Vmbri, Thusci, & multi alii populi auguria secuti sunt. Lacedæmonii etiam Regibus suis augurem assessorem dederunt, & publico interesse concilio voluere, & apud Romanos augurum collegium. Huic arti fidem fecerunt, qui docuerunt, à cœlestibus corporibus quædam præsagiorum lumina super animantia quæque in hæc inferiora descendere; velut signa quædam in eorum motu, situ, gestu, incessu, volatu, voce, cibo, colore, opere, eventu constituta, quibus tanquã insita quadam vi occultâ, ac tacito quodam consensu cum cœlestibus corporibus, quorum viribus afficiuntur, sic conveniant, ut possint omnia hæc præsagire, quæcunque cœlestia corpora cogitârunt facere. Ex quo patet, hanc divinationem non nisi conjecturas sequi, partim à siderum, ut ajunt, influentiis, partim à parabolicis quibusdam similitudinib⁹ sumptas, quibus nihil est fallacius. Quare rident eam Panætius, & Carneades, Cicero, Chrysippus, Diogenes, Antipater, Iosephus, & Philo: damnant Lex & Ecclesia. Atque hujuscemodi sunt illã Chaldæorum, Aegyptiorumque mysteria, quæ quondam Hetrusci, deinde Romani, & hodie adhuc superstitiosum hominum vulgus, velut oracula adorat.

De Speculatoria. CAP. XXXVIII.

EX eodem fundamento prodit Speculatoria, quæ fulmina, & fulgura, cæterasque elementorum impressiones, insuper ostenta, portenta, prodigia interpretatur, non tamen alia via, quàm conjecturæ & similitudinis, quam equidem plurimùm errare manifestum est, quòd hæc omnia naturalia opera sunt, non prognostica.

De Somnispicia. CAP. XXXIX.

ACcedit Onirocritica, quæ est somniorum interpretatio, quorum interpretes propriè Conjectores vocantur: quemadmodum eamt Euripides:

Qui bene conjectat, is vates optimus esto.

Cui artificio etiam, & quidem magni Philosophi haud parum tribuerunt, præcipue Democritus, Aristoteles, & ejus sectator Themistius, atque Synesius Platonicus, sic innitentes exemplis illis somniorum, quæ casus aliquis vera fecit, ut inde nihil frustrà somniari suadere conentur. Dicunt enim, quòd quemadmodum cœlestis influxus in corporali materia formas producat diversas, sic ex eisdem influxibus in potentia phantastica, quæ organica est, phantasmata imprimi cœlesti dispositione, effectui cuipiam producendo consentanea: maximè verò in somniis, quia animus tunc à corporeis, exteriscq; curis relaxatus, liberius divinos illos suscipit influxus: unde multa dormientibus in somniis innotescunt, quæ latent vigilantes. Hæc itaque potissimùm ratione ipsis somniis veritatis opinionem conciliare nituntur. De causis tamen somniorum tam intrinsecis quàm extrinsecis, non omnes in unam sententiam conveniunt: nam Platonici illas referunt in species & notiones animi concretas. Avicenna in intelligentiam ultimam moventem lunam, medio illius luminis, quo irradiatur phantasia hominum dum dormiunt. Aristoteles refert in sensum communem, sed phantasticum. Averroës in imaginativa, Democritus in idola à rebus decisa. Albertus in influxum superiorum, mediis tamen quibusdam speciebus, qua continuò defluunt à cœlo: medici in vapores & humores hæc referunt: alii in affectus & curas vigiliæ: aliqui Arabes in potentiam intellectualem: alii dicunt à potentiis animæ, & influxu cœli & simulachris simul dependere: Astrologi illa à suis constellationibus causari volunt: alii causas illorum in aerem circundantem penetrantemque referunt. Scripserunt præterea de somniorum interpretatione Daldianus & Arthemidorus, & circumferuntur libri sub Abraham nomine, quem Philo in libris de Gigantibus, & de civili vita asserit somniorum solutiones primùm adinvenisse, & alii sub Salomonis & Danielis nominibus in hanc rem confícti, in quibus de somniis nihil nisi mera somnia traduntur. Sed ipse M. Tull. in suis divinationum libris adversus hanc vanitatem, eorumque stultitiam, qui somniis fidem habent, validissimis rationibus disputat: quas hîc enumerare omitto.

De Fu-

De Furore. CAP. XL.

SED (quod ferè præterieram) istis somniatoribus eos etiam adnumeremus, qui furentium vaticiniis divinitatis fidem præbent, eosque qui & præsentium notitiam, & præteritorum memoriam, omnemque humanum sensum perdiderunt, divinam futurorum præscientiam assecutos putant, & quæ sapientes, vigilantesq; nesciunt, videre insanos, & dormientes, ac si plus, quàm sanis, vigilantibus, intelligentibus & præmeditantibus, Deus sit propinquior: infelices profectò homines, qui his vanitatibus credunt, illisque in posturis obediunt, qui hujusmodi pascunt artifices, illorumq; ventri ingenia sua, suamque fidem submittunt. Quid namque aliud putabimus furorem, quàm alienationem humani animi, ab ipsis malis dæmonibus exagitati, aut per astra, aut per inferiora instrumenta ab immundis spiritibus deducta? quod ita expressisse videtur Lucanus, dum inducit Arvum Thuscum vatem:

Fulminea è tectum motus, venasque calentes
Fibrarum, & motus errantis in æthere pennæ.

Post lustratam urbem, post mactatam victimam, post inspecta exta, tandem figulum in hæc verba protulisse sententiam:

Quod ciuis genus, ô superi, qua peste paratis
Sæva luam? extremi multorum tempus in unum
Convenere dies, summo si frigida cœlo
Stella nocens nigros Saturni accenderet ignes,
Deucalioneos fudisset Aquarius imbres,
Totaque diffuso latuisset in æquore tellus.
Si sævum radijs Nemæum Phœbe Leonem
Nunc premeres, toto fluerent incendia mundo,
Succensusque tuis flagrasset curribus æther
Hi cessant tingens Tu qui flagrante minacem
Scorpion incendis, cauda Chelasque peruris,
Quid tantum Gradive paras? nam mitis in alto
Iuppiter occasu premitur, Veneris que salubre
Sidus habet, motuque celer Cyllenius hæret,
Et cælum Mars solus habet, cùm signa meatus
Deseruere suos, mundoque obscura feruntur,
Ensifer immium fulget: latus Orionis,
Imminet armorum rabies, ferrique potestas
Confundet ius omne manu, scelerique nefando
Nomen erit virtus, multosque exibit in annos.

Omnia itaque hæc divinationum artificia in ipsâ Astrologia suas radices & fundamenta habent. Nam sive corpus, vultus,

HARVARD BIBLIOTECA OLIVERIANA

manus, inspecta sint, sive somnium, sive prodigium visum sit, sive auspicium, sive furor afflaverit, cœli figuram erigendam consulunt, ex cujus indiciis, unà cum similitudinum, signorúmque conjecturis significatorum venantur opiniones: ita divinationes omnes Astrologiæ artem usumq; sibi deposcunt, ut hanc veluti clavem, ad omnium arcanorum notitiam necessariam fateantur. Quare omnes hæ divinationum artes quantum absint à veritate, palàm sese offerunt ex eo, quòd principiis utantur tam manifestè falsis, ac Poëtica temeritate confictis: quæ cùm nec sunt, nec fuerunt, nec erunt unquam, tamen causas & signa eorum esse solent, quæ sunt rerum eventus, contra apertam veritatem in illa referentes.

De Magia in genere. Cap. XLI.

EXigit etiam hic locus, ut de Magia dicamus: nam & ipsa cum Astrologia sic conjuncta, atq; cognata est, ut, qui Magiam sine Astrologia profiteatur, is nihil agat, sed tota aberret via. Suidas Magiam à Magusæis, & nomen, & originem traxisse putat. Communis opinio est, nomen esse Persicum, cui adstipulantur Porphyrius, & Apuleius, & significare eorum lingua idem, quod sacerdotem, sapientem, sive Philosophum. Magia itaque omnem Philosophiam, Physicam & Mathematicam complexa, etiam vires religionum illis adjungit: hinc & Goëtiam, & Theurgiam in se quoque continet. Qua de causa Magiam plerique bifariam dividunt, in naturalem videlicet & cæremonialem.

De Magia naturali. Cap. XLII.

NAturalem Magiam non aliud putant, quàm naturalium scientiarum summam potestatem, quam idcircò summũ Philosophiæ naturalis apicem, ejusque absolutissimam consummationem vocant: & quæ sit activa portio Philosophiæ naturalis, quæ naturalium virtutum adminiculo, ex mutua earum, & opportuna applicatione opera edit, supra omnem admirationis captum. Magia Aethiopes maximè & Indi urebantur, ubi herbarum & lapidum, cæterorumque ad id spectantium facultas suppetebat. Ejus meminisse volunt Hieronymũ ad Paulinum, ubi ait, Apollonium Tyanæum fuisse magum seu Philosophum, ut Pythagorici. Ejus etiam generis fuisse Magos, qui Christum natum muneribus invisentes adoraverunt, quos Euangeliorum interpretes exponunt Chaldæorum Philosophos: quales fuere Hiarchas apud Brachmanas, Tespion apud

apud Gymnosophistas, Budda apud Babylonios, Numa Pompilius apud Romanos, Zamolxides apud Thracas, Abbaris apud Hyperboreos, Hermes apud Aegyptios, Zoroastes Oromasi filius apud Persas. Nam Indi, & Aethiopes, & Chaldæi, & Persæ hac maximè præcelluêre Magia: qua idcirco (ut narrat Plato in Alcibiade) imbuuntur Persarum regum filii, ut ad mundanæ Reipublicæ imaginem, suam & ipsi Rempublicam administrare, distribuereque condiscant: & Cicero in Divinationum libris ait, neminem apud Persas regno potiri, qui prius Magiam non didicerit. Magia itaque naturalis ea est, quæ rerum omnium naturalium atque cælestium vires contemplata, earundemque sympathiam curiosa indagine scrutata, reconditas ac latentes in natura potestates ita in apertum producit: inferiora superiorum dotibus tanquam quasdam illecebras sic copulans per eorum mutuam applicationem adinvicem, ut exinde stupenda sæpè consurgant miracula, non tàm arte, quàm natura, cui se ars ista ministram exhibet hæc operanti. Nam Magi, ut naturæ accuratissimi exploratores, conducentes ea, quæ à natura præparata sunt, applicando activa passivis, sæpissimè ante tempus à natura ordinatum effectus producunt, quæ vulgus putat miracula, cùm tamen naturalia opera sint, interveniente sola temporis præventione: ut si quis in mense Martio rosas producat, & maturas uvas, aut satas fabas, vel petroselinum intra paucas horas excrescere faciat in perfectam plantam, & iis majora: ut nubes, pluvias, tonitrua & diversorum generum animalia, & rerum transmutationes quamplurimas, cujusmodi multas fecisse se jactat Rogerius Bachon pura & naturali Magia. Scripserunt de illius operibus Zoroastes, Hermes, Euantes rex Arabum, Zacharias Babylonius, Ioseph Hebræus, Bocus, Aaron, Zenotenus, Kirannides, Almadal, Thetel, Alchindus, Abel, Ptolemæus, Geber, Zahel, Nazarabub, Tebith, Aerith, Salomon, Astrophon, Hipparchus, Alcmæon, Apollonius, Tryphon, & plerique alii, quorum aliqua opera adhuc integra, & pleraque fragmenta adhuc extant, & ad manus meas aliquando pervenerunt. Ex recentioribus verò scripserunt in naturali Magia pauci, & illi quidem pauca, ut Albertus, Arnoldus de Villa nova, Raymundus Lullus, Bachon, & Aponus, & author libri ad Alphonsum, sub Picatricis nomine editus, qui tamen unà cum naturali Magia plurimum superstitionis admiscet: quod quidem fecerunt & alii.

De Magia Mathematica. CAP. XLIII.

SVnt præterea alii naturæ sagacissimi æmulatores, inquisitoresque audacissimi, qui absque naturalibus virtutibus ex solis mathematicis disciplinis, adscitis cœlorum influxibus, sese naturæ operum similia producere posse pollicentur, ut corpora euntia, vel loquentia, quæ tamen non habeant virtutes animalis: qualis fuit columba Archytæ lignea, quæ volabat: & statuæ Mercurii, quæ loquebantur, & caput æneum ab Alberto Magno fabricatum, quod locutum perhibent. Excelluit in istis Boetius vir maximi ingenii, & multiplicis eruditionis: ad quem de istiusmodi scribens Cassiodorus, Tibi, inquit, ardua cognoscere, & miracula monstrare propositum est: tuæ artis ingenio metalla mugiunt. Diomedes in ære gravius buccinatur, æneus anguis insibilat, aves simulatæ sunt, & quæ vocem propriam nesciunt habere, dulcedinem cantilenæ probantur emittere, parva de illa referimus, cui cœlum imitari fas est. De istis puto artificiis dictum est, quod apud Platonem legimus in undecimo de Legibus: Ars data est mortalibus, qua res posteriores quasdam generarent, non quidem veritatis & divinitatis participes, sed simulachra quædam sibiipsis cognata deducerent: atque eousque progressi sunt Magi homines audacissimi omnia perpetrare, favente maximè antiquo illo & valido serpente scientiarum pollicitatore, ut similes illi tanquam simiæ, Deum & naturam æmulari conarentur.

De Magia veneficâ. CAP. XLIV.

ESt præterea naturalis Magiæ species, quam veneficam, sive pharmaciam vocant, quæ poculis, philtris, variisque veneficiorum medicamentis perficitur: cujusmodi Democritus confeciſſe legitur, quo boni, felices, fortunatique filii gignantur: & aliud, quo avium voces rite intelligamus, sicut de Apollonio narrant Philostratus, atque Porphyrius. Vergilius etiam de quibusdam herbis Ponticis locutus dixit:

> *His ego sæpè lupum fieri, & se condere sylvis*
> *Mœrim, sæpè animas imis excire sepulchris,*
> *Atq; satas alio vidi traducere messes.*

Et Plinius narrat, quendam Demarchum Parrhasium in sacrificio, quod Arcades Iovi Lycæo humana hostia faciebant, immolati pueri extra degustasse, & in lupum se convertisse: propter quam hominum in lupos immutationem putat Augusti-

nus

nus Pani Lycæo & Iovi Lycæo nomen esse impositum. Narrat idem Augustinus, dum esset in Italia, quasdam fœminas magas, Circes instar, dato viatoribus veneficio in caseo, eos in jumenta vertisse, cumque portassent, quæ placuissent, opera, rursus in homines restituisse, idque patri cuidam Præstantio tunc accidisse. Sed & ne quis hæc putet omnino deliramenta esse & impossibilia, is recordetur, quomodo Sacræ literæ narrant, Nabuchodonosor Regem mutatum in bovem, & septem annis fœno vixisse, tandem Dei misericordia in hominem rediisse: cujus corpus post mortem illius filius Euilmerodach in escam dedit vulturibus, ne quando resurgeret à mortuis, qui jam de bestia redierat in hominem: & hujusmodi plura de magis Pharaonis narrat Exodus. Verùm de iis, sive magis, sive veneficis, loquitur Sapiens, dum dicit: Exhorruisti illos Deus, quia horribilia opera tibi faciebant per medicamina. Illud præterea vos scire volo, non solùm naturalia scrutari hos magos, verùm etiam ea, quæ naturam comitatur, ac quodam modo exuunt, ut motus, numerus, figuras, sonos, voces, concentus, lumina, & animi affectus atque verba. Sic Psylli & Marsi convocabant serpentes, alii aliis deprimentes fugabant: sic Orpheus Argonautarum tempestatem hymno compescuit, & Homerus narrat Vlysſi sanguinem verbis restrictum: & in lege duodecim Tabularum iis qui messes excantassent, pœna constituta est, ut non dubium sit, magos etiam solis verbis & affectibus, aliisque similibus non in seipsos modò, sed etiam in res extraneas sæpè mirum aliquem producere effectum. Quæ omnia non secus vim insitam in res alias profundere, illasque ad se trahere, vel abs se repellere, seu alio quovis modo efficere putant, quam magnes ferrum, & succinum paleas trahunt, sive adamas & allium magnetem ligant, sicque per hanc rerum gradariam ac concatenatam sibi sympathiam non solum dona naturalia & cælestia, sed etiam intellectualia & divina Iamblichus, Proculus, atque Synesius ex magorum sententia desiperi susci pi posse confirmant: quod Proculus in libro de sacrificio, & magia fatetur, scilicet per hujusmodi rerum consensum magos etiam numina evocare solitos. Ad tantam enim quidam eorum devoluti sunt insaniam, ut ex diversis stellarum constellationibus, per temporum intervalla & quadam proportionum ratione rite observatis constructam imaginem cælitum nutu vitæ intellectuq; spirituum acceptura putent quo consulentibus illam, respondeat & occultæ veritatis arcana revelet. Hinc patet hanc naturalem magiam nonnunquam in

НАУКОВА БІБЛІОТЕКА ОНУ ім. І.І. МЕЧНИКОВА

Goetiam & Theurgiam reclinatam, sæpissimè malorum dæmonum vaframentis erroribusque obretiri.

De Goetia & Necromantia. CAP. XLV.

Cæremonialis autem magiæ partes, sunt Goëtia atq; Theurgia, Goëtia immundorum spirituum commerciis inauspicata, nefariæ curiositatis ritibus, illicitis carminibus & deprecamentis concinnata, omnilegum placitis est exterminata & execrata. Hujus generis sunt, quos necromanticos & maleficos hodiè nuncupamus,

Gens invisa deis macrisandi callida cœli,
Quas genuit natura, mali qui sydera mundi,
Inuraq; fixarum possunt pervertere verum.
Nam nunc stare polos & fulmina mittere norunt,
Æthera sub terras adigunt, montes q; revellunt.

Hi sunt ergo, qui defunctorũ inclamant animas, & illi, quos veteres dicebant epodos, qui excantant pueros, & in eloquium oraculi eliciunt, & qui dæmones paredros circumferunt, quale quiddam de Socrate legimus, & qui, ut dicitur, spiritus pascunt in vitro, per quos se prophetare mentiuntur. Et hi homines bifariam procedunt. Nam alii dæmones malos virtute quadam maximè divinorum nominum adjuratos advocare & cogere student, quippe cum omnis creatura timet & reveretur nomẽ illius, qui fecit eam, non mirum, si Goëtici & quique etiam infideles, Pagani, Iudæi, Saraceni, & cujuscunq; prophani collegii sive sectæ homines, divini nominis invocatione dæmones astringant. Alii autem nefandissimi, detestando & omnibus ignibus plectendo scelere se dæmonibus submittentes, illis sacrificant & adorant, idololatriæ & vilissimæ dejectionis rei effecti sunt. quibus criminibus etsi priores non sunt obnoxii. tamen manifestis periculis se exponunt. Nam etiam coacti dæmones invigilant, semper, quo errantes nos decipiant. Ex horum verò Goeticorum anagyri profluxerunt omnes isti tenebrarum libri, quos improbatæ lectionis Vlpianus jurisconsultus appellat, protinusq; corrumpendos esse statuit. Cujusmodi primus excogitasse dicitur Zabulus, quidam illicitis artibus deditus, deinde Barnabas quidam Cyprius, & hodie adhuc confictis titulis circumferuntur libri sub nominibus Adę, Abelis, Enoch, Abrahæ, Salomonis: item Pauli, Honorii, Cypriani, Alberti, Thomæ, Hieronimi, & Eboracensis cujusdam, quorum nugas stulte secuti sunt Alphonsus rex Castellæ, Robertus Anglicus, Bacon & Apponus, & plerique alii deplorati ingenii homines.

Præterea non homines modò, & sanctos & patriarchas, & angelos Dei tam execrabilium dogmatum fecerunt authores, sed & libros à Raziele & Raphaele, Adami & Tobiæ angelis traditos ostentant: qui libri tamen acutiùs inspicienti suorum præceptorum canonem, rituum consuetudinem, verborum & characterum genus, extructionis ordinem, insulsam phrasin, apertè sese produnt, non nisi meras nugas, ac imposturas continere, ac posterioribus temporibus ab omnis antiquæ magiæ ignaris perditissimis perditionum artificibus esse conflatos, ex prophanis quibusdam observationibus nostræ religionis cæremoniis permixtis, insitisque ignotis multis nominibus & signaculis, ut perterreant rudes & simplices, & stupori sint insensatis, & his, qui nescium bonas literas. Neque tamen propterea patet has artes fabulas esse, nam nisi revera essent, atque per illas multa mira ac noxia fierent, non tam arctè de illis statuissent divinæ ac humanæ leges, eas exterminandas esse de terra. Cur autem Goetici illi solis malis utantur dæmonibus, ea ratio est, quia boni angeli difficilè comparent, quia Dei jussum expectant, nec nisi mundis corde & vita sanctis hominibus congrediuntur: mali autem faciles se exhibent ad invocandum, falsò faventes & divinitatem mentientes, semper præsto, ut astu suo decipiant, ut venerentur, ut adorentur. Et quia mulieres secretorum avidiores sunt, ac minus cautæ, atque in superstitionem proclives, faciliusque illuduntur, ideo illis se præbent faciliores, faciuntque ingentia prodigia: cujusmodi de Circe, de Medea, de aliis canunt Poetæ: testantur Cicero, Plinius, Seneca, Augustinus, & multi alii tum Philosophi, tum catholici doctores & historici, ipsæ etiam Sacræ literæ. Nam in libris Regum legimus Phytonissam mulierem, quę erat in Endor, evocasse animam Samuelis Prophetæ, licet pleriq; interpretentur, non fuisse animam prophetæ, sed malignũ spiritum, qui illius sumpserit imaginem. Tamen Hebræorum magistri dicunt, quod etiam Augustinus ad Simplicianum fieri potuisse non negat, quia fuerit verus spiritus Samuelis, qui antè completũ annum à discessu ex corpore facilè evocari potuit, prout docent Goetici. Quin etiam magi necromantici illud naturalibus quibusdã viribus ac vinculis fieri posse autumant, sicut nos in libris nostris de Occulta philosophia tractavimus: ideoq; antiqui patres, rerum spiritualiũ periti, non sine causa ordinaverunt, ut corpora mortuorum sepelirentur in loco sacro, & luminibus socientur, aqua benedicta aspergantur, thure incenso suffumigentur, & expientur orationibus, quousque

HAC EST EDITIO OMNIUM ULTIMA

quousq; super terram extiterint. Nam ut ajunt magistri Hebræorum, omnè corpus nostrum & carnale animal, quicquid in nobis super materia carnis malè dispositа innititur, relinquitur in cibum serpenti, ut ipsi vocant, Azazeli, qui est dominus carnis, & sanguinis, & princeps hujus mundi, & vocatur in Levitico Princeps desertorum, cui dictum est in Genesi: Terram comedes omnibus diebus vitæ tuæ. Et in Esaia: Pulvis panis tuus, hoc est, corpus nostrum creatum ex pulvere terræ, quàmdiu non fuerit sanctificatum & transmutatum in melius, ut non amplius serpentis, sed Dei effectum, videlicet ex carnali spirituale juxta verbum Pauli dicentis: Seminatur quod animale est, & resurget quod spirituale est. Et alibi: Omnes quidem resurgent, sed non omnes immutabuntur, quia multi remansuri sunt in perpetuum cibum serpentis. Hanc itaq; turpem & horridam carnis materiam, ac serpentis cibum mortem deponimus, illam aliquando in meliorem sortem, & spiritualem transmutatam reassumpturi, quod erit in resurrectione mortuorum. Et jam factum est in his, qui primitias resurrectionis degustarunt, & multi hoc ipsum virtute defici spiritus in hac vita consecuti sunt, Enoch, & Helias, & Moyses: quorum corpora transmutata in naturam spiritualem, non viderunt corruptionem, nec, sicut cætera cadavera, potestati serpentis relicta sunt. Atq; hæc est illa disceptatio Diaboli cum Michaele de corpore Moysi, cujus meminit in Epistola sua Judas. Sed de Goetia, & Necromantia hæc satis.

De Theurgia. CAP. XLVI.

THeurgiam verò plerique putant haud illicitam, quasi hæc bonis angelis, divinoq; numine tegatur: quum sæpissimè tamen sub Dei & angelorum nominibus malis dæmonum fallaciis obstringatur. Non solùm siquidem naturalibus viribus, sed etiã certis ritibus, ac cæremoniis cœlestibus, & per illas divinas virtutes nobis conciliamus, attrahimus, de quibus nos multis regulis antiqui magi editis voluminibus per tractant. Omnium autem cæremoniarum pars maxima in mundicia servanda consistit: primum quidem animi, deinde etiam corporis, & eorum quæ circa corpus sunt, ut in cute, in vestibus, in habitaculis, in vasis, in utensilibus, oblationibus, hostiis, sacrificiis quorum munditia ad divinorum consuetudinem & contuitum disponit, & in sacris summopere efflagitatur juxta verba Esaiæ, Lavamini & mundi estote, & auferte malum cogitationum vestrarum. Immunditia verò, quia aërem frequẽter &

ter & hominem inficit, mundissimum illum cœlestium & divinorum influxum disturbat, & mundos Dei spiritus fugat. Verùm nonnunquam immundi spiritus & decipitrices potestates, ut venerentur, & adorentur pro diis, etiam hanc munditiam exquirunt: ideò hîc maxima opus est cautela, de quibus latè in libris nostris de Occulta philosophia disseruimus. Verùm de hac Theurgia, sive divino, tum magia, plura disputans Porphyrius, tandem concludit, Theurgicis consecrationibus posse quidem animam hominis idoneam reddi ad susceptionem spirituum, & angelorum, ad videndos deos: reditum verò ad Deum hac arte præstari posse inficiatur omnino. Ejus itaque scholæ sunt ars Almadel, ars notoria, ars paulina, ars revelationum, & ejusmodi superstitionum perplura, quæ eo ipso sunt perniciosiora, quo apparent imperitis divinora.

De Cabala, CAP. XLVII.

VErum occurrunt hic mihi verba Plinii, qui; Est & alia inquit, magices factio, à Moyse etiamnum & Latopæa Judæis pendens, quæ verba me de Cabala Judæorum commonefaciunt, quam in monte Sina à Deo ipso Moysi datam, pene Hebræos constans opinio est, ac deinceps per successionũ gradus citra literarum monumenta, usq; in Ezræ tempora posteriori bus sola viva voce tradita: quemadmodum Pythagorica dogmata olim ab Archippo & Lysiade, qui in Græcia Thebis scholas habuere, tradebantur, in quibus discipuli memoriter doctorum præcepta tenentes, ingenio & memoria pro libris utebantur: sic & Judæi quidam literas aspernati, in memoria & observatione, ac vocali traditione hanc collocârunt: unde Cabala ab Hebræis, quasi solo auditu unius ab altero receptio nuncupata est. Ars ut refertur, perversa, nomen autem non nisi recentibus temporibus apud Christianos cognitum. Ejus verò duplicem tradunt scientiam, unam de Bresith, quam & Cosmologiam vocant, videlicet rerum, creaturarum, naturalium & cœlestium vires explicantem, & legis, Bibliæque arcana philosophicis rationibus exponentem, quæ profectò hac ratione nihil differt à magia naturali, in qua Salomonem Regem præstitisse credimus. Legitur namque in sacris Hebræorum Historiis, illum disputare solitum à Cedro Libani usque ad Hyssopum: item de jumentis, volucribus, reptilibus & piscibus, quæ omnia magicas quasdam naturæ vires præ se ferre possunt: ipse quoque inter posterio-

res

HATHOR BIBLIOTEKA OHYRM. I.I. MECHIROPA

res Moyses Aegyptius in expositionibus suis super Pentateuchum, & plures Thalmudistæ hanc insecuti sunt. Alteram verò ejus scientiam vocant de Marcana, quæ est de sublimioribus divinarum, angelicarumque virtutum ac sacrorum nominum, & signaculorum contemplationibus quædã quasi symbolica Theologia, in qua literæ, numeri, figuræ, res, & nomina, & elementorum apices, ac lineæ, puncta & accentus nomina sunt profundissimarum rerum & magnorum arcanorum significativa. Hanc rursus bisariam secant, in Arithmantiam videlicet quæ notaria convocatur, de angelicis virtutibus, nominibus signaculisq; etiam dæmonum ac animarum conditionibus tractans: atque in Theomantiam, quæ divinæ majestatis mysteria, emanationes, sacraq; nomina & pentacula scrutatur: quam qui norit, hunc ajunt admirandis pollere virtutibus, ita quòd dum velit, futura omnia præsciat, toti naturæ imperet, in dæmones, & angelos jus habeat, & miracula faciat. Hac putant Moysen tot signa edidisse, virgam in colubrum, aquas in sanguinem vertisse: ranas, muscas, pediculos, locustas, bruchos, ignem cum grandine, vesicas, & tabes Aegyptiis immisisse, primogenitum omne ab homine usque ad pecus interemisse, suosq; deducentem mare aperuisse, fontem de petra, coturnices de cœlo produxisse, aquas amaras dulcorasse, fulgura & nubes per diem, columnam ignis per noctem suis præmisisse, vocem Dei viventis ad populum è cœlis devocasse, arrogantes igne, murmurantes lepra percussisse, malè merentes subita strage, alios terræ hiatu absorptos affecisse. populũ cælesti cibo pavisse, serpentes placasse, venenatos curasse, numerosam turbam ab infirmitate, vestes eorum à corrosione conservasse, & hostium victricem reddidisse: hac denique miraculorum arte & Iosua stare solem præcepisse: Eliam ignem in adversarios è cælo devocasse, puerum mortuum vitæ restituisse: Danielem leonum ora perstrinxisse, tres pueros in camino æstuantis incendii carmina succinuisse: porrò hac arte astruunt perfidi Iudæi etiam Christum tam admiranda sæpè fecisse: Salomonem quoque hanc percalluisse, atque ex ea artem contra dæmones, eorundemque vincula, & conjurationum modos, ac contra morbos excantamenta tradidisse, ut author est Iosephus. Verùm ego Deum Moysi, cæterisque Prophetis multa, quæ continerentur sub cortice verborum Legis, prophano vulgo non communicanda mysteria retexuisse, ut non dubito, sic hanc, quam jactant Hebræi: cabali artem, quam ego multo labore aliquando scrutatus sum, non nisi

nisi meram superstitionis rapsodiam. ac theurgicam quandam magiam agnosco. Quòd si (quod Iudæi jactant) à Deo profecta, ad vitæ profectionem, ad hominum salutem, ad Dei cultum, ad intelligentiæ veritatem conduceret, profectò spiritus ille Veritatis, qui repudiata Synagoga, venit ad nos docere omnem veritatem, hanc usq; in hæc postrema tempora suam non celasset Ecclesiam, quæ profectò omnia novit, quæ sunt Dei, cujus benedictio, baptismus, cæteraque salutis Sacramenta revelata, & perfecta sunt omni lingua: uniuscujusque enim linguæ par est & eadem virtus, modò par sit & eadem pietas: nec est aliud nomen in cœlis, nec in terra, in quo oporteat nos salvos fieri, & in quo operemur virtutem: præter unum nomen IESV in quo recapitulantur & continentur omnia. Hinc Iudæi in divinis nominibus peritissimi, parum aut nihil post Christum operari possunt, sicut prisci illorum Patres. Quod autem experimur, & videmus, hujus artis, ut vocant, revolutionibus sæpè miras magnorum mysteriorum à sacris literis extorqueri sententias, totum hoc nihil aliud est, quam lusus quidam allegoriarũ, quas otiosi homines in singulis literis, & punctis, & numeris occupati, quod hæc lingua, & scribendi ritus facilè patiuntur, pro eorũ arbitrio fingunt atq; refingunt: quæ etsi nonnunquã magna sonent mysteria nihil tamen probare, nec evincere queunt: quin juxta verba Gregorii, eadem facilitate contemnere liceat, qua afferuntur. Confixit simili artificio pleraq; Rabanus monachus, sed latinis characteribus & versibus, insertis variis imaginibus, qui quaq; versus lecti, per quælibet superficies, ac imaginum lineamenta sacrum aliquod enunciant mysterium, depictæ illic historiæ repræsentativũ, quæ etiã ex prophanis literis extorqueri posse nemo ignorat, qui Valeriæ Probæ ex Virgilii carminibus compositos de Christo centones legerit: quæ omnia & ejusmodi sunt speculationes ociosorum hominum. Quod autem ad miraculorum operationem attinet, neminem vestrum puto tam stolidæ cervicis, qui de ijs credat aliquam haberi artem, vel scientiam. Est itaque nihil aliud hæc Iudæorum cabala, quàm pernicioſissima quædam superstitio, quæ verba, & nomina, & literas sparsim in Scriptura positas, pro arbitrio suo colligunt, dividunt, transferunt: & alterum ex altero facientes, solvunt membra, veritatis sermones, inductiones, & parabolas hinc inde ex propriis fictionibus construentes: aptare illis volunt eloquia Dei, infamantes Scripturas & dicentes sua figmenta ex illis constare, calumniantur legem Dei per impu-

dentes

denter extortas supputationes dictionum, syllabarum, literarum, numerorum, tentant violentas & blasphemas perfidæ suæ inferre probationes. Præterea iis nugis inflati, incisso in Dei mysteria, & quæ sunt supra Scripturam arcana, scire invenire & scire jactant, per quæ etiam prophetare, & virtutes & miracula sese perficere, sine rubore, magnâque audacia mentiri non erubescunt. Sed accidit illis, quod cuidam Aethiopico, qui pane relicto, & in umbram ejus inhians, perdidit escam: sic perfidum hoc, & duræ cervicis hominum genus, semper umbris scripturæ occupatum, & circa illas vanitates sua artificiosa, sed superstitiosa cabala imperum faciens, amittit panem vitæ æternæ, & inanibus nominibus depictum perdit verbum veritatis. Ex hoc cabalisticæ superstitionis luticæo fermento prodierunt (puto) Ophitæ, Gnostici, & Valentiniani hæretici, qui ipsi quoque cum discipulis suis Græcam quandam Cabalam commenti sunt, omnia Christianæ fidei mysteria pervertentes, & hæretica pravitate ad Græcas literas, & numeros protrahentes, ex illis construentes corpus, quod vocant veritatis, docentes, absque illis literarum, & numerorum mysteriis non posse in Evangelicis literis inveniri veritatem: quia variæ sunt, & alicubi sibi repugnantes, plenæque parabolis scriptæ, ut videntes non videant, & audientes non audiant, & intelligentes non intelligant, sed cæcis & errantibus juxta suæ cæcitatis & erroris capacitatem propositas: latentem verò sub illis synceram veritatem solis perfectis non perscripta, sed per vivæ vocis successivam pronunciationem esse creditam, atque hanc esse illam alphabetariam, & Arithmanticam Theologiam, quam Christus secretò manifestavit Apostolis, & quam Paulus se loqui dicit, non nisi inter perfectos. Cum enim hæc altissima sint mysteria, ideo nec scripta esse, nec scribi, sed in silentio servari apud sapientes, in absconditio secum illa custodientes. Sapiens autem apud eos nemo, nisi qui maxima hæreseos monstra fabricare novit.

De Præstigiis, Cap. XLVIII.

Sed redeamus ad magiam, cujus particula etiam est Præstigiorum artificium, hoc est illusionum, quæ secundum apparentiam tantùm fiunt, quibus magi phantasmata edunt, multaque miracula circulatoriis fraudibus ludunt, & somnia immittunt: quod non tam Goeticis incantamentis & imprecationibus, dæmonumque fallaciis, quam etiam certis fumigiorum vaporibus, luminibus, phyltris, collyriis, alligationibus,

bus, & suspensionibus, præterea annulis, imaginibus, speculis similibusq; magicæ artis pharmacis & instrumentis, naturali cœlestique virtute perpetratur. Multa & manuum prompta subtilitate & industria fiunt: cujusmodi ab histrionibus & joculatoribus quotidie fieri videmus, quos idcirco chirosophos, hoc est manu sapientes, appellamus. Extant de hoc artificio libri præstigiorum Hermetis & quorundam aliorum: legimus quoque Paseten quendam præstigiatorem, refertissimum cõvivium hospitibus monstrare solitum, idque, cùm libuit, rursum evanuisse, discumbentibus omnibus fame ac siti elusis. Numam Pompilium etiam istiusmodi præstigiis usum legimus. Sed & doctissimum Pythagoram id ridiculum aliquando factitasse, ut quæ collibuisset, sanguine perscriberet in speculo, quo ad pleni luminis lunæ orbem obverso, stanti à tergo res exaratas in disco lunæ commonstrasse. Huc spectat etiam, quidquid de hominum transmutationibus legitur decantatum à poëtis, traditum ab historicis, & à nonnullis Christianis Theologis, insuper à sacris literis adsertum. Sic apparent homines asini, vel equi, vel alia animalia oculis fatematis, aut perturbato medio, idque arte naturali. Nonnunquam etiam hæc fiunt à bonis & malis spiritibus, seu ad bonorum preces ab ipso Deo, sicut in sacris literis legimus de Helisæo propheta, obsesso ab exercitu regis Syriæ, vallantis Dothain: verum puris & apertis à Deo oculis ista non possunt illudere. Sic mulier illa, quæ à vulgo jumentum judicabatur, Hilarioni non jumentum, sed, quod erat, mulier videbatur. Ea igitur, quæ hoc modo secundum apparentiam fiunt præstigia, dicuntur: quæ autem fiunt permutantium aut transferentium, ut de Nabuchodonosor, aut messibus ad alios agros traductis, de his diximus superiùs. Verùm de hac præstigiorũ arte sic ait Iamblichus: Quæ præstigiati seu fascinati imaginantur, præter imaginativa nullam habent actionis essentiæ veritatem. Ejusmodi namq; artificii finis est, non facere simpliciter, sed usque ad apparentiam imaginamenta porrigere, quorum mox nullum compareat vestigium. Iam itaq; ex his, quæ dicta sunt, patet, non aliud esse magiam, quàm complexũ idololatriæ, astrologiæ, superstitiosæq; medicinæ. Iamq; etiam à magis magna hæreticorum caterva in Ecclesia orta est, qui, sic ut Iamnes & Iambres restiterunt Moysi, sic illi restiterunt Apostolicæ veritati. Horum princeps fuit Simon Samaritanus, qui Romæ sub Claudio Cæsare propter hanc artem statua donatus est, cum hac inscriptione: Simoni sancto Deo. Ejus blasphemias co-

HAEC OPERA FIDELIA ORIGINALIA VERITATIS

piosè narrant Clemens, Eusebius, & Irenæus. Ex hoc Simone, tanquam ex hæresum omnium seminario, per multas successiones monstrosi Ophitæ, turpes Gnostici, impii Valentiniani, Cerdoniani, Marcionistæ, Montaniani, & multi alii hæretici prodierunt propter quæstum & inanem gloriam, mentientes adversus Deum, utilitatem nullam, neq; beneficia hominibus præstantes, sed decipientes, & in perniciem & in errorem mittentes: & qui credunt illis, confundentur in judicio Dei. Verùm de magicis scripsi ego juvenis adhuc libros tres, amplo satis volumine, quos de Occulta philosophia nuncupavi: in quibus quidquid tunc per curiosam adolescentiam erratum est, nunc cautior hac palinodia recantatum volo: permultum enim temporis & rerum in his vanitatibus olim cõtrivi. Tandem hoc profeci, quòd sciam, quem iis rationibus oporteat alios ab hac pernicie dehortari. Quicunque enim non in veritate, nec in virtute Dei, sed in elusione dæmonum, secundùm operationem malorum spirituum, divinare & prophetare præsumunt, & per vanitates magicas, exorcismos, incantationes, amatoria, agogima, & cætera opera dæmoniaca, & idololatriæ fraudes exercentes, præstigia & phantasmata ostentantes, mox cessantia miracula sese operari jactant, omnes hi cum Iamne & Mambre, & Simone mago æternis ignibus cruciandi destinabuntur.

De Philosophia naturali. CAP. XLIX.

CAeterùm nunc ad ulteriora procedamus, ipsiusque philosophiæ placita, & quæ naturam ipsam scrutantur, rerumque principia & fines vafris syllogismis inquirunt, scientias investigemus. Quæ profectò quam habeant certitudinem aliam à doctorum suorum fide, omnis homo ignorat. Hanc primò poetæ professi sunt, è quibus Prometheus, Linus & Musæus & Orpheus, porrò Homerus primi inventores numerantur. Philosophia itaque nunc quam nobis veritatem præstare poterit, quæ ipsa ex poetarum nugis fabulisq; progenita est? quod ita esse, manifestis indiciis probat Plutarchus omnes videlicet philosophorum sectas ab Homero principiũ sumpsisse: ipse Aristoteles fatetur, etiam Philosophos naturæ philosophos naturæ philomythos, hoc est, fabularum studiosos esse. Sectas philosophorum alii novem, alii decẽ, sed multò majori numero illa Varro partitus est. Quòd si quis etiam omnes philosophos in unum congregaverit, adhuc inter eos constare non poterit, quæ secta potior dicenda sit, quorum dogmatibus potiùs parendum: adeò circa singula inter se pugnant atq; dissentiunt, perpetuamq; hanc per secula litem agunt: & (quod ait Firmianus) unaquæque secta omnes alias evertit, ut se suaq; confirmet; nec ulla alteri sapere concedit, ne se desipere fateatur. Cumq; de singulis philosophia disputat, & opinatur, de nullis certa est: unde philosophos an inter bruta, an inter homines numerem, planè nescio: brutis siquidem præstare videntur, eò quòd rationem habeant & intelligentiam: homines autem quomodo erunt, quorum ratio nihil constans persuadere potest, sed semper in lubricis opinionib⁹ vacillat, quorũ intellectus ad omnia incertus, non habet quod teneat, aut sequatur: idq; nunc ita esse, diffusiùs ostendamus.

De Principijs rerum naturalium. CAP. L.

NAm in primis de rerum naturalium principiis, super quibus tota hæc facultas fundatur, acerrima pugna inter gravissimos philosophos certatur, & adhuc sub judice lis est, quis eorum melius dixerit, admodum persuasibiles, invincibilesq; de contrariis adferunt rationes. Nam Thales Milesius, primus sapiens ab oraculo judicatus, ex aqua omnia constare volvit: ejus auditor & in schola successor Anaximander rerum principia dixit infinita: illius autem discipulus Anaximenes, infinitum aërem esse rerum principium astruit. Hipparchus, Heraclitus Ephesius ignem: his ambobus quodammodo adsentit Archelaus Athenienſis, Anaxagoras Clazomenius, infinita principia tanquam particulas minutas & cõfusas, sed divina mente in ordinem postea redacta: Xenophanes unum esse omnia, neque id ipsum motabile: Parmenides calidum & frigidum tanquam ignem qui moveat, & terram, quæ formet: Leucippus, Diodorus, Democritus plenum & vacuum: Diogenes Libertus aërem, divinæ tamen rationis compotem: Pythagoras Samius numerum statuit rerum principium, quem sequitur Alcmæon Crotoniates, Empedocles Agrigentinus litem & amicitiam, ac quatuor elementa: Epicurus atomos & inane: Plato ac Socrates Deum, Ideas materiam, Zeno Deum, materiam & elementa. Aristoteles materiam ad appetitum formæ per privationem, quam ipse inter principia tertium ponit, contra id, quod alibi docuit, æquivoca non debere annumerari: quare alii recentiores Peripatetici loco privationis motum quendam utraq; cogentem posuerunt, qui cùm sit accidens, quomodo erit principium substantiæ, aut quis erit ejus motus motor? Ideo

Hebræorum philosophi materiam, formam & spiritum statuerunt.

De Mundi pluralitate, & eius duratione.

CAP. LI.

CAeterùm cùm de mundo disputant, nihilominus dissentiunt. Thales unum mundum censuit, illumq; Dei factura asserit. Empedocles similiter unum, sed Vniversi tantùm exiguam esse particulam. Democritus & Epicurus contra, mundos esse innumerabiles, quos sequitur Metrodorus horum discipulus, dicens, innumerabiles esse mundos, quia causæ eorum innumerabiles sint: nec minus absurdum esse, tantùm unum in Vniverso esse mundum, quàm in agro unam duntaxat nasci spicam. De mundi autem duratione locuti Aristoteles, Averroës, Cicero, Xenophanes, illum æternũ, omnis corruptionis expertem dicunt. Nam cùm non possint intelligere, (ut Censorinus ait) ovà ne an aves antè generatæ sint, cùm & ovum sine ave, & avis sine ovo gigni non posset, hinc arbitrati sunt, mundum hunc, & uniuscujusq; geniti initium simul & finem perpetua revolutione sempiternum. Pythagoras & Stoici à Deo genitum, & aliquando, quantum ex sui natura est, corrumpendum: queis consentiunt Anaxagoras, Thales, Hierocles, Avicenna, Algasel, Alcmæus, & Philo Hebræus: sed Plato asserit, à Deo illum ad sui exemplar fabricatum, nunquam desiturum. Epicurus contrà planè interiturum. Democritus semel mundum genitum docet & interiturum, nec unquam reparandum. Empedocles & Heraclitus Ephesius non semel, sed semper mundum generari & corrumpi asserunt. Agamus liceat de re quapiam quam illi à causa naturali potissimum procedere dicunt, putà de terræ motu, adhuc ipsum unanimiter advenire nequierũt, sed per multa vagati, causam ejus Anaxagoras æthera dixit, Empedocles ignem, Democritus & Thales Milesius aquam, Aristoteles, Theophrastus, & Albertus ventum, vel vaporem subterraneum: Asclepiades casum, vel ruinam. Possidonius, Metrodorus, Calisthenes parcas: Seneca & alii in diversa distracti, causam ejus effectus frustrà inquisiverunt: propterea veteres Romani, ubi terram tremuisse senserant, nunciatúmve esset, ferias quidem imperabant, sed cui Deorum servari illas oporteret, non edicebant: quoniam qua vi, & per quem Deorum tremeret, adhuc incertum esset.

De Ani-

De Anima. CAP. LII.

QVòd si de anima ab illis aliquid scisciteris, multò minus conveniunt: nam Cretes Thebanus nullam esse animam ait, sed corpora sic à natura moveri. Qui autem animam fassi sunt, pleriq; illam corporum tenuissimum opinati sunt, huic crasso corpori suffusum: sed illorum alii illud esse igneum dixerunt, ut Hipparchus & Leucippus: quibus quodammodo consentiunt Stoici, dicentes animam esse spiritum fervidum, ac Democritus, dicens illam esse spiritum mobilem & ignitum atomis insertam. Alii dixerunt, esse aërem, ut Anaximenes & Anaxagoras, Diogenes Cynicus, & Critias: quibus adstipulatur Varro inquiens, Anima est aër conceptus ore, defervefactus in pulmone, temperatus in corde, diffusus in corpus. Alii aquam, ut Hippias. Alii terreum, ut Heliodorus & Pronopides, quibus quodammodo assentiunt Anaximander & Thales, ambo concives Milesii. Alii mixtum exigne & aëre spiritum, ut Boëtes & Epicurus. Alii ex terra & aqua, ut Xenophanes. Alii ex terra & igne, ut Parmenides. Alii sanguinem, ut Empedocles & Circias. Alii spiritum tenuem per corpus diffusum, ut Hippocrates medicus. Alii carnem cum sensuum exercitio, ut Asclepiades. Multi autem alii arbitrati sunt animam nõ corpusculum illud, sed illius quandam qualitatem, vel complexionem, per illius particulas sparsam, ut Zeno Cithicus: & Dicæarchus animam definiens quatuor elementorum complexionem: atque Cleanthes, Antipater, Possidonius, dicentes, illam esse calorem, sive complexionem calidam: quibus adhæret Galenus Pergamenus. Sunt & alii, qui dixerunt animam non eam esse qualitatem seu complexionem, sed tanquam ad ejus punctum aliqua certa corporis parte, ut corde, vel cerebro, residentem, & exinde totum corpus gubernantem: ex quorum numero sunt Chrysippus, Archelaus & Heraclitus Ponticus, qui animam vocavit lucem. Sunt rursus alii, qui adhuc liberius quoddam opinati sunt animam ut punctum aliquem liberum, nulli corporis parti alligatum, sed ab omni determinato situ seclusum, & totum cuique corporis parti præsentem, quem sive complexio genuerit, sive Deus creaverit, tamen ex materiæ gremio eductus sit. Hujus opinionis fuerunt Xenophanes Colophonius, Aristoxenus & Asclepiades medicus, dicentes, animam esse sensuũ coërcitationem, & Critolaus peripateticus, dicens, eam esse quintam essentiam, ac Thales Milesius, dicens animam esse

HAYDOS BIBLIOTECA OHEVIMEDITERRA

naturam irrequietam sese moventem, & Xenocrates vocans eam se moventem numerum: quem sequuntur Aegyptii, dicentes, animam esse vim quandam in omnia corpora transmeantem: & Chaldæi, inquientes, eam virtutem absque determinata forma, omnes tamen exteras susciptentem: omnes quidem in hoc convenientes, quod anima sit vis quædam agilis ad movendum, vel esse partium corporalium sublimem quandam harmoniam, sed tamen ab ipsa corporis natura dependentem. Atque horum vestigia sequitur dæmoniacus Aristoteles, qui invento novo vocabulo, animam vocat entelechiam, scilicet perfectionem corporis naturalis organici, potentia vitam habentis, dantem illi principium intelligendi, sentiendi & movendi. Atq; hæc receptissimi Philosophi animæ futilis definitio, quæ non essentiam, naturam, aut ejus originem declarat, sed affectus. Porrò supra hos omnes sunt alii, qui dixerunt animam esse divinam quandam substantiam, totam ac individuam, ac toto ac cuique corporis parti præsentem, ab incorporeo authore taliter productam, ut ex sola agentis virtute, non ex materię gremio dependet. ejus opinionis fuerunt Zoroastes, Hermes, Trismegist⁹, Orpheus, Aglaophemus, Pythagoras, Eumenius, Hammonius, Plutarchus, Porphyrius, Timæus Locrus, & divinus ille Plato, dicens, animam esse essentiam sui motricem intellectu præditam. Eunomius Episcopus partim Aristoteli, partim Platoni consentiens, definit, animam esse substantiam incorpoream in corpore factā: super qua definitione deinde reliqua sua dogmata fabricavit. Cicero, Seneca, Lactantius, quid sit anima, dicunt penitus ignorari. En videtis de animæ essentia quam inter se dissident, nec minùs ridiculè de ejus sede inter se variant: nam Hippocrates & Hierophilus in cerebri ventriculis illā ponunt: Democritus in toto corpore: Erasistratus circa membranam epicranidē: Strabo in supercilioru interstitio: Epicurus in toto pectore: Diogenes in cordis arteriato ventriculo: Stoici cum Chrysippo in toto corde ac spiritu circa cor versante: Empedocles in sanguine, cui adstipulatur Moyses, idcircò prohibens vesci sanguine, quia animalis anima sit in illo. Plato & Aristoles, & reliqui nobiliores Philosophi in toto corpore: Galenus autem in quavis corporis particula suam esse animam putat: sic enim ait libro de Partium utilitate: Multæ animalium etiā particulæ, hæ quidem majores, illæ minores, aliæ verò omnivariam. in animalium speciem indivisibiles, necessariò autem iis omnibus anima quævis indiget: corpus enim hujus organum, & propterea multum à se invicem animalium particulæ differunt, quia & animæ. Neque verò hîc prætereundum censeo Bedæ Theologi sententiam, qui scribens super Marcū, Animæ locus, inquit, principalis non juxta Platonem in cerebro, sed juxta Christum in corde est. De animæ autem duratione, Democritus & Epicurus, unà cum corpore interituram ajunt. Pythagoras & Plato omninò immortalem, sed egressam corpore ad sui generis naturam devolare. Stoici tanquam inter hos medii, animam corpus relicturā, sic ut quæ in vita hac nullis sublimata virtutibus infirmior sit, unà cùm illo emori: sin autem heroicis formata virtutibus, permanentibus illam naturis sociari, & ad sublimiores sedes evadere putent. Aristoteles quasdam animæ partes, quæ corporeas sedes habeant, ab illis inseparabiles esse unaq; cum illis interire dicit: intellectū autem, qui nullius sit corporei organi, velut perpetuum à corruptibili separari, sed adeò nihil manifesti dicit, ut interpretes adhuc de ea re disputent. Alexander Aphrodisæus ait manifesto, eum mortalem posuisse animam: idem sentit ex nostris Gregorius Nazianzenus. Contra hos Pleton, & ex nostris Thomas Aquinas, pro Aristotele digladiantur, illum de animæ immortalitate rectè sentire. Porrò Averroës, eximius ille Aristotelis commentator, hominem quemq; propria anima pollere putat, sed mortali: Mentem verò humanam, seu intellectum dicamus esse usquequaq; ab omni, tam anteriori, quàm posteriori, parte æternā sed omnibus hominibus, seu humanæ speciei unam, qua tantùm in vita uteremur. Themistius verò ait, Aristotelem mentem quidem agentem unicam, capacem autē multiplicem posuisse, atq; utramq; perpetuam. Horū præterea Philosophorum opera factum est, ut etiam inter Christianorū Theologos de animarum origine ortum fit dissidiū, quorum aliqui à mundi origine factas in cælo omnium hominum animas putant, inter quos est unus de multis doctissimus Origenes. Augustinus quoq; primi parentis animam cælitùs ortam putat corpore antiquiorem, idq; postea, tanquā aptum sibi cōtemplacū domicilium voluntario motu expetisse: quanquam ne hoc quidē satis constanter affirmare videatur. Alii ex traduce animā propagari putant, sic anima ab anima generari quēadmodum à corpore corpus: in qua opinione fuit Apollinaris Laodiceæ Episcopus, & Tertullianus. Cyrillus, & Luciferianus, cōtra quorū hæresim disputat Hieronymus. Alii à Deo animas quotidie creari tradunt: hos sequitur Thomas, eo Peripatetico argumento pugnans, quod, cùm anima sit corporis forma, eam non seorsum, sed in corpore creari debere: quam opinio-

IAM PORTA PATET OMNIBUS LIBERA LUCE

nem sequitur jam ferè omnis recentiorũ Theologorum schola. Mitto gradus animarum, ascensiones & descensiones, quas Origenistæ inducunt, sed divinis Scripturis non corroboratas, nec Christianorum dogmatibus conformes: adeò nihil neque apud Philosophos, neque apud Theologos de anima certum. Nam Epicurus & Aristoteles mortalem putant. Pythagoras in gyrum ducit. Et sunt, (ut quodam loco ait Petrarcha) qui eam contrahunt ad suum corpus; sunt, qui etiam spargunt in corporibus animantiũ: sunt, qui cœlo reddãt: sunt, qui circa terras exulare cogant: sunt, qui inferos asserũt: sunt, qui negent: sunt, qui unamquamq; per se, sunt, qui omnes simul animas creatas putent. hæc ille. Fuit & Averroës, qui mirabilius quiddam dicere ausus, unitatem, ut dixi, attulit intellectus. Manichæi hæretici dixerunt, unam solam esse omnium seu universi animã, in singula corpora, tã animata, quam inanimata, dispertitam: sed minus participare, quæ nobis videntur animæ expertia: magis autem quæ animata, maximè verò cœlestia: atque sic tandem concludunt, non nisi universalis animæ partes esse singulares animas. Plato etiam unam quidem universi animam astruit: particularium verò alias, quasi separatim universum sua anima existat animatum, divisim item particularia. Præterea alii unam animarum speciem, alii non unam, sed duas, rationalem & irrationalem: alii multas, & tot, quot sunt animalium species, affirmant. Galenus medicus diversis juxta speciẽ, diversas item esse animas sentit: insuper & multas in eodem corpore animas ponit. Sunt &, qui in homine duas animas ponunt, unam sensitivam à generante, aliam intellectivam à creante: inter quos est Occam Theologus. Plotinus aliam esse animam, & alium asserit intellectum: quem sequitur Apollinaris. Quidam non distinguunt ab anima intellectum, sed illum substantiæ animæ principalem partem esse dicunt: verùm Aristoteles hunc potentia adesse hujusmodi, atque actu deforis illi supervenire opinantur, neq; ad naturam hominis & essentiã conferre, sed ad perfectionem cognitionis & contemplationis: ideoq; paucos homines, & solos Philosophos illum, qui actu intellectus dicitur, habere affirmat. Quippe etiam gravis inter Theologos disputatio est, an (quæ Platonicorum opinio est) in animabus exutis eorum quæ in vita gesserint, reliquerintq;, memoria, sensusque supersint, aut istorum cognitione omninò careant: quod Thomistæ cum suo Aristotele firmiter tenẽt, & Carthusiensis exemplo confirmant, de Parisiensi illo Theologo ab inferis reverso, qui interrogatus, quid illi restaret de scientia

scientia sua? respondit, nihil se scire nisi pœnam: &, citato Salomonis verbo, Non est ratio, non scientia, non opes apud inferos, cõclusisse illis videbatur, nullam mortuis superesse cognitionem: quod tamen manifestè est, non tam contra Platonicorum assertionem, quàm contra Scripturæ authoritatem, veritatemq;, cùm dicat Scriptura, Visuros, & scituros impios, quia ipse Deus est: quin & omnium, non modo factorum, sed & verborum otiosorum, & cogitatuum rationem reddituros. sunt etiam, qui de animarum separatarum apparitionib. plura scribere, & referre audent, eaq; non raro ab Evangelica doctrina, & sacro Canone aliena: atq; cùm præcipiat Apostolus, nec angelis de cœlo credendum esse, si quid renũciarent aliud, quam quod traditum est, adeo penes istos antiquatum est Euangelium, ut citiùs, magisque credant uni ex mortuis renuncianti, quàm Prophetis, quàm Moysi, quàm Apostolis, quàm Euangelistis. Talis profectò fuit doctrina atque sententia divitis sepulti in inferno, qui putabat tunc credituros superstites fratres, si quis ex mortuis iret, & testificaretur illis. Cui sic opinanti in Euangelio contradicit Abraham, inquiens: Si Moysi & Prophetis non credant, neque, si quis ex mortuis mittatur, credituros. Neque tamen propterea pias defunctorum apparitiones, admonitiones & revelationes omnino inficior, sed valdè suspectas esse admoneo, Satlana sese sæpissimè in lucis angelum, & animarum effigiem transfigurante. Quocirca credendi anchora in illis non est figenda, sed ad ædificationem piè acceptanda sunt, sicut alia, quæ extra sacrum Canonem, vel inter Apocrypha sunt. Circumferuntur de his nugis multi fabulosi libelli, Tundali, & qui Consolationis animarum inscribitur: & alii, quorum exemplis Concionatores quidam imperitam plebeculam territant, & munuscula contorquent. Scripsit etiam recentibus diebus de spiritu quodam Lugdunensi fabulam Protonotarius quidam Gallus, homo nequã & impostor. Ex laudatis autem Scriptoribus agit de istis Cassinus & Iacobus de Paradiso Carthusianus: verùm nihil unquam solidæ veritatis, aut abditæ sapientiæ, quæ veram charitatem & animarũ nostrarum salutem ædificarent, ab his animarum apparitionibus revelatum est, sed duntaxat eleemosynæ, peregrinationes, orationes, jejunia, & reliqua popularis pietatis opera persuasa sunt, quæ tamen multò melius salubriusque docent Sacræ literæ, præcipitque Ecclesia. Verùm de his apparitionibus latè scripsimus in Dialogo nostro de Homine, & in libris de occulta Philosophia: sed modò redeamus ad Philosophos. Ethnici

HAS OBRAS FORAM DIGITALIZADAS PELO PROJETO

omnes, qui animam immortalem asserverunt, animarũ transmigrationem communi consensu astruunt, & rationales animas ad rationis expertia corpora, ad plantas usque transmeare per temporum quasdam periodos, vel ut aliter contigerit: harum transmigrationum authorem ferunt Pythagoram, de quo in Transfigurationibus sic cecinit Ovidius:

Morte carent animæ, semperq; priore relicta
Sede, novis domibus vivunt, habitantq; recepiæ.
Ipse ego, nam memini, Troiani tempore belli
Panthoides Euphorbus eram, cui pectore quondam
Hæsit in adverso gravis hasta minoris Atridæ.
Cognovi clypeum lævæ gestamina nostræ,
Nuper Abantæis templo Junonis in Argis.

Multò plura de hac Pythagorica migratione scripserunt Timon, Xenophanes, Cratinus, Aristophon, Hermippus, & Lucianus, & Diogenes Laertius: verùm Iamblichus & plerique alii cum Trismegisto, non ab hominibus ad rationis expertia animalia, neque ab illis item ad homines transmigrationes duntaxat fieri consentiunt. Sed & sunt Philosophi, ex quorum numero Euripides Anaxagoræ consectator, & Archilaus Physicus, atq; post eos Avicenna, qui primos homines olerum more ex terra natos tradant, eo ipso non minus ridiculi Poetis, qui homines quosdam sativos ex serpentum dentibus progenitos fabulantur. Sunt, qui generationem omnino negent, ut Pyrrho Eliensis: sunt &, qui negent motum, ut Zeno.

De Metaphysica. CAP. LIII.

SEd ad ulteriora progrediamur, ostendamusq; Philosophos illos non solùm de iis, quæ in rerum natura videntur, sed etiam de figmentis cogitationum suarum digladiari, atque de iis rebus, quæ nullis principiis firmantur, neque certum est, an sint, vel non sint, ut quas absq; corpore & materia subsistere opinantur, quasq; Formas separatas vocant: quę, quoniam in rerũ natura non sunt, sed supra illã esse putantur, idcirco Transnaturalia, seu Metaphysica vocant. Hinc illæ innumerabiles de diis, & undique sibi repugnantes, nec minus impiæ, quam indoctæ opiniones prodierunt: nam Diagoras Milesius, & Theodorus Cyrenaicus nullum prorsus Deum esse dixerunt: Epicurus autem, esse quidem Deum asserit, sed nulla inferiorum cura teneri. Protagoras, esset, nec ne, nihil scire posse dixit. Anaximander nativos deos putabat, longisque intervallis orientes occidentesq;. Xenocrates octo esse deos dixit: Antisthenes multos quidem deos populares, sed unum naturalem summum artificem. Sed in tantam insaniam multi eorum prolapsi sunt, ut quos adorarent deos, propriis manibus ipsi sibi fabricarent: ut erat statua Beli apud Assyrios, quos tamen factitios deos mirum quàm extollat Hermes Trismegistus in suo Aesculapio. De divina autem essentia locuti. Thales Milesius mentem dixit Deum, qui ex aqua cuncta formaverit: Cleanthes & Anaximenes aëra Deum dixerunt: Chrysippus naturalem vim ratione præditam, seu divinam necessitatem: Zeno divinam naturalemque legem: Anaxagoras, infinitam mentem per se mobilem: Pythagoras animum per naturam rerum omnium intentum & commeantem, ex quo omnia vitam capiunt: Crotoniates Alcmæon solem, lunam, cæterasq; stellas deos dixit. Xenophanes omne, quod esset, Deum esse voluit: Parmenides cõtinentem quendam lucis orbem, quem Stephanon, hoc est, coronam, pro Deo statuit: Aristoteles quasi ex cœlorum motu satis explorata Deorum cognitio haberi posset, ex illorum natura deos commentus est, ac divinitatem modò menti tribuit, modò cœli authorem Deum dicit, modò mundum ipsum Deum statuit, modò alium illi Deum præficit. Hunc eadem incõstantia sequitur Theophrastus. Transeo, quid Strato, Perseus, Aristo Zenonis discipulus, Plato, Xenophon, Speusippus, Democritus, Heraclitus, Diogenes, Babylonius, Hermes Trismegistus, Cicero, Seneca, Plinius & reliqui censuerunt, quorum opiniones tamen à prioribus illis, & jam recitatis non longè discedunt. Possem etiam reliquas illorum lites, & verborum portenta percurrere de ideis, de incorporeis, de atomis, de hyle, de materia, de forma, de vacuo, de infinito, de æternitate, de fato, de transcendentibus, de introductione formarum, de materia cœli, an ex elementis sidera constant, an ex quinta essentia, quã Aristoteles introducit, deq; similibus, quæ insanis hominibus opinandi ac dubitandi contendendique materiam præbent: sed satis me indicasse arbitror, quàm nihil inter Philosophos de veritate ipsa conveniat, quibus quo quis redditur propinquior, eò magis a vero ipso longiusque abest, & Catholica religione aberrat. Hinc errasse scimus Ioannem XXII. Romanum Pontif. volentem animas beatas non visuras faciem Dei ante diem judicii. Scimus Iulianum apostatam Christum abnegasse non alia causa, quàm, quòd Philosophiæ studiosior, humilitate Fidei Christianæ irridere ac contemnere cœpit. Eadé causa Cœlius, Porphyrius, Lucianus, Pelagius, Arrius, Manichæus, Aver-

HAVNIENSIS BIBLIOTHECA OHSAMLINGS

Averroës, multiq; alii tanta rabie adversus Christum & Ecclesiam ejus oblatrarunt. Hinc natum illud apud vulgus Proverbium: Maximos quosq; Philosophos, maximos esse hæreticos solere: sed & Hieronymus vocat eos patriarchas hæreticorum, & primogenita Aegypti, & vestes Damasci, nimis verè dicta, nam quicquid hæresum unquam fuit, totum hoc & omne ex Philosophiæ fontibus, ceu primo seminario scaturiit. Ab hac fermè tota Theologia adulterata est, ac pro Evangelicis Doctoribus pseudo prophetæ, hæretici ac philosophi nati sunt, qui divina oracula humanis inventis æquârunt, ac mirabilib. hominum dogmatibus polluerunt, ipsamque simplicem Theologiam (ut ait Gerson) ad verbosam & sophisticam loquacitatem, ac Chimerinam Matheinaticam reduxerunt, quod prævidens Paulus Apostolus, toties nos hortatur, ac cavere jubet, ne quis nos per Philosophiam deprædetur, vel seducat. Augustinus Civitatem Dei ab illa tuetur atq; defendit: reliqui fermè omnes Theologi & sancti Patres eam à Christianis scholis procul propellendam, penitusq; extirpandam censuerunt. Nec desunt etiam ethnicorum exempla, quibus aliquando factitatum legimus, nam sustulerunt Athenienses Socratem Philosophiæ parentem: ejecerunt urbe philosophos Romani, Messanique & Lacones, nec admisêre unquam: qui etiam sub Domitiano urbe exacti sunt, & tota insuper Italia interdicti. Extat etiam Antiochi regis decretum in adolescentes, qui philosophari ausi sunt, atque etiam in parentes, qui liberis id admittebant. Nec modò ab Imperatoribus regibusque damnati pulsique, sed à doctissimis viris editis libris reprobati: è quorum numero sunt Phliasius Timon, qui opus nomine Syllos: in derisionem Philosophorum scripsit: & Aristophanes, qui in eos Comœdiam scripsit, cujus nomen Nubes, & Dion Prusæus orationem scripsit contra Philosophos omnium eloquentissimam. Scripsit etiam orationem Aristides contra Platonem, quo quatuor Athenensium proceribus multò eloquentissimam: sed & Hortensius Romanus, vir nobilissima familia, & eloquentissimus, validissimis rationibus philosophiam insectatus est, sed de iis hactenus.

De Morali Philosophia, CAP. LIV.

RElíquum verò, si qua de moribus (ut aliquibus placet) Philosophia sive disciplina est, hanc arbitror ego non tam Philosophorum ratiunculis, qui vario usu, consuetudine, observatione, ac communis vitæ conservatione constare, ac pro

ac pro temporum, locorum, hominumque opinione mutabilem esse, quàm minæ ac blandimenta pueros, leges atque vindicta majores docent, Nonnulla hominibus nativa addit industria, quæ doceri nequeunt, sed pro temporum usu, hominumque conspiratione per fas vel nefas inolescunt: quo fit, ut quod aliquando vitium fuit, modò virtus habeatur: & quod hic virtus est, alibi vitium sit: quod uni honestum, alteri turpe: quod nobis justum aliis injustum sit, pro cujusq; temporis, loci, status, hominum opinionibus, vel legibus. Apud Athenienses licuit viro sororem germanam habere in matrimonio: at id quidem apud Romanos nefas habebatur: quondam apud Judæos, & hodie apud Turcas licet viro plures habere uxores: insuper & pellices concubinas: hoc apud nos Christianos non tam nefas est, quàm damnabile scelus. Laudi in Græcia ducitur, adolescentulos quàm plurimos habere amatores. Denique tam fœminas, quàm viros in scenam prodire, & populo esse spectaculo, nemini in eisdem gentibus fuit turpitudini: quæ tamen apud Latinos Romanosque humilia, infamia, & ab honestate remota censebantur. Neq; tamen pudebat Romanos uxores ducere in convivia, illasq; in celebritate versari, ac primas tenere partes ædium: in Græcia verò neque in convivium adhibetur uxor, nisi propinquorum, neque versatur nisi in interiore parte ædium, quò nemo accedit, nisi propinqua cognatione conjunctus. Furari apud Aegyptios & Lacedæmonios honorificum erat, apud nos fures furca suspensi strangulantur, inquit Iulius Firmicus in Astrologicis suis ad Lollianum scribens: Quædam gentes ita à cœlo formatæ sunt, ut propria sint morum unitate perspicuæ, Scythæ immanis feritatis crudelitate grassantur, Itali fuerunt regali semper nobilitate præfulgidi, Galli stolidi, acuti Siculi, luxuriosi semper Asiatici, & voluptatibus occupati, Hispani elata jactantiæ animositate præpositi. Habent singulæ nationes à superis agnata sibi morum discrimina, per quæ facilè à se invicem discernantur, ut cujus quisq; natione sit oriundus, à voce, à sermone, ab oratione, à consilio, à conversatione, à victu, à negotio, ab amore & odio, ab ira ac militia, similibusque exercitiis facilè cognoscatur. Quis enim videns hominem ingredientem incessu gallinaceo, gestu gladiatorio, vultu effreno, voce bubula, sermone austero, moribus ferocem, habitu dissoluto, laciniatóve, non mox judicet esse Germanum? nonne Gallos cognoscimus ab incessu moderato, gestu molli, vultu blando, voce dulcisona, sermone facili, moribus modestis

HAECCOBA DIGITALISIERUNG DER UNIVERSITÄT KÖLN

modestis, habitu laxo? Hispanos autem ab ingressu & moribus, gestibusq; festivis, vultu elato, voce flebili, sermone eleganti, habitu exquisito? Italos verò videmus incessu tardiusculos, gestu graves, vultu inconstantes, voce remissos, sermone captiosos, moribus magnificos, habitu compositos. Iamque scimus etiam, quia in cantu balant Itali, gemunt Hispani, ululant Germani, modulantur Galli. Sunt in oratione graves, sed versuti Itali: culti, sed jactabundi Hispani: prompti, sed superbi Galli: duri, sed simplices Germani. In consiliis est providus Italus, astutus Hispanus, inconsideratus Gallus, utilis Germanus. In victu est mundus Italus, delicatus Hispanus, copiosus Gallus, inconditus Germanus. Sunt erga exteros officiosi Itali, placidi Hispani, mites Galli; agrestes inhospitalesq; Germani. In conversationib. sunt prudentes Itali, cauti Hispani, mansueti Galli, imperiosi intollerabilesq; Germani. Sunt in amoribus zelotypi Itali, impatientes Hispani, leves Galli, ambitiosi Germani. In odiis verò sunt occulti Itali, pertinaces Hispani, minaces Galli, ultores Germani. In gerendis negotiis sunt circumspecti Itali, laboriosi Germani, vigiles Hispani, solliciti Galli. In militia sunt strenui, sed crudeles Itali: Hispani callidi & rapaces, Germani truces & venales, Galli magnanimi, sed præcipites. Insignes sunt literatura Itali, navigatione Hispani, civilitate Galli, religione & mechanicis artificiis Germani. Et habet unaquæq; natio, quantulacunq; etiam, sive civilis, sive barbara, peculiares mores rituq; sibi à cœli influxu à cæteris diversos, qui sub nullam artem philosophiamq; cadere queunt, sed sola naturali virtute, absq; omni disciplina, hominibus adgenerantur. Sed convertamus sermonē nostrum ad eos, qui nobis harum rerum disciplinam scriptis tradidere. Hi certè functi serpentis officio, cum nobis fructum dedere, cujus pastu discamus scire bonū & malum. Hæc enim prima eorum pestilens opinio est, bonum & malum non esse ignoranda: ita demum ajunt, melius virtutem homines sequuturos, & vitia fugituros. At quantò certius & utilius, quantò etiam felicius foret, mala non modò non facere, sed & penitus ignorare? Quis nescit eo ipso nos omnes miseros factos, cùm primi humani, generis parentes, quid bonum esset, quidq; malum, didicerunt? ac idcirco fortè condonatus esset Philosophis hic error, si non etiam sub virtutum ac bonorum nomine, nos pessima mala turpissimaq; vitia docerent. Sectæ autem illorum, qui Ethica tractârunt, haud paucæ sunt, ut Academica, Cyrenaica, Eliaca, Megarica, Cynica, Eroitica, Stoica, Peripatetica, & pleræque

que aliæ. De his inter cæteros ita philosophatus est Theodorus ille, quem nuncupatum esse Deum memorant Scriptores, videlicet furto & adulterio, sacrilegio quoq; cum tempestivum erit, dabit operam sapiens: nihil quippe horum turpe natura est, sed ii auferatur ex hisce vulgaris opinio, quæ à stultorum imperitorumque plebecula conflata est, sapientem publicè absque ullo reprehensionis rubore scortis congressurum. Talia sunt divini hujus philosophi placita, quibus nescio an quid tradi posset turpius, nisi quam legimus ab Aristotele probatam, & in Creta lata quoque lege permissam masculam venerem: quam & Hieronymus Peripateticus ea ratione celebrat, inquiens, quia ejus causa multæ tyrannides sublatæ fuerunt. Aristotelis autem verba in politicis, ubi censet utilem esse Rejpublicæ, ne sit plebeis hominibus numerosa soboles, hæc sunt: ad cibi temperantiam, velut perutilem, multa legislator sapienter ac studiosè constituit, & de mulierum divortiis, siquidem ne superfluam parerent multitudinem, cum masculis indixit concubitum. Hic est ille Aristoteles, cujus mores à Platone reprobati: unde exortum illius in magistrum odium & ingratitudo, qui sceleroſæ vitæ judicium veritus, Athenas clàm raptimque profugit, qui in benefactores ingratissimus, etiam Alexandrum illum Magnum, à quo ample magnificeque ornatus extitit, quique illi vitam, corpus animamque credebat, ac patriam restituit, Stygiæ aquæ veneno peremit: qui etiam de anima malè sentiens, locum gaudii post mortem negavit, qui veterum dicta compilatus, malignèque interpretatus est, ingenii laudem furto ac calumnia quæsivit: quin jam inveteratus dierum malorum, ex scientia immoderata cupiditate, in rabiem versus, sibi ipsi intulit necem, ipsis dæmonibus dignum factus sacrificium, qui docuêrunt illum scire. Dignissimus profectò hodiè Latinorum gymnasiorum doctor, & quem Colonienses mei Theologi etiã divis adnumerârunt, librũq; sub prælo evulgatũ ederent, cui titulũ facerent de Salute Aristotelis, sed & alium versu, & metro de vita & morte Aristotelis, quem theologica insuper glossa illustrarunt, in cujus calce concludunt, Aristotelem sic fuisse Christi præcursorẽ in Naturalibus, quemadmodum Ioannes Baptista in Gratuitis. Sed ne longius digrediamur à proposito, quid de felicitate, ac summo bono sentiant philosophi, audiamus: hanc namque alii in voluptate posuerunt, ut Epicurus, Aristippus, Gnidius, Eudoxus, Philoxenes, & Cyrenaici: alii cũ voluptate honestam copulârunt, ut Dinomachus & Calipho: alii id in pri-

HAS IOANNIS DE OTEA OPERA IN PUBLICUM

in primogeniis naturæ collocârunt, ut Carneades, & Hieronymus Rhodius: alii in indolentia, ut Diodorus, alii in virtutibus, ut Pythagoras, Socrates, Ariston, Empedocles, Democritus, Zeno Citticus, Cleantes, Hecaton, Possidonius, Dionysius Babylonicus, & Antisthenes, & Stoici omnes, multique ex nostris Theologis, illis quodammodo adsentientes, adhuc disputant de connexione virtutum, & quod sit illud commune felicitatis fundamentum, in quod virtutes convenire debent. Nisi enim omnes in unum confluxerint, nequaquam facient hominem felicem, etiamsi una sola defuerit. Cùm itaque dispares & quodammodo pugnantes virtutes sunt, liberalitas & parsimonia, magnanimitas & humilitas, misericordia & justitia, contemplatio & sollicitum opus in frequenti ministerio, & hujusmodi multæ, nisi omnes in uno conveniant concordes, jam non virtutes, sed vitia censeri possent. Illud autem, in quod convenire omnes debent, Ambrosius & Lactantius cum Macrobio, Platonem in sua Rep. secuti justitiam putant: alii temperantiam modum omnibus imponentem: alii pietatem, ut Plato in Epinomide: alii charitatem, sine qua nullus est perfectus in virtutibus, ut sentit Paulus, & adhuc super istis argumentatur Thomas, Henricus & Scotus, & alii. Sed modò revertamur. Felicitatem adhuc posuerunt alii in fortuna, ut Theophrastus: sed Aristoteles in fortuna cum primigeniis, virtutibusque conjuncta: quinimò in voluptate, sed virtutum bonis fucata, quasi non eisdem etiam Epicurus suam voluptatem tueatur: cæteri denique Peripatetici in speculatione. Herillus philosophus, Alexandrus & Socratici multi summum bonum putabant scientiam? verùm Tiberini populi Chalybibus vicini, quorum meminerunt Apollonius & Pomponius luxum risumque summam esse felicitatem dixerunt. Sunt & qui summum bonum in silentio posuerunt. Platonici verò cum suo Plotino divina semper redolentes in unione cum summo bono felicitatem locaverunt: Bias Prienæus in sapientia, Bion & Borysthenes in prudentia, Thales Milesius in harum congerie, Pittacus Mitylenæus in bene agere, Cicero in omnium rerum vacatione: sed hæc nisi in solo Deo inveniri potest. Transeo reliquos plebeios philosophos, qui omnem felicitatem sustulerunt: ut Pyrrho Elienſis, Euricolus, & Xenophanes, & qui summam felicitatem in gloria, honore, potentia, otio, divitiis, & similibus locârunt, ut Periander Corinthius, & Lycophron, atque illi, de quibus Psalmista, Quorum os locutum est vanitatem, & dextera eorum

rum dextera iniquitatis: quorum filii, sicut novellæ plantationes, in juventute sua: filiæ eorum compositæ circumornatæ, ut similitudo templi: promptuaria eorum plena, eructantia ex hoc in illud: oves eorum fœtosæ, abundantes in egressibus suis: boves eorum crassæ. Non est ruina maceriæ, neque transitus, neq; clamor in plateis eorum. Beatum dixerunt populum cui hæc sunt. Iam & de voluptate itidem diversum sentiunt, quam (ut superius audistis) Epicurus summum bonum arbitratur: contrà Archytas Tarentinus, Antisthenes, Socrates hanc summum malum dicunt: Speusippus autē, & aliqui veteres Academici dixerunt, voluptatem & dolorē esse duo mala inter se opposita: bonum autē hoc quod inter illa medium esset. Zeno censuit voluptatē neq; bonum, neq; malum, sed esse indifferens. Critolaus Peripateticus, & Plato voluptatem dicunt malam, multorumq; malorum escam atq; parentē. Longum nimis esset omniū adferre de felicitate opiniones, & cōgeriem facere ex his quibus alii quàmplurimos libros complevēre. nam octo supra ducentas, & octoginta de istis à M. Varrone collectas opiniones meminit Augustinus, quarū famosiores hîc nos recitasse putamus. Sed videamus nunc, quomodo hæc cum Christo conveniant, apparebitq; felicitatem beatitudinemq; nobis non acquiri per virtutem Stoicam, nec per purgationem Academicam, nec per speculationem Peripateticam, sed per fidem & gratiā in verbo Dei. Audistis enim, quomodo felicitatem, seu beatitudinem philosophorum alii ponunt in voluptate, sed Christus in fame & siti: alii in honestate & fama, & amplitudine nominis, sed Christus in maledictione, & odio hominum: alii in primogeniis, sanitate, lætitia, & indolentia: sed Christus in fletu & luctu: alii in prudentia & scientia, ac virtutibus moralibus, sed Christus in innocentia & simplicitate & munditia cordis: alii in fortuna, sed Christus in misericordia: alii in gloria belli, & subactione terrarum, sed Christus in pace: alii in honore & pompa, sed Christus in humilitate, beatos vocans mites: alii in potentia & victoria, sed Christus in persecutione: alii in divitiis, sed Christus in paupertate. Docet Christus absolutam virtutem, non nisi gratia desuper data acquiri, Philosophi hanc propriis viribus, & assuetudine parari: docet Christus omnem concupiscentiam esse peccatum, contrà Philosophi intermedias res numerant, quæ nec virtutis, nec vitii censeantur: evadere autem virtutes, si quis eis mediocriter afficiatur. Docet Christus de omnibus bene merendum esse, etiam inimicos diligendos, liberè mu-

HASTOR BIBLIOTECA ORIS IN LIMINE PA

tuum dandum, de nullo vindictam sumendam, omni petenti tribuendum: contrà philosophi, non nisi his, qui beneficium compensant beneficio: cæterùm liceat irasci, odisse, contendere, belligerari, fœnerari. Porrò ii nobis cum suo libero arbitrio ac rectæ rationis examine, atque naturali lumine, Pelagianos hæreticos dedere. Tota autem moralis philosophia (teste Lactantio) falsa est & inanis, nec instruens ad justitiæ munera, nec officium hominis rationesque confirmans. Tota denique divinæ legi, ipsique Christo repugnat, ut ejus gloria nulli alii debeatur: quàm Sathanæ.

De Politia. Cap. LV.

Ad hanc philosophiam pertinet etiam Politica, quæ est ars administrandæ Reipub. Ejus verò tres sunt species, videlicet Monarchia, quæ est unius regimen: Aristocratia, quæ est paucorum, sed nobilium, divitum, seu optimatum: Democratia, quæ est plebis, sive popularis. His affines sunt tyrannides, Oligarchia & Anarchia: verùm quæ istarum præferenda sit, inter scribentes nondum convenit. Nam qui Monarcham antecellere disputant, naturæ exemplis opinionem suam muniunt, dicentes, quòd, sicut in universo unus est summus Deus, in stellis unus sol, rex unus in apibus, dux unus in gregibus, in armentis rector unus, & grues unum sequuntur, sic in Repub. oportere unum esse regem tanquam caput, à quo nequaquã membra dissentiant. Hanc præ cæteris probârunt Plato, Aristoteles, Apollonius: quibus subscribunt ex nostris Cyprianus & Hieronymus. Qui verò Aristocratiam extollunt, ajunt nihil melius rebus magnis administrandis, quàm plurium optimorumq; in unum consentientium consultationes. Nam ex pluribus optimis necesse est optima constare consilia: neminem autem solum satis sapere: solius Dei hoc munus esse. Huic quoque opinioni subscribunt Solon, Lycurgus, Demosthenes, Tullius, & fermè omnes illi veteres Legislatores etiam Moyses: quibus consentit etiam Plato, eam Rempublicam & civitatem, inquiens, in optimo felicissimoq; statu videri constitutam, quæ à sapientibus regeretur: cui si placet, adjiciamus etiam à nobilibus, siquidem hæc est opinio multorum consensu firmata. Qui autem popularem Rempubl. prætulerunt, hanc omnium pulcherrimo nomine appellârunt Isonomiam, hoc est, juris æqualitatem. Nam omnia illis in commune referuntur, & consilia omnia à multitudine, cui haud dubiè omnia insunt, capiuntur certiora. Denique vox populi, vox

li; vox Dei: hinc quicquid omnibus placet, quicquid communis populi consensu statuitur, hoc tanquam à Deo ipso ordinatum, optimum atque justissimum esse præsumatur, necesse est. Hoc denique regimen rutius esse ajunt, quàm optimatum, ex eo quod minimè subjacet seditioni: populus enim nunquam, vel rarò, inter se dissidet, optimates autem maximè & sæpissimè. Præterea in populari regimine omnis inest æqualitas atque libertas nullorum tyrannide oppressa, ubi pares honorum gradus: nec quisquam vicino præstat, sed unusquisque & omnis multitudo per vices imperat, & imperatur. Hanc igitur præ cæteris laudârunt Othanes Persa, Eufrates, & Dion Syracusanus: & nos videmus, hodie hac democratia Venetos & Helvetios præ omnibus Christiani orbis principatibus maximè florere, prudentiæque & potentiæ, divitiarum & justitiæ laudem, atque victoriæ palmam obtinere: quin & Athenienſium Respublica olim lætissimè potentissimeq; imperans, sola democratia regebatur, omniaque agebantur à populo & apud populum. Atque Romani olim omnes has administrationes perpessi, maximam imperii partem sub populari democratia adepti sunt, nec unquam pejus habuere, quàm sub regibus & optimatibus, pessimeque sub Imperatoribus, sub quibus omnis eorum potentia naufragium fecit. Itaque quæ istarum trium melior, potiorque non facilè dijudicari potest, cùm quæque suos assertores habeat, & impugnatores. Reges enim, quibus pro libidine omnia licet impunè facere, rarissimè benè imperant, nec unquam sine bellorũ strepitu regnant. Habet quoque hoc in se regalitas pestiferum malum, ut etiam ii qui olim fuerint viri optimi, omniumque consensu probati, mox regiam adepti, tanquam peccandi licentiam, insolentes pessimique evaderent: quod in Caligula, Nerone, Domitiano, Mithridate, & plerisque aliis visum est: quin etiam in Saule, Davide, Salomone, electis à Deo regibus, Sacræ literæ produnt, atq; ex omnibus regibus Iudæ vix pauci sunt probati, ex Samariæ regibus nullus. Sed qui hodie Reges & Imperatores & Principes habentur, non pro populo, pro civibus, pro plebe, pro justitia, sed pro nobilitate tuenda confirmandaque nati constitutique sibi videntur: atq; sic regunt, ut non eorum custodiæ traditæ, sed rapinæ, & depopulationi datæ civium omnium fortunæ videantur, omnia ab omnibus auferentes: ac subjectis utuntur pro arbitrio, interdum etiam pro placito, & concessa eis desuper potestate in subditos abutuntur, cives mutationibus, plebem indictis

HAEC OMNIA IN LIBRARIA

nibus, alios exactionibus, cæteros vectigalibus aliis super aliis sine modo, sine fine onerantes. Quod si qui modestiores hæc remittant, tamen non in commune bonum, sed in sua commoda illud faciunt, permittentes subditis bene esse, quò ipsis bene sit, habeantque, cùm velint, quod rapiant: quin & quò justitiæ laudem aucupentur, leges arctè sanciunt, sed avaritiâ & crudelitatem justitia vestiunt: prævaricationis reos terribilibus suppliciis, bonorum proscriptionibus & mulctis enormibus afficiunt, in hoc tyrannis non meliores, quo cupiunt quàmplurimos esse prævaricatores. Nam ut scelera delinquêtium vires sunt tyrannorum, sic multitudo transgressorum divitiæ sunt Principum. Erat mihi olim in Italia cum potente Principe consuetudo admodum familiaris, quem cùm hortarer aliquando, ut Gibellinorum ac Guelforum factiones in dominatu suo compesceret, fassus est mihi, illius factionis occasione ad duodecim millia ducatorum in multis fisco suo quotannis inferri. Verùm de hoc latius in libro de Nobilitate Politica disseremus. Vbi autem Reipub. regnum optimates tenent, in eadem cum ipsis Repub. degunt ira, odium, æmulatio. Quapropter rarissimè inter se concordes regnant, & dum unusquisque suam sententiam præferri, ac primus esse vult, odia inter se privata excitantur: unde sæpè factiones, seditionesque & cædes & civilia bella in Reipub. perniciem exoriuntur. Cujus mali infinita exempla & Græcorum & Latinorum historiæ commemorant, & hodie adhuc plures Italiæ civitates misera illorum spectacula præbent. Administrationem verò popularem, perinde ac pessimam, censent fermè omnes. Hanc multis rationibus Vespasiano dissuadet Apollonius: & Cicero ait, non esse rationem in vulgo, non consilium, non discrimen, non diligentiam, ut Poëta canit:

Scinditur incertum studia in contraria vulgus.

Et Othanes Persa ait, populari multitudine nihil esse insolentius, nihil insipientius, propriumq; plebi nihil intelligere, sed ad res obeundas sine consilio præcipites ruere, torrenti flumini similes. Demosthenes quoq; populum malam bestiâ vocat, & Plato hunc belluam multorum capitum nominat, cujus meminit Horatius, & Phalaris ad Egesippum scribens: populus omnis, inquit temerarius est, demens, desidiosus, promptissimus in quodcunque contigerit mutare sententiam, perfidus, incertus, velox, proditor, fraudulentus, voce tantum utilis, & ad iram & laudem facilis. Hinc est, ut qui in agenda Republica

publica populo placere annititur, honestis pereat contumeliis. Sed & Lycurgus legislator Lacedæmonius interrogatus aliquando cur in Republica statum popularem non constituisset, respondet interroganti: Tu prius in domo tua efficito principatum popularem. Aristoteles quoque in Ethicis censet, administrationem populi esse pessimam, unius verò optimam. Est enim plebs errorum princeps, & pravarum consuetudinum magistra, ingensque malorum cumulus. Nec rationibus, nec authoritatibus, nec suasionibus flecti potest, quum illas non intelligat, has aspernatur: ad persuasiones verò indocibilis est & obstinata, cujus mores inconstantissimi, semper nova cupiens, & odiens præsentia, nec sapientum doctrina, nec patrum disciplina, nec magistrum authoritate, nec majestate principum contineri potest, quàm penes nunquam sine periculo, aut frustrà sapientum consilia audita sunt, semper ferè multitudinis stultitia prævalente: sicut notum est in Socrate de Deorum opinione ad Athenienses, in Capy Trojano, de equi introductione: in Magio Campano, ne Hannibal in urbem reciperetur, consulenti: in Paulo Æmilio, pugnam Cannensem detrectanti: denique in tot prophetarum Domini prædictionibus, à populo Iudaico minimè exauditis. Proinde populi statuta ac plebis placita quomodo poterint esse bona, cùm popularis illa multitudo ferè semper quæ optima sunt, ignoret? cùm major illius pars manuarii sint opifices, tum quia non in justitiæ & æquitatis ratione, sed in numero consistant, in quo semper plures sunt mali, quàm boni: nec exactor rerum ducitur judicio, sed studio multitudinis & numero, sicut ait Plinius ille junior: numerantur enim sententiæ, non ponderantur. Non enim quod prudentioribus, sed quod pluribus visum est, in populari consultatione majores obtinet vires. Inter quos cùm omnes sibi æquales, nihil est tam inæquale, quàm inæqualitas ipsa. Promiscuo itaque plebis impetu nihil salubriter instituitur, nihil eorum, quæ in pejus collapsa sunt, in melius restituitur, qui, quæ optima instituta sunt, plebis licentia potius conturbantur, tollunturque. Inter has autem tàm diversas Reipub. administrationes plerique mixtam ex duabus speciebus politiam delegerunt: ut qualem Solon ex optimatibus & populo instituit, omnibusque eo modo suos honores communicavit. plerique etiam mixtam ex omnibus, cujusmodi erat Lacedæmoniorum. Rex enim apud eos erat perpetuus, sed qui tantum bellorum tempore dominaretur eratq; opti-

matum senatus è potentioribus & ditioribus. Ephoros quoq; ex plebe creabant decem perpetuos, qui vitæ necisq; haberent potestatem, statum plebis repræsentantes. Apud Romanos olim democratiæ propter senatus authoritatem mixta erat aristocratia, (multa enim apud populum novella apud senatum imperabantur:) hodiè multis locis reges & principes pro arbitrio imperant, tamen optimates provinciarum ac magistratus consiliis rebusq; gerendis adhibent. Atq; hinc oritur quæstio, quæ Resp. tutior sit, an in qua princeps malus & consiliarii boni, sive ubi princeps bonus probusq;, sed consiliarii pravi. Matius Maximus & Iulius Capitolinus, ac multi alii priorem eligunt: quibus tamen alii multi graves authores non adsentiunt, cum experientia ipsa videamus sæpè à bono principe malos corrigi, quam malum principem à bonis emendari. Tãdem verò ut Resp. optimè administretur, nulla philosophia, nulla ars, nulla scientia præstat, sed probitas rectorum. Optimè enim unus, optimè pauci, optimè populus imperant, si probi sint: pessimè autem si sint improbi. Sed, quod omnem vincit improbitatis temeritate cum agrum colere, gregem pascere, navim regere, familiam gubernare, filios educare, multi se aut ignorare, aut nescire, aut non posse fateantur, tamen magistratum in urbibus agere, regem & principem se gerere, & quod difficillimum est, populis & nationibus imperare, nemo sibi à natura negatum putat. Cæterum, quod spectat hic ad civilium legum scientiam, quibus omnes Respublicæ & civitates constant, reguntur, augentur, atque servantur, dicemus inferius.

De Religione in genere. CAP. LVI.

AD Reip. integritatem pertinet etiam religio, quæ est disciplina quædam exteriorum sacrorum ac cæremoniarum, quam rerum internarum & spiritualium, tanquam per signa quædam, admonemur, quam Cicero definit disciplinam, per quam reverenti famulatu cæremoniæ divini cultus exercentur: quam quidem civitatibus maximè utilem & necessariam esse testatus est cum Cicero, tum etiam Aristoteles. Sic enim ait in politicis: Oportet principem præ aliis deicolam videri. Minus enim putant subditi talibus pati aliquid iniquum, & minus machinantur contra talem, tãquam habeat propugnatores etiam deos. Religio autem à natura sic hominibus insita est, ut plus illa, quam rationalitate, à cæteris animantibus discernamur. Quod autem nobis naturaliter insita sit religio, ipse fatetur Aristoteles, tum ex eo liquet, quòd, quoties in subitaneis periculis & timoribus aliqua perturbatione obruimur, confestim, antequam aliquid perscrutemur & ante omnem electionem, ad divinam invocationem confugimus, natura videlicet nos absque alio præceptore divinum auxilium implorare edocente. jamque ab initio creationis mundi Cain & Abel ipsi Deo religiose sacrificarunt: sed & Enoch primus fuit, qui, quo ritu Deus invocandus esset, instituit. Quare de eo dicit Scriptura: Tunc tandem cœpit invocari nomen Domini. Post diluvium à multis multæ quàm multis gentibus religionum leges datæ sunt. Nam Mercurius & Menna Rex Aegyptiis: Melissus Iovis nutritor, Cretensibus: Faunus & ante illum Ianus, Latinis: Numa Pompilius, Romanis: Moyses & Aaron, Hebræis: Orpheus Græcis: tum Cadmus Agenoris filius, ex Phœnice mysteria & solemnitates Deorum, simulachrorum consecrationes, & hymnos, cæteraque sacra, pompas & celebritates, quibus diis honores impenderentur, Græcis primùm tradidisse legitur. Quin etiam furtorum & scelerum numina esse tradiderunt. nec tantùm nomina Deorum dederunt, sed etiam instaurarunt sacra. Coluerunt Romani Iovem adulterum & stupratorem, & Febri publicum phanum in palatio dedicarunt, & aram malæ Fortunæ in Exquiliis. Quin etiam apud inferos invenerunt quos colerent, Deos, ipsum infernorum principem omnium infimum & miserrimum Sathanam sub Ditis, Plutonis & Neptuni nominibus venerantes, assignantes illi custodem Cerberum, hoc est, carnivorum, qui semper circuit quærens quem devoret, nulli parcens, omnibus nocens, omnes accusans: hinc diabolus, quasi criminator, appellatus. Vnde Poëta canit:

Dux Erebi populo poscebat crimina vitæ.
Nil hominum miserans, irarus omnibus umbris,
Stant furiæ circum, variæq; exordia mortis,
Sævaq; multisonans exercet pœna catenas.

Coluerunt quondam Aegyptii cum diis suis etiam animalia bruta & monstra, & sunt adhuc hodie, qui Idola & simulachra colunt. Quin Turcæ, Saraceni, Arabes, Mauri, & magna pars orbis hodie Mahumetum colunt, absurdissimæ religionis conditorem: & Iudæi in sua perfidia adhuc perseverantes, venturum eorum Messiam pertinaciter expectant. Et nobis Christianis diversis diversis temporibus & religionibus pontifices nostri religionum mores præscripserunt, nimirum quòd legibus inter se dissidentes circa cæremonias, circa cultum, circa cibos,

circa jejunia, circa vestitum, circa quæstus, circa pompas, circa mitras, circa purpuram, & ejusmodi. Sed unum admirabilium vincit admirationem, quòd illi his ambitiosis moribus se cœlum posse ascendere putant, quibus Lucifer olim cœlo decideret. Ac tandem omnes istæ religionum leges nullo alio fundamento incumbunt, quàm suorum instituentium placitis: nec aliam insuper certitudinis regulam habent, nisi ipsam credulitatem. Considerate ab initio mundi, quot sunt, quot fuerunt in religione studia, quot cæremoniæ, quot cultus, quot ritus, quot hæreses, quot placita, quot vota, quot leges, & nondum à tot seculis homines ad rectam fidem producere potest religio absque verbo Dei, quo incarnato, & in cruce de hostibus triumphante, dejecta sunt templa & idola, & deorum potestates ablatæ, defecerunt oracula:

Ablata est Pithij vox haud revocabilis ulli.
Temporibus longis etenim iam cessat Apollo,
Clavibus occlusis silet: ergo vitè peractis,
Discedas, patria & redeas ad limina, sacris.

Ex quo enim verbum Dei per Euangelii nuncium eluceſſere cœpit mundo, omnes dii gentium, veluti fulgure tacti, corruerunt, sicut apud Lucam ait CHRISTUS: Vidi Sathanam, sicut fulgur, de cœlo cadentem. Verùm quod hic ad fidem, & ad theologiam, & ad canonum decreta pertinet, discutiemus inferiùs: nos hic de religione loquimur, quantum ad eas artes, quæ ad sacerdotum quæstum, & rempublicam suis simulachris, statuis, imaginibus, templis, phanis, sacellis, fastis, pompis, & sacerdotiorum magistratibus ornandam attinet: de quibus alibi inter placita theologica anno milleſimo quingenteſimo decimo per me Coloniæ declamata amplo sermone disputavi. Quocirca ea istic breviſſimo sermone transigemus, ostendentes etiam in illis, quæ honestandæ religionis causa, & ad hominum salutem inventa sunt, sæpè non minimam inveniri cum vanitate malitiam. quod ita esse, nunc per singula discurrentes monstrabimus.

De imaginibus. CAP. LVII.

IMaginum itaq; cultum jam ab antiquo non omnes populi admiserunt. Siquidem Iudæi (ut narrat Iosephus) nihil magis exhorruerunt, quam simulachra: nec aliquam effinxerunt imaginem ejus, quod coluerunt, neque eorum, quorum memoriam tenuerunt. Lex siquidem Dei per Moysen prohibuit illis simulachra fieri, aut in tẽplis poni, aut adorare coram eis.

Apud

Apud Seres populos (teste Eusebio) etiam lege cautum erat, ne simulachra venerarentur. In Romanorum quoque templis apud Clementem & Plutarchum, ex decreto Numæ annis centum & septuaginta ab urbe condita, nullam imaginem neque fictam, neq; pictam esse cõspectam legimus. Augustinus quoque idem testatur, authore Varrone: Cujus, inquit, verba clarissimè testantur, nullum fuisse in urbe simulacrum Deorum per annos centum sexaginta. factumq; deinceps, ut ex imaginũ ac statuarum multitudine religionis cultus negligeretur atq; contemptui haberetur. Persæ etiam (testibus Herodoto & Strabone) statuas nõ extruebant. Aegyptiorum autem in istis summa erat impietas & stultitia, exinde in omnes gentes derivata. Qui quidem corruptus gentilium mos & falsa religio, cùm ipsi ad Christi fidem converti cœperunt, nostram quoque religionem infecit, & in nostram Ecclesiam simulachra & imagines, multasque pomparum steriles cæremonias introduxit, quorum nihil omnino fuit apud primos illos & veros Christianos. Nec dici potest, quanta superstitione, ne dicam idololatria penes rudem & indoctam plebem alatur in imaginibus, conniventibus ad ista sacerdotibus hinc non parvum lucri quæstum percipientibus. Atque hic tuentur se Gregorii verbis dicentis, imagines esse libros vulgi, ut possit rerum memoria retineri: atque in his legant, qui literas non didicerint, illisque conspectis ad Dei contemplationem trahantur. Verùm hæc sunt excusantis Gregorii humana commenta, licet sanctus ille vir imagines, probet, non cultum. Non enim decet nos ex vetito imaginum libro discere, sed ex libro Dei, qui est liber Scripturarum. Qui verò cupit Deum nosse, non requirat ab imaginibus pictorum & statuariorum, sed (ut inquit Ioannes) scrutetur Scripturas, quæ testimonium perhibent de illo: qui autem nesciunt legere, ii audiant verbum Scripturæ. Fides enim eorum (ut ait Paulus) ex auditu est. Et CHRISTUS apud Ioannem ait. Oves meæ vocem meam audiunt. Iamq; etiamsi (quod ait Christus) nemo potest venire ad eum, nisi pater traxerit illum, & nemo venit ad patrem, nisi per ipsum Christum: cur auferimus gloriam Deo, tribuentes illam picturis, & statuis, ac si possent trahere in contemplationem Dei? Accedit istue etiam reliquiarum cultus immoderatus. Fatemur enim nec quisquam negare poterit, sanctas esse sanctorum reliquias, & quæ æternitatis gloria fulgebunt aliquando: ideoque à nobis summa reverentia colendos fateamur, etiam sanctos ipsos, licet in omnibus locis exaudiant piè invocantes, magis tamen,

НАУКОВА БІБЛІОТЕКА ОНУ ім. І. ФРАНКА

ubi aliquid reliquiarum suarum velut pignus habent: sed quia non omnium certitudo eadem est, cum variis in locis putantur sanctorum eorundem eadem retineri figura, necesse est horum aut illorum stultam confidentiam esse oportere. Ne igitur in idololatriam, vel superstitionem incidamus, tutius est, fidem rebus visibilibus non affigere, sed colere sanctos in spiritu & veritate per Dominum nostrum IESUM Christum, illorum opem implorantes. Certiores itaque & digniores non habemus Sacramento corporis Christi, quod unicum Sanctum Sanctorum in omnibus templis nostris servatur, quia coràm Christum veneramur, & adoramus præsentem: qui licet ubique præsens sit, ibi tamen etiam corporaliter præsens est. Sed avarum sacerdotale genus, avari homines, non modò exignis & lapidibus, sed etiam ex mortuorum ossibus, & sanctorum martyrum reliquiis materiam avaritiæ suæ captantes, suæ rapinæ instrumenta fecerunt: attollunt sepulchra Confessorum, exponunt reliquias Martyrum, vendentes illorum contactus & oscula, exornant illorum simulachra, & festa illorum magnis pompis decorant, prædicant illos sanctos, & extollunt magnis præconiis, vitam illorum, quo tantopere laudant, longissimè fugiunt. Nónne istis loquutus est Salvator, Væ vobis, qui ædificatis sepulchra Prophetarum, similes illis, qui occiderunt eos? Proinde gentilium more sanctis ipsis officia distribuunt, & hunc cum Neptuno aquarum periculis subvenire, illum cum Iove fulmen incutere, aut cum Vulcano ignem, alium messes curare cum Cerere, alium præesse vitibus cum Baccho. Et habèt mulierculæ suas Divas, à quibus ceu à Lucina, aut Venere, liberos petant, & quæ cum Iunone iratos placant, vel vindicant maritos. Iam verò etiam sunt, qui furta & amissa seu perdita recuperare faciunt, atque nullum morbi genus est, quod inter divos non habeat suum medicum: quæ causa est, quò minus lucrentur medici, quam causidici, cum nulla sit lis tam pusilla, tam justa, quæ divum aliquem habeat patronum. Verum sicut anima nostra per diversa membra diversos explicat actus, & illa, pro diversitate dispositionum suarum diversas suscipiunt potentias, ut oculi visum, aures auditum, ita Dominus noster IESUS Christus in corpore suo mystico, cujus ipse anima est, per diversos sanctos suos velut accommodata ad hoc membra, diversa suæ gratiæ munera, in istis inferioribus administrat atque distribuit, & singuli sancti peculiare cooperandi munus sortiuntur, & singuli certas gratias impartiuntur: juxta quam multiformem gratiarum distributio-

stributionem, partim hominibus revelatam, partim piis conjecturis adsecutam, variis precibus, & invocationibus sanctos imploramus. Putamus equidem, quemadmodum Christus morte sua mortem nostram redemit, in cujus morte cœperunt sanctæ mortes, omniumque fidelium mortes sanctificantur, sic martyres eos, qui certo quodam morborum genere, aut huic simili tormento cruciati perierint, ab illo ipso, tanquam id pro nobis passi, nos liberare: & habet id quidem rationem non invalidam. Sed ridendi sunt, qui à nominis similitudine, & vocum confusione, & per similia futilia inventa sanctis illa adscribunt: ut Germani caducum morbum Valentino, quia hoc nomen cadere significat, & Galli Etropio addicant Hydropicos ob vocis consimilem sonum. Nihil ergo hîc divinæ potentiæ, & Sanctorum meritis derogatum volo. Impius enim est, quisquis de pietate Christiana ac Sanctorum miraculis perperam sentit: sed superstitiosus & improbus est, qui pro miraculis prodigiosa quæque mendacia, ceu portica nugamenta vertunt in historiam, & simplicibus oraculi loco credenda proponunt, magnisque clamoribus inculcant: stultissimi quoque sunt, qui iis fabulis & somniis fidem habent. Atque hîc vos scire volo, quòd, quemadmodum imaginum exuperans cultus, idololatria est, ita illarum pertinax detestatio, hæresis est, de qua olim Philippus & Leo tertius Imperatores damnati sunt. Sic etiam quemadmodum reliquiarum abusus execrabile scelus est, ita earundem irreverentia, detestanda hæresis est: quæ quondam à Vigilantio Gallo progenita, ab Hieronymo profligata, nunc rursus unà cum imaginum expugnatoribus à proximis annis apud Germanos repullulascere cœpit.

De Templis. CAP. LVIII.

CAeterùm nunc de Templis scimus hanc maximam olim fuisse gentilium superstitionem singulis diis, suis sua templa fabricantium: quorum imitatione cœperunt deinde Christiani suis divis templa inscribere. Multæ tamen gentes templis omninò carebant, & Xerxes quondam suadentibus Magis omnia templa per totam Græciam cõbussisse traditur, quia impium & nefarium esset, deos ipsos parietibus includere. Verùm de templis quondam Zeno Citicus in hæc verba philosophatus est, inquiens: Sacella ac templa constituere, nihil quidem necesse est. nihil enim sacrum jure existimandum, neque pro sancto habendum, quod ipsi homines cõstruxerint. Apud

Persas

HAVERFORD COLLEGE LIBRARY

Persas nulla olim templa erant. Hebræis autem in tota natione, non nisi unicum templum religiosum erat, à Salomone Hierosolymis extructum, de quo tamen legitur apud Esaiam: Hæc dicit Dominus, Cælum sedes mea, Terra autem scabellum pedum meorum, quæ est ista domus, quam ædificas mihi? Et Stephanus Protomartyr ait: Salomon ædificavit illi domum, sed Excelsus in manufactis non habitat. Et Paulus Apostolus ait Athenensibus, Deus non in manufactis templis habitat: qui, cùm sit Dominus, cœli & terræ, manibus hominum non colitur, tanquam indigens aliquo. Docet autem humanam naturam, ipsosque homines, sed puros, pios, sanctos, religiosos, Deoque devotos, esse acceptissima Deo templa: quemadmodum scribens Corinthiis, inquit: Templum Dei estis, & spiritus Dei habitat in vobis, templum Dei sanctum est, quod estis vos. Præterea in prima illa nostra religione ab ipsis Christianæ fidei incunabulis, & diu post Christum passum non fuisse nostris sacris templa constructa, fatetur ipse Origines contra Celsum, docens multis rationibus, Christianis illa ad verum Dei cultum, veramque religionem nihil convenire. Et Lanctantius ait, Non templa Deo congestis in altitudinem saxis struenda sunt, sed suo cuique conservandus est pectore, in quod se conferat, cùm adorat Deum:

Non habitat templis manuum molimene factis
Omnipotens, ædes aurea verus homo.

Et Christus suos adoraturos non in templum remittit, nec in synagogas, sed in cubiculum orare in abscondito. Atq; ipse, quod legitur apud Lucam, nunquam ad turbas, ad urbes, ad templum, ad synagogas accessit orare, sed exivit in montem orare, & ipse erat pernoctans in oratione. Verùm Ecclesia, quæ nihil agit, nisi acta spiritu Dei, cùm, multiplicato Christiano populo, Ecclesiam jam ingressi essent cum fidelibus peccatores, cum firmis infirmi, &, tanquam in arcam Noæ, cum mundis animalibus simul & immunda, sacras quasdã ædes, & templa, & basilicas, loca sacrata, ab omni prophano commercio libera, instituit, in quibus Christianæ multitudini verbum Dei publicè prædicaretur, cæteraque religionis sacramenta, & commodius & castius administrarentur: quæ à populo Christiano summa semper in veneratione habita, etiam à Principibus immunitate munita, nunc in tantam excrevere multitudinem, accedentibus illis tot fratrum oratoriis, privatisque sacellis, ut maximè necessarium foret, multa ex illis,

ex illis, tanquam superflua & indebita membra, resecari. Accedit ad hæc structuræ superba magnificentia, in quam multæ admodum sacræ pecuniæ, & eleemosynæ indies profunduntur: quibus, quod & superius diximus, multi Christi pauperes, vera Dei templa: imagineque, fame, siti, æstu, algore, labore, debilitate, egestate periclitantia, sustentari deberent.

De Festis. Cap. LIX.

Festorum etiam dies tam apud Gentes, quàm apud Iudæos magna religione semper celebras fuere: qui omnes distributim, per certa anni tempora, per certos & statutos dies Deum colebant: quasi liceret aliquando à divino cultu discedere, aut forsan Deus, plus alio, quàm alio tempore se coli velit. quod idcircò, ut probrum, Paulus objecit Galatis, ad eos sic scribens: Diesobservatis, & menses. & tempora: & annos: timeo, ne vobis frustra & sine causa laboraverim. De qua re etiam Colossenses admonens, præcepit illis dicens: Nemo vos judicet de cibo & potu, in parte diei festi, aut neomeniæ, aut sabbatorum, quæ sunt umbra futurorum. Veris enim & perfectis Christianis nulla est dierum differentia, qui sunt, semper in festivitate, semper conquiescentes in Deo, & sine intermissione verum Sabbatum agentes: sicut vaticinatus erat Esaias ad Patres Iudæorum, Fore aliquando, ut Sabbatum eorum tolleretur, cumque venerit Salvator, futurum Sabbatum perpetuum, perpetuasque neomenias: rudiori autem populo, ac infirmæ multitudini, ac imperfectiori Ecclesiæ partim à sanctis Patribus ejusmodi dies statuti sunt, quibus conveniant ad sacram verbi Dei concionem audiendam, & ad cultum divinum celebrandum, ac communicandorum sacramentorum causa: ita tamen, ut non Ecclesia diebus serviat, sed dies inserviant Ecclesiæ. Sunt itaque constituti dies à Patribus in Ecclesia, quibus ab omnibus externis negotiis, atque corporeis actibus plebem abstinere deceat, quò liberiùs serviat Deo, vacet orationibus & contemplationibus, interfit divinis officiis, & verbi Dei concionibus, & quæcunque ejusmodi sunt, quæ tunc ob æternæ salutis commodum fiunt. Sed ille distortor æquitatis, labefactator omnis ordinis & pulchritudinis author omnium malorum Diabolus, quidquid Spiritus sanctus ædificat, assiduè demoliri nitens, etiam hanc artem prope diruit. Adeò maxima pars Christiani populi sacrum hoc dierum Festorum otium non ad orandum, non ad Dei verbum audiendum, non ad cætera, quorum causa instituta sunt,

impen-

HAEC DIGITALIZATA OLIM A BIBLIOTECA

impendit, sed ad omnivariam bonorum morum ac Christianæ doctrinæ corruptelam, in choræis, in Comœdiis, in Histrionibus, in cantilenis, in ludis, in compotationibus, in pompis, in speculis, in quibuscunque mundanis, carnalibus, spiritui sanctitatique contrariis operibus consumit, & (quemadmodum inquit Tertullianus de Cæsarum solennibus) solent tunc grande officium agere, focos & choros in publicum ducere, vicatim epulari, civitatem tabernæ habitu obolefacere, vino gulam cogere, certatim cursitare ad injurias, ad impudentias, ad libidinis illecebras: sic exprimitur publicum gaudium per publicum dedecus. Nónne ergo meritò damnandi sumus, qui hoc ritu Christi & Sanctorum ejus solennitates celebramus? Cæterùm à diebus festis, præter Manichæorum insanam Blasphemiam, & Cataphrygum pestifera dogmata, aut nullas, aut paucissimas hæreses compertas habemus: veruntamen maximi in Ecclesia schismatis occasionem præstiterunt, cùm Victor Romanus Pontifex omnes fermè Orientales & Australes Ecclesias à communione amputasset, ea sola de causa, quòd in diei Paschatis observatione morem à Romana consuetudine sequerentur diversum: cui tunc inter cæteros excellentissimos viros restitit Polycrates Asiæ episcopus. Præterea Irenæus Lugdunensis Episcopus, quamvis ipse Romano ritu Pascha celebravit, magna tamen libertate Victorem Romano Pontificem objurgare ausus est, quòd præter exemplum prædecessorum suorum pacis perturbator abscidisset Ecclesias non in fide errantes, sed in solis ritibus quibusdam à Romana Ecclesia dissidentes. Multa deinceps super hac Paschatis observatione Conciliorum & Pontificium decreta, ac Patrum rationes, & quæ vocantur Ecclesiastica computa, emanârunt: neque tamen in hunc usque diem veram, atque per universum orbem eandem Paschatis diem constituere potuerunt: & in hunc diem usque consultis Astrologis de Calendarii reparatione, sed de indeciso negotio disputatur. Digna profectò res, pro qua ob unius Romani Pontificis pertinacem religionem tantùm Ecclesia pateretur naufragium.

De Cæremoniis; Cap. LX.

EX membris denique religionis non minima sunt rituum & cæremoniarum pompæ in vestibus, in vasis, in luminibus, in campanis, in organis, in concentu, in odoribus, in sacrificiis, in gestibus, in picturis preciosis, in ciborum, & jejuniorũ delectu, ac similibus magna cum admiratione, tum veneratione ab

one ab imperita plebe & hominibus, qui nihil advertunt, quàm quæ ante oculos obversantur, receptis ejusmodi. Numa Pompilius primùm Romanis cæremonias indixit, quarum prætextu rudem adhuc & ferocem populum, qui vi & injuria imperium occupaverat, ad pietatem, fidem, justitiam & religionem invitaret, feliciusque gubernaret. Testantur hæc ancylia ac palladium, sacra imperii pignora, Janus bifrons belli & pacis arbiter, ignis Vestæ, cui flamina custos imperii jugiter vigilaret, ipseque annus fastorum & nefastorum dierum veritate per duodecim menses divisus, sacerdotiorumq; magistratus in Pontifices & augures partitus, variisq; sacrificiorum & supplicationum, spectaculorum, processionum, delubrorum & officiorum ritus, quorum magna pars (Eusebio teste) exinde in nostram quoq; religionem migravit. Verùm Deus ipse, quem non delectant caro, & cor, & sensibilia signa, has exteriores carnalesq; cæremonias despicit, atq; contemnit. Non enim in corporalibus actionibus, & sensibilibus operibus, cultuq; carnali vult coli Deus, sed in spiritu & veritate per Iesum Christum. Ipse enim spectator fidei est, considerans intimum spiritum, & occulta hominum, scrutator cordium, qui intuetur intima mentis. Quapropter carnales illæ & externæ cæremoniæ nequeunt homines promovere ad Deum, apud quem nihil est acceptum præter fidem in Iesum Christum cum ardenti imitatione illius in charitate, ac firma spe salutis & præmii. Hic enim est verus, & nulla externorum carnaliumque rituum inquinatione violatus Dei cultus: quod nos instruens Ioannes, ait: Spiritum esse Deum, & eos, qui volunt adorare, in spiritu & veritate oportet adorare. Cognoverunt hoc aliqui gentium Philosophi: hinc Plato in veneratione summi Dei exteras omnes cæremonias auferri jubet. Nihil enim deest ei, qui ipse est omnia aut in eo sunt omnia, sed nos agentes gratias adoremus. Hæc enim sunt summæ incensiones Dei, quando aguntur gratiæ & mortalibus. Neq; præterea habemus quicquam aliud, quod reddamus Deo magis acceptum, quam laudem, gloriam, & gratiarum actionem. Neq; verò hic quisquã obiiciat Mosaicæ legis sacrificia, ritus & cæremonias, quasi Deus in illis delectatus sit: non propter hoc eduxit eos de Aegypto, ut sacrificia illi offerrent, & adolerent incensa, sed ut obliti idololatriæ Aegyptiorum, audirent vocem Domini, & obedirent illi in fide & justitia propter illorum salutem. Quòd autem Moyses illis sacrificia & cæremonias instituit, morem gessit infirmitati & duricici cordis eorum aliquid indulgens

HARVARD DIVINITY SCHOOL LIBRARY

dulgens errori, ut eos ab illicitis revocaret, ne gentium ritu sacrificia immolarent dæmonibus, & non Deo Non enim principaliter hæc, sed secundùm consequentiam concessa sunt, nec aliter eos obligare potuit lex illa, nisi quatenus populi consensu fuerat comprobata. Quin & Moyses ipse laturus has cæremoniarum leges, seniorum & populi collegit suffragia, quò illos sibi magis haberet obnoxios: ideoque lex illa pro temporum & rerum vicissitudine potuit immutari, & aliquando in totum erat abroganda: lex autem Dei, quæ in lapideis tabulis tradita erit, perpetua est. Sic enim locutus est Dominus per Ieremiam. Quò mihi thus de Sabba affertis, & cinnamomum de terra longinqua? Holocaustomata & sacrificia vestra non delectaverunt me. Et iterum per eundem ait. Hæc dicit Dominus, Holocaustomata vestra colligite cum sacrificiis vestris, & manducate carnes, quia non sum locutus ad patres vestros, nec de Holocaustomatibus, nec de sacrificiis præcepi eis, qua die eduxi vos de Aegypto, sed sermonem hunc præcepi eis, dicens: Audite vocem meam, & ero Deus vester & vos eritis populus meus: ambulate in omnibus viis meis, quæcunque præcepero vobis, ut bene sit vobis. Et iterum apud Esaiam ait Dominus: Non obtulisti mihi oves holocaustomatis tui, nec in sacrificiis tuis clarificasti me, non servivisti mihi in sacrificiis, nec aliquid laboriosè fecisti in thure, nec mercatus es mihi argento incensum, nec adipem sacrificiorum tuorum concupivi, sed in peccatis tuis ante me stetisti. Super quem igitur, ait, aspiciam, nisi in humilem & quietum, & trementem sermones meos? Non enim adipes & carnes pingues auferent ante injustitias tuas: hoc enim est jejunium, quod ego elegi, dicit Dominus. Solve omnem nodum injustitiæ, dissolve connexus violentorum commerciorum, dimitte quassatos in requiem, & omnem conscriptionem injustam conscinde. Frange esurienti panem tuum ex animo, & peregrinum sine tecto induc in domum tuam. Si videris nodum, adoperi eum, & domesticos seminis tui ne despicias, tunc erumpet matutinum lumen tuum, & sanitates tibi citò orientur, & præcedet ante te justitia, & gloria Dei circundabit te: & adhuc te loquente, dicam, Ecce adsum. Non inficior, quemadmodum olim in synagoga Moyses & Aaron, & per successionem cæteri pontifices, judices, Prophetæ, usque ad scribas & Pharisæos, sic postmodum in Ecclesia ab Apostolis, Evangelistis, Pontificibus, sacerdotibus, & doctoribus factum, ut illam piis quibusdam cæremoniis, elegantibusque ritibus & institutis

tutis, tanquam sponsam ornatam viro suo, decorarent: multa insuper statuta & decreta ediderunt posteriores, juxta hominum imbecillitatem: sed, quod solet sæpe contingere, ut, quod provisum est ad remedium, tendat ad noxam, hic accidit, ut crescentibus iis cæremoniarum legibus, pluribus constitutionib⁹ hodie onerentur Christiani, quam olim Judæi: quodque magis dolendum est, cùm ipsæ per se nec bonæ sint, nec malæ, plus illis fidat populus, arctiusque observet, quàm tradita à Deo præcepta, dissimulantibus illa nostris episcopis & sacerdotibus, & abbatibus, & monachis, ac suo ventri interim egregiè consulentibus. Cæremoniæ autem etsi nullas contra fidem hæreses dederint, innumeras tamen in ecclesiam sectas introduxerunt, maximorumque schismatum semina fuerunt. Hinc primùm Græca Ecclesia à nostra abscissa est, quòd illa non in azymo consecraret, sed in fermento, cùm tamen illam vere consecrare fateamur. Deinde etiam Bohemorum Ecclesia separata est, quia sub utraq; specie communicaret Eucharistiæ: nam, ut ait Apostolus, circumcisio nihil est, & præputium nihil est, sed observatio mandatorum Dei: sic & cæremoniæ nihil sunt, nisi observatio præceptorum Ecclesiæ. Nefas ergo est utrobiq; propter modicas & quaslibet causas, quæ Christianæ Fidei nihil officiunt, unitatem Ecclesiæ scindere, & corpus Christi dividere, & quod Pharisæis Salvator improperat, excolare culicem, & camelum glutire, atque, turbata pace Ecclesiæ, in illis pugnare, unde plus obsit schismatis pernicies, quàm prosit correptio. Potuissent Romani Pontifices multa mala sustulisse, pacatamque & integram servare Ecclesiam, si tolerassent Græcorum fermentum, & Bohemorum calicem. Neque verò majora hæc sunt, quàm quod Innocentius Octavus (Volaterrano teste) concessit Norvvegiis, ut liceret illis sine vino sacrificare calicem.

De Magistratibus Ecclesiasticis. Cap. LXI.

Iam verò & Magistratus, & variæ hominum sectæ sunt in Ecclesia, cùm ad ornamentum religionis, tum pro conservando sacrorum ordine, ne fiat confusio. Quidquid autem agitur in Ecclesia, sive ad ornamentum, sive ad ædificationem religionis, tam in deligendis magistratibus, quàm in instituendis ministris Ecclesiæ, nisi id fiat divini spiritus instinctu, qui quasi anima est Ecclesiæ, vanum est & impium. Quicunq; enim ad magnum Dei officium, & Apostolarus dignitatem à spiritu Dei vocatus non fuerit, sicut Aaron, & qui non ingredi-

HARVARD LIBRARY OF THE MEDICINA OSA

sus fuerit per ostium, quod est Christus, sed aliunde in Ecclesiam ascenderit per fenestram, per favores hominum, per emptitias voces, per imperium Principum, certè hic non est Christi Vicarius & Apostolorum, sed fur & latro, & vicarius Iudæ Iscariotis, & Simonis Samaritani. Hinc ab antiquis Patribus de electione Prælatorum (quod sacer Dionysius vocat Nominationis sacramentum) tam arctè statutum est, quod Pontifices & Apostoli, qui præessent ministeriis in Ecclesia, nominarentur viri moribus & vita integerrimi, potentes in doctrina sana de omnibus rationem reddere: sed antiquis patrum constitutionibus paulatim à sua majestate cadentibus, ac recentiore Pontificio jure cum damnabili consuetudine invalescente, tales pleriq; super sedem Christi conscendunt Pontifices & Apostoli, quales olim super sedem Moysi sedebant Scribæ & Pharisæi, qui dicunt, & non faciunt, alligantes onera gravia in humeris populi, ipsi autem nolunt digito movere. Hypocritæ sunt, omnia opera sua faciunt, ut videantur ab hominibus, ostentantes religionem suam in scenis: cupiunt primas stationes in choro, in gymnasiis, in synagoga, & ubique in foro: in plateis Rabbi, & Magistri, & Doctores vocari volunt: claudunt viam cœlorum, & ipsi non introeuntes, etiam alios excludunt, nec sinunt intrare: comedunt domos viduarum, orationes longas factitantes, circumeuntes mare & aridam, seducunt, & furantur pueros, ut nacto uno proselyto, exaugeant perditum eorum numerum, ut ipsi perditi & addicti gehennæ igni, alios simul secum multò magis disperdant: suis commentis & traditionibus piissimas Christi leges labefactant, verum Dei templum, ac vivas Christi imagines, & ars animarum populi negligentes: aurum & oblationes avaro oculo curant leviora, & quasi sinistra legis facientes: de decimis, collectis, oblationibus & eleemosynis accurate nova cudunt, & leges cæremoniarum arctè sanciunt, decimantes fruges, pecora, pecunias, & etiam quævis minima, menthàm, anethum, cuminum, & de his canum more collatrantes à suggesto confligunt cum populo. Quæ verò graviora & dexteriora sunt operi Evangelii, & Legis, & justitiæ Christianæ, judicium, misericordiam, & fidem omnino negligunt, excolant culicem, deglutiunt camelum, cespitant ad lapidem, ingens saxum transiliunt, duces cæci, falsi & dolosi, genimina viperarum, tersi calices, sepulchra dealbata, foris in mitris, in pilis, in habitu, in cuculla ostentantes sanctimoniam, intus pleni spurcitia, hypocrisi, iniquitate, scortatores, saltatores, histriones, lenones, aleatores, helluones, temulenti, venefici, qui jam antea (quod notat Camotensis Episcopus) non ex virtutum meritis, sed aut per turpe obsequium, aut intuitu munerum, aut favore Principum, aut vi armorum ad sacerdotia, ad beneficia, ad episcopatus conscenderunt, aut sub hypocritis fuco hæc ad se traxerunt, ex bonis Ecclesiæ, quæ pauperum sunt, sibi privatas divitias cumulantes, monopolia & nundinas constituentes in eleemosynis parentum nostrorum, abutentes illis in scortis, in alea, in venatione, in omni luxu & spurcitia,

Gaudent equis canibusque & aprici gramine campi.

Concutiunt populos, vexant regna, sollicitant bella, diruunt ecclesias, quas religiosorum Patrum construxit devotio, ipsi extruentes palatia, incedentes in vestibus purpuratis & deauratis, magno plebis detrimento, & religionis infamia, ac Reipub. insupportabili onere: quos non mercenarios pro pastoribus, nō lupos pro mercenariis, sed pro lupis diabolos, beatus ille Clarevallensis Bernardus in sermone ad generalem Remensem Synodum, præsente Romano Pontifice, definivit. Iam etiam ipse Romanus summus Pontifex (quod idem sanctus Episcopus Camotensis conqueritur) omnibus gravissimus & intolerabilis est, cujus pompam & fastum nullus unquam tyrannorum æquavit: atq; ii interim in se solis jactant religionis & Ecclesiæ statum consistere, cùm religionis onera, & verbum Evangelii, quod verum Pontificium munus est, in alios rejicientes, ipsi in condendis propriis legibus occupati, Ecclesiæ accipiunt emolumenta, otiosi simul & flagitiosi: & quia, ut ajunt, sedes ipsa Pontificia aut sanctos recipit, aut sanctos facit, hanc sibi nihil non licere putant, adeò ut etiam sacris Ecclesiæ cæremoniis, quas sancti Patres ad instruendos mortalium animos, & pro conferenda nobis DEI gratia magna observantia instituerunt, nefaria voluptate sua libidine impudenter flagitiosissimeque abutuntur: cujusmodi exemplum de Bonifacio octavo Pontifice in Porchetum Cardinalem legimus apud Crinitum. Hic est ille magnus Bonifacius, qui tria magna & grandia fecit: primum, falso oraculo deluso Clemente, persuasit sibi cedere Apostolatum: secundum, condidit sextum Decretalium, & Papam asseruit omnium dominum: tertium, instituit Iubilæum, indulgentiarum nundinas, illasque primus in Purgatorium extendit. Transeo cætera illa Romanorum Pontificum monstra, quales Formosus Papa, & novem sequentes, olim Ecclesiæ turpiter præfue-

HARUM DE LIBRI OLIM MEMBRANA

runt: taceo etiam posteriores illos, Paulum, Sixtum, Alexandrum, Iulium, famosos Christiani orbis perturbatores. Prætereo Eugenium, qui ob violatum Turcæ jusjurandum Christianam Rempubl. in tot funestissima bella conjecit, ac si non etiam hosti fides servanda sit. Alexander VI. quanto Christianæ Reipub. damno Zizimum Pajazaithæ, Turcæ fratrem, veneno sustulerit, omnibus notum est. Iamque ipsi etiam Romanorum Pontificum Legati (quod ait Camotensis, & quotidiana experientia notissimum est) sic interdum in Provinciis debachantur, ac si ad flagellandum Ecclesiam egressus sit Sathan à facie Domini: commovent & conturbant terram, ut videantur habere, quod oporteat sanare: lætantur, cùm mala fiunt, exultantes in rebus pessimis, vixque tenent lachrymas, cùm nil lachrymabile cernùt. Siquidem peccata populi comedunt, & vestiuntur & nutriuntur, & luxuriantur in eis. Sed habent vitiorum suorum efficacissimos titulos, nec quicquã illos objici potest, quod non alicujus Sanctorum exemplo cõstantissimè excusent, aut tueantur. Nam si improperetur illis, quia indocti & illiterati dicent, tales Christum delegisse Apostolos, qui nec Magistri Legis, nec Scribæ fuerint, nec Synagogas, nec Scholas unquam frequentaverint: si linguæ barbaries objicitur, dabunt Moysen impeditæ linguæ, & Ieremiam nescientem loqui: quin & Zachariam, quòd mutus esset, à sacerdotio non excluſum. Quòd si etiam sacrarum literarũ ignorantia, aut infidelitas, aut error, aut hæresis objiciatur, dicent, Ambrosium nondum Christianum, sed Catechumenum adhuc, in Episcopum electum: & Paulum non ex infideli, modò, sed ex persecutore ad Apostolatum vocatum: Augustinum quoque aliquando Manichæum fuisse, & Marcellinum martyrem in Papatu idolis thura adolevisse. Quod si objiciatur illis ambitio, exemplo illis erunt filii Zebedæi: si timiditas, timidi erant Ionas, & Thomas, ille ad Nimivitas, hic ad Indos accedere metuentes: si perfidia, Petrus perfidiæ addidit perjurium: si fornicatio, Oseas meretricem, & Sampson scorta amplexi sunt: si percussio, si homicidium, si militia, Petrus Malcho auriculam amputavit, Martinus Iuliano militavit, & Moyses Aegyptium interfecit, & abscondit in stabulo. Adeò nihil penes eos refert, qualis quisque sit, qui accedit ad sacerdotia, atque tunc horum magistrorum gladio oportet, ut quisque cervices suas supponat: gladio horum, inquam, non gladio verbi Dei, cujus illi custodes & ministri esse debent, sed gladio ambitionis, gladio avaritiæ, gladio mulctæ & extorsio-

rorsionis, gladio mali exempli, gladio sanguinis & occisionis, quo armantur contra omnem veritatem, & justitiam & honestatem.

Sceptrorum vis tota perit, si pendere iusta
Incipit, everset quæ sua respectus honesti:
Libertas scelerum est, quæ regna invisa tuetur:
Sublimi quemodo gladij facere omnia sævè.

Non impunè licet eorum placitis contradicere, nec libidini eorum resistere, nisi quis paratus sit martyrium subire pro Christo: hoc erit excremari pro hæretico. quemadmodum Hieronymus Savonarola Prædicatorii ordinis Theologus, simul ac Propheticus vir, olim apud Florentiam exustus est. Verùm quoniam omnis potestas bona est, quia à Deo est, à quo sunt omnia, & omnia bona, & licèt utentibus, aut patientibus aliquando mala sint, universitati tamen semper bona sunt, providente sic illo, qui bene utitur malis nostris. Propter multitudinem enim delinquentium superinducit Deus tyrannos, & peccata populi faciunt regere Hypocritam. Quicunque igitur à Domino constitutus est Episcopus in Ecclesia, dignum & justum est obedire illi, & in nullo contradicere. Qui enim Episcopo, & Sacerdoti obedire contemnit, non illum, sed Deum contemnit, quemadmodum de contemptoribus Samuelis ipse locutus est, inquiens: Non te spreverunt, sed me. Et Moyses adversus murmurantem populum ait: Non adversus nos murmurastis, sed adversus Dominum Deum. Non igitur inultus permanebit à Domino, qui se contra Episcopum, & prælatum suum posuerit. Dathan & Abiron restiterunt Moysi, & terra vivos absorbuit. Multi cum Chore conspiraverunt adversus Aaron, & igne consumpti sunt. Achab & Iezabel persecuti sunt Propheras, & canes comederunt eos. Egressi sunt pueri, ut illuderent Helisæo, & ursi dilaniârunt illos. Ozias rex contra sacerdotes, sacerdotium arrogare ausus, leprosus factus est. Saul, quia præter Samuelem, sacerdotum principem, sacrificare præsumpsit, regia unctione simul & prophetico spiritu privatus à Deo, datus est spiritui malo. Infidele est Scripturis sacris non credere, impium est sacerdotes spernere: boni sunt sacerdotes, melior Episcopus, super omnes sanctissimus summus Pontifex, & Princeps Sacerdotum, cui creditæ sunt claves regni cœlorum, & commissa sunt secreta Dei, princeps quidem secundùm Deum, Pontifex secundùm Christum: quem qui honorat, honorabitur à Deo;

HARVARD DIVINITY SCHOOL LIBRARY

qui inhonoraverit, inhonorabit illum Deus, & ultionem evadere non poterit.

De Sectis Monasticis. Cap. LXII.

SVnt adhuc in Ecclesia diversarum sectarum populi, Monachi, & Fratres anachoritæ, quibus vetus Lex omnino caruit. Caruit etiam Ecclesia eo tempore, quo fuit optima, nec tot cæremoniarum retibus implicita. Qui hodie religiosorũ nomen sibi soli vendicant, arduas profectò vivendi regulas, & officia sanctissima professi, laudabiliumque virorum, sanctissimorumque Patrum nomina, putà Basilii, Benedicti, Bernardi, Augustini, Francisci, & similium præ se ferentes: sed hodie est inter eos ingens malorum turba. Siquidem huc, tanquam in malorum omnium asylum, confluunt, quoscunque scelerum conscientia terret, qui ob legum vindictam nusquam alibi tuti sunt, qui crimina commiserunt supplicio expianda, quos vitæ turpitudo abstraxit ab infamia, quos, reb⁹ suis sortis, alea, ingluvie profusis, æs alienum ac turpis egestas mendicare compellunt, & quos laborem subterfugientes, spes otii, ac fraudatæ cupidinis impatiens desperatio, aut circumventa juventus, aut injusta noverca, aut iniqui tutores huc impegerunt: quorum omnium agmen jungit simulata sanctimonia, cucullatus habitus, & valida mendicitas. Atq; illud mare magnum, in quo cum cæteris piscibus habitant Leviathan & Behemoth, cæte grandia, belluæ & reptilia, quorum non est numerus: de quo exiliunt tot Stoicæ simiæ, tot insolentissimi poscinummia, tot palliata mendicabula, tot cucullata monstra, barbigeri, sunigeri, restiferi, saccogeruli, loripedes, lignipedes, nudipedes, atrati, nigritæ, grisones, albichlamydes, versicolores, multipelles, linostolii, retiarii, palliati, chlamydati, pullati, paludati, præcincti, brachati, ac id genus aliorum turba histrionum, qui cùm de rebus humanis nullam fidem habeant reliquam, ob monstrosæ vestis habitum creduntur illis divina, hodieque sacrum religionis nomen sibi soli usurpant, ac se Christi sodales, Apostolorumque contubernales jactant: quorum vita sæpè scelestissima est, avaritia, libidine, gula, ambitione, temeritate, petulantia, & omni scelere referta, sed religionis prætextu semper inulta. Romanæ enim Ecclesiæ privilegiis muniti sunt, & à jurisdictione omnium Ecclesiarum exempti sunt, quò plura illis impunè liceant: quumq; ipsi pro foro rei alios quosq; ubiq; conveniant, ipsi tamen convenire non possunt, nisi aut Romæ, aut Hierosolymis. Horum vanitates &

errores si mihi calamo explorandi forent, non caperent omnes pelles Madian: eorum, inquam, qui non pietatis causa professi sunt religionem, sed ventris gratia cucullam induerunt. Neque verò bonos offendet hic sermo, quem de solis improbis dictum volo, qui sub pellibus agninis sunt lupi rapacissimi, & in vestibus ovium astutam gerunt sub pectore vulpem, adeò dissimulantes artes fallaciæ suæ, ut nihil aliud professi videantur, quàm scenicam quandam hypocrisim, & merum quæstum pietatis imagine personatum, dum pallido vultu mentiuntur jejunia, & obsequentibus lachrymis profunda à pectore trahunt suspiria, & mobilibus labris frequentes orationes simulantes, & gressu incessuq; composito, gestibus tranquillis,

Obstipo capite figentes lumina terræ,

Modestiam sibi vendicantes, fucato habitu humilitatem, & suspensa à collo cuculla, sanctimoniam foris professi, intus autem detestandos mores secum ferentes: atque cùm inter hæc scelera tissima, quæque nonnunquam committant, servantur, vincuntq; religionis titulis, cuculla, veluti clypeo, cuncta fortunæ spicula repercutientes, & ab omnibus mundanis periculis, civilibusque molestiis securi, panem ociosum & emendicatum pro eo qui laboribus acquiritur, vescentes, securi, & sine sollicitudine dormientes: hancq; tamen Euangelicam paupertatẽ putant, in otio & mendicitate vesci alienis laboribus. Cumque summam humilitatem profiteantur, incedentes vili vestitu, ut rustici, nudipedes ut histriones retiarii, cincti funibus, ut capti latrones, raso toto capite, ut fatui, cuculla, auriculis ac tintinnabulis tenus motionibus ac larvis carnisprivialibus quàm simillimi, cæteraque, quęcunq; contumeliæ, & abjectionis signa propter Christum & religionem sese suscipere fateantur, vincuntur ambitione, & omnem instituti sui rationem in arrogãtissimos titulos referũt, ac paranymphi, rectores, gardiani, præsides, priores, vicarii, provinciales, archimandritę, generales vocari gloriantur, ut nullum hominum genus tam videatur primi loci appetens, quàm istud. Non desunt, quæ de istis perplura mala malè dici possent: sed jam præcesserunt qui de iis amplissimis maledictis concionati sunt, adeò ut non solùm multos probos & integræ vitæ verè religiosos Patres, sed etiam sanctorum Patrum bene vivendi instituta & regulas contemptui exposuerint. Quocirca nihil ego hìc in sugillationes eorum dixisse volo, qui rectè in professionibus suis ambulantes, sanctorum illorum Patrum vestigia sequentes, ad cumulum aspirant perfectionis. Fateor regulas & professiones illo-

rum sanctas: fateor esse in hunc diem sanctos monachos: sanctos fratres mendicantes: sanctos anachoritas: sanctos canonicos regulares: tamen inter hos plurimos infideles & reprobos, & apostatas, quibus religionis professio deformatur. Atque hoc est propositum nostrum, ostendere nullam unquam cujusvis religionis professionem tam castam extitisse, in quam non irrepserit erroris & malitiæ macula. Siquidem & Angelos apostatas legimus: & primos fratres parricidas: Prophetas reprobos: Apostolos proditores: & discipulos Christi perfidos: atque inter Romanos Pontifices supra multos schismaticos & reprobos, & etiam hæreticos: aliquando etiam mulierem ad tanti apicis culmen conscendisse, quæ vocata est Ioannes octavus, rexitque sedem Apostolicam, laudata ab omnibus, annos duos cum aliquot mensibus atque diebus: & quod mulieribus in Ecclesia negatum est, contulit sacros ordines, promovit Episcopos, ministravit Sacramenta, cæteraque Romanorum Pontificum exercuit munera: & facta ejus in Ecclesia non fuerunt irrita, communi videlicet errore faciente jus: quo prævalente, puto Ecclesiam tunc coactam multa dissimulare, quæ religionis rigor alias non tulisset: adeò nec in religionibus quicquam integrum, stabile & perpetuum reperiri potest. Quicunque autem in Ecclesiam Dei sectas introducunt, & tanquam sibi placentes, quæstus causa, aut fictæ sanctitatis gloria secedunt à Principe Romana Ecclesia, ii tanquam Nadab & Abiu, alienum ignem offerentes ad altare Dei, ab eo comburuntur: qui verò elati & perversæ sententiæ, excogitatis hæresibus, exurgere audent adversus Ecclesiam Dei, cum Dathan & Abiron, voragine terræ absorpti vivi, descendent in infernum: qui autem scindunt unitatem religionis, & Christi membra dividentes, affligunt Ecclesiam Dei, eadem pœna, qua Ieroboam, exterminabuntur.

De Arte Meretricia. CAP. LXIII.

RElíquum nunc, quia apud Aegyptios primos religionum authores, neminem olim sacerdotem fieri licebat, qui Priapi sacris non priùs initiatus fuisset: atque in nostra Ecclesia receptum sit, quòd carentes testibus Papa esse non possit, prohibeanturq; spadones, cunuchi & castrati in sacerdotes ordinari, palamq; videmus, ubicunq. sunt magnifica ista templa, & sacerdotum monachorumq; collegia, ut plurimùm in proximo esse lupanaria: quin & plurimæ monialium & vestalium ac beguinarum domus, privatæ quædam meretricularum fornices sunt,

sunt, quas etiam monachos & religiosos (ne diffametur eorum castitas) nonnunquam sub monachali cuculla, ac virili veste in monasteriis aluisse scimus: visum est non præter ordinem de arte meretricia sermonem hic subnectere, quam equidem ad bene institutæ Reipub. rationem non solùm utilem, sed & necessariam esse plerique sapientissimi arbitrati sunt. Nam Solon, ille magnus Athenienſium legislator, atque unus de septem sapientibus Apollinis oraculo judicatus (ut testes sunt Philemon & Menander) emptas juventuti meretriculas comparavit, & primus Veneris Pandemi templum ex prostitutarū capturis dedicavit, lupanariaq; instituit, legem sancivit, immunitate etiam meretricibus concessa roboravit. Tantæ quoque reverentiæ habitæ sunt meretrices in Græcia, ut cum Perses in Græciam expeditionem faceret, Corinthiæ meretrices pro salute Græciæ in templo Veneris supplicarent. Mos quoque is erat apud Corinthios, ut de re magna supplicaturi Veneri, meretricibus id committeretur. Meretricum templa constructa plurima apud Ephesum, & aliud celebre ædificárunt Abydeni, quòd libertatem sibi ademptam meretricis opera recuperârunt. Ipse præterea sapiens Aristoteles non dubitavit etiam meretrices divinis honoribus dignas, quando Hermiæ pellici, sicut Eleusinæ Cereri, sacra fecit. Inventum autem hujus artis Veneri tribuitur, quæ idcircò etiam inter deas relata est. Hæc enim impudica, omnibusq; prostituta libidinibus, author mulieribus in Cypro fuit, ut vulgato corpore quæstum facerent: unde apud Cyprios, narrante Iustino, mos inolevit, ut virgines eorum ante statutas nuptias in quæstum ad littus maris prostituerent dotem lucraturas, & pro reliqua pudicitia Veneri libamenta soluturas. Apud Babylonios etiam, teste Herodoto, cōsuetudo fuit, ut qui rem domesticam cōsumpsissent, filias suas adigerent ad quæstum corpore faciendum. Verùm Aspasia Socratica meretrix, universam Græciam (ut scribit Athenæus) meretricibus implevit: ob cujus amorem, ejusque ministras à Megarensibus raptas, ait Aristophanes, bellum Peloponnesiacum à Pericle susceptum. Extulit autem hanc meretricandi artem permultum Imperator ille Heliogabalus, qui (ut testis est Lampridius) lupanaria domi amicis, clientibus & servis exhibuit, convivia dedit ad viginti duo fercula ingentia epulatum, sed ut per singula convivæ coirent & lavarent: juramentoque adigebantur, quòd voluptatem hanc perficerent: sæpè etiam meretrices à lenonibus cunctis redemit, & manumisit, è quibus meretricem quandam notissimam & pulcherrimam

HAVE PATRIMONIA ONLY

triginti argenti libris redemisse legitur: fertur & una die ad omnes circi, & theatri, & amphitheatri, & omnium urbis locorum meretrices ingressus, & singulis aureum donasse. Aliquando etiam omnes de circo, de theatro, de stadio, & omnibus locis & balneis meretrices collegit in ædes publicas, & apud eas concionem habuit quasi militarem, vocans commilitones, disputavitque de generibus schematum & voluptatum: post concionem pronunciavit iis, quasi militibus ternos aureos donantium. Etiam matronis Romanis meretricari volentibus non solùm impunitatem, verumetiam immunitatem concessit, salariaque ex publico ærario meretricibus statuit. Etiam senatusconsulta quædam amatoria & meretricia, sive futuaria, invulgavit: eaque de nomine matris sive conjugis suæ, Semiramida jussit appellari: insuper & genera quædam libidinum adinvenit, quibus etiam Cyrenæ meretriculæ (quæ Dodecamechana, quoniam in venereo usu duodecim excogitasset modos, quibus inseensori jucundius redderetur, libidinis proluvium cognominata est) numeros superat, ac veteres omnes, Tribades, Hostias, Aphias, Spinctrias, Gasalvadas, Casaritas, prostibulas, cæteraque scortilla vinceret. Transeo Iudam Israelitam patriarcham scortatorem, & Sampsanem populi Dei judicem, qui non, nisi scorta, duxit uxores: ac Salomonem Iudæorum regem sapientissimum, qui greges meretricum penè innumerabilium habuisse proditur: quin & cùm Cæsarem dictatorem virum strenuissimum hanc ob causam omnium mulierum virum nuncupatum, tum & Sardanapalum Babyloniorum monarcham, cæterosque innumeros meretricum potentissimos patronos: ipse etiam Proculus Imperator in hac arte non postremam gloriam reportavit, qui (ut testatur ejus ad Metianum epistola) ex captis centum Sarmaticis virginibus decem prima nocte iniuit, omnes autem intra quindecim dies constupravit. Sed majus illo est, quod Poëtæ narrant de Hercule, illũ quinquaginta virgines una nocte omnes mulieres reddidisse. Narrat etiam Theophrastus, gravis author, herbulam quandam Indicam tantæ virtutis, ut quidam ea comesta, ad septuagesimum coitum processerit. Reliquum verò, non parum hanc artem ornarunt Sappho poëtes Phaonis adamatrix, & Leontium Methodori scortum in philosophia eruditissima, adeo ut adversus Theophrastum contra conjugium pro tuendo meretricatu libros ediderit. Accedit Sempronia Græcè & Latinè elegantissima nec prætereunda hic est Læna Aristogitonis Atheniensis probatissimæ fidei scortum, quæ tortaà tyrannis

tyrannis ut amicum proderet, tormenta omnia cum constanti silentio perpessa est. Nobilitârunt præterea hanc artem Rhodope meretrix, Aesopi fabulatoris conserva quondam & contubernalis, quæ tantas opes meretricio quæstu consecuta est, ut inter mundi spectacula tertiam ordine condiderit Pyramidẽ. Sequitur hanc Thais Corinthia, quæ prærogativa pulchritudinis insignis, regum duntaxat & principũ dignabatur amplexus. Maximè verò hanc artẽ extulit Messalina Claudii Cæsaris uxor, quæ lupanaria circumiens, etiam ancillam nobilissimam è prostitutis, die ac nocte quinto & vigesimo concubitu superavit, & lassata, vitia, sed non satiata recessit. Quibus adjungere poterimus ex recentiori memoria Ioannam Neapolitanorum illustrem reginam, & pleraſque alias principes meretrices, & palatina scorta, si nuncupare eas tum foret, quamvis vulgata fama notissimæ sint: hoc ipso tamen à cæteris meretricibus discretæ, quod contrà Heliogabali legem non in publicis lupinaribus, ut Messalina illa Imperatrix, sed intra limina clanculum futuunt, & quasi per insidias meretricantur. Adscribamus licet etiam Octaviani Augusti utranque Iuliam, filiam & Neptem, tum & Populeam & Cleopatram Ægypti reginam, & alias nobilissimas meretrices: quin etiam Semiramidis monarchæ, & pasiphaë vetustissima libidinis exempla, quarum hæc tanta libidine ardebat, ut non modò filium proprium in complexum solicitaret, sed etiam equum usque ad coitum adamârit: illa verò Minois regis uxor se tauro suppoſuerit. Nolumus autem hoc loco illustrium meretricum catalogum degere: sed illud prætereundum non est, meretricios & adulterinos concubitus germinasse nobis splendidissimos heroas, puta Herculem, Alexandrum, Ismaelem, Abimelech, Salomonem, Constantinum, Clodonium Francorum regem, & Theodoricum Gothum, Guillermum Normannum, Raymirum Arragonensem. Sed & qui hodiè regnant & imperant reges, pauci admodum ex legitimis matribus nati sunt. Tam levia habentur penes eos matrimonii jura, ut pro libito desponatas, justas verasq; uxores repudient, mutent, atq; permutent. Similiter & filios filiasq; tot nuptiis & sponsalitiis copulant & recopulant, ut nescire cogamur, ubi verum cohæreat illorum matrimonium. Exempla hujus plura suppetunt, sed pauca, quæ à proximis annis sese offerunt, pro omnibus faciunt. Nonne Ladislaus Polonus accepta in uxorem Beatrice, cujus nutu Hungariæ regnum obtinuit, tandem, repudiata illa, superinduxit aliam ex Gallis pellicem,

Nonne

Nonne Carolus octavus, rex Francorum, repudiata Margarita Maximiliani Cæsaris filia, illius sponsam rapuit, & uxorem sibi copulavit? quam eandem postea Ludovicus duodecimus, repudiata sua, sibi consimili thoro conjunxit, consentientibus illis & juvantibus regni Episcopis & Pontificibus, quibus visum est, pluris facienda jura acquirendæ Britanniæ, quàm jura observandi legitimi matrimonii. Et hodiè adhuc nescio cui regi persuasum audio, ut liceat sibi jam plus viginti annorum uxorem dimittere, & nubere pellici. Sed ad meretrices revertendum est. Harum artes qui nosse velit, videlicet quo ritu suam prostituant pudicitiam, qua oculorum lascivia, quo nutu faciei, quo corporis gestu, queis sermonum blanditiis, queis impudicis contrectationibus, quo exteriori habitu ac fuco sollicitent corruptores, cæteraque meretriciæ artis vafricias, illices, laqueos, stratagemata, apud comœdiarum poëtas hæc requirat. Qui autem scire cupit, quo ritu, quo delinimento, quo contuitu, quo affatu, quibus basiis, quibus suaviis, quibus contactibus, quibus oppressiunculis, quibus affrictionibus, quibus luctis, quo accubitu, quo constrictu, quibus motibus, quo impulsu, quo exceptu, quo recessu, qua Veneris procelatione, qua reciprocatione, qua instauratione meritricius ludus sit explendus, in medicorum voluminibus traditum inveniet, Scripserunt præterea libros de meretricibus Antiphanes, Aristophanes, Apollodorus, Calistratus: particulatim verò Laidis meretricis laudes scripsit Cephalus Rhetor, atque Naidis meretricis laudes conscripsit Alcidamus. Scripserunt præterea de fornicariis amorib. tam Græci, quàm Latini, Callimachus, Philotes, Anacreontes, Orpheus, Alcæon, Pindarus, Sappho, Tibullus, Catullus, Propertius, Virgilius, Iuvenalis, Martiales, Cornelius Gallus, & multi alii, non tam Poëtarum, quam lenonum officio functi, sed hos omnes vincit Ovidius in epistolis heroicis ad Corinnam dictatis, maximè verò de Arte amandi, quem verius de arte meretricandi, aut lenocinandi intitulasset: ob quorum eruditionem, quod juventutem impudicis documentis corrupisset, ab Octaviano Augusto in meritum exilium ad Getas usque relegatus est. Ipse etiam Archilochus Lacedæmonius olim omnes amorum libros jussit exterminari: & tamen hæc ars hodiè adhuc à nobis legitur, & ludimagistri hanc suis prælegunt discipulis, & editis in eam sedulissimis commentariis exponunt: quin & vidi ego nuper atque legi sub titulo Cortosanæ Italica lingua editum & Venetiis typis excusum de arte meretricia dialogum, utriusque

utriusque Veneris omnium flagitiosissimum, dignissimumque, qui ipse cum authore suo ardeat. Prætereo hic, & consulto quidem, cynœdorum & prædiconum detestandam libidinem referre, etsi illam magnus probet Aristoteles: ac Nero imperator publico thoro honestavit, quo tempore Paulus Apostolus scribens ad Romanos indignationem omnipotentis Dei illis indicit: Pluet enim super eos Dominus laqueos, ut non effugiant: ignis & sulphur & spiritus procellarum pars calicis eorum. In hos jubet Imperator insurgere leges, & armari jura, & exquisitis pœnis ultore gladio pœnam irrogari capitalem: sed hodiè igne exterminantur, quam Moyses in legibus suis crudelibus supplicis extirpandam censuit, & Plato à sua republica expellit, & in legibus damnat. Antiqui etiam Romani hanc (teste Valerio & aliis) severissime punierunt. Exempla hujus fuerunt Q. Flaminius, atque tribunus ille à Cælio occisus. Sed nos honestis auribus parcentes, ab hac monstrosa libidine & brutali spurcitia, ad meretrices redeamus. Siquidem omnibus hæc libido infesta est: & non est, qui ignem illius aliquando non senserit: sed aliter uruntur fœminæ, aliter viri, aliter adolescentes, aliter senes, aliter plebei, aliter proceres, aliter pauperes, aliter divites, quodq; mirabilius est, pro nationum & terrarum varietate, aliter Itali aliter Hispani, aliter Galli, aliter Germani: ita libidinis incendio pro cujusque sexus, ætatis, dignitatis, fortunæ atq; nationis differentia sibi varios imaniendi ritus deligente: virorum amor ardentior, sed fœminarum pertinacior: amor juvenum lascivus est, & senum ridiculus: placere studet pauper obsequio, dives muneribus: plebei conviviis, proceres pompam & ludis. Adoritur pathicam ingeniosus Italus dissimulato ardore, quadam adornata lascivia, illamque editis laudat carminibus, omnibusque præterens extollit: si potitur, zelotypus illam perpetuo recludit ac veluti captivam observat: si amore frustratus de recuperanda pathica desperaverit, ad male dicta conversus, illam infinitis conviciis detestatur. Præceps Hispanus, ardoris impatiens, furibundus, irrequieta lascivia irruit, miserabilibusque lamentis incendium suum deplorans pathicam invocat & adorat: si potitus fuerit, tandem aut zelotypus perimit, aut satiatus ad mercedem prostituit: si frui desperare cogatur, seipsum excruciat, & morti destinat. Lascivus Gallus obsequio nititur, cantibus, & jocis pathicam oblectat: si capitur zelotypia, mœstus luget, si frustratus, lacessit contumeliis, vindictam minatur, vinicq; intendit, si potius

HISPANA BIBLIOTECA DIGITAL

titus fuerit,tãdem negligit,& aliam virit. Frigidus Germanus lentè inardescit,accensus arte instat, & donis provocat, zelotypus liberalitatem continet, frustratus contemnit, potitus refrigescit. Fingit sese amare Gallus, ardorem dissimulat Germanus, amatum sese sibi persuadet Hispanus, amare nescit absq; zelotypia Italus. Amat jucundam licet deformem Gallus, præfert pulchram licet inertem Hispanus mavult timidulam Italus, cupit audentiorem Germanus : fit è sapiente stultus pertinaciter amando Gallus, rebus omnibus amando profusis è stulto tandem, sed serò fit sapiens Germanus, ob placandæ amatæ desiderium magna aggreditur Hispanus ut amata fruatur, maxima quæq; contemnit Italus. Quin hujusmodi amorum libidinumq; passionibus irretiti etiam maximi viri, multa præclara facinora sæpissimè negligunt & post terga relinquunt: cujusmodi quondam in Ponto Mithridates, in Capua Hannibal, in Alexandria Cæsar, in Græcia Demetrius, in Aegypto Antonius : cessat olim ab opere Hercules propter Iolem, Achilles pugnam detrectat propter Briseidē moratur Circe Vlyssem, moritur in carcere Claudius propter Virgineam, retinetur Cæsar per Cleopatram, eademq; exitio fuit Antonio, Produnt Sacræ literæ, propter fornicationem Seth cum filiabus Cain propè universum humanum genus diluvione extinctum. Propter fornicationis impetum deletæ sunt Sichen, & domus Emor, & penè tota tribus Beniamin : populus Israel propter fornicationem externarum fœminarum quoties percussus est, & in servitutem datus? Iamq; propter unius David regis adulterium quanta strages pestis, famis, & gladio facta est? propter fornicarios amores, fœminarumque raptus, Thebani, Phocenses, Circei expugnati atq; deleti sunt, ipsumq; ut diximus, Peloponnesiacum bellum à Pericle susceptum est, ac decennali bello expugnatum Ilium, maximo totius Græciæ atq; Asiæ detrimento. Similes ob causas Tarquinius, Claudius: Dionysius, Hannibal, Ptolomæus, M. Antonius, Theodoricus Gothus, Rodoaldus Longobardus, Childericus Francus, Advincelaus Bohemus, atq; Manphrodus Neapolitanus mortem, & patriæ ruinam passi sunt, propter Canam Iuliam Tingitanæ provinciæ præfecti filiam, per Rodericum regem stupratam, pulsis Gothis, Saraceni omnē Hispaniam occuparunt. Henricus secundus, Anglorum rex, ob stupratam nurum suam Philippi Francorum regis sororem, à filio suo regno pulsus est. Propter virorum fornicationes indignatæ uxores Clytemnestra, Olympia, Laodicea, Berenica, Frigiobunda, & Blancha, ambæ Francorum reginæ, & Ioanna Neapolitana, & pleræq; aliæ maritos occiderunt. Eadem causa Medeam, Prognen, Ariadnen, Altheam Heristillam, materno amore in odium versō, in crudelem filiorum cædem adegit. Et posteris temporibus multæ adhuc mulieres maritorum stupra in natos filios vindicarunt, atq; ex mitissimis matribus crudelissimæ Medeæ, furibundæ Altheæ, & impiæ Heristillæ factæ sunt.

De Leonia. CAP. LXIV.

VErùm quia Lenonum & Lenarum suasu, consilio & opera committunt meretrices & scortatores ut plurimum scelera sua, ipsam lenociniorum artem prosequamur. Nam sicut meretricatio ars est prostituendæ propriæ pudicitiæ : sic lenocinium ars est oppugnandæ, & prostituendæ pudicitiæ alienæ : quæ tanto quidem major est meretricia quantò sceleratior : tantò potentior, quantò ipsa res plurium artium satellitio constipata : tantò autem pernicioſior, quantò ipsa plures cæterarum artium, ac scientiarum disciplinas amplectitur, quas aranearum instar irrepens, quidquid in singulis artibus & disciplinis uspiam est veneni, id totum è singulis haurit, in sua tela contexens: non quidem quales aranearum telæ, quæ, dimissis avibus, non nisi muscas capiunt, nec etiam cujusmodi illa venatorum ingentia retia, quæ grandiores belluas retinent, pusillas astutioresq; bestiolas elabi sinunt: sed vincula nectit tam fortia, tamq; solida, ut nulla puella, nulla mulier tam sit simplex sive prudens, tam constans sive pertinax tam verecunda seu timidula, tam potens sive pusilla, ut si semel aures præbeat lenæ, non illico capiatur & hæreat. Astutia verò ea est, quam nulla vincit muliebris prudentia, à quarum tendiculis nulla puella, nulla matrona, nulla vidua, nulla vestalis evadat indemnis: cujus intermis militia plurium mulierum pudicitiam prosternit, quàm ullus unquam, quantumcunq; maximus exercitus, illius technæ, fraudes, doli, versutiæ, astus ejusmodi, quæ tradere nullus stylus sufficiat, nullum æquare possit ingenium, quumq; hæc ars plurimos utriusque sexus habeat professores, tamen paucos admodum consummatos dedit magistros: nec mirum. Nam licet tot sint lenociniorum genera, quot artium & disciplinarum, idcirco absq; omnium cognitione perfici non potest. Oportet ergo perfectum & consummatum lenonem lenámve omniscium esse, nec ad unam solam disciplinam, velut ad Arcticam stellam

lam tantùm respicere, sed omnes amplecti, eam artem profitus, cui cæteræ omnes disciplinæ serviunt, & famulantur. Est enim certa quædam omnium scientiarum servitus lenocinio famulantium. Nam huic inprimis Grammatica scribendi & loquendi disciplina amatorias largitur epistolas, illaique effectis amatoris salutatiunculis, precatiunculis, lamentatiunculis, allectatiunculis, dictare docet: quarum exempla pleraque ex recentioribus Aeneas Sylvius, & Iacobus Caniceus, & plerique alii reliquerunt. Verum est alia quædam Grammaticæ ratio de modo occultè scribendi, ceu de Archimede Syracusano legimus apud Aulum Gellium: de quo artificio ante paucos annos scripsit Trithemius Abbas Spanheimensis duo ingeniosa volumina, quorum unum nuncupavit Polygraphiæ, alterum Steganographiæ, in quo posteriore tam securos secretosque ad quantamcumque etiam distantiam explicandi animi ritus modosque tradidit, quibus nec Iunonis omniscia zelotypia, nec Danaës arctissima custodia queat resistere, neque omnia pervidens centoculi Argi vigilantia queat explorare: ars profectò non tam necessaria regibus, quàm lenonibus & amantibus omnibus commodissima. Succedit huic proximè poesis, quæ suis lascivis rythmis atque fabulis, ac amatorii bucolicis, epigrammatibus, epistolis, & præcepiunculis, comœdiis atque expenitissimis Veneris armariis depromptis lascivis carminibus lenocinio functa, pudicitiam omnem subvertit, ac adolescentiæ bonam indolem inficique corrumpit. Vnde Poetæ inter lenones principatum facilè obtinuerunt, è quorum numero apud Priscos peritiores extitere illi, quos superiùs in arte meretricia nuncupavimus, Callimachus, Philetes, Anacreontes, Orpheus, Pindarus, Alceon, Sappho, Tibullus, Catullus, Propertius, Virgilius, Ovidius, Iuvenalis, Martialis: & hodie adhuc sunt poetæ, qui pestilentissima carmina scribunt. Post istos vero non infimum inter lenones locum sibi vendicant Rhetores, fraudulentarum blanditiarum & persuasionum artifices, illaque lenarum felicissima, qui propitia est dea Suadela. Superiorem tamen istis locum possident Historici, illi præcipuè, qui amatorias illas Historias contexuerunt: Lancelloti, Tristamii, Eurealis, Pelegrini, Calisti, & similium, in quibus fornicationi, & adulteriis à teneris annis puellæ instituuntur, & assuescunt. Neque verò machina quævis ad oppugnandum cùm matronarum pudicitiam, tam virginum ac viduarum castimoniam validior, quàm lectio lascivæ historiæ: nulla tam bonæ indolis

lis fœmina, quæ hac ipsa non corrumpatur, mirumque putârim, si aliqua reperiatur, aut mulier, aut tam exactæ castitatis, sive pudicitiæ, quæ ejusmodi lectionibus, & historiis peregrina libidine, non sæpè ad furorem usque accendatur. Atque tamen, quæ in his libris plurimùm edocta puella est, quæque horum jacere scit dicteria, & ex horum disciplina cum procis in multas horas facundè confabulari, hæc demùm est probè aulica. Permulti autem Historici lenones extitère, quorum nomina obscura sunt: multi etiam inter præclaros Scriptores istis operam navârunt: cujusmodi ex recentioribus Aeneas Sylvius, Dantes, Petrarcha, Bocatius, Pontanus, Baptista de Campo fragoso, & alter Baptista de Albertis Florentinus, item Petrus Hœdus, & Petrus Bembus, Iacobus Caniceus, & Iacobus Calandrus, Mantuanus, & multi alii, inter quos tamen Ioannes Bocatius, superatis omnibus, lenonum palmam sibi lucratus est, in iis maximè libris, quos Centum novellorum intitulavit, cujus exempla, & traditiones nihil aliud sunt, quàm callidissima lenociniorum stratagemata. Iam verò quàdo honestatis, ac religionis verecunda, timidulaque fœmina expugnanda est, quantum tunc Dialecticæ argutiæ lenociniis adjumenti præstant, ipsa apud Ovidium Myrrhæ fabula facit. Proinde nunc ex Mathematicis disciplinis Arithmetici ludi lenociniis commodi sunt, & Musica ipsa non minima lenociniorum clientula est, quæ vocis gratia & pestilentibus cantionibus, instrumentorumque voluptariis modulis libidinis incentiva, in omnem lasciviam & corruptionem animum emollit, mores subvertit, luxuriæ concupiscentiam affectusq; validissimè incutit: cui accedit chorearum & saltationum cõmoditas, ubi cum pathicis liberè loqui licet, & palpitare, osculà, basia & suavia figere, & impudicis manibus quam velis contrectare, & non rarò ad latebras confugere. Nec deest à lenociniis geometricus architectus, qui scansilii machinula per impluvium, vel fenestram sub noctu congrediatur amatæ, quique adulteratis clavibus, similibusque, ceu quale Dædalus fabricavit Pasiphaæ, ingeniis adulteris obsequatur. Iamque etiam in picturis legunt, quæ literas nesciunt, mulieres, plusq; ex istis intelligunt, quàm aliæ ex literis conspiciunt, dum intra cubilia nusquam non videant, quod cum scelere & flagitio æmulentur, nec minus per oculos, atque per aures animus corrumpitur. tam enim hi ad animum penetrant, atque illæ: nec minus lascivis carminibus, quàm rerum præsentia homines ad libidinem invitantur: cujus rei argumenta sunt Venus

HAC OPERA BIBLIOTECA OBVIA - LIBRARIA CORA

Gnidia Praxitelis in templo stuprata, ejusdemq; artificis Cupido abs Alchida Rhodio adolescente corrupta, & quæ refertur ab Aeliano Fortunæ statua abs Athenienli juvene tam ardenter adamata, ut cùm emere prohiberetur, apud eandem expirârit. Terentius etiam in Eunucho introducit adolescentem ad libidinem incensum, cùm vidisset tabulam, in qua depictum fuerat, quomodo Iupiter per aureum impluvium corruperit Danaen: ideoque non immerito Aristoteles pœnam publicam statuit pictoribus, qui alia proponunt oculis multitudinis, quibus libido inflammetur. Neq; vero sine causa dicit Sapiens, Picturæ ac statuariæ artes inventas esse in tentationem animæ hominum. & inde decipulam insipientium, & corruptionem vitæ. Occurrunt nunc Astrologi, chiromantes, geomantes, somniatores, ominatores, aruspices, augures, reliquusque divinatorum populus, qui omnes lenonum officio fungentes, suis fallacis ac versipellis astutiæ fraudibus spondent illicitos amores conciliantque, non rarò sceleratissimas conglutinant nuptias, nimis raro benè pactas dirimunt in adulteria: ab iis lenonibus non modò mulieres, sed, quod pudendum est, viri etiam amorum & conjugiorum suorum auspicia petunt, & spem potiundæ pathicæ puellæ capiunt, & profectum illorum non tam stulto, quàm impio hortatu sese connubiis jungunt, vel eximunt. Cæterùm etiam ad tam insanam credulitatem plerique inducti sunt, ut putent Astrologicis imaginibus, & horarum observationibus amorem cogi posse, sicut de istis Theocritus, Virgilius, Catullus, Ovidius, Horatius, Lucanus, & multi alii nugaces Poëtæ cecinerunt, atque ipsi Astrologi, Poëtis non minus mendaces authores, in suis electionum libris statis Canonibus tradiderunt: quo uno profectò lenociniorum obsequio Astrologi omnes, & divinatores non minimum faciunt quæstum, quibus in adjutorium proximè sese offert Magia.

Quæ se carminibus promittit solvere mentes,
Quas velit: asperas dulces immittere curas.

De qua etiam apud Lucanum:

Carmine Thessalicam dura in præcordia fluxit,
Non satis adductus amor.

Et apud Horatium Candidia, apud Apulejum Pamphilæ maleficæ suos amatores astringunt, ut, & in Callisti tragica Comœdia Cælestina lana Melibœam puellam accendit. Accedunt iis etiam veneficia, & philtra, amatoria pocula, sed admodum periculosa, ut pro amore nonnunquam morbum, aut gravem

gravem aliquam mortem inducant. Horum haustu motus est Lucullus: Lucretius sed dilucidis intervallis sensum, mentêque amisit. Legimus etiam mulierem quandam, quæ amatorio poculo hominem occiderat, ab Areopagitis absolutam, quia amoris causa hoc commiserat. Sed nulla lenocinii accommodatior ars, quàm medicina, quæ concupitam Venerem à quavis pathica puella facilè obtinet, dum pollicetur, resarcinato hymenæo, amissam virginitatem restituere, papillas ne excrescant cohibere, uterum prohibere, sterilitatis venena in longam securamque libidinem ministrans, aut quassata spina conceptum semen ejicere docens, ut canit Lucretius:

Idque sui causa consuerunt scorta movere,
Ne compleretur crebrò, gravidaque iacerent,
Et simul ipsa viris Venus ut concinnior esset.

Quo uno medicorum beneficio jam multæ matronæ simul & puellæ aulicæ etiam dominæ securè fuerûnt. Faciunt ad hanc rem etiam vetularum incrustationes, & reliqui meretricantium mulierum fuci, qui apud medicos in libris de decoratione passim traduntur: docenturque, quibus noxias meretricum merces vendibiliores reddant, quæ idcirco Sacræ literæ vocant unguenta meretricia, & cum istis alia permulta pharmaca libidinum incentiva: cujusmodi ope gloriatur Ovidius ad novenarium numerum se inscendisse, & Theophrastus scriptam reliquit plantam quandam ad septuagesimum coitum vires extendentem. Iam verò nullum lenocinium opportunũ tempestivumque magis, quàm quod medicinæ prætextu peragitur. nullæ siquidem domus tam clausæ, nulla monasteria tam recluſa, nulli carceres tam custoditi, quæ non admittant, quæve excludant lenonem medicum: è quibus, teste Plinio, etiam in principum domibus adulteria perpetrata sunt, ut Eudemi in Livia Drusi, & Vectii Valentii in Messalina Claudii. Et ne quis philosophos lenocinio inutiles putet, ipse Cyrenaicorum magister prohibet Aristippus, cui quum esset apud Thaidem nobile scortum frequens cum aliis rivalib⁹ consuetudo, gloriabatur, quòd ipse haberet Thaidem, quum alii à Thaide haberentur, quumq; illi sua bona perderent, ipse gratis luxuriaretur. Sic meretrix philosophum illum habuit pro lenone, cujus exemplo & authoritate omnem juventutem ad se traheret: nec satis fuit Aristippo, sese meretrici lenonem exhibere, sed etiam docere publicè libidines cœpit, illasque de lupanari in scholas transtulit. Reliquum nunc & mechanicæ artes perplures lenociniorum vicem obtinent, inter quas

Phrygia artificia nendi, texendi, suendi, cæteraque muliebria exercitia principatum tenent: quorum prætextu lenæ dum linum, filum, vittas, tiaras, corollia, vestes, loculos, chirothecas circumferunt, ex juvenculis olim meretricibus jam vetulæ mercatrices effectæ, pathicas puellas his rebus facilè allectant, & colloquendi opportunitatem capiunt, quibus tum adsunt subsidio lotrices, quibus permissum est domos liberè ingredi, & filias ancillulasque absentibus matribus ad lintea abducere: adsunt etiam mendicæ, quæ eleemosynarum pietate observant januas, deferunt, referuntque plena lenociniorum & nuncia, & literas.

Et ferunt ad nuptum dona, quæ mittit adulter.

Proinde etiam & virilia nobilium exercitia lenociniis accommoda sunt, ut equitia, quæ torneamenta vulgò vocant, ludique militares, quorum æstu Romulus olim rapuit Sabinas. Iamque etiam venatio ô quoties in sylvarum latebris nobilium potentumque adulteria conciliavit. Lusit hoc pulchrè Virgilius in Aenea & Didone, à venandi opportunitate delapsu comitum occasione capta. Ipse etiam Iupiter usus est lenonibus pastoribus. Proinde & nautæ quid conferant lenociniis, ipsæ Venetiæ testabuntur. Quin etiam lautæ coquinarum epulæ opiparaque convivia lenociniorum vicem tenent, ut eleganter in suis Aeneadibus expressit Virgilius:

Postquam prima quies epulis, mensæque remotæ,
Crateras magnos statuunt & vina coronant,
Hic regina gravem gemmis auroque popolcit.
Implevitque mero pateram: Celebrate faventes.
Dixit: & immensum Laticum libavit humorem,
Primaque libato summo tenus attigit ore.
Tum Biciæ dedit increpitans: ille impiger hausit
Spumantem pateram, & pleno se proluit auro:
Post alij proceres Tyrij, Troesque sequuntur.
Nec non & vano noctem sermone trahebat
Infelix Dido, longumque bibebat amorem.

Sunt adhuc, quæ prætereo, permulta lenociniorum ædificia, sed hæc omnia vincit aurum: quo si Alchimistæ nobis, ut pollicentur, satisfacere possent, ipsi profectò lenonum futuri sunt omnium invictissimi. Potentissimum enim lenocinium in auro atque pecunia est.

Scilicet uxorem cum dote, fidemque & amicos,
Et genus & formam regina pecunia donat.

Auro placatur zelotypus maritus, auro mollitur inexorabilis

bilis rivalis, auro accuratissimi vincuntur custodes, auro quæque janua panditur, auro omnis thalamus conscenditur, auro vectes & saxa, & insolubilia matrimonii vincula franguntur. Quid mirum, quòd auro virgines, puellæ, matronæ, viduæ vestales veneunt, si auro Christus ipse venditur? Denique hac lenociniorum duce plurimi ab infima sorte ad summum propè nobilitatis gradum conscenderunt. Prostituit hic uxorem, factus est senator: prostituit ille filiam, creatus est comes: hic aliam quamvis matronam in adulteri principis sollicitavit amplexum, mox amplo stipendio dignus, fit regius cubicularius: alii ob desponsata regia scorta spectabiles facti sunt, publicisque muneribus præfecti, eisdem artibus abs Cardinalibus & Pontificibus multi multa perpinguia venantur beneficia: nec est via ulla compendiosior. Quantum autem lenociniis ipsis conducat religio, ipsa Paulinæ castissimæ inflexibilisque matronæ historia ab Hegesippo descripta testatur, quam Isidis sacerdotes cuidam equestris ordinis adolescenti pro Anube Deo prostituerunt. Quid etiam in istis posset auricularis nostra confessio, ipsa Tripartita indicat historia: Nec desunt mihi, si referre velim, cognita recentia exempla. Habent enim sacerdotes, monachi, fraterculi, moniales, & quas vocant sorores, specialem lenocinorum prærogativam, quum illis religionis prætextu liberum sit quocunque pervolare, & quibuscunque, quantum, & quoties libet, sub specie visitationis & consolationis, aut confessionis secretò sine testibus loqui: tam piè personata sunt illorum lenocinia, & sunt ex illis, quibus pecuniam tetigisse piaculum est, & nihil illos movent verba Pauli dicentis: Bonum est mulierem non tangere, quas illi non rarò impudicis contrectant manibus, & clanculum confluunt ad lupanaria, stuprant sacras virgines, vitiant viduas, & hospitum suorum adulterantes uxores, nonnunquam etiam, quod ego scio & vidi, Iliaci prædonis instar abducunt, & Platonica lege cum popularibus suis communes prostituunt, & quarum animas lucrari debent Deo, illarum corpora sacrificant diabolo, aliaque his multò sceleratiora, & quæ nefas est eloqui, iniana libidine perpetrant, interim castitatis voto abunde satisfacientes, si lividinem, si luxuriam, si fornicationem, si adulteria, si incestum verbis acerrimè incessent detestenturque, & de virtute locuti clunes agitent. Sed & flagitiosissimi lenones, sceleratissimæque lenæ tæpè sub illis religionum pellibus delitescunt. Tales habent aulicæ dominæ plerunque sacrorum suorum mystas, & aulicarum nuptiarum scortationúmq;

consultores. Extabat olim Romæ in templo Veneris duabus tabulis exsculptum senatusconsultum, & lex futuaria scortatoribus & lenonibus admodum favorabilis, quam apud Petrum Crinitum in hæc verba latam legimus: in prima tabula continebatur: Iura visundi, consectandi, susurrandi, gestiundi, subtrudendi, salutandi, confabulandi, præcandi, perpetuò interdiu futuariis permissa ex me sunto, ex æde, foramine, horto, postico, impluvio cuncta hæc commoda nemini homini prohibento, consilia ferunto, fidem servanto, auxilium operámve danto. In altera tabula erat: Sub noctu vota tractando, percussa juramenta lamento, admiscento, solicitanto, verecundiam timoremque amovento, tristitiam supprimento, tempori locóve obsecundanto, occasioni ne unquam cedunto, internuncias epistolas succidunto: iis spem, voluntatem, expectationem, necessitatem, misericordiam adfectanto, inferunto: fraude, vi, dolo ostentatione attemperatè utuntur, prudentiam fatuitatem habento, tenento, gestanto: ex parthica quicquam sempiternè quasi stipem & pignus capiunto, ejus permissò advehunto, novam quærunto artu, pompáve grand. animem nobilem insectantor, notas conjecturas tacitùs novanto. Erat etiam Lycurgo lata lex, si quis ætate provectior ac nuptiis intempestivior, puellulam primæ pubis duxisset, huic integrum esset ex adolescentibus aliquem deligere, qui Venere potentior præcurrens refacem uterum generoso semine impleret, modo ipsum, quod natum esset, mariti assereretur. Erat & Solonis lex, quæ similiter permittebat uxoribus, si mariti in rem Veneream ignaviores essent, ex necessariis unum aliquem sibi dispicere, qui cum colluctarentur, nec ideirco alienum dici, quod nascereretur. Mitto, quòd sunt & cognoscuntur mulieres in hunc diem etiam ex nobilioribus, quæ quotannis externo semine gravidæ, nothos filios maritis supponunt, rursusque post partum redeunt ad alternam adulterorum satietatem, nequiores M. Agrippæ Iulia, quæ nisi plena navi vectorem non recipiebat. Atque surrexit his temporibus ex Theologorum schola invictus hæreticus, qui has Lycurgi & Solonis leges assereret licere etiam in Ecclesia (quod vos ideo scire volo, ne putetis non etiam Theologos esse lenones) Ipsa siquidem sacra bibliorum eloquia (si fas est dicere) lenociniorum stratagemata habent, in socru Ruth, & in Ionadab, quem vocat Scriptura virum prudentem, atque in Achitophel potenti consiliario manifestum est. Quin & Abraham cùm esset illi uxor Sara pulchra & juvenis, & peregrinarentur apud Aegyptios, ait illi: Novi, quòd

vi, quòd pulchra sis mulier, & cùm viderint te Aegyptii, dicent, Vxor illius est, & interficient me, & te reservabunt: dic ergo, obsecro, quòd soror mea sis, ut benè sit mihi propter te, & vivet anima mea ob gratiam tui: & ita tandem sublata est Sara in domum Pharaonis & Abraham benè usi sunt propter illam. Eodem stratagemate apud regem Palæstinorum Abimelech usus est utrique regibus, sed diversis temporibus conjugem suam ad concubitum usque permittens. Fecit idem Abrahæ filius Isaac, atque ita etiam sanctorum exemplis ars lenociniorum illustrata est. Proinde a diis, abs heroibus, à legislatoribus, à Philosophis, à sapientissimis viris & theologis, à principibus, ab iisque religionis capitibus culta & cohonestata. Lenones fuerunt Pan Deus atque Mercurius, ipsíque puer Cupido leno fuit heros ille Vlysses, leno fuit legislator Lycurgus, & sapiens ille Solon, qui prius lupanaria ædificavit, & meretriculas, juventuti prostituit. Sed & recentioribus temporibus Sixtus Pontifex Maximus Romæ nobile admodum lupanar extruxit. Imò fuit Imperator ille Heliogabalus, qui domi suæ meretricum cohortes aluit, amicisque & servis exhibuit. Iam verò etiam reginarum cæterarumque principum & dominarum nonnunquam ea cura est, atque regum matres, nonnunquam filiorum horum lenæ sunt. Neque præterea optimates magistratusque id officii abhorrent, quippe lenones olim fuerunt Corinthii, Ephesii, Abydeni, Cypru, Babylonii, & multi alii magistratus, qui in civitatibus suis lupanaria construunt foventque, nonnihil ex meretricio quæstu etiam ærario suo accumulantes emolumenti: quod quidem in Italia non ratum est, ubi etiam Romana scorta in singulas hebdomadas Iulium pendent Pontifici, qui census annuus nonnunquam viginti millia ducatos excedit, adeoque Ecclesiæ procerum id munus est, ut unà cum Ecclesiarum proventibus etiam lenociniorum numerent mercedem. Sic enim ego illos supputantes aliquando audivi: Habet, inquiētes, ille duo beneficia, unum curatum aureorum viginti, alterum prioratum ducatorum quadraginta, & tres putanas in burdello, quæ reddunt singulis hebdomadibus Iulios viginti. Iā verò nihilominus lenones sunt Episcopi illi & Officiales, qui censum pro concubinatu à sacerdotibus quotannis extorquent, idque tam palam, ut apud plebem ipsam in proverbium abierit illa eorum concubinaria exactio, sive lenocinium, quod dicunt, Habeat, vel non habeat, aureum solvet pro concubina, & habeat, si velit. Sed in regno avaritiæ nihil turpitudini adscribitur, quod lucrum pariat. Mitto to-

lerantiæ commentum, quo certa pecunia Episcopis soluta absentis mariti uxor præter adulterii, ut dicunt, offensam alteri cohabitare permittitur: quæ omnia tam manifesta sunt, atque frequentia, ut nescire cogamur, Episcoporumne impudentia, an plebis patientia hactenus fuerit ineptior, ut tandē opus fuerit Germaniæ Principibus, inter cætera nationis illius gravamina hæc quoq; deferre, ex quibus quæ hic silentio premuntur, elicere poteritis. Ejusmodi itaque patronos habet ars Lenonia, quiq; tueantur artem meretriciā: cui in hunc usq; diem (proh dolor) in Christiana Rep. locus est: & in civitatib. publica theatra, immunitates & stipendia concessa sunt, unica illa contra divinas leges, atque ipsum Dei verbum humana ratiuncula, sive potiùs lenonio commento militante, qua inquiunt, Vt juventus, egesto illic libidinis impetu, pejora conari desistat: Tolle, ajunt, è Rep. meretrices, cuncta stupris, incestis, adulteriis permiscebuntur, nulla matrona integra remanebit, nulla vidua pudicitia incolumis persistet, vix virgines ac vestales inviolatæ servabuntur. Hinc tandē impossibile esse concluduntur, Reip. tranquillitatem sine meretricibus posse consistere: sine quibus tamen populus Israël olim per tot sæcula continentissimè duravit, sicut præcipit illis Deus: Non erit meretrix, neq; scortator in filiis Israël. A tq; præterea hæc spurcitia olim etiam sub religionis specie Ecclesiam insiliit, ac Nicolaitarum hæresim propagavit, qui ob vitandam zelotypiam uxores prostituebant, ac veluti Platonica lege communes habendas docebant. Quicunque autem Principes, Iudices, & Magistratus lupanaria fovent, sive quovis modo permittunt etiam licet ipsi non fœrentur, dicetur eis à Domino, quod ait Psalmista: Si videbas furem, currebas cum eo, & cum adulteris portionem tuam ponebas, hæc fecisti & tacui, existimasti iniquè, quòd ero tui similis, sed arguam te, & statuam contra faciem tuam.

De Mendicitate. CAP. LXV.

PErtinet ad Remp. atque religionem, etiam pauperum & ægrotantium rationē habere, ne quis delinquat propter paupertatem, & furetur, aut mendicando circumiens, contagiosæ pestis calamitate cives inficiat, aut fame pereat in opprobrium humanitatis. Quapropter pauperum Xenodochia publico ære insigni pietate pluribus in locis instituta sunt, & privatis divitum eleemosynis indies locupletata. Publicè enim mendicare, & circumire civitates, ab initio semper ubique gentium omnium legibus prohibitum fuit. Nam in vetere Lege Iudæis à Moyse

à Moyse præceptum est. Omninò egenus & mendicus non sit inter vos. In lege etiam Romana de validis mendicantibus arctè statuit Iustinianus Imperator, ut si quis laborare potens, eleemosynis se immisceat, captivandus sit, & in servitutem redigendus. In lege autem Euangelica præcepit Christus, Quod superest, dandum pauperibus, ut nullus mendicus, neque egenus in plebe remaneat, sed fiat æqualitas, sicut scribit Paulus Corinthiis, inquiens: Vestra abundantia Illorum inopiam suppleat, ut & illorum abundantia vestræ inopiæ sit supplementum, & fiat æqualitas, sicut scriptum est, Qui multum habuit, non abundavit: & qui modicum, non minoravit. Et ad Ephesios scribens, ait: Qui furabatur, jam non furetur, magis autem laboret operando manibus, quod bonum est, ut habeat, unde tribuat necessitatem patienti. Idem & Thessalonicenses jubet laborare manibus, & operam dare ut abundent, tanquam decretum illis statuens, ut qui nolit operari, non manducet: secus autem agentibus communionem fidelium præcipiens subtrahendam: atque in Epistola ad Timotheum condemnat eos, qui mendicitatis quæstum arbitrantur pietatem. Ipsa etiam Canonica Pontificum decreta solis illis pauperibus erogandas eleemosynas decernunt, qui laborare non possunt: quoscunque alios illas accipientes inter prædones, fures, latrones, & sacrilegos connumerant. Iis itaque authoribus docemur, non tam paupertati condolendum, quàm mendicitatem ipsam detestandam: Artes verò quas pro explendo mendicitatis quæstu excogitaverunt, ab omnibus execrandæ sunt, dum malunt ante templorum fores in humanæ naturæ injuriam, & contra divinam legem lethale frigus, dentium stridores, urentes æstus, ingentesque cruciatus, ut vix mortem ipsam excludant, spontaneè perpeti, quàm in Xenodochiis pauperum stipe contenti degere, & malis suis mederi: quodque magis execrandum est inter hæc malorum tormenta insuper blasphemi, maledici, contumelioſi, temulenti, dejerantes, nonnunquam autem simulatè orantes, sacra omnia aut negligentes, aut contemnentes, ne Christum quidem ulla veneratione colentes, ut spectantibus non Christi martyrum præ se ferant imaginem, sed infernalium manium, damnatorumque repræsentent cruciatus. Est aliud mendicantium scelestissimum genus minimè miserandum, eorum videlicet qui visco, farina, cruore, tabe, superincrustatis vulneribus, & superinductis stigmatibus sese totos ulcerosos, cancrososque pingunt. Alii aliis confictis morbis, variis præstigiis, spectantibus se miseria-

biles mentiuntur. Sunt alii, qui votorum & peregrinationum prætextu provincias obambulant, laborem ex industria fugientes, otiosa paupertate ostiatim mendicantis, atque ii interim, ne cum regibus quidem vitam suam commutare velint, modo illis liberum est, quòd libet & velint, vagari, quodcunque collibitum est, facere bello & pace: ubique tuti ab exactionibus, à publicis oneribus, à servitutibus, censuris civilibus undique & ubique liberi, nec fraudibus, dolis, impostoris, furtis, injuriis in jus vocati, & velut diis sacri ab omnibus inoffensi: atque tamen ex illorum ordine non minima nascitur pernicies, ingentiaque prodeunt facinora, dum prætextu mendicitatis civitatum & provinciarum explorant secreta: fraudibus & dolis exercitati, hostiles deferunt referuntque tabellas, ad omnium proditionum genera instructi. Ab iis nonnunquâ incensæ urbes. quod proximis annis ipsa Gallia, atque Trevirensis experta est, nonnunquam ab iis corruptæ aquæ, infectæ fruges, venenata pabula, &, seminata peste, ingens hominum strages facta est. His adnumerandæ sunt gentes illæ, quas Cynganos vocant,

Quas aliena iuvant, propriis habitare molestum.
Fastidit patrium non nisi nosse solum.

Hi enim ex regione inter Aegyptum & Aethiopiam oriundi, de genere Chus filii Cham, filii Noë, adhuc usq; progenitoris maledictionem luunt. per universum orbem vagantes, in triviis tetoria erigentes latrociniis, & furtis deceptionibus & permutationibus, atque ex chiromantica divinatione oblectantes homines, iis fraudibus victum mendicant. Volaterranus hos Vxios esse putat Persidis populos, secutus Scilatem, qui Constantinopolitanam scripsit historiam. Hic enim dicit Michaelem Traulum Imperatorem ex vaticinio Vxiorum adeptum fuisse imperium, quæ secta per Mœsiam atque Europam sparsa, passim omnibus futura prædicebat. Polydorus Assyrios atque Cilices affirmat. Iam verò hæc variæ mendicitatis luës, nõ inter prophanos modo & extremæ fæcis vilissimos nebulones hospitatur, sed in religionem, in monachorum & sacerdotum usque ordinem conscendit. Hinc illæ fratrum, monachorum, cæterorumque quæstuariorum sectæ natæ sunt: è quorum numero sunt, qui maleficia religionis specie divorum, ut ajunt, reliquias circunferentes, aut insidiosa sanctitate pietatem præ se ferentes, cum multis confictorum miraculorum appendicibus divorum iras comminantes, indulgentias & dispensationes pollicentes, eleemosynarum prætextu venantur divitias: atq; e

atque provincias peragrantes, ab incautis rusticis, ac crudelis mulierculis superstitiosè attonitis, ovem, agnum, hœdum, vitulum, porcum, pernas, vinũ, oleum, butyrum, triticum, legumina, lac, caseos, ova, gallinas, lanam, linum, etiam pecunias corradentes, universam regionem deprædantur, ac onusti opimis spoliis domum redeunt: ubi à suis magno omniũ applausu accipiuntur, collaudanturque, quod simplici plebi passque mulierculis tam religiosè imposuerint, putantque, per hujusmodi mendicitatis artes, insignesq; fraudũ versutias sese Deo, atq; sanctis gratissima offerre sacrificia, quoties ad istum modum onusti præda, magno populi dispendio, ac Reipub. detrimento, sui famulitii satellites saginent otiosos, ipsa miser cordiæ opera, quorum prætextu tanta donaria illis conferuntur, penitùs posthabentes, negligentes & contemnentes. Lusit olim istorum fabulam Apuleius in suo Asino de sacerdotibus deæ Syriæ. Accedunt istis muliæ admodum ex fratrum mendicantium atque beguardorum, ut vocant, numero, qui postergata professionum suarum sanctimonia, quæstum cum pietate cõmutârunt, acsi non in aliud religionem professi sint, quàm ut sub paupertatis titulo liceat illis impudenti mendicitate quocunque pervolare, & perfricata fronte, importuna hypocrisi undique pecunias corradere, nullius quæstus pudere, ac insigni sycophantia in choro, in foro, in templis, in scholis, in aulis, in palatiis, in publicis & privatis colloquiis, in confessionibus, in disputationibus, in concionibus, è subsellijs, è cathedris, è pulpitis, è suggestis, impudentiæ suæ arcibus, spargere in vulgus, indulgentiarum merces vendere, sua benefacta emetiri cæremoniis, & à mercatoribus, usurariis, & a nobilibus prædonibus malè partorum prædam extorquere, & à crassis civibus & indocta plebecula superstitiosisq; aniculis emungere nummos, ac serpentis exemplo stultas mulierculas primùm allicere, & per illas sibi aditum parare ad fallendos viros: qui cùm, affectata vestium vilitate, ostentant paupertatem, & vociferando prædicant spernendam pecuniam, fugiendam ambitionẽ, ipsi nihil magis curant, quàm ut plurimum pecuniæ possideãt, atq; ob id causæ mare & aridam circumeunt, & omnium domos & tabernas penetrant, nec sacra nisi pro mercede ministrãt, eleemosynas quàm tyrannicè, tanquam tributum, postulant, omnium negotiis se miscent, compingunt matrimonia malè cohærentia, intervertunt testamenta, componunt lites, reformant sacras virgines: sed omnia hæc nisi suo compendio. Hæc sunt artes fratricæ, quibus pleriq; illorum in tantam excreve-

runt

runt authoritatem, ut timori sint ipsis Pontificibus & monarchis, divitiasq; plus quàm mercatorum opes, ac Principum thesauros congesserint, & multis aureorum millibus mitras & capella mercati sint, summumq; Pontificatum ingentibus pecuniis ambierũt. Tanta potest religiosa illa mendicitas, Cumque ingentes possideant pecunias, plerique interim severam paupertatem plus quàm Evangelicam perfectionem præstare ostentant, si hanc nudis digitis non contrectant, sed habeant suum sudam, qui illorum gerat loculos, & rationes reddat: interea dicere ausi, sicut Petrus & Ioannes: Argentum & aurum non est mecum. Quòd si hîc non mentirentur, & fidelis sit sermo illorum, haberent etiam jus dicendi, Surge & ambula, & cum beato patre Francisco à pecuniis pariter & vitiis nudato, imperarent creaturis, & obedirent, aquam in vinum cõverterent, flumina siccis pedib. transirent, rapidos lupos mansueros redderent, hirundinum garritum solo jussu compescerent, falconem veluti gallum excitatorem redderent, igni præciperent, & multa ejus generis, quę sanctus ille vir miracula fecit, peragerent: sed non faciunt hæc omnes, qui dicunr, Domine, Domine, & velut Stoicæ simiæ exteriùs duntaxat Christi & Francisci insignia & vestes gerunt, voluntatem autem & testamentũ illorum non observant. Scripserunt contra istos quondam Richardus Episcopus Armachanus, & Malleolus Præpositus Tigurinus, & Ioannes Episcopus Camotensis, & plerique alii commeminerunt, quorum scripta tolerabiliora forent, si non adeò religiosam hanc mendicitatem, sed illius abusum duntaxat damnassent. Verùm de his modò satis, ut ad ulteriora progrediamur.

De Oeconomia in genere. CAP. LXVI.

SUB Reipublicæ administratione continetur etiam Oeconomia, quæ est domestica quædam Respublica, & non nisi monarchia quædam privata: sed ejus species plures sunt. Nam quædam regia, sive aulica, alia satrapica, sive castrensis: rursus alia publica, seu communitatis sive cõventualis, sive sodalitia, alia deniq; privata, seu monastica. Hæc itaq; docet, quomodo uxor, filii, affines, familia, servi regendi sunt: quomodo tuenda, ampliandaq; domus, ac possessio: unde sumptus corradendi: præterea, quidquid est astutiæ de proventibus, moneta, portoriis, vectigalibus, decimis, usuris, fœnoribus, monopoliis, & quidquid est comparandi lucri & vectigalis novarum artium & inventionum: insuper quoq; de sodalitiis, fœderibus,

bus, litibus & bello: quæ omnia cùm nec modum habeant, nec regulam, idcirco anomala dicuntur. Quocirca œconomia nec verè ars, neque scientia dici potest, sed quædam ex hominum opinione, usu, consuetudine, prudentia, seu etiam astutia constans domestica disciplina, ad quam selluaria opificia & artes mechanicæ omnes referuntur, quæ in lino, lana, ferro, ære, metalliscq; variis cõsistunt: serviles quoq; obsecundationes tonsorũ, balneatorum, cauponum & multiplices victus acquirendi, & rem privatam amplificandi formæ, quæ nec ad præsidendi pertineat authoritatem, nec reipub. regimini usque quaq; cõducunt, nihil divinum, nihil liberale, nihil heroicum speculãtes: quorum tantæ sunt, ut numerari nequeant, & hæ omnes quidem serviles sunt. Pleræq; etiam sunt cognatis quibusdam vitiis infames, sicut aurigæ, nautę, caupones, loquacitatis vitio infames habentur, quia fabulis gaudent, & rumores spargunt: similiter & tonsores & balneatores & pastores: nam hos Midæ fabula, & Syllæ Athenas obsidentis historia, illos verò Batti fabella infames fecerunt. Sic etiam cantores, & tibicines & citharœdi, homines mercenarii, qui in conviviis in aliorum oblectamentum musica instrumẽta sonant, infames sunt. sed nautarum vita omnium cùm infœlicissima, tum pessima, quorũ habitatio instar carceris est, victus asperrimus, idem & immundissimus, indumenta spurca, & rerum omnium incommoditas, perpetuum exilium, semper vagi, profugi, nescii quietis: semper ventorum rabie, incertis undis jactati, æstus, frigoris, imbriũ, fulgurum, famis, sitis squaloris semper obnoxii Accedunt ad hæc Scyllæ, Charybdes, Syrtes, Symplegades, tot infesta maris pericula: præterea tempestates, quibus nihil est tristius & horribilius, & cum his omnibus pluribusq; aliis malis cõtinuum vitæ discrimen: cumq; nautæ hominum omnium sint infelicissimi, sunt simul omnium mortalium sceleratissimi. Sed inter tam multas mechanicas artes mercatura, agricultura, militia, medicina, causidica, potiores partes tenent: de quibus inferius per ordinem dicemus. Sed priùs generalia œconomiæ fundamenta discutiamus.

De Oeconomia privata. CAP. LXVII.

PRivatæ Oeconomiæ vis tota in conjugio est: unde Metellus Numidicus censor, cùm Populum Romanum ad matrimonia capessenda adhortatur: Si sine uxore possemus, Quirites esse, inquit, omnes ea molestia careremus: sed quoniam ita natura tradidit, ut nec cum illis satis commodè, nec sine

HARVARD FJOLFRÆÐIBÓKASAFN

sine illis ullo modo vivi possit, saluti perpetuæ potius, quàm brevi voluptati consuledum est: hæc ita narrat Aulus Gellius. Neq; enim sine uxore ulla domus, aut res domestica stare & durare potest: nam sine uxore nec extedi progenies, nec vocari hæres, nec appellari hæreditas, nec esse propinqui, nec familia, nec paterfamilias dici potest. Qui uxorem non habet, domum non habet, quia domum non figit. & si habet moratur in ea, ut peregrinus in diversorio. Qui uxorem non habet, etiamsi locupletissimus sit, nihil ferè habet, quod suum sit, quia non habet cui possit relinquere, nec cui confidere: omnia sua patent insidiis, furantur illum servi, defrudant socii, contemnùt vicini, negligunt amici, insidiantur propinqui: filii, si quos habet extra conjugium, sunt sibi ignominiæ, neq; nomen familiæ, neq; avorum imagines, neq; opes suas vetantibus legibus illis relinquere potest ipsiusq; simul ab omnibus publicis muneribus, & honorib. legislatorum omnium consensu propulsus est. Neq; enim dignus est regere civitatem, qui domum regere non didicit: nec gubernare rempublicam, qui rem privatam & familiarem nunquam cognovit, quę est illius verissimi exemplar & imago. Noverant hoc Græci, qui, cùm Philippus Macedo dissidentes eos pacare studeret, & Leontinus Gorgias de Græcorum concordia librum recitasset in Olympia, utrumque respuentes irriserunt, quòd alios concordare studerent, qui domi suæ nullam concordiam stabilire possent. Erant enim Philippo domi dissidentes filius & uxor: Gorgiæ autem uxor & ancilla: quorum ergo præsumpta prudentia & authoritas domesticas rixas sedare non poterat, nec illos exteriores discordias sapienter posse componere putabant. Qui igitur civitati & reipublicæ præficitur, nisi seipsum & domum suam, remq; privatam regere sciat: is planè inauspicato præficitur. Deniq; hic unicus vitæ status est, in quo homo in diligenda uxore, educandis liberis & regenda familia, tuendis rebus, gubernando domicilio, propaganda progenie, vitam omnium ducere potest felicissimam: in qua si quid cadat oneris & laboris: (cadunt autem permulta, neq; verò vita ulla sua cruce caret) certè hoc unicum illud onus leve, & suave jugum est, & quod in conjugio est, si modò tales sint conjuges, quos non avaritia, non fastus, non dolus, non fraus, non intana libido, sed Deus ipse conjunxerit, ut relinquat homo patrem & matrem, & filios, & fratres, & affines, & adhæreat uxori suæ, cujus amor omnium aliorum dilectionem superare debet. Sic Hector videns excidendum Ilium, non parentum, nō fratrum, non sui ipsius

ipsius solicitudine angitur, quantum charæ conjugis. Sic enim apud Homerum:

Haud equidem dubito, quin concidat Ilion ingens,
Et Priamus, Priamiq; ruet plebs armipotentis,
Sed mihi nec populi, nec charæ cura parentis,
Nec priami regis tantum præcordia redit.
Nec germanorum, quamvis multiq; probique
Ense sub hostili vitam in pulvere ponent;
Quàm me cura tui conjunx charissima vexat.

Fateor perversas nuptias multas comitari angustias, & mala multa, cujusmodi quondam recensuit Socrates, perpetuam solicitudinem, excruciantem zelotypiam, contextum querelarum, exprobrationem dotis, grave affinium supercilium, alieni matrimonii subcensuras, varios sumptus, incertos liberorum eventus, nonnunquam orbitates, interitum generis, hæres alienus, & dolores innumeri: adde nullam uxoris electionem, sed qualiscunque evenerit, habenda: si jucunda, si stulta, si perversis moribus, si superba, si sordida, si deformis, si impudica, quodcunque vitii est, post nuptias discitur, vix, aut nunquam emendatur. Sunt perversarum nuptiarum non modica exempla. M Cato Censorius, ætate sua Romanæ Reipublicæ facilè princeps, & qui bello & pace parem vix habebat, cùm jam senex Salomonis cujusdam viri inopis & obscuri filiam adolescentulam duxisset uxorem, illa se contumaciter gerente, domi suæ omni authoritate carebat. Tiberius cum Iuliam Augusti filiam manifestis adulteriis infamem haberet uxorem, eamque nec castigare, nec deferre, nec repudiare, nec detinere auderet, Rhodum secedere, non sine famæ ignominia, vitæque periculo coactus est. M. Antonius Philosophus, Antonii Pii filia Faustina in uxorem accepta, adulteram illam ne de dote & imperio in certamen veniret, retinere coactus est. Verùm omnia hæc incommoda non tam uxorum, quàm maritorum culpa proveniunt. nullis enim nisi malis maritis uxor contingere solet improba, De iis ita philosophatus est Varro apud Gellium, inquiens: Vxoris vitium aut tollendum aut ferendum est. qui enim tollit, hanc sibi cōmodiorem præstat: qui fert, ipse sese meliorem reddit. de iis in declamatione nostra de Sacramento Matrimonii latius locuti sumus. Iam verò & filiorum educatio non omnibus rectè cedit: quorum plurimi malè audientes, vel rebelles parentibus, alii eisdem etiam infesti, alii insani, & vecordes contingunt, & alibi hebetes & crassi, alii per vitiorum omnium præcipitia vitam agunt,

gunt, patrimonia luxu, libidine, & alea evertunt, alii parricidæ, quales Alcmæon & Orestes, & P. Malleoles, qui matrem occiderunt. Ipse etiã Artaxerxes Mnemon susceptis centũ & quindecim liberis, magnã eorum, partẽ illi insidias parantẽ de medio sustulit. Quocirca non nescire Euripides ait, & noster Bernardus assumpsit, bonũ esse incognitum carere liberis. Ipse etiam Augustus, felicissimus Imperator, propter filiam & neptẽ sæpè Homericum versiculum exclamare coactus est:

Conjuge non ducta, natis utinam caruissem.

De servis etiam ait Euripides: Domi nullas major inimicus, neq; peior, neq; inutilior servo. Et Democritus inquit: Servus necessaria possessio, non autem dulcis. Et Petrarcha alicubi scripsit: Sciebam me cum canibus vivere, verùm venatorem esse, nisi admonitus, nesciebam. Servi vocantur canes, sunt mordaces, sunt gulosi, sunt latratores. Plautus in Pseudolo naturas eorum iis verbis exprimit: Plagigera hominum genera, quorum haud quicquam in mentem venit, ut rectè faciant: at cùm est occasio data, tene, clepe, rape, hoc est eorum opus, ut malis lupos apud oves relinquere, quã hos domi custodes. Et Lucianus in Palinuro ait: Servorum in dominos semper prompta maledicta, furta, impositiones, fuga, arrogantia, negligentia, temulentia, edacitas, somnolentia, tarditas, ignavia. Hinc jactatum illud proverbium, Totidem domi hostes habemus, quot servos. Sed nos illos sæpè non tam hostes habemus, quàm facimus, cùm in illos superbi, avari, contumelioſi, & crudeles sumus, & domi induimus animos tyrannorum, & non quantum decet, sed quantum libet, exercere volumus in servos. De iis ita loquitur Strophilus servus apud Plautum in Aulularia:

Inique domini servis utuntur suis.
Et servi inique dominis nunc parent suis.
Sic fit ne utrobi, quod fieri insitum foret.
Penum, popinas, cellas, promptuaria,
Occludunt mille clavibus parci senes,
Quæ vix legitimis concedi natis volunt.
Servi furaces, versipelles, callidi,
Occlusa sibi mille clavibus reserant,
Furtimq; vaptant, consumunt, liguriunt,
Contenta nunquam furta dictu ut eruce.
Sic servitutem ulciscuntur servi mali
Risu, iocisq;. Sic ergo concludo, quod
Servos fideles liberalitas facit.

Multæ

Multæ Respublicæ olim à servis ingentia mala perpessæ sunt: testantur id servilia bella à multis Historicis descripta, sed Volsinensium urbs opulenta divitiis, ornata moribus & legibus, olim servorum insolentiæ miserabile spectaculum præbuit. quæ ubi cum servis laxis frenis familiariùs egisset, nonnunquam etiam consiliis admisisset, tandem senatorum admodum pauci ordinem intrare ausi, mox universam Rempubl. occupârunt, testamenta ad arbitrium suum scribi jusserunt, convivia cœrusq; ingenuorum fieri vetebant, ducebant filias dominorum: postremò lege sanxerunt, ut stupra sua in viduis pariter atq; in nuptis impunita essent, ac ne quã virgo ingenuo nuberet, cujus castitatem non antè aliquis de numero ipsorum delibasset. Sic opulentissima urbs, & quæ caput Cariæ habebãtur, ob nimiam in servos indulgentiam clementiamque in profundum injuriarum & turpitudinis decidit. Sublata enim servorum disciplina, (ut inquit Aristoteles, in Politicis orationibus) domini in insidias veniunt, sicut Hilotæ in Lacedæmonios, & Prænestæ in Thessalos fecerunt.

De Oeconomia regia, sive aulica. CAP. LXVIII.

SUpereſt, ut regiam œconomiam, hoc est, aulicam, breviter explicemus. Est igitur revera aula nihil aliud, quàm collegium gigantum, hoc est, nobilium famosorumq; nebulonum conventus, theatrumq; pessimorum satellitum, morum, corruptissimorum schola, & execrabilium scelerum asylum, ubi superbia, fastus, tumor, rapacitas, libido, luxus, livor, ira, crapula, violentia, impietas, malitia, perfidia, dolus, malignitas, crudelitas, & quæcunque uspiam sunt vitia, moresque corruptissimi habitant, imperant atq; regnant: ubi stupra, raptus, adulteria, fornicationes principum & nobilium ludi sunt, ubi etiã principum regumq; matres nonnunquam filiorum lenæ sunt: ibi scelerum omnium procellæ, virtutumq; omnium inenarrabile naufragium: probus quisq; illic opprimitur, pessimus quisque provehitur, simplices irridentur, justi persequuntur, audaces & impudentes eriguntur: soli illic prosperantur adulatores, susurrones, detractores, renunciatores, calumniatores, sycophãtæ, pseudoli, famicidæ, supplantatores, inventores malorum, cæteriq; tempestatum populi, quibus perversissima quæque facinora in professo sunt: quorum vita omnis turpissima, quicquid uspiam est teterrimarum belluarum perversitatis, tota hæc & omnis in aulicum gregem, quasi in unũ corpus, confluxisse videtur. Illic ferocitas leonis, sævitia tigri-

dis, truculentia ursi, temeritas apri, superbia equi, rapacitas lupi, obstinatio vituli, fraudulentia vulpis, versutia chamæleontis, varietas pardi, mordacitas canis, desperatio elephantis, vindicta cameli, timiditas leporis, petulantia hirci, immunditia suis, fatuitas pecudis, stoliditas asini, scurrilitas simiæ: ibi furentes Centauri, ibi pernicioſæ Chimeræ, ibi insanientes Satyri, ibi fœdæ Harpyiæ, ibi improbæ Syrenes, Scyllæque biformes: ibi horridi struthiones, ibi voraces gryphi avidiq; dracones, & quicquid fatalium monstrorum, infelicisque portenti uspiam stupet coacta natura, illic habitat atque visitur: ibi omne genus suos patitur carnifices atque tyrannos: in summa aut nequitiæ, malitiæ, impietati insistendum, aut aula cedendum. Non impunè licet, nisi cùm satis: exeat aula, qui vult esse pius. Nullum civitatibus exitialius malum contingere potest, quam potentis aula. Hæc ubi movetur, tanquam Cometes malorum omnium prænuncia, ac veluti contagioſiſſima peſtis, quocunque applicat, pernicioſiſſimam cladem secum fert, undecunque migrat, insanabilia, veluti eorum, qui rabioſus canis momorderit, relinquit veneni sui vestigia. Comitatur illam perpetua rerum caritas, dum quisque ex ea lucrum captare nititur, ex aucto rerum precio, quod nonnunquam postea remitti potest magno detrimento: comitatur & luxus cibariorum, quo introductis peregrinis epulis populus ipse patrios cibos fastidire incipit, passimq; popinæ, & gulæ indulgens, res suas turpiter absumit: comitatur & fastus, quē dum cives, mulieresque imitari conantur, & singulæ domus dispositionis suæ formulam, habitumque inde mutuantur, omnia sua in vestes & pompam profundunt. Sequitur corruptio morum, introductis pessimis vitiis, pernicioſiſſimum malum. Iam verò recedens à civitate aula, heu quàm fœdam caudam post se relinquit? hi adulteras comperiunt uxores, illi stupratas & vel abductas in scorta filias: alii supplantatos filios: alii corruptos servos & ancillas. Quid multa? fit luctus ingens, totaque civitatis facies immutata, facta est sicut facies meretricis. Scio ego famosam Galliarum urbem ea causa sic perversam, ut vix aliqua ibi matrona pudica sit, vix filiæ nubant virgines: quin & Palatinum scortum fuisse, summi honoris est, & seniores matronæ juniorum lenæ sunt, eaque turpitudo sic invaluit, ut nullius verecundiæ locus sit, vix maritis ipsis uxorum meretricatus curæ est, modò (ut ait Abraham ad Saram) benè sit illis propter illas, vivantq; ob gratiam illarum.

De

De nobilibus aulicis. Cap. LXIX.

Aulicus populus duplex est: Priores partes tenent satrapæ: nobiles inquam, illi Thrasones, qui fastu, luxu, & pompa, insaniunt, induti purpura & byssо & opere plumario, vestibus deauratis, & circundatis varietate, quibus

Scorta placent, fracti curriculæ corpore gressus,
Et laxi crines, & toti nova nomina vestis.

Hi vires omnes in Venerem frangunt, tum illorum ingeniosa gula est & gustus, per omnia cultum quærunt, epulantur splendidè, dant & accipiunt convivia. Inter hos laudi plerunque ducitur, si illustri convivio sic sua prodigant semel, ut trimestri toto impudenter mensas circumeant alienas. Ad istos undique confluunt citharœdi, tibicines, & omne genus musicorum, mimi, histriones, parasitæ, meretrices, lenones, saltatores, venatores, & hujusmodi prodigia hominum: alunturque canes, equi, lupicervarii, accipitres, cæteræque armatæ aves, simiæ, psittaci, & si qua monstra sunt, ac naturæ probra, ursi, leones, leopardi, tigrides. Colloquia eorum meræ rugæ, & otioſæ fabulæ: obtrectant, deserunt, effutiunt, mentiuntur, ac vera falsis commiscent. Hi de canibus, de venationibus, de sylvæ ambitu, de ambage lustrorum, de venationum eventibus multa fabulantur: illi de equis, de malitia, & foriter ab se factis multa mentiuntur. Si adest qui invideat æmulus, aliorum sermones obstrependo discutiat, alias inserendo nugas, & quæ sibi putet laudem gignere, sua insolenter narrabit facinora: hunc alius sæpè de mendacio convincit, & variis scommatibus explodit. unde totum tunc convivii colloquium frequenter in iram & contumeliam desinit, & veluti in Centaurorum conviviis Bacchi munera non cessant, donec eliciant sanguinem. Ita & in istorum aulicorum conviviis sæpè hospites redeunt cum cicatricibus, ac si edicto invitati videantur:

Quod superest: Læti bene gestis corpora rebus
Procurate viri, & pugnam sperate parati.

Proinde verò summa istorum disciplina est observare tempora principum, ne quid intempestivè illis ingerant, eaq; non ab astris, à cœlis, ab ephemeridibus captant, sed à vino, à prandio, à convivio, à venatione, ab accubitu, dum exhilaratus est princeps, & voluptatis alicujus compos, & quos alios molles aditus & tempora norunt: tunc novitatum rumusculos primùm aspergunt, quibus Principis aures titillant, deinde

paulatim ad ea, quæ cupiunt, procedunt, inscriptum à natura sua habentes Aristotelis ad Calisthenem discipulum consiliū, hortantis, ut cum Rege aut nunquam, aut jucundissimè loqueretur, quo scilicet apud regias aures vel silentio tutior, vel sermone esset acceptior. Quod si tunc cuivis illorum Princeps, aut Rex arriserit, & ad id quod loquitur, annuat, si gratum quid quod dixerit, aut fecerit, si illi quid crediderit, si illum confabulatorem secum secretò abduxerit, atq; aliis non ita, profectò magnus tunc erit ille in oculis hominum, jamq; omnia audebit, mordebit omnes, ridebit omnes, floccipendet omnes, detrahet clanculum, reprehendet palàm, loquetur grandia, nihil non audebit quo metuant eum omnes, conculcabit inferiores, contemnet pares, superiores dedignabitur, honorem & adorationem exiget etiam per contumeliam, totus tumet & effertur, & potentiam affectat,

Libertas scelerum est virtus, & summa potestas.

Quisquis illi non arridet, non applaudit, etiam cùm malè fecerit, illico reus est: nam aut fortunæ ejus invidere, aut officio ejus non deferre judicabitur, neque ii tunc solùm paribus inferioribusque infesti sunt, sed & principibus ipsis suis sæpè perniciosissimi, quibus severitatis, prudentiæ, correptionis & consiliorum imagine perditissimè adulantur, & in nefanda scelera sæpissimè impellunt: quemadmodum apud Lucanum Curio instigat Cæsarem:

Quid tam lenta tuas tenuit potentia vires,
Conquerimur, deceratne tibi fiducia nostri?
Dum manet hic calidus spirantia corpora sanguis,
Et dum pila valent fortes torquere lacerti,
Degenerem patiêre togam, regnumque senatus?

Similes Alexander Magnus habuit instigatores, qui illum suapte natura insanientem magis magisque in bella & cædes incenderent. Tales habuit & Roboam Salomonis filius consultores, tales habent & nostri sæculi principes, qui morem gerentes illorum cupiditatibus, illis ad omne scelus parent, hortanturque, aut sic dissuadent, ut fortius impellant, dum rationes suas tam futiles & infirmas opponunt, ut sic se convictos passi, credulorum principum confirment errorem, utrobiq; sic decipientes, ut non possit argui, sed de proditionis perfidia insuper gratiam mereantur. Tales hodie habet Gallorum rex Franciscus, ad mala consilia nimium promptos, qui illum contra Cæsarem in omnem perfidiam ac tyrannidem libenter

ter impellerent, atque ii interim optimi habentur atque fideles. Hæc de nobilibus aulicis hactenus, quorum qui unum offenderit, omnium cæterorum reus est.

De Plebeis aulicis. CAP. LXX.

SUnt adhuc quidam plebei aulici, homines improbi animi, qui nulli in vita præesse sciunt, sed ipsi subjectione continua gaudent: ii circumeunt nobilium domos, illisque parasitantur, mensis viventes alienis:

Et bona summa putant aliena vivere quadra.

Omnibus idcirco obsequuntur, omnibus adulantur, omnib⁹ parasitantur, & omnibus omnia fieri student, plures, quàm Proteus, species mentientes, atque in plures formas sese vertentes, quò potentiorum favorem sibi concilient, convivarum sermones explorare student, ut habeant quod renuncient: dissidentium autem secretos rumusculos vulpina astutia inquirunt, eosdemque nunc ad amicos, nunc ad inimicos perferunt, utrisque se gratos præbentes, dum sunt utrisque perfidi, eoque magis proditionibus idonei, quo ob imaginem simplicitatis minus habeantur suspecti. Quumque nullum facinus sceleratius habeatur, quàm proditio, nullum tamen ad divitias & dignitates in aula comparandas utilius ac compendiosius, ipsisque aulicis, etiam regibus, acceptum gratumq; magis: adhærent itaque nobilium liminibus, &c. Scire volunt secreta domus atque inde timeri. Quod si semel fuerunt turpitudinis aut proditionis alicujus conscii, jam evaserunt, jam caput extulerunt. Nam

Charus erit Verri, Verrem qui tempore quovis
Accusare potest.

Iam familiaritas, imò necessitudo quædam nobiliorum contracta est, qua freti, ad ea quæ desiderant, facilè accedunt. Primum itaque quærunt, ut in matricula aulicorum inscribantur, idque illis vel sine stipendio satis est: siquidem sola inscriptio, etiam absq; salario quæstuosa est, & suam prædam habet, deinde potentes quoscunque captare non diffidunt, quos tunc sollicitant blanditiis, instant obsequiis, & se muneribus ingerunt ratione consortii, aut alia quavis arte, & quæcunque ab aliis aut periculorum metu, aut laborum intolerantia, aut lucri penuria relinquuntur, isti avidissimè quærunt, vigilant dies ac noctes, peregrinantur & susceptas ferunt referuntque legationes & literas, labores immensos aggrediuntur, & perferunt, & audent quid brevibus Gyaris & carcere dignum,

ЛЬВІВСЬКА ОБЛАСНА УНІВЕРСИТЕТСЬКА БІБЛІОТЕКА

donec iis meritis aut scriniis præficiantur, aut consignandi sui scipiant officium, aut ærarii custodiam obtineant, aut census varia ratiocinatione illis commitantur: jamque egressi laborum angustias, nullum ob æquium eorum amplius gratuitum est, sed omnia deinceps ad precia venalia habent: & cum novo honore mutatis morib. omnium, quæ retrò sunt obliti, in anteriora tendentes, priora sua contemnunt, ulteriora concupiscunt, avaritiaque contracti ad prædam strepitumque lucri omnia vertunt, fide parci, verborum prodigi, blandi, pariter & insidiosi, sermone obscuri, & oraculorũ instar ambigui, quidquid vident, quidquid audiunt, quidquid agitur, conjectant omnia in pejorem partem: sibi soli fidunt, se solos amant, sibi soli sapiunt, nullius fidei, aut amicitiæ credunt, sodalitate nullam nisi lucri causa colunt, commodum proprium omnibus præferunt: amicos, hospites, propinquos socios, quicunq; lucrum non adferunt, tanquam steriles arbores despiciunt: pristinos sodales, si quis eorum occurrat, prætereunt, quasi ne norint quidem. Si quis illorum implorat opem, hunc verbis & promissis abundè pascunt, plusque promittunt, quàm præstãt: si nihil attulerit, auxilio destituunt, vel causa spoliant. Gratiam omnem venalem habent, virtutem omnem contemnunt, aliorumque laudes diversis sententiis frangunt, & post terga artificiosè cuilibet detrahunt, ipsi neminem sine exceptione laudant, quemadmodum orator ille, Iulium fortunatum, ajebat, fateor virum fortem, & quem constat strenuè egisse quam plurima: quo tamen pacto judicium repetundarum apud judices justos evaserit, mirarer quidem, si vis eloquii ejus mihi esse incognita. Et alius:

Felix & nato, felix & coniuge Proteus,
Et cui, si demas ingulati crimina Phoci,
Omnia conigerant.

Præterea aulicis muneribus vulturum instar semper inhiant, undecunque venantur prædam, eamque quibus possunt, veluti Phineo obsonium, vel ipsis è faucibus, Harpiarum instar præripiunt. Ac multorum calamitatibus gaudent, nullius malo compatiuntur, nulla promissa se debere putant nisi pro sua libidine, nulli gratiam referunt, sed omnes pariter aut beneficio indignos judicant, aut negligentia prætereunt, nonnullos odio compensant. Sed in odio gratiam fingunt, & dissimulant iram: præter principem, aut regem, nullum alium observant, aut verentur: sed ne hos quidem, nisi aut metu, aut pro compendio: cumque jam ad canos usq; in proditionibus, in fraudibus,

dibus, in ærumnis & laboribus versati, anxiis his sordibus ingentes opes sublimesque honores corripuerunt, tunc fasque nefasque confundunt, ut filios non tam honoris, quam rapinæ simul & iniquitatis relinquant hæredes.

Sic serpenti ciconia pullus
Nutrit, & inventa per devia rura lacerta,
Illi eadem sumptis quærunt animalia pennis.
Sic leporem aut capream famulæ Iovis, & generosa
In saltu venantur aves, tunc præda cubili
Ponitur: inde autem, cum se matura levavit
Progenies, stimulante fame festinat ad illam,
Quam primùm rupto prædam gustaverit ovo.

Atque hæc sunt plebeiorum aulicorum artes, quibus multi ex infima hominum fece ad amplissima munera, quæsturas, dignitatesque conscendunt, proximamque apud principes & reges suos authoritatem adepti, divitias principibus pares conflant, regiaque extruunt palatia, dum interim nobiliores illi aulici sua omnia in scorta, in aleas, in venationes, in equitia, in convivia, in pompas, in vestes, in fastum profundunt, terras, castra, possessiones, patrimonia decoquentes, quæ tunc plebeii usti, emunt, in nobilium locum his suis sceleratissimis artibus succedentes.

De mulieribus aulicis. CAP. LXXI.

HAbent & aulicæ mulieres sua vitia. Omninò enim nõ paucas videmus corporis dotibus, & formæ elegantia spectandas, scitulas & nitidas & venustas, insuper vestimentis purpureis & aureis, & gemmeis monilibus exornatas: sed non omnibus est cernere, quam turpissima monstra sub formosis illis pellibus sæpè latitent. Hinc aptissimè Lucianus illas Aegyptiis templis comparat. Illic enim ipsum delubrum forinsecus pulcherrimum est, simulatque maximum, sumptuosis lapidibus extructum, atque compositum: cæterùm si intus Deum requisiveris, aut simiam invenies, aut cinonimum, aut hircum, aut felem. Ita est de illis aulicis puellis atque dominabus, quæ à prima ætate, in teneris annis in molli ocio, saltationibus, & omni luxu enutritæ, pessimisq; disciplinis ex aulicis amorum libris, pravissimisque luxus, libidinum, adulteriorum, fornicationum, lenociniorum historiis comœdiis, novellis, facetiis, cantilenis imbutæ, veluti ex nutrice pernicioſissimos mores suxerunt, levitatem, insolentiam, arrogantiã, morositatem, impudentiã, obscœnitatem, contentionem, contradictionem,

BAYERISCHE STAATSBIBLIOTHEK MÜNCHEN

pertinaciam,ultionem,astum,vafriciem, petulantiam, loquacitatem,procacitatem,&turpem concupiscentiam:habent linguas, quibus silentium pœna est : habent labia ad omnem loquacitatem armata, quibus sermones producunt otiosissimos ineptissimosq; & non raro iis, qui audire coguntur, molestos. Quid enim illas in tã multas horas inter se loqui putabimus, nisi stulta & ociosa ? puta quomodo componenda coma, quomodo pectenda, quomodo tingendi capilli, quomodo fricanda facies, qualiter complicanda vestis,qua pompa incedendũ, assurgendum,decumbendum: quibus quo vestitu fas sit incedere, quæ quibus loco cedere debeant, quot inclinationibus salutate,quæ ad quorum oscula venire fas aut nefas sit, quæ asino,quæ equo,quæ sella,quæ curru,quæ lectica vehi debeant: quæ aurum,quæ gemmas,quæ corallia, quæ torques, quæ inaures, quæ armillas, quæ annulos, quæ monilia ferre possint, cæteraque Semiramidarum legum nugamenta.Nec desunt seniores matronæ, quæ narrent, à quot procis olim adamatæ, quibus muneribus dignatæ,quibus blanditiis ambitæ: hæc de eo loquitur,quem amat:altera ægrè silet de illo quem odit : & quævis putat se cum aljarum admiratione dicere, nonnunquã intempestivis dicteriis,aut impudentissimis mendaciis sermonem infulciunt. Nec desunt inter illas intentissima odia, & acerrima jurgia,calumniæ, detractiones, sycophantiæ, & quæcunque sunt malæ linguæ vitia: habent ocellos,habent vultus, habent visus plena illecebris, habent nutus, habent gestus plenos lascivia, habent astus, habent verba, quibus decipiendos procos sollicitant & munuscula extorquent:si illis annulus est, si gemma,si monile,si catenula,quidquid est,subtrahunt blanditiis aut extorquent precibus,redduntque pro illis basia, suavia,oscula,amplexus,contactus,confabulationes, quæ illis publica merx & aulicj amoris alimenta sunt. Pudet referre, quæ secreta intra cubile probra sæpè gerantur, consecrato Hymenæo naturæ contumelia, quæ cum vestem induerunt, omnia contexisse & occuluisse existimant. Tales itaque qua fide& integritate postea erga maritos putabimus futuras uxores? O quanto dolore afficiunt bonos conjuges,dum genus, dum dotem,dum formam, dum aliena matrimonia continuò objiciunt,& jurgiis ac contumeliis obtundunt viros, conqueruntur semper, dum domesticam, & frugalem mensam spernunt, & aulicum luxum viris exprobant, ac deliciis & pompa assuetæ ornamentorum ambitione exhauriunt illorum opes, labefactant domos,nonunquam ad turpes & malos quæstus miseros maritos

impellunt, quibus dies noctesque insidiantur mille fraudibus,simulatione, proditione, hypocrisi. Taceo externos amores,occulta adulteria, supposititios partus & alieno semine conceptas proles:quod si semel ad odium vertantur,zelotypiam parabunt,aut venena. Familiares enim (ut ait Hieronymus contra Iovinianum) malarũ fœminarum artes sunt doli, fraudes,veneficia,mala medicamenta & magicæ vanitates. Sic Livia virum suum interficit, quem nimis odit. Lucilia suum peremit,zelotypia illa sponte miscuit aconitum, hæc improba furorem pro amoris poculo propinavit. Adeò tutius est, quod ait Ecclesiasticus,commorari leoni & draconi, quàm cum muliere nequam. Quisquis morigeram cupit habere uxorem, ne ducat talem aulicam. Quæcunque mulier probum velit habere maritum, ne nubat aulico. Sed jam nimium progressus est cum lingua sermo : dixi tamen & jam non dixisse non possum. Cæterùm autem ponam manum meam super os meum, & iis alia non addam : quin de aula modò egredientes, reliquas œconomiæ partes, & quas diximus mechanicarum potiores disciplinas mercaturam,agriculturam,militiam, & reliquas examinemus.

De Mercatura. CAP. LXXII.

MErcatura ipsa quidem latentium lucrorum astutissima indagatrix,manifestæ prædæ avidissima vorago,nũquam habendi fructu felix,semper autem quærẽdi cupiditate miserrima:hanc tamen non modico reip.auxilio esse, & ad externorum regum, populorumque amicitias contrahendas accommodam,atq; etiam privatæ hominum vitæ perutilem ac quodammodo necessariam plerique arbitrati sunt:quin & Plinius illam victus causa inventam putat. Quocirca etiam multi illustres simul ac sapientes viri hanc exercere sunt aspernati : cujusmodi,teste Plutarcho,fuere Thales,Solon,Hippocrates.Verùm sicuti quascunque scientias & artes alias propter voluptatem admittimus,alias propter laborem æstimamus, alias propter virtutem honestatemque sectamur, alias propter veritatem justitiamque veneramur:non tamen omnes illæ,quamvis necessariæ,lucrosæ,jucundæ,laboriosæ,idcirco statim honestę, laudabilesque ac justæ sunt. Sic & mercatorum, institorum, fœneratorum, trapezitarum, colybistarum exercitia necessaria,utilia & laboriosa sunt,tamen illiberales, sordidi & improbi quæstus vocantur: quia illorum operosæ fraudes, non artes venduntur emunturq; : quod quidem, ut ait Cicero,non apti,

non simplicis, non ingenui, non justi, non boni viri, sed versuti, obscuri, astuti, fallacis, & callidi officium est Mercatores enim omnes & institores hic emunt, ut alibi cariùs & supra sortem vendant, atq; ille melior, qui lucratur magis, quibus passim peculiare est mentiri, peierare, fraudare & imponere, nec ulla illis lucrandi ratio turpis: quin & legibus id sibi licere dicunt, decipere secum contrahentes ad dimidium justi precii. Nec dubium esse potest, cum omnis eorum vita ad quæstum, ad lucrum, ad divitias adornata sit, illos earundem occasione turpia plurima & dignas supplicio fraudes committere. Nulli enim sine fraude diescunt, &, ut ait Augustinus, lucrum habere non poterit, nisi fraudem fecerit. Et pleniùs æquo laudat venales, quas vult extrudere merces. Et alius poëta canit:

Periurata suo posti ponit numisma lucro
Mercator Stygiis non nisi dignus aquis.

Hinc emit ille, vendit alter: hic portat, ille asportat, hic creditor, ille debitor, hic solvit, ille recipit, alter rationes scribit, omnes autem peierant, fraudant, fallunt, nec animæ, nec corporis, nec fortunæ ullum periculum excludunt, modò lucrum sperant, nec cognationes, nec affinitates, nec amicitias ulla fide, nisi sola utilitate, colunt, sicque omnes per omnem ætatem post lucrum, post divitias currunt, ac si alibi laborum requies vitæq; solatium nequeat inveniri:

Impiger extremos curvit mercator ad Indos,
Per mare pauperiem fugiens, per saxa per ignes.

At verò cujusmodi fraudes committant mercatores in lana, in lino, in serico, in panno, in purpura, in gemmis, in aromatibus, in cera, in oleo, in vino, in frumento, in equis, in animalibus, denique in omnium mercium genere, nemo est qui nesciat, qui non videat, qui non palpitet, nisi qui fortè illorum damna non senserit. Atque hæc minora mala sunt: longè his majora supersunt. Ipsi sunt, qui invectis damnosis mercibus, & quæ ob raritatem vel delicias à mulieribus & pueris appetuntur, quæ ad nullam vitæ faciunt necessitatem, sed duntaxat ad luxum, ad pompam, ad fucum, ad ludum, ad mollitiem, ad voluptatem, ab ipsis usque terræ finibus, veluti laqueos importantes. Provincias ac regna quotannis immensa spoliant pecunia, corrumpunt bonos mores introductis peregrinis vitiis: ac sublato patrio ritu, semper novis & externis rebus studentes, eam perditissimis implicant consuetudinibus. Ipsi sunt, qui initis sodalitiis cõtra jus, fas & leges monopolia exercent, omnia tentantes, excogitantes, explorantes, quibus multitudinis

titudinis opes ad se contrahant, dum collectis pecuniis alios vincunt, alios præveniunt, alios exaucto rerum precio deterrent, ac soli emunt omnia, quæ deinceps pro suo libito soli vendunt quàm maximi. Ipsi non raró ingenti ære alieno consarcinato, constituto alibi domicilio, inde verò prostituta fide, verso solo profugi, & serò aut nunquam redeuntes, creditores fraudant, & ad desperationem ac laqueum adigunt. Ipsi sunt qui chirographis & objurgationibus implicant & explicant cives, debitorumque radices adeò profundas, laboriosas, funebres & inevitabiles plantantes, ut evelli nequeant: sed in gyrum pullulantes, & ex debitis debita germinantes, civitates suffocant & evertunt, ipsi interim fœnori & usuris incessanter dediti, totius plebis substantiam devorant, ipsi nonnunquam numismata præcidunt, semper autem monetæ valorem, utcunque suo lucro conducere visum est, nunc intendunt, nunc demittunt, non absq; totius reipubl. detrimento. Ipsi explorata principum secreta, civitatumque consilia, & patrios rumores hostibus renunciant: nonnunquam etiam pacta mercede principum vitæ insidiantur, ac nihil non pecuniæ studio attentantes, facientes, patientes, & venale habentes. Omne eorum institutum non nisi mendacia, fuci, sermonum nebulæ, explorationes, insidiæ, fraudes, deceptionesque manifestæ. Hinc Carthaginenses mercatoribus distincta statuerunt diversoria, nec ea illis cum civibus volebant esse communia: cæterùm patebat illis in forum via, ad navalia autem & secretiora urbis loca ne aspectus quidem concedebatur. Græci autem nequaquam intrà urbes recipiebant, sed quò cives à periculi suspicione essent immunes, à pomœriis non longè forum venalium statuebant. Pleræque aliæ gentes mercatores ad se accedere prohibuerunt, quòd mores depravarent. Epidaurii, teste Plutarcho, cùm cives suos Illycorum commerciis improbos fieri animadverterent, veriti à peregrinorum contagione, corruptis civium suorum moribus res novas civitati suæ excitari, unum in primis gravem & circumspectum ex omni civium multitudine virum in singulos annos eligebant, qui ad Illyricos accederet, & quæ quisque suorum mandasset, mercaretur atque contraheret. Vituperat mercatores Plato, quòd optimos inquinent mores, & apud bene constitutam Remp. lege cavendum censet, ne externarum gentium deliciæ in urbem comportentur, ac ne quis è civibus, minor quadraginta annis, peregrè proficiscatur, exteri autem ad suos remittantur, eo quod istiuf-

HARVARD BIBLIOTEKA OTWARTA

iſtiuſmodi peregrinorum contagiis cives veterē patrum parſimoniam, priſcosque mores dediſcant, & odiſſe incipiant: ex quo uno urbes plerunq; redduntur deterrimæ, omniq́ue fornicationum, adulteriorum, luxus & libidinum genere inquinatiſſimæ: cujuſmodi Lugdunum & Antuerpia, famatiſſima hodie mercatorum emporia, de ſe exempla præbent. Ipſe etiam Ariſtoteles jubet omninò curam habendam, ne quid civitates adventitiorum admixtione vitientur: mercatores autem etſi ſunt neceſſarii, non tamen in civium numero recipiendos: quos ideò etiam deteſtatur maximè, quòd gaudeant mendaciis, & in civitatibus fora vexant, tumultus excitant, ſeruntq; diſcordias. Quin apud pleraſq; Reſp. antiqua lex erat, ne quis mercator magiſtratum gereret, nec in ſenatum, nec in conſilium admitteretur. Porrò mercatura à theologicis ſententiis planè damnata eſt, & à canonicis decretis (authoribus Gregorio, Chryſoſtomo, Auguſtino, Caſſiodoro, Leone) omnibus verè Chriſtianis interdicta: nam, ut ait Chryſoſtomus, Mercator Deo placere non poteſt. Nullus ergo Chriſtianus ſit mercator; aut ſi eſſe velit, projiciatur ab Eccleſia. Auguſtinus quoq; mercatores pariter ac milites, ait, veram pœnitentiam agere non poſſe.

De Quæſtura. CAP. LXXIII.

MErcatoribus non multò meliores ſunt Quæſtores, furax quoddam hominum genus, & ut plurimum ſervile, ac mercenarium, aut quod ſubſtipe operam locârit, rude ac ignavum, ſed audax, ac impudens, nec niſi tenuia quædam artificia, qualia par eſt tales homines noſſe, didicit, ſcribendi videlicet & ſupputandi: maximè autem furandi formulas haud inſcitas, ingenioſioresq;, quæ in vulgares competant latrones: ideoq; omnium, qui vivunt, hominum furaciſſimi ſunt, & à ſolis digitis, quibus talenta & milliones ſupputant, opulenti, quos adeo viſcoſos habent, ac infinitis uncis hamis ſic imbutos, ut pecunia omnis, quantumcunq; levis, fugax, labilis, anguillarum & ſerpentum inſtar lubrica, ab his contacta illicò hæreat, neq; facilè queat avelli. Hoc ipſo tamen minùs mali ſunt, cùm quòd non niſi regum, principumq́ue ac potentum ærariis inſidiantur, tum quæ inde ſuffurantur, in ſcorta, in aleas, convivia, ædificia atque alendis paraſitis, equis canibus, hiſtrionibus, non libenter expendunt: aut ſeniores, prudentioresq; facti, non rarò filios nobis tales relinquunt, qui, quæ iſti multis ex perjuriis, rapinis, furtis, flagitiis paulatim & minutatim

atim corraſerunt, convivando, ſcortando, venando, aucupando, veſtiendo, & nequicquam ad explendas voluptates omittendo rurſus in multa fragmenta diſſecantes, ſimul omnia infeliciter profundant. Cæterùm verò & quæſtores ipſi fœnus accipiunt, & dona extorquent procraſtinando, debita compilant, cum capitaneis colludunt, falſum ſupputant, chirographa adulterant, & literas affictis ſigillis reſignant, numiſmati nonnihil detrahunt, nonnunquam fucato metallo viciant: ideoque alchimiſtis plurimùm amici ſunt, artiſq; illius ut plurimùm ſectatores: aut, ſi deſit ingenium, ſaltem fautores ſunt. Verùm cùm dicat Cicero, mercaturam ipſam, ſi magna ſit & copioſa, multa undiq; opportans, & ſine vanitate importans, non eſſe admodum vituperandam, mercatores autem & quæſtores tunc poſſe optimo jure laudari, ſi aliquando ſatiati quæſtu, tandem ad colendos agros, poſſeſſionesque ſe contulerunt: ideoque de Agricultura quid ſentiendum ſit, hìc ſubjungemus.

De Agricultura, CAP. LXXIIII.

AGricultura itaq;, cui & paſtio annexa eſt, & piſcatio atque venatio, tanto apud priſcos in honore fuit, ut nec Romanos Imperatores, potentiſſimosq; Reges, & Duces puduerit agros colere, ſemina tractare, arbores inſerere. Ad hanc ſe contulit, depoſito imperio, Diocletianus, & dimiſſa regni adminiſtratione, Attalus. Cyrus quoq; magnus ille Perſarum rex, gloriari plurimùm ſolebat, cùm venientibus ad ſe amicis hortum oſtenderet ſuis manibus conſertum, & arbores ſua manu in ordinem poſitas. Sed & Seneca plantavit platanos, ſua manu piſcinas effodit, aquas diduxit, nec alibi lubentiùs erat quàm in agris. Hinc illa nobiliſſimarum familiarum cognomenta Fabiorum, Lentulorum, Ciceronum, Piſonum, à multitudine videlicet horum leguminum.

De Paſtura, CAP. LXXV.

SImili ratione à pecorum paſtionibus Iunii, Bubulci, Statilii, Tauri, Pomponii, Vituli, & Vitellii, Porci, Catones, Annii, & Capræ orta ſunt. Paſtores fuerunt Romulus & Remus, Romanæ urbis conditores. E paſtoribus ad imperium aſſumptus fuit Diocletianus. Paſtor ipſe Romanæ potentiæ tremendus Spartacus. Paſtores erant Paris, & pater Aeneæ Anchiſes, & à Venere dilectus formoſus Endymion, Polyphemus etiam, & centumoculorum Argus. Ex ipſis denique diis Apollo

IVGOSLAVENSKA AKADEMIJA ZNANOSTI IN UMETNOSTI

Apollo Admeti Theſſaliæ armenta pavit, & Mercurius fiſtulæ inventor, paſtorum princeps fuit, atque ejus filius Daphnis. Pan quoque paſtorum Deus, & Proteus paſtor atq; Deus. Atque (ut Hebræorum Patriarchas, Iudices, ac Reges aliquos recenſeam) maximi inter eos viri, & Deo gratiſſimi paſtores fuerunt: ſicut Abel juſtus, Abraham pater multarum gentium, & Iacob pater populi electi, item Moyſes legislator & Propheta Deo familiaris, ac David Rex, ſecundum cor Domini electus. Quinetiam apud veteres Græcos, illuſtriſſimus quiſq; paſtor erat: hinc alios Polyarnas, alios Polymedas, alios Polybutas appellârunt, videlicet à multitudine agnorum, ovium & boum, nomina illis imponentes. Sic etiam Italiam à vitulis nuncupatam, (quos antiqui Græci Italos vocabant) nemo ignorat. Atqui uterq; Boſphorus, Cymmerius & Thracius, atque Aegæum mare, & Argos, Hippion, nónne à bovis tranſitu, à capris, ab equis, dicta ſunt? Et Numidia Aphricæ provincia, à paſcuis hoc nomen habet. Prima poſt Adæ lapſum hominum in terris vita fuit paſtoritia: hæc nobis præter pecudum carnes varias, etiam lac, caſeum, butyrum, in cibum, ac pro veſtitu lanam, pelles & coria, omnia profectò humanæ vitæ cùm neceſſaria, tum utiliſſima largitur: quæ omnia, ſed poſt caſeum, homini conceſſa ſunt, cùm antea iis ſolis, quæ à terra ſponte prodibant, fructibus Deus illum in Paradiſo veſci juſſerat.

De Piſcatione, Cap. LXXVI.

Accedunt ad hæc Piſcatio atque Venatio. Piſcationis ſtudium apud Romanos tanto in precio & celebritate habitum eſt, ut peregrinos & Italis littoribus ignotos piſces è longinquis provinciis advectos, navibus in mari Italico, tanquam in terra fruges, ſeminarent, arbitrantes non modicam in his Reipublicæ utilitatem verſari. Præterea piſcinas & vivaria præcioſiſſimis piſcibus referta, magnis ſumptibus inſtruxerunt, è quibus demùm plerique Romani principes, familiæque agnomina traxere, ut Licinii, Murenæ, Sergii, Oratæ. Hinc Cicero Lucium, Philippum atq; Hortenſium piſcinarios appellavit; videlicet à Piſcinis. Legimus divum Octavianum Auguſtum hamo piſcari ſolitum, & Neronem (ſcribit Suetonius) piſcatum reti aurato, è purpura & cocco nexis finibus. Modi autem piſcationum non admodum multi, nam retibus, hamo, naſſa, jaculis, raſtro, veneno, quotquot ſunt piſces, capiuntur. Verùm piſcatio eo minus laudis habet, quo piſces duri alimenti, ne ſtomacho quidem utiles, nec deorum oblationibus accepti ſunt. Nemo enim unquam piſcem in ſacrificiis immolatum eſſe audivit.

De Venatica, & Aucupio, Cap. LXXVII.

Similibus quoq;, quibus Piſcatio, ingeniis, conſtant venatio & aucupium, additis inſuper viribus corporis, & indagine, variiſq; laqueorum, pedicarum, decipularumq; ingeniis, adhibitis etiam viſco, aquilis, accipitre, canibus, ac Lupo cervario, & pleriſque aliis manſuetis feris rapinæ venationiq; aptis. Ars profectò deteſtabilis, ſtudium vanum, certamen infœlix, tantis laboribus & vigiliis de nocte ad noctem pugnare, & ſævire in beſtias. Ars crudelitatis, & tota tragica: cujus voluptas eſt in morte & in ſanguine, quam ipſa refugere deberet humanitas. Hæc ab initio ſæculi ſemper peſſimorum hominum, peccatorumq; præcipuum exercitium fuit: nam Cain, Lamech, Nimbrorum, Iſmaelem, Eſaum, robuſtos venatores Sacræ Literæ prodiderunt, nec ullos in veteri Lege venaticem exercuiſſe legimus, niſi Iſmaelitas, Idumæos, & gentes quæ non cognoverunt Deum. A venatione tyrannidi initium fuit, quia commodiorem non repperit authorem, quàm eum, qui in cæde & carnificio ferarum, & volutabro ſanguinis Deum naturamq; contemnere didiciſſet. Hanc tamen Perſarum reges tanquam veriſſimam rerum bellicarum meditationem, coluerunt: quia habet in ſe venatica bellicum quiddam & truculentum, dum rapacibus canis objecta fera, effuſo ſanguine, laniatis viſceribus, voluptatem præſtat, acerbiſſimamque mortem, tanquam jocum, ſumma cum voluptate ſpectat: interimque ridet crudelis venator, proſtratamq; canum exercitu, aut laqueorum fraude, infelicem prædam, triùphantis inſtar, magna comitatus caterva domum reducit, ubi tunc feralis inſtruitur carnificina, ſolennique chironomia, præſcriptisq; vocabulis, neq; enim aliter fas eſt, bellua laniatur. Inſignis profectò venatorum ſtultitia, inſigne bellum, cui dum nimiùm inſiſtunt, ipſi abjecta humanitate feræ efficiuntur, morumq; prodigioſa perverſitate, tanquam Actæon, mutâtur in naturas belluarum. In tantam quoq; plurimi illorum prorupére inſaniam, ut hoſtes naturæ fierèt, quemadmodum de Dardano narrant fabulæ. Inventores tam infelicis artificii extitiſſe narrantur Thebani, gens fraude, furtis, perjuriis inſignis, parricidiis, & inceſtibus deteſtanda: à quibus ejus exercitiis præcepta ad Phrygios tranſmiſſa ſunt, gentem æquè impudi-

PUBLICE TIBI SERA OPUS EST. LIBER LXXXVI

impudicam, sed stultam atque levem : quos idcircò contempserunt Athenienses, & Lacedæmonii, populi graviores. Postea verò, quàm Athenienses interdictæ venationis legem solvissent, artemque cum exercitio publicè admittens, in Rempublicam suam introduxissent, tunc primùm Athenæ capiæ sunt. Hinc miror, venationem à Platone ipso, Academiarum principe, commendatam, nisi fortè, quòd eventus, aut propositi honestas, necessitásve hanc commendat, non voluptas: quemadmodum aprum Calydoniæ vastatorem confixerit Meleager, non voluptati suæ, sed utilitati Reipublicæ, patriam abs vastatrice bellua liberans. Et Romulus venabatur cervos non voluptatis causa, sed necessitate alendi se & socios. Est & aliud venandi exercitium, quod Aucupium dicunt, minoris quidem credulitatis sed non minoris vanitatis : hinc aucupes dicti, qui videlicet aut aves venantur, aut per aves ludentes, (quemadmodum ait Baruch Propheta) in avibus cæli. Authorem illius ferunt Vlyssem, quem primùm post captum Ilium armatas edoctasque in venationem aves Græciam intulisse narrant, ut videlicet essent novæ voluptatis solatia his, qui, amissis parentibus, Troiani belli damna sentirent : tamen filium Telemachum ab hac vivere jussit expertem. Tandem hæc exercitia in se revera servilia & mechanica, eo usq; evecta sunt, ut positis quibusq; liberalibus studiis, hodie prima nobilitatis elementa sint atque progressus, illis ducibus ad summum nobilitatis gradum perveniatur: hodieque ipsa Regum & Principum vita, ipsa etiam (proh dolor) Abbatum, Episcoporum, cæterorumq; Ecclesiæ præfectorum religio, tota, inquam, venatio est: in qua se potissimùm experiuntur, virtutemq; suam extendunt,

Spumantemq; dari, pecora inter inertia, votis
Optat aprum, aut fulvum descendere monte leonem.

Et quos decet esse exempla patientiæ, quotidie quærunt habere, quod vincant & venentur: & quæ natura libera sunt animantia, & decernente jure occupantium fiunt, nobilium tyrannides sibi temerariis interdictis usurpârunt : à novalibus suis arcentur agricolæ, subtrahuntur prædia rusticis, agri colonis, præcluduntur sylvæ & prata pastoribus, ut augeantur pascua feris, insagimen & delicias nobilium, quos solos has edere licet: de quib. si colonus quispiam gustavit, aut agricola, is majestatis reus factus, simul cum belluis illis sit præda venatori. Scrutemur Scripturas : certè in Sacris literis, etiam in Gentiũ historiis, nullum sanctum, nullum sapientem, nullum Philosophum

phum legimus venatorem: pastores verò plurimos, & aliquos piscatores. Et Augustinus artem hanc dicit omnium nequissimam, sacraque Elibitanum & Aurelianense, Concilia hanc in clero prohibuerunt damnârunt que, in sacrisque Canonibus non modò prohibetur venatoribus ascensus ad sacros ordines, sed etiam summi sacerdotii gradus adimitur jam adept⁹. In eisdem legitur : Esau venator erat, quoniam peccator erat. Neque verò uspiam venationis vocabulum Scriptura sacra in bonum assumit. Quare venationem ipsam reprobam esse, jam nemini in ambiguo sit, quæ omnium sapientum atq; sanctorum tuba explosa est atq; damnata. Antiquitùs etiam, cùm in innocentia viverent homines, nulla illũ animantia fugiebant, nulla infesta erant, nulla noxia, omnia illi subdita obedientiã præstabant : cujus exempla etiam posterioribus temporibus, in his, qui optimam vitam agerent, manifesta sunt: quomodo ferarum insidiis superiores extiterunt, sicut Daniel leonibus, & Paulus Apostolus viperæ. Heliam Prophetam, Paulum & Antonium eremitas nutrivit corvus, & Aegidium cerva. Helenus Abbas præcepit onagro, & paruit belua, & sancti viri onera portavit: præcepit etiam Crocodilo, & ab eo flumen trãsvectus est. Anachoritæ multi habitabant in desertis, & stabant in speluncis & cavernis ferarum, non timentes nec leones, nec ursos, nec serpentes. Cum peccato enim animaliũ noxa simul & persecutio & fuga subintravit, & artes venationum excogitatæ sunt. Non enim (ut ait Augustinus 3. super Genes.) animalia fuêre à principio producta venenosa, inimica & molesta humano generi, sed post peccatum infesta inimicaque constituta sunt: quod ex divina sententia in pœnam injustæ rebellionis primorum parentum factum est, cujusmodi sententia lata est ad serpentem, dum diceret Deus: Ponam inimicitias inter te & mulierem, & inter semen tuum & illius. Ex hac sententia venationum orta est pugna, hominum scilicet cum cæteris animalibus.

De Agricultura reſiduum. CAP. LXXVIII.

SEd modò revertamur. Scripserunt de his jam dictis agriculturæ, pastionis, piscationis, venationis, aucupii artibus, Hiero, Philometer, Attalus & Archelaus reges : Xenophon & Mago duces, & Oppianus poëta : præterea Cato, Varro, Plini⁹, Columella, Virgilius, Crescentius, Palladius, & plerique his recentiores : Cicero his nil melius, nil uberius, nil dulcius, nil liberto homine dignius arbitratur. Non pauci summum bo-

num, summamque beatitudinem istic collocârunt. Hinc agricolas fortunatos Vergilius, Horatius beatos vocant. Hinc Delphicum oraculum Aglaum quendam felicissimum pronunciavit, qui in Arcadia parvum prædium colens, nunquam id egressus est, sicq; minima cupidine minimum in vita mali expertus fuerit: sed miseri homines tam altum de agricultura sapientes, ignorant hanc esse effectum peccati, ac summi Dei maledictionem. Ejiciens enim hominem de paradiso voluptatis, in agros misit, ad prævaricatorem Adam sic dicens: Maledicta terra in opere tuo, in laboribus comedes ex ea omnibus diebus vitæ tuæ: spinas & tribulos germinabit tibi, & comedes herbas terræ, in sudore vultus tui vescêris pane tuo, donec revertaris in terram de qua sumptus es. Sed nulli hoc magis sentiunt, quàm agricolæ & villici, qui, dum arant, seminant, occant, putant, pastinant, messant, metunt, vindemiant, pascũt, tondunt, venantur, piscantur: post multos labores, hic, agris à grandine tempestate q; vastatis, amittit panem, huic oves moriuntur, aut boves, aut à militibus abiguntur, ille perdit ferã, alter piscem, & domi plorat uxor, illachrymantur filii, & tota esurit familia: rursusque spe incerta dubium redeunt in laborem. Ante hanc maledictionem nulla fuisset opus artificiosa telluris cultura, non pastione, non piscatione, non venatione, non aucupio: nam sponte omnia productura erat terra hybernis, æstivisque frugibus, odoris suavitate, pratorumq; vestitu semper florescens. Denique nihil noxium terra progerminasset, non herbam ullam veneno pestilentem, nullam arborem sterilitatis vitio inutilem, sequestrataque etiam natricum & viperarum, cæterorumque reptilium virulentia (author nobis Beda) ipseq; homo animantium omnium adeptus principatum, ipsis etiam feris, ut jumentis pecudibusque onera imposituras, imperasset piscibus maris, aves ad nutum advolasset: moxq; natus homo, omnium membrorum usum exercitiumq; consecutus fuisset, ac sine corporis tegumentis, sine tectis, sine conditis obsoniis, sine medicamentis, felicissimã vitã egisset, cũ spõte sua illi suppeditura esset, ut ait Poëta ille:

Terra cibum pueris, vestem vapor, herba cubile.

Sed peccati noxa, mortisq; necessitas, omnia nobis infesta fecit: jam non terra quicquam citra labores sudoresque nostros producit: quin & lethifera, & venenosa, ceu palam nobis, quòd vivimus, exprobans, generat, nec reliqua elementa nobiscum mitiùs agunt, multos mare sævientibus procellis obruit, monstrosæque belluæ absorbent: tonitruis, fulgure, tempestatibus

bus contra nos pugnat aër: & pestilentiarum lue cœlum quoque in nostrum interitum conspirat: Iamque etiam animantia ex professo nobis infesta sunt, & ipse etiam homo (ut est in proverbio) homini lupus est, circunsiitunt nos innumeris scelerum illecebris tentantes immundi spiritus, quò nos in suppliciorum tenebrosa conceptacula protrahant, æternis ignibus ac diris cruciatibus perpetuo cruciandos. Atque hinc patet, non, nisi optimarum rerum jactiram, malorum inventionem, ac vitæ incommoda esse agriculturam, cum cæteris illi adhærentibus pascendi, piscandi, venandiq; exercitiis, quò telluris infœcunditatem, & victus egestatem, ac ex pellium amictu algorem, quibus mortis fata admonita humanitas, saltem pro tempore effugeremus, vel potius mitigaremus. Haberet autem agricultura hanc necessitatis seu calamitatis nostræ laudem non modicam, si inter hos manssiset terminos; nec prætergressa doceret tot prodigiosas plantarum fabricas, tot portentosas arborum insitiones ac metamorphoses. Quin & equos asinis jungere, & canibus lupos, sicque mulas & lyciscas, aliaq; præter naturæ legem monstrosa animalia procreare. Sed & quibus natura, cœlum, maria, terras libera assignavit, aviariis, piscinis, vivariis & carceribus coercere etiam exemptis luminibus, mutilatisve membris in ergastulo saginare: tum in lino, lana, pellibus, bombyce, & quæ natura ad hominum vestitum largitur, tot textuarum, infectionum, & similia, non nisi ad luxum & fastum artificia, sæpissimè etiam ad hominum perniciem, excogitata. Quod de uno lino conqueritur Plinius, tam parvo semine nato, quòd nunc planta, mox velum, levissimo venerum flatu orbem terrarum ultrò citroque portat, hominesque ipsos, ac si parum sit in terra etiã perire, cogat in aquis, ac à marinis belluis vocari. Prætereo mille agricolarum, pastorum, piscatorum, venatorum, aucupum, observantiarum decreta, non tam stulta & ridicula, quàm superstitiosa, & divinæ legi adversa: quibus tempestates avertere, sementa fœcundare, noxia quæque propellere, lupos & feras abigere, fugacia animalia sistere, pisces aves que manibus prehendere, morbos pecudum incarminare se posse autumant: de quibus cum magna credulitate, & seriosè scripserunt sapientes illi viri, quos suprà nominavimus.

De Arte Militari.

CAP. LXXIX.

SED jam ab agricolis ad milites transeamus, quos ex agris delectos, aptiores pugnæ, ait Vegetius, ex quibus etiam

Cato viros fortissimos, & milites strenuissimos gigni adferũt. Quin & testibus sacris literis, primus ille pugnator Cain, agricola fuit atque venator. Et Ianus atque Saturnus pugnacissimi dii antiquissimi, hanc simul cum agricultura vitam in terris egerunt. Ars itaq; militaris minimè contemnenda videtur, quæ (ut ait Valerius) principatum Italiæ Romano imperio peperit, multarum urbium, magnorumq; regum, validissimarum gentium regnum largita est, fauces Ponti, marisq; sinus patefecit, Alpium, Tauriq́ue montis convulsa claustra tradidit. Ipse Africanus Scipio apud Ennium gloriatur, quòd per sanguinem hostium atque cædes viam sibi ad cœlum aperuit. Cui & Cicero adsentit, inquiens, & Herculem eadem via cœlos conscendisse. Hanc Lacedæmonii primùm tradidisse dicuntur: hinc Hannibal Italiam petiturus, Lacedæmonem quæsivit armorum ducem. Hac duce constituta sunt regna & imperia, illaq́ue neglecta potentissima quæque rursus demolita. In manibus enim temerariorum ducum ceciderunt bellicosa Numantia, ornatissima Corinthus, superbæ Thebæ, doctæ Athenæ, sancta Ierusalem, ipsaq́ue Romani imperii æmula Carthago, tandem etiam potentissima Roma. Hæc ars plurimo, & plus quàm Draconis leges, humani generis sanguine scripta, docet pugnæ ordinem eleganter constituere, aciem commodè instituere, adoriri hostem, instare, premere, circumvenire, læva dextraq́ue ferire, ad ducum signa dimicare, proferre gradum, sustinere impetum, resistere urgentibus, premere cedentes, ictus incutere, incussos evitare, aut clypeo excipere ac contemnere, acriusq́ue in hostem consurgere, invehi equo, urgere stimulis, moderari frenis, & omnem in partem circumflectere, ingerere tela, vibrare lanceas, torquere hastas, hostium vultus, latera, terga, pro loco & tempore adoriri, nec prius quàm desperata victoria de fuga cogitare: fugientes autem insequi, mactare, capere, exarmare, diripere, profligere, suos reducere, recolligere, exercitum instaurare, & desperata victoria ad spem vindictæ animum succendere, & quæ reliqua sunt militum ducumque officia. Instruit quoque de apparandis classibus, extruendis arcibus, muniendis castris, locandis præsidiis, extruendis vallibus, compingendis aggeribus, evacuandis fossis, suffodiendis cuniculis, fabricandis machinis, deligendis armis, oppugnandis mœnibus, comportandis cõmeatibus, configendis dolis, locandis insidiis, variisq́ue scire uti stratagematibus. Præterea obsidere civitates, jacere tela, fremere tormentis, admovere machinas, perfodere muros, cõcutere

cutere turres, occupare mœnia, parare incendia, diruere arces, spoliare templa, diripere urbes, subvertere oppida, vastare agros, conculcare leges, adulterari matronas, stuprare viduas, rapere virgines, cives alios vulnerare, alios incarcerare, alios deportare, alios trucidare. Tota deniq; disciplina hæc non nisi in hominum pernicie occupata, hunc finem quærit, ut famosos urbis eversores, strenuosq́ue homicidas faciat, transformetq́; homines in ritus ferarum moresq́ue belluarum. Hinc bellum nihil aliud est, quàm commune multorum homicidium, ac latrocinium, nec aliud milites, quàm stipendiarii, & in reipub. exitium armati latrones. Prætereà cùm bellorum eventus semper sint incerti, & fortuna, non ars largitur victoriã, quid prosunt stratagemata, & insidiæ, & reliqua artis militaris præcepta? nunquid omnis ars inanis est ubi fortuna dominatur? Atque nihilominus laudavit hanc divinus ille Plato, & pueros hanc discere, adultosq́ue statim armatæ militiæ tradi jubet. Et Cyrus inclytus ille rex, illam non secus atq; agriculturam summè necessàriam ajebat. Ipseq́ue Augustinus atque Bernardus Catholici in Ecclesia doctores, hanc alicubi probaverunt, & pontificia decreta illam non improbant, licet Christus & Apostoli longè aliter sentiant. Tandem vel repugnante Christo non infimum in Ecclesia gradum obtinuit, obortis tot sacrorum militum sectis & ordinibus, quorum omnis religio in sanguine, in cædibus, in rapinis, & piratica sita est, prætextu defendendæ & ampliandæ fidei: ac si Christus Evangelium suum non prædicatione verbi, sed armis, non Confessione cordis & martyrio, sed ostentatione & comminatione armorum, vi bellorum, & hominum cædibus ac strage voluerit innotescere. Nec satis istis militibus in Turcas, in Saracenos, in Paganos arma ferre, nisi etiam cõtra Christianos pro Christianis classes ducant. Denique bellum & militia multos gignunt Episcopos, & non rarò pro summo pontificatu pugnatum est, & (ut ait sanctus ille Camotensis Episcopus) non sine fratrum sanguine sancta sanctorum ingressus est Pontifex: atque hoc tunc vocatur constantia martyrii, si pro cathedra magna Christianorum cæde fortiter fuerit dimicatum. Scripserunt de arte militari Xenophon, Xenocrates, Onozander, Cato Censorius, Cornelius Celsus, Iginius, Vegetius, Frontinus, Helianus, Modestus, & antiquiores multi: ex recentioribus Volturius, Nicolaus Florentinus, Iacobus Comes Purliarum, & alii pauci. Hi artis Doctores, sed speculativi, non tam periculosi, ut sunt practici. Tituli verò ac dignitates, disci-

pulorumq; gradus non sunt baccalaureatus, magistratus, doctoratus: nec modò etiam sunt, quibus dicuntur Imperatores, Duces, Comites, Marchiones, Equites, Capitanei, Centuriones, Decani, Signiferi, & consimilia nobilitatis nomina ex ambitione, aut injuria nata, sed latrones, percussores, raptores, sicarii, fures, sacrilegi, gladiatores, stupratores, lenones, scortatores, adulteri, proditores, peculatores, abigei, aleatores, blasphemi, venefici, parricidæ, incendiarii, prædones, piratæ, tyranni, & ejusmodi. Quos omnes qui uno nomine velit exprimere, dicat milites, hoc est, revera barbaricas sceleratorum hominum feces, quos mala mens, malus animus ad facinus extimulat: quos penes dignitatis & libertatis nomen habet licentia delinquendi & latrocinandi, undique quærentes, ut noceant, ipsamque innocentiam, veluti mortis quandam imaginem odientes, omnesque quasi unum corpus sunt ex patre diabolo, cujus illi sunt membra, de quo ait Iob: Corpus illius quasi scuta fusilia, & compactum squamis se prementibus: una uni conjungitur, & ne spiraculum quidem incedit per eas, una alteri cohæreat, tenentes se nequaquam separabuntur: assistunt sibi, quia convenerunt in unum adversus Dominum, & adversus Christum ejus. Insignia autem militiæ sunt non purpura, torques, annuli, tiaræ: sed adverso pectore vulnera, & deformata cicatricibus corpora. Exercitium non nisi cum plurimorum exitio, doloreque conjunctum, morum, legum ac pietatis pernicies, cum Christo, cum beatitudine, cum pace, cum charitate, cum innocentia, cum patientia, ex diametro pugnans. Præmia ejus sunt, gloria nobilitatis, humani sanguinis effusione parta, imperii propagatio libidine dominandi & possidendi, cum multarum animarum perpetua damnatione. Nam cùm omnis belli finis sit victoria, nemo potest esse victor, nisi homicida, nemo contrà victus nisi malè perierit. Mors igitur militum pessima, malum epitaphium sibi inducente peccato. Qui autem occidunt, iniqui sunt, etiamsi justum sit bellum. Non enim propter hoc, sed quia lucri & prædæ gratia militârunt, impii homicidæ, in eos, quos malè occidunt. Si qui autem justè ab illis perimuntur, ipsi qui occiderunt, in carnificum ordinem seipsos statuentes, nobilitatem hanc commeruerunt: quumque leges alioqui in prædones, incendiarios, raptores, homicidas, sicarios, pœnis sæviant,

tales nomine militiæ habentur nobiles
& honesti.

De Nobilitate. CAP. LXXX.

EX militia itaque ortum habet nobilitas gentilitia, videlicet claritas, ex cruore hostium, & cædibus strenua carnificina acquisita, & publicis honorum insignibus cohonestata. Hinc apud Romanos tot coronarum genera civilium, muralium, obsidionalium, navalium, tot militaria dona, armillæ, hastæ, phaleræ, torques, annuli, statuæ, imagines nata sunt, quibus prima nobilitatis initia auspicabantur. Apud Carthaginenses tot donabantur annulis, quot interfuissent præliis, iberi tot circa defuncti sepulchrum erigebant obeliscos, quot ille interemisset ex hostibus. Apud Scythas in celebri convivio iis tantùm circumlatam pateram accipere licitum erat, qui hostem occidissent. Apud Macedonas lex erat, qui nullum hostem interemisset, capistro cingi, in opprobrium ignobilitatis. Apud Germaniæ populum neminem uxorem ducere licebat, qui non prius caput hostis occisi ad regem detulisset, ipsaque indignatio non dati debiti honoris iis, qui strenuè militârunt, contra patriam multos induxit, ut subverterent ejus libertatem. Exemplo sunt Coriolanus, Gracchi, Sylla, Marius, Sertorius, Catilina, & Cæsar. Si itaque nunc nobilitatis primordia requiramus, comperiemus hanc nefaria perfidia & crudelitate partam: si ingressum spectemus, reperiemus hanc mercenaria militia, & latrociniis auctam: quod si etiam regnorum & imperii originem quæramus, occurrunt impia fratrum parentumve parricida, funesta conjugia, & pulsi regno patres à liberis, aut trucidati principes, in cujus verba juratum erat. Sed ipsam nobilitatem jam à primis unguibus exploremus. Ipsa reverà nihil aliud est, quàm robusta improbitas, atque dignitas, non nisi scelere quæsita benedictio, & hæreditas pessimorum quorumcunque filiorum. Quod ita esse, primùm nobis Sacræ Literæ, deinde etiam antiquæ Gentium, & recentiores historiæ notum faciunt. Nam cùm ab initio creationis mundi genuisset transgressor Adam primogenitum suum Cain agricolam, & alterum Abel pastorem ovium, in quibus humana familia bivium fecit, videlicet in Abel plebis in Cain nobilium, qui cùm secundùm carnem crudelis & superbus esset, de more persequens eum, qui secundùm spiritũ humilis erat, interfecit Abel: sed reparata fuit plebeia familia Seth tertio filio Adæ, ipse itaq; Cain parricidio fratris primus militiæ & nobilitati initium dedit, ac contemptis Dei & naturæ legibus, confidens autem in propriis viribus, usurpans sibi

HAS OBRAS FUERON DIGITALIZADAS

dominationem, primus condidit urbes, constituit imperium, ac creatos à Deo liberos homines, & filios generationis sanctæ, vi, rapina, servitute, & iniquitatis legibus opprimere cœpit, donecilli etiam contempto Dei judicio, & corrupta omni carne, promiscua libidine inquinati, genuerunt gigantes, quos interpretatur Scriptura potentes à sæculo, viros famosos. Atque hæc est vera, & commodissima nobilium definitio, Opprimebant enim inopes, extollentes se latrociniis, & superbientes opibus, celebrantes nomina sua, imponentes ea regionibus, & urbibus, & montibus, & fluminibus, & aquis & mari, quorum primus parens Cain natura malignus, intestino odio invidus, à divina correptione incorrigibilis, dissimulata ira proditor, in proprium sanguinem parricida, maledictione vagus & profugus, etiam maledictioni superaddens blasphemiam. Atque hæc sunt illa antiquissima & primæva nobilitatis munia, hæ virtutes, hæc ingenia, quibus usque in hunc diem ipsa ornatur nobilitas, cujus architectus pater ille gigantum, quos delevit Dominus in diluvio aquarum, uno solo reservato Noha, viro justo in generationibus Seth, cum sua familia: cui cùm tres essent filii, Semus, Iapetus & Chamus, atque illi instaurato post diluvium sæculo, priscorum gigantum exemplo etiam urbes conderent, & regna constituerent: idcirco Scriptura à Noha usq; ad Abrahamum nullam facit mentionem justorum: omnes siquidem ad Abrahamum usque nobilitatis artifices extiterunt, robustæ videlicet improbitatis, impietatis, confusionis, potentiæ, militiæ, violentiæ, oppressionis, venationis, luxus, pompæ, & vanitatis, & similium nobilitatis stigmatum, quæ Nohæ filii huic impresserunt: è quorum numero Chamus, eò quòd cæterorum esset nequissimus, atq; in parentem impius primùm, & super omnia regna dominatricem, monarchiam promeruit. Ipse genuit Nimbrotum, quem Scriptura describit potentem in terra, & robustum venatorem adversus Dominum, hic ædificavit Babylonem illam magnam, & linguarum confusioni initium fuit, tradiditque regnandi disciplinam, nobilitatumque gradus, honores, dignitates, officia, imaginesque discrevit. Exinde in plebem leges sancitæ, introducta servitus & exactiones à populo, conscripti exercitus, gestaque crudelia bella. Abs eodem Chamo processerunt Chus, à quo Aethiopes: & Mizraim, à quo Aegyptii, & Chanaan, à quo Chananæi, nobilissimæ quidem gentes, sed deterrimæ, reprobatæ, & à Deo maledictæ. Exacto tandem multo tempore, rursus elegit Deus hominem justum, Patriarcham illum Abrahamum, ex quo susciteret sibi semen,

semen, ac populum sanctum, quem circumcisionis signaculo ab aliarum gentium multitudine distinxit. Hic duos ab initio genuit filios, unum ex ancilla, spurium, Ismaëlem: alterum ex uxore legitimum, cui nomen Isaac. Factus est autem Ismaël homo ferus, & sagittarius, vir nobilis & potens, princeps Ismaëlitarum, genti nomen suum perpetuum relinquens, benedixitque illi Deus, & confirmavit nobilitatem ejus in rapina & militia, inquiens: Manus ejus contra omnes, & manus omnium contra eum. & è regione fratrum suorum figet tabernacula. Isaac autem perseverans in justitia patris sui, illius gregem pascebat, atque hic ex Rebecca sua duos genuit filios, Esau, & Iacob. Esau itaque odiosus Deo, homo rufus & hispidus, venator, & sagittarius, helluo, & ventri deditus, adeò ut pro uno pulmento vendiderit primogenita, factus est vir potens, atq; princeps Idumæorum, benedictionem accipiens nobilitatis in pinguedine terræ, & rore cœli, in gladio & excussione jugi. Iacob autem justus, profugus apud avunculum suum Laban, oves illius pascebat, cujus utrasque filias quatuordecim annorum servitute cum promeruisset uxores, duodecim ex illis filios suscepit, vocatumque est nomen illius Israel, quod posteris suis deinceps reliquit, ut vocaretur populus Israël. Erant Iacob (quod diximus) duodecim filii, videlicet Ruben, Symeon, Levi, Iuda, Isachar, Zabulon, Ioseph, Benjamin, Dan, Nephthalim, Gad, & Aser, ad quorum numerum, duodecim tribus Israël numeratæ sunt. Verùm Ioseph à fratribus suis venditus in Aegyptum, omni Aegyptiorum disciplina imbutus est, & factus est somniorum interpres peritissimus, & augurabat in calice: œconomicæ disciplinæ adeò peritus erat, ut ingenii calliditate novas artes parandarum divitiarum, & vectigalis augendi inveniret, quam ob causam Pharaoni regi gratissimus, constitutus est ab eo princeps super omnem Aegyptum, atque ex servili mancipio, solenni Aegyptiorum ritu nobilis creatus est. Posuit enim rex annulum in manu ejus, & torquem in collo ejus auream, & induit eum purpura, fecitque ascendere currum, clamante præcone, ut omnes deinceps tanquam nobilem & principem revererentur illum. Similis per omnia nobilitandi mos erat apud Persas, sicuti de Mardochæo Hebræo nobilitato ab Artaxerxe rege, legimus in libro Hester. Inde in hunc usque diem hæc nobilium creandorum consuetudo permansit penes Reges & Cæsares, à quibus alii pro pecunia emunt nobilitatem, alii illam lenocinio, alii veneficiis, alii parricidiis hanc commeruerunt. Multis proditio nobilitatem conciliavit,

HAVERFORD COLLEGE LIBRARY

simul atque divitias peperit, quemadmodum de Euthicrate, Philocrate, Euphorba: & Philagro historiis proditum est. Plerique adulatione, detractione, calumniis, sycophantia: pluret ob prostitutas regibus uxores & filias, nobiles facti sunt, multos venationes, rapinæ, cædes, prætigia, & aliæ malæ artes ad nobilitatem promoverūt. Sed ad Ioseph revertamur. Hic cùm potens esset in domo regis, & suscepit filium primogenitum Manassen, elatus eventitia hac nobilitate, in injuriam & contemptum paternæ domus, non sine culpa locutus est dicens: Oblivisci me Deus fecit laborū meorum, & domus patris mei: quapropter in benedictionibus postpositus fuit Manasse, & præla ti illi junior Ephraim. Ipse denique Ioseph licèt esset filius Iacob, tamen propter hanc nobilitatis Deo odibilem conditionem, non meruit ferre nomen tribus in Israël, sed datum est filiis suis Ephraim & Manasse. Neq; illi in tribubus suis habuerunt Prophetam, & omnium minima benedictione benedicuntur, videlicet in fortitudine & multitudine familiæ suæ. Habitavit autem populus Israël in Aegypto annis multis, erātque pastores pecorum in terra Gossen: cùm verò crescerent in gentem magnam & potentem, suspecti & odibiles facti sunt nobilibus & Regibus Aegyptiis: quare affligebant eos operibus duris, luti & laterum, & omni servitute operum terræ, & pueros eorum masculos occiderunt, mergentes in flumine, ut non superesset illis semen in terra. Horum itaq; unus, eò quòd esset puer elegans, salvatus est à filia regis, quæ adoptavit illum in filium, & vocavit illum Moysen, quia de aquis eripuisset eum. Crevit itaque Moyses in domo regis, omnique Aegyptia doctrina imbutus, tanquam regis filius habitus, potens factus est, & dux militiæ Pharaonis contra Aethiopes. Desponsavit autem sibi filiam regis Aethiopum, in conjugem, unde contracta Aegyptiorum invidia & odio, exulare coactus, profugit in Madian, ubi apud puteum quendam contra regionis illius pastores, pro puellis quibusdam certamen suscipiens, eo beneficio unam ex illis meruit habere uxorem filiam sacerdotis. Tandem provectus ætate & sapientia, agnoscens genus suum de gente Hebræorum, reversus est in Aegyptum, & renunciata Aegyptia nobilitate, confortatus à Deo, ducem se præbuit populo Israel, & multis miraculis eduxit illum de Aegypto, cumque peccasset populus adversus Deum in vitulo aureo, iratus Moyses, junxit sibi viros fortes filios Levi, & præcepit illis, inquiens: Ponite gladios super femur vestrum, & euntes & redeuntes, occidat unusquisque fratrem & amicum & proximum suum

suum, factaque hac memorabili cæde, quasi viginti trium millium hominum benedixit illis, inquiens: consecrastis manus vestras hodie in sanguine, unusquisque in filio & fratre suo, completaque est benedictio Iacob & Simeon & Levi, vocantis eos vasa iniquitatis bellantia, quorum furor maledictus & pertinax, & indignatio dura. In hoc itaque insigni parricidio initium cepit nobilitas in Israel: tunc enim constituit illis Moyses principes & duces, & capita exercitus tribunos & centuriones, & quinquagenarios, & decanos viros bellicosos, & pugnatores egregios per tribus & cognationes suas: è quibus, qui bello & fortitudine alios præcellere videbatur, huic tribuerunt principatum, judicandique potestatem. Regem enim non habebant, sed judicibus regebantur, à quibus Iosue vir nobilis, robustus & bellicosus, victor regum, & non timens quenquam, post Moysen tenuit principatum, post cujus obitum sine principe sub democratia vixerunt, sed seditiosi facti pugnârunt in se invicem, & propè deleverunt tribum Benjamin, ut non superessent nisi sexcenti viri. Cumque abjurassent illis filias suas, datæ sunt illis quadringentæ virgines captivorum Iabis Galaad, reliquis ducentis permissum est rapere virgines à Silo. Atque hoc modo impleta est benedictio nobilitatis Benjamin, in imagine lupi manè rapientis prædam, & vesperè dividentis spolia. Post hæc rursus ad aristocratiam, & principum regimen conversi sunt, è quibus tandem Abimelech spurius Hieroboal de tribu Manasse, interfectis solenni parricidio super uno lapide septuaginta fratribus suis legitimis, primus regnum obtinuit in Sichem. Porrò universo populo Israel petente sibi regem, in furore Domini dati sunt illis reges, pauciſſimi quidem boni, plures autem mali. Iratus enim est Dominus, & dixit illis jus regis, quia tolleret filios & filias eorum, faciens sibi aurigas, panificas, & agros & greges & prædia & servos & ancillas & optima quæque illorum pro libito addecimaret sibi, & distribueret servis suis, populumque totum servitutis premeret jugo, & quoties rex peccaverit, & iniquè egerit, populus plecteretur pro eo. Constituit autem illis Regem adolescentem de tribu Benjamin, nomine Saul, virum fortem robore, statura procerum, adeò ut ab humero sursum, altior esset omni populo, incussitq, Deus timorem omnibus, ut eum quasi ministrum Domini venerarentur. Hic antequam regnare cœpisset, tanquam filius unius anni innocens erat, & optimæ indolis: adeptus autem Regni nobilitatem, effectus est vir nequam, & filius Belial. Sustulit ergo

Deus

HAVIGRAPH BIBLIOTECA CIVICA

DEUS regnum de domo Saul, & dedit illud David filio Isai de tribu Iuda. Atque hìc è pastore ovium constitutus rex, eadem nobilitatis pestifera contagione infectus, factus est homo peccati, sacrilegus, adulter & homicida, tamen non declinavit misericordia Dei ab illo. Regnavit autem ab initio in Hebron, quum Hisboseth filius Saul regnaret post Iordanem tandem confirmatum est illi regnum universi populi in Hierosolymis. Veruntamen pacificam Israëlitarum monarchiam non obtinuit. Nam eo vivente, filius ejus absolon regnum invasit in Hebron, quo occiso, rursus invasit in regnum Siba filius Bochra: Porrò ambivit regnum filius David Adonias. Ipse autem David moriturus hæredem instituit minorem natu Salomonem filium Bethsabeæ adulteræ, atq; hic primus Hebræorum monarchiam obtinuit, quam Adoniæ fratris natu majoris parricidio confirmavit, adeptusq; rerum summam etiam ipse à via declinavit post mulieres infornicationes & idololatriam, derelinquens legem Dei: successitq; illi filius malus Roboam, etiam ille nequam & peccator adversus Deum: ideoque scissa est ab eo monarchia populi, & defecerunt ab eo decem tribus, & constituerunt sibi regem Hieroboam virum nequissimum de tribu Dan, qui venenavit totum Israël, abducens decem tribus ad idololatriam, erectis vitulis in Samaria, ut impleretur benedictio, inquiens: Dan coluber super viam, ceraستes super semitam, mordens calcaneum equi, ut cadat sessor ejus retorsum. Tribus autem Iuda quievit sub semine David, quemadmodum benedixit illi Iacob, non auferendum sceptrum à Iuda, donec veniret Messias. Erat autem ille Iudas filiorum Iacob pessimus, & in nurum suam incestuosus: erantque illi filii nequissimi & sceleستissimi: quocirca benedictionem nobilitatis accepit in sceptro regni & fortitudine leonis. Tandem quoq; recesserunt à regibus Israel populus Edom & Lobne, & constituerunt sibi reges arbitrio suo, quemadmodum benedixit Deus Esau de exuendo jugo. Inter omnes autem reges Iuda & Israël, vix quatuor inventi sunt boni. Exactis itaque regibus, cum tota nobilitate, Iudæi in captivitatem & servitutem in Babyloniam traducti sunt: iterumque post multa tempora miserante Deo reducti in Hierosolymam aliquandiu sub sacerdotibus & optimatibus & populari magistratu Rempublicam suam feliciter administrârunt, donec Aristobulus Hircani filius diadema sibi imposuit, regnumq; Iudæorum & matris & fratrum parricidio refecit, quod deinceps per plures reges, postremò sub Archelao insolenti & ob

sœno rege finivit, Iudæa tota in Romanorum provinciam redacta, ac tandem sub Tito & Vespasiano deleta, universo populo per universum orbem ad hunc usq; diem in perpetuam servitutem relegato. Hæc itaq; ex sacris literis prosequi libuit, ut ostenderem ab initio mundi nullam fuisse nobilitatem, quæ non sceleratum habuerit initium: etiam in populo Dei, nec aliud esse nobilitatem, quàm gloriam & præmium publicæ iniquitatis: in qua quò pollutior vita, eò præclarior: quo plus scelerum, eò plus præmii & gloriæ, sicut non insciè comprehensus Diomedes pirata ille ad Alexãdrum, inquiens: Ego, quia uno navigio latrocinor, accusor pirata: tu quia ingenti classe id agis, vocaris Imperator: si solus & captivus esses, latro eris, si mihi ad nutum populi famularentur, vocarer Imperator. Nam quod ad causam, non differimus, nisi quia deterior est qui capit improbius, qui justitiam abjectus deserit, qui manifestius impugnat leges. Quos enim ego fugio, tu persequeris: quos ego utcunq; veneror, tu contemnis, me fortunæ iniquitas & rei familiaris angustia, te factus intolerabilis & inexplebilis avaritia furem facit. Si fortuna mea mansuesceret, fierem fortè melior: at tu quò fortunatior, nequior eris. Miratus Alexander hominis constantiam jussit adscribi militiæ, ut posset deinde salvis legibus militare, hoc est latrocinari. Iam verò progredientes ad ethnicorum historias, similiter ostendamus ipsam nobilitatem non aliud esse, quàm improbitatem, furorem, latrocinium, rapinam, homicidium, luxum, venationem, violentiam à pessimis ubiq; principiis ortam, peioribus prosequutam, turpissimum semper habuisse exitum: quod in illis quatuor famatis monarchiis, deinde in cæteris quoq; nobilium regnis constabit. Prima itaq; post diluvium monarchia fuit Assyriorum, cui initium dedit Ninus primus, qui prior omnium non contentus suis limitibus, propagandi imperii libidine arma foras extulit, & cruenta bella vicinis inferens, totius Orientis populos subegit, magnitudinemq; sui imperii, sequentibus semper novis victoriis, continua provinciarum accessione, adauxit, subacta Asia, perdomito Ponto. Porrò Zoroastes Bactrianorum regem parricidiali pugna oppressum interfecit. Vxor erat Nino nomine Semiramis, hæc (ut refert Dinon historicus) petit à viro, ut quinq; dies imperaret: quo concesso impetratoq;, stolam ac coronam sibi aptavit, ac in sellam regiam conscendit imperavitq; satellitibus ut Ninum virum suum regiis ornamentis exutum

utum interficerent: quo sic extincto, ipsa successit in imperio: nec contenta regni terminis, Aethiopiam imperio suo adjecit, in Indiam bella extulit, Babyloniam muro augustissimo cinxit: postremo à filio Nino secundo, quem flagitiosè conceperat, impiè exposuerat, incestuosè cognoverat, occiditur. His itaq; parricidiis Assyriorum monarchia obtinuit principatū, donec sub sardanapalo rege viro omni muliere corruptiore deficeret, quem Arbactus Mediæ præfectus inter scortorum greges comprehensum interfecit, ipseq; se constituens regem, imperium omne ab Assyriis transtulit ad Medos, idq; Cyrus tandem detulit ad Persas, penes quos filius ejus Cambyses novæ Babylonis conditor, adjectis multis regnis, secundam monarchiam obtinuit, quam & fratris & filii parricidio consecravit: hæc tandem in Narso Ochi filio inclinavit, cui interfecto eo abs Bageo Eunucho, surrogat⁹ est Darius Persa Arsoi filius, Gademanus antea vocatus, qui abs Alexandro Magno devictus, Persarum monarchiam simul cum vita finivit, quam idē Alexander paternæ cædis unà cum adultera matre conscius & consultor hoc ipso famoso parricidio transtulit in Macedonas, atque hæc tertia fuit monarchia quæ extincto Alexandro mox & ipsa corruit. Successit quarta Monarchia Romanorū, qua nulla in rebus humanis potentior, sed si temporum series abs urbe condita repetatur, illam invenimus ab pessimis initiis ortam, & à pessimis frequentius gestam, ideoq; hæc nobis paulò altius, & à primis urbis cōditoribus repetenda est. Urbs Roma à geminis fratribus Remo & Romulo ex incestuosa Vestali genitis, à meretrice educatis, in Italia primùm cōdita est: cujus regnum Romulus parricidio fratris instar Cain initiavit. Cùmq; se deorum filium dici pateretur, collecta sceleratorum satellitum manu, promissa illis impunitate, rapuit filias Sabinorum & constituens illis uxores ex oris quas elegerunt, genuerunt gigantes, illos inquam, Romanæ nobilitatis reges atq; proceres toto orbi formidabiles. Iamq; Sabinorum fœminis & filiabus fraudulento fœdere proditorioque ludo pellectis, nefariè raptis, crudelibus nuptiis sibi suisq; sociatis, parentum ac maritorum nece obtentis, novis insuper parricidiis defendit: Nam socerū suū sanguinis incontinens, etiam Titum Tatium pium senem, Sabinorum honestissimum ducem, in societatem regni assumptū miserabiliter occidit. Hæc fuere Romani regni primordia, quod per ducentos quadraginta tres annos sub crudelibus regibus rectum, sub Tarquinio Superbo flagitio stupratæ Lucretiæ desit. Et quemadmodum

dum successio Cain in septenaria generatione periit sub diluvio aquarum: sic & isti Romuli successores in septenario regum numero à populari tumultu obruti sunt: & licet Romana urbs regum exuisset imperium, non tamen evasit tyrannidem. Exactis namq; regibus, cùm post tumultuantis populi inundationes, regnum ad optimates translatum esset. Brutus quidam vir nobilis, primus Romanorum consul designatus est. Hic quò tantum stabiliret imperium, primùm illis conditorem regemque Romulum, non solùm exæquare parricidio, sed & vincere studuit, quippe duos filios suos adolescentes, totidemq; uxoris suæ fratres Vitellios, medio foro virgis cæsos securi percussit. Cumq; imperium hoc sub optimatibus & plebe, per diversos magistratus privatasq; tyrannides, per multa sæcula stetisset, sub Iulio Cæsare, viro difficile dictu an bello fortiore, aut libidine corruptiore, atq; deinceps sub Antonio identidem libidinis mancipio terminavit, totaq; Romani imperii summa unum Octaviano Augusto imperatori collata est, in hoc quarta illa orbis monarchia initium cepit. Neque vero abs q; parricidio, quamvis Augustus hic Principum omnium mundissimus haberetur, tamen avunculi Cæsaris, à quo adoptatus fuerat in imperium & hæres institutus, filium atque puellam ex Cleopatra susceptas proles interemit, neque nomini, neq; beneficio, neq; affinitati, neq; pueritiæ parcens. Iamq; Romanorum principes orbis monarchiam tenuerunt, atq; Neronem, Domitianum, Caligulam, Heliogabalum, Galienū, aliaq; crudelitatis & turpitudinis monstra produxerunt, sub quibus totus orbis concussus est, quousq; Magnus illi Cōstantinus interfecto Maxentio, qui ob libidinem & crudelitatem Romano populo infensus erat, à Senatu Augustus declararetur. Hic cùm Byzantium instauraret, urbemq; Romæ æmulam faceret, atq; exinde novam Romam & ex nomine suo Constantinopolim vocari juberet, hanc Imperatorum sedem esse voluit, Romanumq; imperiū transtulit ad Græcos, ipsumque Constantinopoli, quemadmodum Romæ Romulus, duorum Liciniorum, sororis suæ viri, & filii, propriæq; prolis & uxoris parricidiis sacravit: perstititq; imperium apud Græcos usque ad tempora Caroli Magni, in quem nomen duntaxat imperii translatum est ad Germanos. Sed hæc de monarchiis hactenus. Cæterorum aliquot regnorū initia, finesq; perscrutemur, & comperiemus auspiciis non melioribus incepta, nec inferioribus flagitiis parta, nec minori luxu rursus dissoluta. Prætercam Dardani parricidia, quo facinore ille persuasus in

scelus

scelus Achivis Græcorum regni initia dedit. Taceo etiam mulierum imperia, virorum parricidiis parta, quemadmodum de Amazonibus narrant historiæ. Ad recentiora tempora nostraque confinia vadamus. In Hispania tempore Theodosii Imperatoris, primus regnavit Atanaricus Gothus, sed eo tempore etiam Alani, & Wandali Hispaniam possidebant. Primus autem ex Gothorum regibus Hispaniæ monarchiam adsecutus est Suytilla, quàm postremò Rodericus rex, quod filiam Iuliam Tingitanæ provinciæ præfectus stuprasset amisit, finem adferens Gothorum imperio, Saracenis Hispaniam occupantibus, deinde sub Pelagio rege, recuperatis aliquot locis, tunc primum Hispaniæ reges, at non ultrà Gothorum dici cœperunt, titulo regni apud Legionem oppidum manente, usq; ad tempora Ferdinandi Sancti filii, qui primùm se Castellæ regem pronunciavit, ac interfecto fratre Garsia, eo parricidio etiam Navarræ regnum adjecit. Illorum autem frater Romanus, quem pater illorum ex concubina genuerat, vir bellicosus, & ferus primus Arragonensium rex evasit. Lusitanorum autem rex primus fuit Alphonsus, Henrico Lotharingo, & Tyresia Alphonsi Castellæ regis notha filia genitus, vir in armis strenuus, & qui quinque Saracenorum regulos uno prælio superavit, hinc quinq; scutorum insigne Lusitanorum reges ferunt in clypeis: fuit tamen Alphonsus hic in matrem parricidialis animi, quam propterea, quòd secundario nupsisset in perpetua vincula conjecit, nec ut dimitteret ullis precibus flecti, nec Ecclesiasticis censuris impelli potuit. Deniq; omnia hæc Hispaniarum regna, aut ingentibus sceleribus parta sunt, aut illis artibus confirmata. Iam verò & Anglorum regni pia initia ferè fabulosa sunt. Deinde hæc insula variis sub regibus, & à multis gentibus, Pictis, Scotis, Danis, Saxonibus, passim habitata, & subacta. Postremò sub Guilhelmo Normanno monarchiam obtinuit quietam, quam ille Atolli regis Vuestosaxonum consanguinei sui parricidio, sibi posterisq; suis confirmavit, cujus successio manet in hunc usq; diè, semper famosis parricidiis admodum insignis. Transeo Burgundionum & Lombardorum regna, expeditissimis Germaniæ populis in Gallia, & Italia, hinc rege Gondaico, inde verò Alboyno primum incepta, crudelissimisq; parricidiis propagata, Francorum in Gallia potentissimum regnum spectemus. Hujus prima initia à Pharamundo Merovei Ducis filio ortum habent, qui primus è Germania in Galliam migrans, primus rex constitutus est Francorum, omni crudelitate & truculentia su-

tia superior. Hujus series duravit usque ad Childericum tertium, qui ob segnitiem in administranda Republica, & propter libidinem in matronas dejectæ regno, in cœnobium monachorum detrusus est. Pipino majore domus in regnum surrogato, quod ille sibi, posterisque suis proditione partum, insuper Grisonis fratris parricidio stabilivit, usque ad Ludovicum sextum Lotharii filium, qui ob adulterii crimen à Blancha conjuge veneno sublatus est, invadente Francorum regnũ Hugone Capeto, viro gladiatore & sanguinolento, strenuoq; pugnatore, & qui his artibus apud Parisiensem populum magnus habitus est, alias vero ignobilis, atque è lanione progenitus. Hic contra Carolum Ludovici patruum ac verum regni hæredem rebellis, collecta sceleratissimorum nebulonum manu, acieq; pessimorum satellitum, dictum Carolum apud Aurelianum sibi in manus proditum, in carcerem conjecit, ibiq; mori compulit: quo nefandissimo in regem & principẽ suum perpetrato parricidio, & ipse sibi diadema imposuit, & carnificina pro regno commutata, Gallis deinceps, cum posteris suis imperavit: Cujus successio in hunc usque diem durat, donec illa rursus in aliquo meretricum libidinis mancipio ruitura sit. Nimis longum foret hoc loci, regnorum omnium initia recensere, & per omnes antiquitatum historias discurrere. Ego hanc rem, quam hic summario conceptu tetigi ampliore volumine descripsi alibi, ipsam nobilitatem suis coloribus & lineamentis exactè expressi, ostendique non fuisse, nec esse aliquod in orbe regnum, insignemve principatum, quæ non incœperint parricidio, proditione, perfidia, crudelitate, strage, cædibus, aliisque horrendis sceleribus, artibus inquam nobilitatis, cujus cum talia sint capita, facilè cognoscere poterimus, cujusmodi sint reliqua belluæ illius membra, eaque omnia ad violentiam, ad rapinam, ad cædem, ad venationem, ad libidinem, & omnis generis luxum prona, & exercitata. Velit quis nobilis fieri, primùm venator fiat, hoc primum elementum est nobilitatis, deinde miles mercenarius, & precio locet homicidia, hæc vera nobilitatis virtus, in qua si se fortem latronem exhibuerit, nulla major nobilitatis gloria. Qui ad hæc ineptus est, hic nobilitatem emat pecunia: siquidem & ipsa etiam venalis est: aut si id non poterit, parasitetur regibus, aut alia quavis aulica fraude se intrudat, & palatinarum meretricum lenonem agat, aut principi prostituat uxorem vel filias, aut ipse dominarum expleat libidinem, aut regio scorto nubat, aut corundẽ spurias filias ducat uxores, hic summus est

HAB. BIBLIOTECA OPUS INCERTUM

nobilitatis gradus: unum siquidem corpus efficitur cum illis. Hæc sunt itinera, hæ scalæ, hi gradus, quibus ad nobilitatis apicem compendioso tramite conscenditur. Qui verò cæteris generosiores, & in genere suo nobilissimi omnium videri volunt, progenitores jactant ejusmodi, cujusmodi nemo non contemneret, videlicet homines alienos, Trojanos, & Macedones, incertis sedibus vagabundos, ac transfugos, & mille scelestissimis facinoribus coopertos, atque adhuc (si diis placet) laudare oportet, & extollere hanc eorum nobilitatem, quæ tam sceleratissimos habuit ortus. Alii cùm à meretriculis, & scortis ortum habuerunt, turpitudinem hanc fabulis tegunt, qualem de Melusina legimus. Sunt qui alios scelestos habuere ortus, incestus, stupra, raptus, adulteria, & ejusmodi. Sic Balduinus, ob raptam Iudith filiam, à Carolo Calvo primus Flandriæ comes creatus est. Sic Marchiones illi Pedemontiū, videlicet Montis Ferrati, Salutiarum, Senæ, & cæteri multi ab Othone imperatore, ob raptam filiam instituti sunt. Solent enim nonnunquam reges & Imperatores, quasi sine summa verecundia injurias ulcisci nequeunt, dignitatis aliquo titulo perducere ad gloriam. Porrò quatuor principalia sunt nobilium istorum munera, in quibus omnis eorum sita est felicitas. Primum illorum rapacitas, qua præter fas & æquum habent, capiunt, & possident, alterum voluptas, qua omni luxus & libidinis genere insolescunt: tertium libertas, qua contemptis legibus violentiæ viribus stipati, omnia pro libitu agunt, quartum ambitio, qua intumefacti supra sortem & statum suum nullo non scelere altiora petunt. Omnium denique nobilium sufficientia in eo probatur, si venaticam noverint, si in alea fuerint damnabilius instituti, si corporis vires ingentibus poculis commonstrent, si naturæ robur numerosiore Venere comprobent, si audacter strenueque profundant, si fastu, si luxu omnique intemperantiæ dediti, virtutumque hostes, obliviscantur quòd nati, quodque morituri sint. Nobiliores autem, si hæc pernicies à patribus emanârit in filios magnisque subintrârit authoribus: ut

Si damnosa senem jurat alea, ludit & hæret
Bullatus, parvoque eadem movet arma frivillo.

Hæ sunt nobilium insignes virtutes. Sed habent præterea aliat quasdam nobilitatis artes, quibus cùm maximè omnium nocentissimi sint, id agunt, ut viri probi, atque boni esse videantur, & prudentia, libertate, pietate, justitia, insignes appareant, adeò

adeò se præbent faciles, beniloquos, affabiles, & omnium virtutum hypocrisi claros, molliunt sermones suos supra oleum, & ipsi sunt jacula, conquisitis quotidie convivis, epulantur splendidè, in sermone & colloquiis liberiores disputant de Republica, aliorumque sententias captantes; ex illis sapientiæ prudentiæque famam, in principum concilijs sibi aucupantur. liberalitatis etiam famam sibi ex avaritia usurpant, dum quod auferunt uni, dono dant alteri, munifici prædones, & quod veteres de Sylla scribunt, alios per aliorum injuriam locupletare studentes, ipsi inter quotidianas rapinas semper inopes. Proinde justitiæ & pietatis nomen sibi venantur, dum pauperum quæstiones libenter susciplunt, foventque eorundem causas contra ditiores, sed eo usque duntaxat afflictis illis succurrunt, donec interim exhauriant loculos pleniorum. Neque enim animus est, prodesse pauperibus, sed nocere divitibus, quod cuivis illorum facilius est, quàm prodesse, atq; hac justitiæ pietatisque umbra tantam sæpè licentiam sibi arrogant, ut civitatibus & potentioribus vim inferant, & publica hostilitate vexent, & unde legum authoritate nullis sperare licet veniam, isti nobilitatis prætextu assequuntur gloriam, & tanquam antiqui gigantes gloriantur in peccatis suis, & cùm veluti mali dæmones undique quærunt ut noceat, tunc maximè prodesse putantur, quando solùm nocere desistunt, agentes ut omnibus sint terrori, amentur à nullo, cum scelerati & flagitiosis omnibus ponentes portionem, & qui se custodiæ eorum tradunt, depopulantur & opprimunt: nec ullum hominum genus civitatibus pestilentius, quàm nobiles isti, qui sibi ipsis placentes, quasi cæteris generosiores, semper superbo spiritu turgent. De quibus idcircò non malè consulit Aristophanes, inquiens, non oportere in urbe nutrire leones; sin autem alti sunt, obsequi illis oportere. Horum tyrannide oppressi olim Helvetii, nobiles omnes occiderunt, & totam eorum progeniem patria extirpaverunt. hac insigni nobilium strage, nomen sua virtute celebre cum libertate adepti sunt, qua plus quadringentis annis, in hunc diem feliciter imperant, atque regnant, semperque hoc nobilium hominum genus oderunt. Olim nulli erant populis gratiores, nec majoribus præmiis digni censebantur, quàm qui tyrannos, eorumque stipatores, & satellites etiam, vel innoxios liberos interemerunt. quin & Iurisconsulti docent, nonnunquam innoxios rectè occidi posse, si id magnopere profit Reipublicæ, ut extincto tyranno, & liberos trucidare, ne repullulet nova

tyrannis: quemadmodum & Græci, post eversum Ilium, occiderunt Hectoris filium Astyanactem, ne novi belli instaurandi occasio superesset. Legamus liceat veterum temporum historicos, Titum Livium, Iosephum, Egesippum, Quintum Curtium, Suetonium, Tacitum, Serenum, Tranquillum, & reliquos, semper licuit tyrannis insidiari, licuit decipere, honestissimum autem occidere, etiam vel veneno tollere, cujusmodi Tiberius à Iulio tertius Imperator peremptus est: sed cùm veneficium detestabile semper fuerit, venenum quo ille extinctus est, orbis censuit esse vitale. Attestantur istis etiam sacræ literæ in Eglon, in Sisara, in Holoferne, quos interemunt Ajoth, Iael, Iudith, quod etiam coram Deo licuit, occisis quoque facinore tyrannis jugum excutere, omnesq; illi quorum facinore afflictus populus liberatus est, Sacris Bibliorum annalibus pro ministris Dei honorati sunt. Iam verò nobilitatem, non tam usu & consuetudine, quàm etiam natura malam esse non ambigimus: siquidem inter aves, & quadrupedia nulla alia nobilitatis prærogativam habent, præter illa, quæ cæteris animantibus etiam hominibus non tam infesta, quàm exitio sunt, cujusmodi aquilæ, vultures, falcones, accipitres, corvi, milvi, struthiones, & fabulosæ harpyiæ, gryphi, syrenes, & hujusmodi monstra. Simili ratione tigrides, leones, lupi, pardi, ursi, apri, dracones, serpentes, bufones. Ex arboribus verò nullæ, aut paucæ diis sacræ & nobiles habentur, nisi quæ aut steriles sunt, aut nullum hominibus edibilem fructum ferunt, ut quercus, esculus, fagus, laurus, myrtus. Inter lapides non marmora, non ædiles, non molares, sed gemmæ, quæ nullum hominibus utilitatis usum præbent, habentur nobilissimæ. Sic & in metallis, argentum admodum pernicioſum, & ferro nocentius aurum: nobiliora sunt, & digna habita, pro quibus tot cædibus, & humani sanguinis dispendio populi dimicent.

De Arte Heraldica. CAP. LXXXI.

ATque hinc processit heroica illa Heraldorum ars, & Philosophia in censendis distribuendisque istis nobilium clypeis admodum occupata: quos aut jumentum, aut vitulum, aut ovem, aut agnum, aut caponem, aut gallinam, aut anserem, aut aliquod horum animantium, quæ hominibus servitute vel usu necessaria sunt, in armis gestare nefas est, & infame, sed omnes à crudelibus belluis & rapacibus feris nobilitatis suæ insignia auspicari oportebit. Sic Romani aquilam avium omnium

omnium rapacissimam sibi delegerunt. Phrygii suem pernicioſum animal: Thraces Martem: antiqui Gothi ursam: Alani Hispaniam invadentes, catum rapax simul & fraudulentum animal: Franci veteres leonem, eundem etiam Saxones: sed deinde sumpserunt Franci in Gallia commorantes bufones: Saxones verò equum, bellicoſum animal: Cymbri taurum ferebant, fortitudinis & roboris signaculum. Antiocho Regi aquila draconem unguibus deferens in signaculum erat: Pompejo autem ensifer Leo: Attilæ coronatus, astur: Quin & Romani ipsi, quibus anseres pro capitolio vigilantes salutem cõtra Gallos præstiterunt, ne tanto quidem beneficio induci potuêre, ut anserem inter insignia referrent. Fortè gallum & hyrcum, sunt qui admittunt clypeis, siquidem hæc animalia constat superba & luxuriosa esse, quæ etiam præcipuæ nobilium dotes sunt. Eadem ratione & pavonem recipiunt propter fastum: & upupam, quæ ipsa etiam quid regium habere videtur, & coronam gerit: nec obest nobilitati, quòd nidificat in excrementis, nam ipse quondam Vespasianus imperator etiam ex lotio vectigal accepit, inquiens: Lucri non esse malum odorem. Iamque etiam pleraque minuta animalia in istis nobilium imaginibus prærogativam habent, si modò exitii alicujus documenta sunt, aliàs non admittenda. Ex horum numero sunt cuniculi, talpæ, ranæ, locustæ, mures, serpentes, salpegæ, scolopendræ, à quibus (Plinio authore) aliquando abactos populos, & deletas civitates creditum est, atque eisdem rationibus nos illis etiam culices, cimices, muscas, quin & si velint vesicas, tabes, hulcera, pestes libentissimè concedemus: quippe istis olim Aegyptus sub Pharaone & Moyse, flagellata est, & hodie etiam nobiliores habentur, qui præ cæteris ornantur scabie gallica. Sunt etiam qui enses, pugiones, machæras, bipennes, scorpiones, turres, arces, machinas, & quævis alia homicidiorum & perniciei instrumenta clypeis suis ingerunt. Quin & Scytharum fulmen, Persarum arcus & pharetræ, Corallorum rotæ insignia fuerunt. Similiter inter divos, Iuppiter fulmen, Neptunus tridentem, Mars frameam, Bacchus thyrsum, Hercules clavam, Saturnus falcem sibi delegerunt. Atque hæc armorum insignia quæque pro suæ crudelitatis, rapinæ, violentiæ, turpitudinis, temeritatis, cæterarumque nobilitatis virtutum expressione (heraldis decernentibus) alia aliis censentur nobiliora. Quæ verò clypea iis carent, & mitiora quædam, ut arbores, flores, stellas, & ejusmodi, exprimunt, ut Apollinis cythara, & Mercurii caduceus, aut

sola colorum varietate distincta sunt, hæc prioribus illis multò recentiora minusque nobilia sunt, quia non censentur hæc ulla militiæ fortitudine aliove sanguinis aut exitii artificio fuisse conquisita. mirum tamen quam stulta sapientia in istis astrologicantur, philosophantur etiam & theologizant paludati isti heraldi, dum fuscum & nigrum Saturno assignant; ideirco perseverantiam, taciturnitatem & patientiam illi adscribentes, saphyreum autem & azurinum fidem, ac, juxta Gallorum opinionem, cœlum significare volunt, Iovem illi præponentes. In rubro iram vindictamque exponunt, ob furibundi Martis dominium. Auri flavus color Soli dicatus, hunc ob sui metalli precium, atque Solis lucidissimum splendorem, desiderium ac lætitiam significare dicunt. Venerem præficiunt purpureo ac viridi, purpureum roseo nitore arridentem amorem significare dicunt, sed Galli proditionis astutiam illi adscribunt. Viridis autem omnium consensu spem denotat: virescentibus enim agris, fructus speratur. Albus color Lunæ adscribitur, qui cùm sine mixtione simplex sit, omnia tamen mixtionis facilè susceptivus: puritatem, simplicitatem, aptitudinem signare volunt. Cæteros omnes mixtos colores, adjudicant Mercurio, qui ut ipse vagus est & varius, ita omnes illos varietatem animi exprimere. nam cineritius nigro vicinior, ángustiam: carneus quasi remissi sanguinis, occultum animi dolorem, vel secretum absconditumque cogitatum: palearis verò & clarus & obscurus velut decidentium foliorum, & arescentium herbarum, desperationem & suspicionem pro significatis habent. Longum esset referre, ejusmodi nænias ex humoribus & complexionibus & temporibus anni, mensibus & diebus, mundi angulis ac ventis, signis, planetis, lapidibus, ipsisque Ecclesiæ Sacramentis & mysteriis, huc affingunt, & ferè totam Apocalypsin ad has fabulas suas demigrare coguntur. Atque hæc est illa heroicorum heraldorum heroica Philosophia. Hic finem facturus eram hujus negocii, nisi occurrisset mihi præterisse me heraldorum originem: hunc itaque sermoni huic appendere libet. Heraldos ab heroibus deducit Æneas Sylvius. Erant autem Heroes veterani milites, quos solos heraldos esse deceat, atque sic, herald, Teutonicum vocabulum significat, videlicet, senem in armis, sive veteranum militem. Sed hodie serviles quidam homines, caduceatores & nuncii fetiales, etiam qui nunquam militaverunt, id officii assequuntur. Privilegia autem officiaque heraldorum ex antiquissimis seculis in hunc usque diem durant.

durant. Primus eorum autor fuit Liber pater, qui subacta India illos in hæc verba initiavit: Ego vos hodie militia laboribusque absolvo, veteranos milites esse volo, heroasque vocari: munus vestrum erit reipublicæ consulere, fontes arguere, laudare probos: cæteris muneribus vacabitis, quocunq; gentium terrarumque veneritis, victum vobis reges vestitumque dabunt, honoratiores apud omnes eritis, xenia vobis principes offerent, suasque vestes condonabunt, stabit fides dictis vestris, mendacia horrebitis, proditores judicabitis: qui fœminas malè habent, infames hos asseverabitis: in omni terra libertas vobis esto, securusque vobis transitus & incolatus. Si quis vos, vestrûmque verbo factóve angariaverit quempiam, gladio ferietur. Adjecit post multa tempora istis heroum privilegiis Alexander Magnus, ut auro, purpura, coccineisque vestibus & paludamentis uti possent: quin & arma regia & insignia deferre, quovis gentiû terrarumque loco fuerint. Si quis hos manu pulsâsset, aut verbo læsisset, eum proscriptis bonis etiam capitis reum esse. Sic Thucydidem, Herodotum, Didymum, Megasthenem, & Xenophontem tradere, idem Æneas refert. Tertiò deinde Octavianus Augustus, constituta Romana monarchia, illos hac lege decoravit: Quisquis es, qui per decennium nobiscum militaveris, si modo quadragenarius fueris, sive eques, sive pedes stipendia meruerit, militia posthac vacato, heros esto veteranusque miles: nemo te civitate, foro, templo, hospitio, domo prohibeat: nemo tibi crimen adscribat, onus imponat, pecuniam ex te quærat: si quid peccaveris, solam Cæsaris vindictam expectato: quidquid turpitudinis admiserint homines, te judicem propalatoremque timeant, seu privati seu principes fuerint: quod dixeris affirmaverisque nemo falsum arguet, libera & aperta tibi omnia itinera locaque sunto, in ædibus principum mensâ tibi cibi potusque esto, stipendia quibus te tuamque domum serves, ex publico quotannis habeto: quam legitima facie duxeris uxorem, cæteris fœminis præferatur: quem exprobaveris infamemque dixeris, hic reprobatus homo & infamis esto, arma insignia, nomina & ornamenta heros ferto, quæ reges decent, quæ dicere aut facere velis, ubivis gentium, locorum nationumque facito. Si quis injurius fuerit, cervice careto. Postremò Carolus Magnus translato ad Germanos imperii nomine, post devictos Saxones & Longobardos Cæsar & Augustus appellatus, illos hoc honore donavit, inquiens: Milites mei vos heroes vocabimini, socii regum & judices criminum, vivite

posthac laboris expertes, consulite regibus publico nomine, turpia corrigite, fovete fœminas, juvate pupillos, concilio circundate principes, ab his victum, vestitum, stipendiumque petite: si quis negaverit, inglorius, infamisque esto: si quis injuriam vobis intulerit, reum se læsæ majestatis agnoscat: Vos autem caveritis, ne tantum decus, tantumque privilegium justo bellorum labore partum, aut ebrietatis, aut scurrilitatis, aut alio quovis vitio maculetis, ne, quod vobis largimur ad gloriã, redundet ad pœnam, quam de vobis sumendam, si forsitan excesseritis, nobis & successoribus nostris Romanorum regibus, perpetuò reservamus. Atq; hæc est Heraldorum magnificentia, quibus antiqua consuetudine temporum magnos sese æstimant. quia impunè maximis obtrectare illis permissum est.

De Medicina in genere. CAP. LXXXII.

SEd jam à militia & nobilitate ad medicinam properemus, quæ ipsa etiam quædam homicidiorum ars est, prorsus mechanica, licet philosophiæ titulo se traduci posse præsumat, ac supra juris prudentiam proximas theologiæ sedes ambiat, unde maxima inter medicos & juristas contentio est. Argumentantur enim medici: Cùm triplicia sint bona ex ordine, animæ, corporis, & fortunæ: priora curat theologus, secunda medicus, tertia jurisconsultus. hinc medicis medias quoque sedes deberi supra jurisconsultos, quantum corporis robur & sanitas, fortunæ divitiisque præstat. Sed hanc litem nescio quis prætor levi interrogatione diremit, quæsivit enim ex ligantibus illis, quis mos & ordo servaretur in educendis ad supplicia reis, uter præcederet & sequeretur, latróne an carnifex? Cum respondèrent, præcedere latronem, sequi autem carnificem, dedit ille sententiam: præcedant ergo juristæ, sequantur medici: horum insigne latrocinium, istorum temeraria homicidia notans. Sed ad medicinam redeamus, ejus plures hæreses sunt: Nam est una, quam rationalem, sive sophisticam, sive dogmaticam vocant, eamq; Hippocrates, Diocles, Chrysippus, Caristinus, Paraxagoras, & Herasistratus secuti sunt, quam etiam Galenus his longo tempore posterior approbavit, qui præ cæteris insequutus Hippocratem, totam medendi artem ad causarum agnitionem, signorum notitiam, rerum qualitates, & corporum diversas habitudines gradusq; revocavit. Sed hæc hæresis cum circa voces potiùs, quàm circa res ipsas versetur, naturalis philosophiæ fateor non infima pars est, medendis tamen ægrotantibus non admodum necessaria, ne dicã vel perniciosa, ut quæ homi-

hominum salutem sanitatemq; ad contorta quædã sophismata relegat potius, quàm ad sincera, quibus morbis mederi possit, medicamina, & scholasticis syllogismis occupata, solitudinum & saltuum hortorumque nescia, ignorat herbas & medicinam: quocirca Serapion hanc rationalem medicinam nihil ad medendi artem pertinere professus est. Est itaque alia medicorum factio prorsus quæstuaria & mechanica, à qua usque in hunc diem medici suum nomen habent. Hanc idcirco operatricem vocant, in empiricam & methodicam dispartitam, de hac nobis hic sermo est. Empiricam itaque ab experimentis appellant, cujus principes Serapion, Heraclides, & ambo Apollonii fuêre, quos postremo ex Latinis Marcus Cato, C. Valgius, Pomponius, Leneus, Caïlius, Felix: Aruntius, Cornelius Celsus, ac Plinius & plerique alii secuti sunt. Ex hac deinde methodicam construxit Hierophilus, Chalcedonius, & ex longa rerũ omniũ magistrata experientia ad certas regulas adegit, quam postea validissimis argumentis probarunt Asclepiades, Themison, ac Archigenes: complevit autem Thessalus Italus, qui (ut author est Varro) cuncta superiorũ placita sustulit, ac velut rabie quadam in cunctos prioris ævi medicos peroravit. Post istos verò complures externarum gentium barbari philosophi de ea scripsêre, inter quos adeò crevit Arabum gloria, ut hujus artis inventores plurimis visi sint, facileq; id se posse contendere videantur, nisi ipsa originalia Græca & Latina nomina ab illis usurpata, aliam artis originem indicarent. Hinc Avicennæ, Rasis, & Averrois volumina pari cum Hippocratis & Galeni libris authoritate recepta sunt, tantamque fidem adepta, ut si quis sine eorum placitis cuiquam mederi præsumat, is publicã salutem palàm decoquere videatur. Hæ autem medicorum factiones licet paucæ sint, non tamen minor inter eos contentio est & opinionũ pugna, quàm inter philosophos. Nam de spermate, quod genitale semen est, audite quibus anilibus ratiunculis certant: Pythagoras illud utilissimi sanguinis spumam, sive cibi utilissimum excrementum dixit, Plato autem spinalis medullæ defluxum, quia nimium coëuntes dorsum & renes dolêt, Alemeon autem cerebri partem adseveravit, ex eo quòd coëuntibus oculi dolent, qui sunt partes cerebri, Democritus autem ipsum ab omnibus corporis partibus derivatum ait, & Epicurus à corpore & anima convulsum, Aristoteles alimenti sanguinei excremẽtum, quod ultimum in membra digeritur. Cæteri putant sanguinem esse testium calore decoctum, & debalbatum, ea duntaxat moti ratione, quòd ultra vires coeun-

tes, sanguinis guttas ejiciunt. Porrò Aristoteles, & Democritus nil dicunt mulieres semen ad generationem, conferre neque germen illas, sed particularem quendam sudorem emittere. Galenus illas & sperma, licet imperfectum germen, emittere ait, & utrorumque viri & mulieris semen fœtum constituere. Cæterùm, Aristoteles corpora animalium ex sanguine proximè vult generari & immediatè nutriri, sperma quoque ex sanguine generationem habere. Hippocrates contrà, corpora animalium, ex quatuor humoribus primò coagulari. Sed & multi ex Arabibus putârunt animalia perfecta posse absque maris & fœminæ permixtione generari, ac sine semine produci: & propterea dicebant, matrices non esse necessarias nisi per accidens. De causis autem morborum originalibus agentes, Hippocrates illas in flatu sive spiritu collocat, Hierophilus in humoribus, Erasistratus in arteriarum sanguine, Aesclepiades ex atomis per corporis invisibiles poros illapsis illas rimatur, Alcmeon ex corporalium potentiarum exuberantia vel inopia, Diocles ex inæqualitate elementorum corporalium, aërisque halitu, Strato ab alimenti exuberantia cruditateq; & ejus corruptione omnes morbos fieri solummodò putat. De ciborum autem conversione non minùs discrepant. Nam Hippocrates, Galenus, Avicenna, in stomacho, cibos per calorem concoqui affirmant, Erasistratus hæc in ventre fieri contendit, Pliστonicus, & Paraxagoras non concoqui modò, sed putrescere ajunt: quin etiam Avicenna, & ejus expositores, Gentiles, & Iacobus de Forlino, non sine insigni errore, stercus in stomacho generari tradunt. Asclepiades autem & ejus æmuli non concoqui cibos, sed crudos in corpus omne dividi putant, qui insuper omnium superiorum dogmata vana & supervacua esse dicunt. Transeo urinarum judicia, ab illis necdum perfectè cognita, pulsuumque dieses incomprehensas. Iam vero & Hippocrates, quem ipsi pro Deo colunt, ab aliis in plerisque non tam diversum sentit, quàm turpiter erravit. Nam in libro de natura infantis ait: Generatur ex luteo ovi avis, nutrimentum autem & augmentum habet album, quod in ovo est: quod falsum probat Aristoteles in libro De animalibus, & in libro De generatione animalium, disputans contra Alcmeonem, qui cum Hippocrate sentiebat, concludit: origo pulli in albumine est, cibus per umbilicum ex luteo petitur, cui sententiæ adhæret etiam Plinius, inquiens: Ipsum animal ex albo liquore ovi corporatur, cibus ejus in luteo est. Nonne etiam ille Hippocratis aphorismus mendax est? Mulier non podagrizat, nisi menstrua illi de-

illi defecerint: cùm multæ fœminæ, quibus menstrua fluunt, podagras patiantur.

De Medicina Operatrice. CAP. LXXXIII.

TOta prætereà medendi operatrix ars nullo alio fundamento quàm fallacibus experimentis superextructa est, ac tenui ægrotantium credulitate roborata, non minùs venefica, quàm benefica, ut sæpissimè, & ferè semper plus periculi sit à Medico ac medicina, quàm ab ipso morbo: quod quidem & ipsi hujus artis principes ingenuè fatentur, videlicet Hippocrates, dicens artem hanc esse difficilem, & experimento fallacem: & Avicenna, inquiens, fidem ac spem ægri erga Medicum & medicinam, sæpè plus efficere, quàm ipsam cum Medico medicinam: & Galenus, difficilè posse reperiri medicamen, quod plurimum prosit, ac non simul in aliquo obsit: atque alius quidam ex illis ait, medicinarum notitia delectabilis est, ut reliquorum omnium, quæ arte, & regulis constant, operatio autem secundum medicinam à casu est. Eam igitur nunc fortunati ægri, ac periculosis experimentis, & casui fidem habeant, sed tam blanda est cuique pro se sperandi dulcedo, ut ait Plinius, ut cuicunque se Medicum profitenti statim credatur, cum sit periculum in nullo mendacio majus. Hinc est quod sæpissimè illic quæritur ubi mors est: quippe medicorum hic optimus creditur, quem particeps lucri commendat pharmacopola, qui cum illo colludit, cujus servulos etiam Medicus sibi sub stipe devincit, qui lenocinio fungentes, illum apud miseros ægros collaudando præferunt: magnæ quoque præstantiæ Medicus est, quem usurpata pomposa vestis, & intermicantes crebris hyacinthis digiti commendant, & cui remota patria vel longa peregrinatio, aut diversa religio (ceu Iudæus vel Maranus) ad fallendum efficacissima frontis impudentia, magnorumque remediorum constans inconcussis mendaciis jactantia, authoritatem, famam, fidemque conciliârunt. Et cui pertinax contentio, ac multæ semper in ore cùm semigræculæ, tum barbaræ voces: & multa authorum suorum nomina doctrinæ fecerunt opinionem: atque sic instructus, plus quàm plumbea gravitate, sed audacia penè militari, medendi practicam tunc hac hyppocrysi aggreditur. Primùm invisit ægrum, respicit urinam, tangit arteriam, inspicit linguam, palpitat latera, explorat excrementa, scire vult victus consuetudinem, & si qua etiam secretiora sunt, inquirit, ac si per hæc libret

HYPERION BIBLIOTECA DIGITAL DE MEDICINA

libret elementa, & velut in ſtatera expendat humores ægrotantis, fabulaturq; egregiè: deinde magna jactantia præſcribit medicamina, recipe catapotia, mitte ſanguinem, fiant clyſteria, fiant peſſi, fiant unciones, fiant cataplaſmata, dentur elinctora, dentur maſticatoria, gargariſmata, fiant ſacculi, fiant fumi, dentur condita, dentur ſyropi, dentur aquæ, exhibeantur theriacalia: quòd ſi leviuſculus ſit morbus, & æger delicatulus, excogitabit blandimenta, & quæcunq; mulierculis effœminatiſque viris grata atq; jucunda putat, magna authoritate præcipit: jam ſuſpenſo molli grabatulo, aut ſontalis aquæ in pelvim ſtillantibus guttis, ſomnos allicit: jam frictionibus, ſtufis, cucurbitulis, morbum extenuat: jam balneis, thermis, cibiſq; delicatioribus, ac cæli mutatione, extenuatum ægrum reficit: ut autem magnæ authoritatis habeatur, & ſimul admirationi ſit, horas obſervando, phyſicas allegationes ſuſpenſionesq; adnecti facit, nec niſi ephemeride mathematica pharmaca potioneſq; miniſtrat, quin & in pharmacopolam ſibi imperium arrogat, & ſe coram omnia diſpenſari jubet, ſeſeque meliora aromata deligere ſimulat, cùm ſæpè neſciat ſophiſticata à veris diſcernere, reſq; ipſas nomine tenus penitùs ignoret. Si verò dives ſit æger, aut magnæ authoritatis, tunc quò plus ſibi compendii atque famæ acceſſurum ſit, morbum quantum poteſt protrahit, ac non niſi paulatim reſtituit, etiamſi poſſet ſemel uno pharmaco morbum depellere, nonnunquam verò medicamentis ſuis exagitato morbo, priuſquam illum tollat, hominem ad extremum vitæ diſcrimen adducit, quò illum tunc abs graviſſima & periculoſiſſima ægritudine liberaſſe prædicetur. Quòd ſi quandoq; in manus ſuas æger incidat graviori morbo conflictans, cognoveritque perniciosum eſſe malum, & cujus dubius ſit eventus, tunc iſtis ingreditur ſtratagematibus auſtero vultu vivendi leges præſcribit, jubet inſolita, prohibet conſueta, arguit oblata, execratur exhibita, comminatur exitium, & vitam pollicetur, magnaque poſcit præmia. Si dubitat de eventu, ſuadet convocari collegium, & poſtulat ſocium, quo ſecuriùs medeatur, aut non rarò cautiùs perimat, ne ſuperveniens alius, qui ægrum ſolus reſtituat, famam ſibi atque laudem cum lucro præripiat. Si ægro quid malè ceſſerit, ſive illum præter ſpem, per inſignem imperitiam occiderit, hic ſe aut per catharri præfocativum defluxum, aut aliquod aliud ſimile ſubitaneum accidens, immedicabilemque caſum apparenter excuſat, & ægri inobedientiam, aut cuſtodum negligentiam acriter accuſat, aut incuſat collegas, aut in pharmacopolam culpam protrudit: ſic enim efficit, ut nemo ægrotus, niſi propria culpa periiſſe, nemo niſi Medici beneficio reſtitutus videatur. Iam verò Medicos plerumque nequam eſſe, ſuorummet teſtimoniis comprobabimus. Ait enim eorum conciliator Petrus Apponius, artem Medicinæ Marti eſſe adſcriptam, qui Planetarum omnium odioſiſſimus eſt, & qui ingratitudinis, jurgiorum, omniſq; iniquitatis, & malitiæ author exiſtat. Ideoque etiam Medicos ut plurimùm malorum eſſe morum, tùm ab Martis Scorpioniſque influxum, tum quòd ait, quia ex vili ſtipite & ſterili originem contraxerunt, intumeſcentes demùm, & contumelioſi facti, cùm fuerint incraſſati. Hæc ille, edoctus fortè Aeſculapii exemplo, quem primum Medicinæ repertorem ex mente Iovis genitum, & per Solis viam in terris deſtinatum fabulatur antiquitas. Celſius verò hominem fatetur, ſed in deorum numerum receptum. Complures alii aſſerunt, illum meretricio inceſtu ex Coronide, venuſta mulierecula genitum quam Sacerdotes in Apollinis templo adulterinis amplexibus ſæpe ſubegerunt, qui finxerunt, illum Dei filium. Omnes autem in hoc conveniunt, tam ſceleſtum fuiſſe hunc Deum, ut Iovis fulmine in eo coërcendo opus fuerit, de quo Lactantius ad Conſtantinum Imperatorem ſic ſcripſit: Aeſculapius & ipſe non ſine flagitio Appollinis natus, quid fecit aliud divinis honoribus dignum niſi quòd ſanavit Hyppolitum? Mortem ſanè habuit clariorem, quòd à Deo meruit fulminari: hæc ille. At ſunt reverà medici homines omnium ſceleſtiſſimi, diſcordantiſſimi, invidentiſſimi, mendaciſſimi. Sic enim omnes à ſe invicem diſſentiunt, ut nullus reperiatur medicus, qui citra exceptionem, additionem, vel permutationem, præſcriptum ab alio pharmacum comprobet, quin immò qui laceret, mordeat, ne videlicet ipſe non melior medicus videatur, ſi alterius vel optimo conſilio nihil detraxerit, vel his, quæ etiã ſæpè nimis multa ſunt, non aliquid addiderit: unde tandem in Proverbium abiit medicorum invidia & diſcordia. Nam quicquid probat unus, ridet alter: nec quicquam apud eos certi, ſed omnia promiſſa eorum nugę volatiles, & mera mendacia: hinc vulgus cùm vult aliquem inſigniter mendacem oſtendere, ait illi, mentiris ut medicus. Summumq; ingeniorum ſuorum opus in his verſatur, ut in cogitandis novis, veterum rectè facta negligantur, contemnanturq; : tum quæ pauca ſciunt, recondunt, aut monſtrare nolunt, quaſi neminem docere authoritate ſcientiæ ſit, invideteſq; aliis, etiam vitam

noſtram

PATRIMONIO DE LA UNIVERSIDAD DE CHILE

nostram fraudant alienis bonis. Sunt insuper plurimùm superstitiosi, arrogantes, malæ conscientiæ, superbi avari, quibus hoc semper in ore versatur, dum dolet, accipe, facientes etiam, si suum ad compendium expedire crediderint, ut doleat quod sanum est, sicut legimus Petrum illum Apponium (quem Conciliatorem vocant) cùm Bononiæ artem Medicam profiteretur, tantæ avaritiæ & arrogantiæ extitisse, ut extra urbem alicubi ad ægrotos vocatus, non minoris quinquaginta aureis in singulos dies se conduci pateretur, vocatusq; aliquādo ad Honorium tunc Pontificem, quadringentos aureos in dies singulos sibi statu pactus est. Quin & Aesculapium, medicinæ parentem, ait Pindarus, à Iove fulmine adactum avaritiæ meritò, eò, quòd medicinam nocenter, & in damnum Reipublicæ exercuisset. Iam verò si casu quovis fortunatus æger in manibus eorum evaserit, fit plausus intolerabilis, nemo sufficiet gloriam tanti miraculi decantare, Lazarum è mortuis resuscitatum narrabunt, illius vitam suum munus esse, sibi deberi: sese illum ab orco revocasse (usurpantes sibi, quæ solius Dei sunt) continuò jactant, nec ullo præmio se compensari posse, ajunt. Nonnulli illorum in id tumoris evecti sunt, ut se pro diis coli paterentur, atque Ioves sese nuncuparent, sicut Menecrates Syrausanus medicus, qui quandoque ad Agesilaum Spartæ regem in hæc verba scripsisse legitur: Menecrates Iupiter, Agesilao regi salutem. Sed illius stultitiam subridens Agesilaus, respondit: Agesilaus Menecrati sanitatem. Quòd si verò ægrotorum quispiam infelicior (quod plurimùm fit) inter medicorum manus expiraverit, tunc naturæ inopiam, morbi malitiam, aut ægri inobedientiam inculpant, ac artis suæ remedia ad hoc naturæ sævientis arcanum non extendi, sese medicos esse, non deos, curare posse sanabiles, non suscitare moribundos, nec quicquam se debere ægris præter experientiam: & hujusmodi verbis etiam in siniſtris eventibus superbiunt, & ultrò, qui periere, arguunt intemperantiæ, & simul precium poscunt, cùm occiderint suis pharmacis, qui sine illis vivere potuissent, ægros pariter & fama, & pecunia, & sanitate, & vita spoliantes, secura interim conscientia: cùm, quia error eorum (quod ait Socrates) terra tegitur: tum, quia irremeabilis est mortuorum regio, quo minus redire possunt, quos illi illusos manibus: verbis & medicamentis noxiis infectos, ante diem in tartara præmittunt, ne contra illos spoliatæ vitæ & pecuniæ repetundarum agant. Sunt præterea medici plerumq; contagiosi, & ab objectis urinis & stercoribus

coribus fœtulenti, lotiolenti, sterculenti, & ipsis obstetricibus sordidiores, ac sensibus omnibus infecti, dum oculis obscœna quæq; & fœditissima conspiciunt, auribus pariter & naribus ægrotorum ructus, ventrisq; crepitus, & infecti aëris halitus, flatus pedoreiq; excipiunt, labris ac lingua atras lethæasq; potiones prægustant, manibus stercora & purgamenta explicant, ægrotorumq; horridæ imagines & umbræ nocte dieq; phantasiæ eorum obversantur, innumeraq; homicidia conscientiam eorum perturbant, totum deniq; illorum studium, sermo, ratio, oratio, spiritus & ingenium non nisi circa tristia, fœda, tabida, horrida mortis & morborum genera versatur: totumque eorum exercitiū est in locis fœtidis, squallidis, & vilibus curis, & obscœno artificio constat, semper ægrotorum matulas, cloacas & latrinas infamis lucri causa ambientes, atq; tanquā upupa avis sordida ex humanis stercorib. nidificantes. An non videtis illos quotidie, quomodo obvinctis digitis, lutosis latifundiis, vultu turbulento aut pallenti, continuo obambulant civitatem, ac præcipiti incessu, vilissimi spe lucelli discurrunt ab apotheca in apothecā, quærentes & mendicantes sicubi quis lotium inspectandum, vel concham offerat stercoriam, atque ut cucullati vultures ad cadavera, sic isti ad excrementa homines omnium sunt nasutissimi: quæ etiam prægustare solitum ajunt Hippocratem, ut inde morbi naturā melius persentiret: quod pleriq; etiam Aesculapio adscribunt, quē Aristophanes idcircò scatophagum vocat, quo verbo significantur, qui ciborū vescuntur superfluitatibus, quod nomē deinde ad medicos omnes dirivatum est, ut eos scatophagos & scatomantes, hoc est, merdivoros, & merdarū inspectores vocemus. Hinc scatomantia, oromantia, drymimantia dicuntur divinationes seu prognostica medicorum ex stercorib. & urinis deprompta. Hinc apud multas nationes mechanici isti medici olim infames habebantur, atq; adeò, ut (testa Seneca) etiam gravissima infamia haberetur medici opus quærere: & hodie adhuc pleriq; populi medicos pariter & obstetrices & carnifices à mensis & conviviis excludunt, aut non nisi secretis separatisq; patinis calicibusq; excipiunt: quocircà stomachari hic licet detestabilem illum multorum Principum morem, qui tam pestilentes homines nedum ad matutina cubicula, sed & quotidianis ægrotantium congressibus, recentibus semper pestilitatis vaporibus infectos, etiam mensis admittunt, quin adhibeat quis medicum convivio, inter ipsos cibos & pocula de stercore, urinis, sudoribus, sanie, vomitu, mestruis differet, atq;

atq; epilepsias lepras, hulcera, scabies, & pestes tractabit, totumq; alioqui lautissimis obsoniis paratissimum convivium, sermonum suorum impuritate in nauseam convertet. Adhibete etiam medicum, si vultis, civilibus consultationibus, nihil illo ineptius insulsiusq;, idq; forte, cùm quia medicorum disciplina (quod eorum ait conciliator) non est de virtutibus nec bonis moribus, tum quòd (ut idem ait) naturaliter probus medicus, malorum morum debeat: & nos scimus apud multas civitates decretis publicis & plebiscitis cautum esse, ne medici in concilium admittantur, nec magistratum gerant, forte non tam, quia inepti, leves, malè morigerati, quàm quia semper sordidi, & ægrotantium retrimentorumq; assidua attrectatione adeò contagiosi, ut non solùm propinquantes sibi homines, sed etiam subiellia inquinent, & marmora inficiant, ut eleganter de quodam medico cecinit Lucillus Græco epigrammate, ab Ausonio sic Latinè reddito:

Alcon gesterno signum Iovis attigit, ille
Quamvis marmoreus vim patitur medici.
Ecce hodie iussus transferri ex æde vetusta,
Effertur, quamvis sit Deus aeg. Iovis.

Quando verò in suam medicam consultationem coëūt, quid ea nocte minxerit & cacaverit æger, examinatur, ac tanquam Laconum Ephori de vita ac nece pronunciaturi sententiam, mirum, sed dolendum, quàm tunc miseris altercationibus, nullo idem censente, circa ægri lectulum concertant, quasi nō ad curandum, sed disputandum conducti sint, atq; ægro ipso, cui (juxta Græcum Menandri versiculum, Latinè autem inquientis: Medicus garrulus ægrotanti alter morbus) serè sermo molestus est, illorum oratione non opera opus sit, ac productis ad ostentationem suam scholastico more aliquot aphorismis, quos ad omnem usum semper eosdem paratos habent, invocatisq; Hippocrate, Galeno, Avicenna, Rasi, Averroe, Conciliatore, cæterisq; suis diis, quorum nomina & tituli illis pro doctrina satis sunt, ad conciliandum sibi apud imperitum vulgus fidem, doctrinæq; æstimationem, ubi de causis, de signis, de affectibus, de humoribus, de die critica, aliquandiu seriosè, sed in decisa discordia digladiatum est, tandem de adhibendo remedio, quod caput & cauda totius negotii esse debuerat, frigidissimo decreto transigunt: atq; ut est eorum inter se mutua invidia, nullo illorum sua secreta (ut vocant) æmulis suis communicare volente, tanquam ipsis periturum sit quod tradiderint aliis, ad communem methodicam recurrunt, quæ si illos destituat,

destituat, ad empiricam, tanquam ad sacram anchoram confugiunt, ut quem ratio non restituit, adjuvet temeritas, satius esse inquientes anceps experiri auxilium, quàm nullum: vel ægrum ipsum, si minus sunt illi propitii, atque illos (ut ait Ecclesiasticus) languor prolixior gravet, prognosticis relinquūt: dicentes quia desperatis Hippocrates vetat adhiberi medicamina: aut si paulò religiosiores sunt, morbum in divorum aliquem rejiciunt, vel extremum prescribunt pharmacum, quod erit: Recipe tabellionem unum, testes numero septem, adde sacerdotem cum aqua & oleo benedictis quantum sufficit, & dispone domui tuæ, quia morieris. Hinc Rasis conscius profectò ægrotantium credulæ stultitiæ, tum medicorum contētiosæ inscitiæ, utrique & ægro & medico non incautè consulens, suadet in aphorismis suis, tantùm unum medicum fore eligendum, quia unius (inquit) error, magnam infamiam non inducit: & unius utilitas, quam in ægro efficit, collaudatur: qui autem quamplures medicorum adhibuerit, is in errorem incidit plurimum. hæc Rasis. Attestaturque huic vetusta illa monumenti inscriptio, turba se medicorum periisse: atq; illud Græcum proverbium: multorum medicorum introitus, ægrum perdidit: illud etiam moribundi jam Adriani Imperatoris dictum: Medicorum turba Principem perdidit. Nullum igitur pro conservanda vita sanitateque utilius consilium, quàm abstinere à medicis. Corporis enim sanitas Deo debetur, non medicis. Ideoque Asa rex Iuda corripitur à Propheta Domini, quia in infirmitate sua non quæsivit Dominum, sed in arte medicorum confisus est: quorum quidem consiliis, qui se tradiderint, sani esse non poterunt: nec enim vita ulla misera magis quàm quæ sub eorum auxilii fiducia ducitur. Esto verò, sciant medici, atque utinam scirent, omnes vires & potestates elementorum, radicum, herbarum, florum, fructuum, seminum, etiam animalium & mineralium, omniumque, quę parens natura producit, tamen non possunt omnibus iis virtutibus hominem, ne dum immortalem facere, sed quod minus est nec levi quovis morbo ægrotantem semper sanare. O quoties medicamen quod prodesse debuerat, non profuit, & quod debuerat excernere non excrevit? quoties recidente ægro remedicatum est, & tandem, post multos labores & sumptus, vel tunc vel paulò post, etiam vehastantibus medicis moriendum est? Quæ ergo nunc spes nobis in medicis reposita est si (quod ipse eorum scit Hippocrates) experientia fallax sit? Quid certi possunt promittere medici, si verum est, quod Pli-

nius scribit, nullam artem medicina inconstantiorem esse, etiamnum sæpius immutari? Multæ gentes olim fuerunt & adhuc sunt absque medicis degentes, quas videmus ultra decrepitam ætatem robustas, suprà centenarios annos vivere: contrariè istos delicatiores populos, qui medicorum promissis & opera vivunt, ut plurimum media ætate senescere & occumbere, quin & ipsosmet medicos plus cæteris hominibus, & quasi semper ægrotare, ac immaturiore ætate decedere. Hinc ille Lacon cuidam dicens, nihil mali habes? respondit, quia non utor medico. Illoque iterum dicente senex factus es, respondit, quia nunquam usus sum medico. ostendens nullam esse ad sanitatem & senectutem certiorem viam quàm medicis caruisse. Quod si dicat quis, multos medicorum auxilio convaluisse, respondebimus illi, contrà plures etiam occubuisse, quibus medicorum opera nihil profuere, objiciemusque illum Ausonii versiculum, inquientis:

Evasere fati ope, non medici.

Olim enim Arcades non medicaminibus, sed (quod narrat Plinius) verno lacte utebantur, quoniam tunc maximè succis herbæ turgerent, mederenturque uberiores pascuæ: eligebant autem præ cæteris lac vaccinum, quia illæ omnivoræ sunt in herbis. Lacones etiam, Babylonii, Aegyptii, Lusitani, Herodoto ac Strabone testibus, medicos omnes respuebant: languentes verò in forum & plateas efferebant, ut qui simili morbo tentati effugissent, aliúmve evasisse nossent, illis expertis in se consulerent remediis: arbitrantes, quod etiam Cornelius Celsus adserit, ad ipsam curandi rationem nihil plus conferre, quàm experientiam, qua constat doctissimos medicorum abs rustica anu sæpissimè victos, illamque unica planta seu herbula illa perfecisse, quæ famatissimi medici non potuerunt cum omnibus suis pretiosis elaboratisque pharmacis. Nam illi dum inexplicabilibus mixtionibus (cum tot dederit natura, quæ singula sufficiant remedia) confidentes per compositam diversarum rerum complexionem morbos pellere nituntur, conjectura magis, quàm causa aut ratione incedunt, totamque medendi artem, non nisi casum aut conjecturam faciunt. Hæc autem unius simplicis medicinæ vim & qualitatem cognoscens, solidis expertisque naturæ viribus difficiles solvit ægritudines. Rursus illi per pretiosa & ab extremis Indis aut Gadibus quæsita, persuadentes nisi pretiosa non prodesse, magno impendio venalem sanitatem promittunt: hæc inventu facilimis, vulgoque paratis, & quas in hortis

tis suis quisque facilè habet, domesticis plantis, sanitatem non tam promittit, quàm restituit. Præterea hi ex fallacibus libris, & pictis codicillis edocti difficillimam medicandi operam, audaci quadam temeritate, cultaque garrulitate ad quæstum usurpant. Hæc à terris & agris singulas plantas, earumque colores, figuras, sapores, odores, varietates contemplata & edocta, & quid in morbis reliquisque casibus possint, experta, gratis cuique certissima dat remedia. Ipsi etiam medicorum præcipui confitentur se à mulierculis plurima excellentissima remedia didicisse, & digna quæ ipsi libris inserent, & veluti potiora posteris communicarent, quale contra capitis dolorem extollit Avicenna medicamentum. Quod si medicina, quæ sanitatis temperamentum afferre debet, consistit in proportione & temperamento rerum ad invicem, cùm inter se, cùm etiam cum quantitatibus corporis cui tribuuntur, atque iniquorum medicorum hæc diligentissima cura fuit in proportionandis & contemperandis medicaminibus, per justa & harmonica pondera, relinquentes posterioribus hæc deinceps proportionanda ægrotorum corporibus: quæ est ista audacia atque impudentia hæc non solum immutare, sed illis etiam superaddere, penitusque negligere aut ignorare? Vnde fit, quod sicut consonans pharmaci temperamentum sanitatem adferre deberet, ita illius dissonantia dolorem, horrorem, exasperationem morbi, & nonnunquam mortem inducit, ideoque tutius medetur rustica anus, uno aut altero hortensi & naturæ opera absoluto medicamine, quàm medicus ille cum suis prodigiosis, sumptuosis, & dubia conjectura conflatis pharmacis. Fuerunt illius sententiæ multi & excellentissimi philosophi & medici, videlicet non nisi simplicissimis rebus medendum esse. Hinc simplicium vires perscrutati expertique de illis posteris nobis egregia volumina reliquerunt, quale Chrysippus de brassica, Pythagoras de scylla, Marchion de raphano, Diocles de rapo, Phanias de urtica, Apulejus de betonica, & multi alii antiqui de aliis conscripserunt. Sed hos illi officinarum medici non solùm non curant, sed etiam irridentes, simplices appellantes, qui studeant simplicibus. Hos igitur medicos (dico quidem, qui per simplicia medentur) non tam consulendos, quàm etiam sequendos esse nulli dissuadeo Verùm illos officinarum cultores, tanquam sortilegos & maleficos, consulo fugiendos & propellendos, qui suis prodigiosis compositionibus, de malis nostris negotiantur, & super vitam nostram

HARVARD UNIVERSITY LIBRARY

mittunt sortes. Nam cùm composita medicamenta ex multis disparibus & pugnantibus speciebus conflari necesse sit, impossibile aut saltem difficillimum est in illis aliquid certi posse statuere medicum, nisi sola opinione, æstimatione, conjectura: cumq; innumeræ sæpè res sint, quæ singulæ prodesse posse videntur, ea sola congerit medicus, quæ fors vel casus memoriæ suæ tunc obtulerit, aut in quæ alio quovis intrinseco, sive occulto instinctu fuerit propensior, unde fit, ut compositum illud pharmacum non tam ab ingredientium simpliciū potentia, quàm à medici fausta vel infausta effectione sortiatur virtutem & effectum, quatenus ille occulto quodam influxu, sive naturali, sive cœlesti, sive dæmoniaco, sive fortuito plus ad hæc, quàm ad alia eligenda, inducitur. Atque hoc est, quod communiter dicitur, atque ipsi fateantur, medicum unum esse alio fortunatiorem, ac sæpissimè indoctum docto feliciorem. Quin & vidi ego, & novi medicum virum literatissimum tam infelicem, ut è multis ægris vix pauciſſimi è manibus ejus salvi evaderent: Novi & alium semisciolum, qui omnes fermè ægros suos, plerosque etiam ab aliis pro deploratis derelictos, feliciter sanaret. Quin & memini me legisse de medico, in cujus manus quicunque nobiles & magnates incidissent, evaderent, plebei omnes & rustici perirent, aut periclitarentur. Videre igitur nunc facilè est, hanc officinariam, in qua pluris potest medici fortuna, quàm doctrina, totam, aut pro maxima parte sortilegam esse: ideoque procul pellendam, atque tanquam veneficam & sicariam esse damnandam. Proinde Romani quondam sub Catone Censorio medicos omnes & urbe tota, & tota Italia pepulerunt, eorum funesta mendacia, crudelitatemque aversati, quòd videlicet multò plures occiderent, quàm sanarent: tum quòd venenorum peritissimi, odio, ambitione, aut lucro facilè adduci possent: ut venenum ministrent pro remedio, & pacta mercede hominū vitæ insidiētur: sicut Phyrrhi medicus, sive is Timocharis fuerit (ut vult Gellius) sive Nicias, ut alii, qui Fabricio promiserat sed ominum interfecturum medicina, quod facinus aversatus Fabricius, Pyrrhum, quamvis inimicum, monuit per epistolam, caveret à medico, de quo Claudianus ita inquit:

Romani scelerum semper sprevêre ministros,
Noxia pollicitum domino miscere venena,
Fabricius regi nudata fraude remisit,
Infesto quem Marte petit, bellumque negavit
Per famuli patrare nefas.

Simi-

Similiter de Græcorum medicis apud Plinium Cato scribit ad filium inquiens: Iuravit inter hæc barbaros omnes necare medicina, sed hoc ipsum mercede faciunt, ut fides ejus sit, & facilè disperdant. Et paulò post subjungit: Vnde testamentorum plures insidiæ, jam verò & adulteria in principum domibus etiam, ut evidens Eudemi in Livia Drusi Cæsaris: hæc Plinius. Ipse etiam Socrates apud Platonem vetuit, ne medici in civitate multiplicentur. Expediret & in hunc diem Reipub. nullos esse, aut pauciſſimos medicos quodque lex extaret, quæ eorum puniret cùm insciticæ tùm negligentiæ malitiam. Capitale enim est, neque refert, imperitia an negligentia, stultitia an malitia, perperam an studiosè medicus pro pharmaco venenum porrexerit, hominemque in vitæ discrimen adduxerit, atque non (quod Plinius ait) medico hominem occidisse summa esset impunitas: qui certè unus illis atque communis cum carnifice honos est, homines scilicet accepta mercede occidere: atque ex homicidio, unde supplicium cunctis lex statuit, nullique concessa impunitas, ii soli capiunt præmia. Hoc tamen interest, quod carnifex non nisi ex judicum sententia necat noxios, Medicus autem præter omne judicium perimit etiam insontes. Non ergo insalubriter Pontificum constitutiones arcent à medicando clericos, cùm ars medica res sit adeò cruenta, ut si fas sit sacerdotibus & clericis medicum agere, liceat etiam agere carnificem. Neque imprudenter Porcius Cato medicis quondam interdixisse putandus: Cum, quia scientiæ hujus famam semper novitate aliqua aucupantur: tum, & dum pudet, novi nihil adferentes, aliorum inhærere vestigiis, experimenta per mortes agunt, & artem suam nostris periculis discunt, qua de vita nostra negotiantur malaque hominum quæ brevissimo tempore tolli possent, producunt, non rarò etiam adaugent majori pro compendio: cui fraudi ut obviaretur apud Aegyptios, medici ante diem tertium ægrotorum corpora eorum periculo curabant, post triduum autem suo.

De Pharmacopolia.

CAP. LXXXIIII.

IAmque etiam à cocis suis (Apothecarios & Pharmacopolas vocant) quorum (ut est in proverbio) tituli remedia habent, pixides venena: sive (ut canit Homerus)

Pharmaca mixta salubria multa, & noxia multa.

Quibus cùm damno esse minimè volunt, nos mortem nostrã magna emere pecunia compellũt, dum illi aliud pro alio propinantes, seu putridum inveteratumve, & evanidum pharmacum miscentes, sæpè mortiferam potionem dant pro salutifera, dum facta jampridem emplastra, collyria, unguenta, pastillos, & alia pharmaca, non nisi in officinarum compendia ex ipsa specierum fece ac tabe conflata mercantur: atque hæc omnia nescientes discernere, credunt barbaris mercatoribus, omnia fraudibus ac sophisticatione corrumpentibus. Possem etiam hic ostendere pernicioſas illorum discordias, de simplicium, quibus utuntur, medicinarum cognitione, erroresque eorum circa medicinalium rerum nomina, ab illis malè intellecta, pessimeque usurpata, quæ plurima Nicolaus Leonicenus amplo volumine ostendit. Transeo etiam docere de prodigiosis compositionibus, multarumque externarum rerum mixturis, quibus dum omnia confundentes, unum, quod omnibus naturis quadret, medicamentum scire effecturos nobis persuadere volunt (sicut de compositione theriacæ ac tyri fabula, deque illo antidoto Mithridatico statuerunt) nihil aliud efficitur, quàm poeticum illud chaos:

-------Rudis indigestaq; moles,
Nec quicquam, nisi ponderis inersq; congestaq; eodem
Non bene iunctarum discordia semina rerum.
Vbi corpore in uno
Frigida cum calidis pugnant, humentia siccis,
Mollia cum duris, sine pondere habentia pondus.

Esto, sint quædam compositiones ab antiquis medicis excogitatæ, & utiles inventæ, quæ tanquam experta liceat recipere, tamen à vera illo methodo sunt alienæ, & ab ipsismet medicis propria conscientia coactis damnatæ, & omnibus modis explosæ, à Plinio, à Theophrasto, à Plutarcho, ab Hippocrate, Galeno, Dioscoride, Erasistrato, Celso, Scribonio, Avicenna, quorum verba hic subscribere nimis longum esset, nec ab antiquis illis solùm, sed etiam à multis recentioribus, è quibus unus Arnoldus de Villa nova in Aphorismos ait, ubi in promptu habentur simplicia, dolum esse, si quis compositis utatur. At hodie neglectis & ne cognitis quidem simplicibus, non nisi ex duobus illis apothecariorum luminariis, ac aromatariorum thesauro, tum Mesue, & Nicolai, cæterorumque antidotariis, picturatis & inauratis titulis medicamina promuntur: atque hinc fit, ut dum medici isti suo ocio consulentes, vitas hominum apothecariorum fiducia gubernant: atque illi sine literis, sine cognitione, barbaris mercatoribus confisi, pro officinæ compendio res permiscent, ut multò plus periculi sit à medicamine, quàm à morbo. Iamque etiam dicamus de precioſorum medicinalium sophisticatione, quæ tanto ingenio sæpè adsimulata sunt, ut industrios etiam homines decipiant: plurimumq; conduceret saluti hominum, ac Reipublicæ, peregrinis omnibus, exoticisque pharmaciis, quæ tanto præterea precio à prædonibus mercatoribus in Reipublicæ detrimentum adductæ sunt, omninò interdicere, ac medicos omnes in ordinem cogere, pharmacopolasq; adstringere, ac legem illis præscribere, cujusmodi olim Romæ (dum adhuc melior esset) Nero tulisse legitur, qua iis duntaxat, quæ noster gignit orbis pharmacis uti compellantur, cùm hæc nostræ cujusque naturæ conveniant magis, tum longè recentiora, electiora, minorique difficultate ac sumptu haberi possunt, minorique periculo, quàm peregrina, quorum maxima pars suspecta est, ut quæ sæpissimè sophisticata, adulterata, rejectitia, vel in navi suffocata, vel immersa lacunæ, vel vetustate corrupta, vel non debito tempore & loco (unde sæpè plurimum imminet periculi) collecta sunt. nam coloquintida non matura sanguinem educit & interficit, & quæ sola vel unica nascitur, venenum est. similiter & agaricum masculum mortiferum est, & quo antiquius, eò pernicioſius: scamonea omnis sophisticata est, similiter & terra Lemnia: & fides sigillorum periit. Iam quæso quæ necessitas est iis uti peregrinis, si eadem, similisque consilii & efficaciæ nostra terra producit? Annon egregiè stultum est, malle ex India petere, quod domi habemus, existimantes propriam neque terram, neque mare sufficere, patriisque rebus peregrina, frugalibus sumptuoſa, ac faciliè acquisibilibus difficilia & ab ipsis usque terræ finibus importata præferentes? An sine armoniaco spleni nemo mederi poterit, nec epati absque sandalis? An si caremus bedellio, hulcera interiorum nemo curabit? nec capiti quis medebitur sine musco & ambra. nec stomacho sine mastice & coralliis? Si hæc peregrina nostris corporib. convenirent medicamina, proculdubio natura factum esset, quæ omnibus providit abundãter, ut hæc apud nos quoq; nascerentur. Nonne absque illis & salubrius vixerunt patres nostri? Sunt ergo hæc desidioſorum, qui nostra non inquirunt nugamenta, & pharmacopolarum commenta, qui non communem salutem, sed suæ negociationis compendium quærunt, persuadentes nobis non nisi precioſa quæque plurimum prodesse, quibus idcirco improbatur per

Ieremiam: Nunquid non resina in Galaad, aut medicus non est ibi? Suis quisque terris & regionibus, suæ genti, suo climati, suo cælo, suo seculo natura herbas producit atque contemperat: esto, quædam aliis atque aliis locis, temporibusq; acriores habeant vires, in quolibet tamen tempore & climate, pro suo hominumque temperamento, eadem operantur, habeant licet preciosa illa & exotica nostris plantis majores vires, sed has non nisi in sui climatis hominibus, quibus creata & producta sunt, putabimus salubres. At sunt etiam empiricorum, rapinæ, persuadentium nobis monstrosa quædam pharmaca, & à medendi usu exotica, plurimum posse conferre, & sine iis salutem nostram non posse constare, impendio miserorum sua commentaria experiuntes. Hinc viperas, & serpentes, & nocentissima quæque reptilia antidotis admiscent, & velut deficientibus remediis humanam adipem in unctiones subigunt, humanasque carnes aromatibus adservatas (quam mummiam nuncupant) nefario naturæ praculo hominibus edendas præbent.

De Chirurgia. CAP. LXXXV.

REstat chirurgia, altera medicinæ pars, quæ excutanea corporis vitia curat, cujus opera manifesta & securiora sunt remedia, nam reliquorum medicorum cæca consilia sunt. Chirurgi vident & palpitant, quod agunt, ac pro oportunitate mutant, applicant & auferunt: hæc inter omnes medicandi artes prima in usum venit. Nam cùm homines ab antiquo sese bellis exercerent, & vulnera sibi invicem infligerent, cœperunt illorum quærere remedia. Nam quæ homo homini mala inflixisset, ab hominibus quoque curari posse putabant. Cæteros autem morbos, & interiorum cruciatus, tanquam ira Deorum genitos, incurabiles naturalibus viribus æstimabant. Primus itaque chirurgiæ inventor fuit Apis Aegyptiorum rex, sive ut vult Clemens Alexandrinus, antiquior illo Mizria filius Cain, nepos magni Nohæ. Scripsit autem primus medicinam vulnerum Aesculapius, deinde excellentes in ea extiterunt Pythagoras, Empedocles, Parmenides, Democritus, Chiron, Pæon. Narrat Plinius hanc Romæ primum exercuisse Archagatum Peloponensem, illumque ob secandi urendique sævitiam Vulnerarium publicè vocatum, mox transiisse nomen in carnificem, denique universam artem tædio habitam & explosam. Est itaque Chirurgia non minus reliquorum medicorum factionibus, excellentium virorum authoritate clara, sed virulentarum

rum sordium immunditia & sanguinolenta crudelitate infamis.

De Anatomistica. CAP. LXXXVI.

HAnc tamen crudelitate superat anatomia, utrorumque pharmaceuticorum & chirurgorum theatrica carnificina, qua damnatos publicè morti reos, quondam vivos & remanente spiritu, truculentissimis cruciatibus resecarunt. Sed hodiè ob Christianæ religionis reverentiam paulò mitiores effecti, interempto prius homine, ipsorum vel lictoris manu, in mortui cadaver deinde his piaculis grassantur, humanumque corpus dilaniantes, membrorum singulorum situm, ordinem, mensuram, opera, naturam & abdita quæque perquirunt ac rimantur, ut inde quomodo & quibus locis curandum sit, addiscant: crudeli hac diligentia atque spectaculo horrendo & abominabili, nec minus impio.

De Veterinaria. CAP. LXXXVII.

ESt adhuc alia medicinæ praxis quam Veterinariam vocant, quæ brutorum morbis medetur, cæteris longè certior & utilior, à Chirone Centauro, ut fertur inventa, & à Columella, Catone, Varrone, Pelagonio, Vegetio, nobilissimis scriptorib. illustrata: Hanc tamen annulati isti medici, non tam verecundiæ sibi ducunt quàm penitùs quoque ignorant & aspernantur, admodum delicatuli, ut tanquam upupa avis, non nisi humanis stercoribus oblectentur. Vnde si quis ab illis pro asino aut bove suo medicamen requirat pro remedio mox injuriam accepturus sit: quasi ad eos non pertineat scire non solum hominibus, sed etiam cæteris animalibus (præcipuè quæ hominibus commoda referunt) mederi: pro qua re Alphonsius Aragonum rex olim duos expertissimos medicinæ doctores, pro equis & canibus amplo conduxit stipendio, jussitque sollicitos scrutari, quæ remedia, & quis medendi modus, singulis bestiarum morbis conveniret, quod illi facientes, librum de his rebus utilissimum ediderunt. Fecit idem his temporibus Ioannes Ruellus Parisiensis, vir in utraque lingua peritissimus ac physicus primarius, qui de morbis equorum eorundemq; remediis, ex vetustissimis authoribus Apsircho, Hierocle, Theomnesto, Pelagiano, Anatolio, Tiberio, Eumelo, Archedamo, Hippocrate, Hemerio, Africano & ex Aemilio Hispano & Litorio Beneventano confectum volumen transtulit, veterinariis omnib. magna cũ reipublicæ commoditate profuturum.

De Diætaria. CAP. LXXXVIII.

SVpereſt adhuc medicina diætaria, cujus princeps præ cæteris extitit Aſclepiades, qui ſublato magna ex parte pharmacorum uſu, totam medicinæ artem ad victus rationem, ad quantitatem & naturam ciborum, obſoniorumq; condimenta reduxit: à quo cæteri medici non omninò diſſentiunt, ſed ita putantes, quod alterum altero indigeat, victus quandoque pharmaciis, ac illa pariter victus ratione atque menſura. Hinc jubent, inhibent, execrantur, accuſant cibos & potus, quos Deus creavit, inobſervabilesque victus regulas condunt: & quas aliis eſcas vel modeſtè delibare prohibent, ipſimet, tanquam porci glandes, devorant: & quas aliis vivendi leges præſcribunt, ipſi omnium primi prævaricantur, non tam negligenter, quam conſultè. Nam ſi ipſi juxta hæc ſua diætaria decreta vivere deberent, ſanitatis non modicam jacturam facerent: ſi verò ut ipſi vivunt ſic ægros quoque naturæ legibus vivere permitterent, pecuniæ damnum ſentirent. Verùm de his diætariis ita ait Ambroſius: Contraria divinæ conditioni præcepta medicinæ ſunt, quæ à jejunio revocant, lucubrare non ſinunt, ab intentione meditationis abducunt, ita, qui ſe medicis dederit, ſeipſum ſibi abnegat. Et Bernardus ſcribens ſuper Cantica, ait: Hippocrates & Socrates docent animas ſalvas facere in hoc mundo, Chriſtus & diſcipuli ejus perdere: quem vos è duobus ſequi vultis magiſtrum? Manifeſtum ſe facit, qui diſputat: hoc oculis, hoc capiti, hoc ſtomacho nocet, legumina ventoſa ſunt, caſeus, ſtomachum gravat, lac capiti nocet, potum aquæ pectus non ſuſtinet: quare hoc eſt, ut totis fluviis, agris hortis & cellariis vix invenire poſſis, quod comedas. Sed eſto, hæc Ambroſii & Bernardi verba ad ſolos monachos dicta ſint, quorum fortè non eſt debere tantam rationem habere de valetudine, quàm de profeſſione: at civiles homines non dedecet cum valetudinis ratione, etiam victus & obſoniorum varietas atque menſæ lautities. Primum diætaria medicina pollicetur, alterum præſtat coquinaria præparandorum ciborum & potuum diſciplina, quocirca Plato hanc medicinæ adulatricem vocat. plerique eam diætariæ medicinæ partem adnumerant: quamvis Plinius & Seneca, & reliqua medicorum ſchola fateantur, ab exquiſitorum ciborum varietate multijugos morbos generari.

De arte

De arte Coquinaria. CAP. LXXXIX.

ARs itaq; coquinaria percommoda eſt, nec inhoneſta, ſi modò diſcretionis limites non egrediatur. Atque hæc ratio etiam ſummos & continentiſſimos viros induxit, ut de Coquinaria & obſoniorum condimentis ſcribere non erubeſcerent. Ex Græcis Pantaleon, Mithecus, Epiricus, Zophon, Egeſippus, Pazanius, Epenetus, Heraclides Syracuſanus, Tyndaricus Sicyonius, Symonactides Chius, Glaucus Locrenſis: ex Romanis Cato, Varro, Columella, Apicius: & ex recentioribus Platina: Aſiatici autem in his rebus tam luxurioſi atque intemperantes ſemper extitêre, ut ipſum nomen eorum in heluonum ac gulonum tranſierit cognomentum: Quos inde Aſotas nuncupamus. Hinc (quod refert Titus Livius) poſt Aſiaticam victoriam peregrinæ luxuriæ in Romanam urbem defluxerunt, tunc enim primùm epulæ cura & ſumptu majore apparari cœptæ: tunc coquus antiquus viliſimum mancipium, & in æſtimatione, & in uſu, & in precio eſſe, è culina adhuc jure madens, fuligine tinctus, cum ollis, patinis, tunſtillo, mortario, veru, in ſcholas receptus, & quod vile miniſterium fuerat ars haberi cœpit: cujus tota ſolicitudo eſt undecunque conquirere invitamenta gulæ, eduliaque ciborum ad profundam ingluviem ſatiandam undecunque locorum inveſtigare: cujusmodi plura ex Varrone enumerat Gellius, videlicet pavonem è Samo, Phrygiam attagenem, grues Melicas, hœdum ex Ambracia, pelanum Chalcedoniam, murenâ Tarteſiam, aſellum Peſſinuntium, oſtreas Tarentinas, pectunculum Chium, helopem Rhodium, ſcaros Cilices, nuces Taſias, palmas Aegyptias, glandes Ibericas, quæ omnes edendi inſtitutiones ad improbam ſatietatis luxusque laſciviam reperta ſunt. Ejus autem artis gloriam & famam ſibi præ cæteris vendicavit Apicius, ut ex ejus nomine (teſte Septimo Floro) cognomentum in coquos, quo Apiciani dicerentur, quadam philoſophorum imitatione propagarum ſit: de hoc Seneca ſic ſcriptum reliquit: Apicius, inquiens, noſtra memoria vixit, qui in ea urbe (ex qua aliquando philoſophi velut corruptores juventutis abire juſſi ſunt) ſcientiam popinæ profeſſus, diſciplina ſua ſæculum infecit: Plinius quoque illum nepotum omnium altiſſimum gurgitem ſeveriſſime nuncupavit. Tot denique gulæ inſtrumenta, tot irritamenta libidinum, tot obſoniorum varietates Apicianorum illorum ingenio excogitata & conficta ſunt, ut tàdem opus fuerit præſcriptis legibus popinæ luxus coërcere. Hinc veteres illę ſum-

HAVIOSA BIBLIOTECA COMUNALE

sumptuariæ & cibariæ leges latæ, videlicet Archia, Fannia, Didia, Licinia, Cornelia, lex Lepidi, lex Antii Restionis: sed & Lucius Flaccus & collega ejus censores, Durionum senatu moverunt, quod legem de coercendis conviviorum sumptibus latam Tribunus plebis abrogare vellet, quam impudenter enim Durionius rostra conscendit, illa dicturus: Freni sunt injecti vobis. Quirites nullo modo perpetiendi, alligati & constricti estis amaro vinculo servitutis: lex enim lata est, quæ vos frugi esse jubet: Abrogemus igitur illud horrida vetustatis rubigine obsitum imperium: etenim quid opus libertate est, si volentibus luxu perire, non licet? Erant & pleraque alia edicta, quæ nunc omnia antiquata sunt, penitusque sublata, adeò ut nulla ætas unquam majori gulæ cura ac luxu indulserit, quàm hæc nostra, qui ejus causa (ut ait Musonius, & post illum noster Hieronymus) terram percurrimus & maria, & ut mulsum, vinum preciosusque cibus fauces nostras transeat, totius vitæ opera desudamus, tot modò apud nos popinæ, tot ganeæ, tot gnatonum & luparum tabernæ, ubi homines edacitate, ebrietate & libidine perduntur, ut sæpe non absque magno reipul. detrimento tota devorent absumantque patrimonia, tot modò reperta ferculorum genera, tot obsoniorum condimenta, tot mensarum leges, ritus & cæremoniæ, ut asotorum Milesiorum, Sybaritarum, Tarentinorum: præterea Sardanapali, Xerxi, Claudii, Tiberii, Vitellii, Heliogabali, Galieni imperatorum aliorumque illorum veterum heluonum (quos omnes deliciis luxu ac voluptate popinæ cæteris nationibus ac hominibus præstitisse narrant historici) opipara convivia penitus sordida, incondita, rusticanaque evasura sint, si cum iis nostris conviviorum apparatibus conferantur. Præterea nihil actum est cibi & potus elegantia nisi simul etiam adsit abundantia usque ad fastidium, & quæ vel Herculem inebriet, qui eadem sæpius navi & vehebatur & potabat, ac cibi facietate Crotoniensem Milonem & Aureliani phagonem expleat, quorum ille triginta panes una cœna præter reliquos cibos comédere solitus erat, alter uno die ante Aureliani Cæsaris mensam aprum integrum, centum panes, vervecem & procellum devoravit: bibit autem in infundibulo appositio plus orca: hæc hodie apud nos receptissima sunt in rusticanis illis publicis conviviis, & templorum dedicationibus cæterisque eorum festis: diceretis Orgia Bacchi celebrari tã sunt illic omnia furore, cruore, & multiplicibus gulæ ebrietatisque flagitiis commaculata: tum Centaurorum

rorum convivia à quibus sine cicatrice nemo revertitur, illic spectaretis, & qualem de Erisichthone voracitatem describit Ovid, hoc carmine:

Nec mora quod pontus, quod terra, quod educat aër,
Poscit, & appositis quæritur ieiunia mensis.
Inq; epulis epulas quæris, quodq; urbibus esse,
Quodq; satis poterat populo, non sufficit uni,
Plusq; capit, quò plura suam demittit in alvum.
Vtq; fretum recipit de totaflumina terra,
Nec satiatur aquis peregrinosq; ebibit amnes,
Vtq; rapax ignis non ulla alimenta recusat,
Innumerasq; faces cremat, & quò copia maior
Est data, plura petit, turbaq; voracior ipsa est:
Sicepulas omnes Erisichthonis porphani
Accipiunt poscuntq; simul, cibus omnis in illo
Causa cibi est, semperq; locus fit manis edendi.

Erant olim apud Græcos, deinde etiam apud Romanos athletæ homines voracissimi, sed horum infamia tandem etiam à viris consularibus & imperaturibus victa est: nam Albinus, quondam rerum potiebatur in Gallia, centum persica, denos pepones, quingentas ficus passurias, trecentas ostreas una cœna devoravit: & Maximinus Imperator, qui Alexandro Mammeæ filio successit, quadraginta libras carnis una die comedit, bibitque vini amphoram: continet autem amphora quadraginta octo sextarios. Geta etiam imperator tam perditi luxus traditur, ut dapes per alphabetum inferri jusserit, seseq; triduanis epulis ingurgitârit. Iam verò (quod scelus impium magis) cum Deus & natura cibum nobis potumq; salutis ac fortitudinis causa præparent, nos contrà variis obsoniorum artificiis illis abutimur ad voluptatem, & supra humanæ naturæ capacitatem ingurgitamus corporibus nostris, immedicabiles morbos inde contrahentes, quo palàm videmus verum esse quod ait Musonius, dominos servis, urbes rusticis, inopes opulentioribus & quosque qui vilioribus obviisque utuntur alimentis, cæteris esse robustiores, valentiores, fortiores, labores melius tolerantes, minusq; in iis defatigari, ægrotare autem rarissimè, neque ullos magis vexant graves illæ ægritudines, puta hydrops, podagra, morphea, colica, & consimiles, quàm qui simplicem victum contemnentes, ex coquinarum officinis vivunt: contrà verò, qui simplici contenti victu, magis incolumes cernimus, adstipulatur isti etiam Cornelius Celsus, qui homini, inquit, utilis-

HAVANA DIGITAL LIBRARY

tiliſſimus cibus eſt ſimplex, acervatio ſaporum peſtifera, & condita omnia duabus de cauſis inutilia ſunt, quoniam & plus propter dulcedinem abſumitur quàm modò par eſt, tum ægriùs digeritur. Multi præterea graviſſimi viri authoreſque, hæc gulæ irritamenta, obſervatorumque artificioſam voluptatem deteſtati ſunt: ſed & alii, qui religionis nomine, nedum gulam, nedum luxum, ſed & cibos nonnullos, quos Deus creavit ad veſcendum. deteſtantur, abſtinentes carnibus, vini autem, in quo, ut ait Apoſtolus, luxuria, ipſis Epicureis capaciores, abſtinere & jejunare ſe dicentes, cùm ſe omnium piſcium genere, & optimo quovis vino oppleverint, ad quæ labra & linguas & dentes & ventres armata circunferunt, non tamen loculos, ſed de his ſatis, quin à cibaria ad gebericam, hoc eſt, alcumiſticam coquinam, quæ non minores decoquit opes quàm popina, modò vadamus.

De Alcumiſtica. CAP. XC.

ALcumiſtica itaq;, ſive ars, ſive fucus, ſive naturæ perſecutio dici debeat, profectò inſignis eſt, eademque impunis impoſtura, cujus vanitas eo ipſo ſe facilè prodit, cùm polliceatur, quæ natura nullo modo pati poteſt, nec attingere: cum tamen ars omnino non poſſit naturam ſuperare, ſed illam imitetur, & longis paſſibus ſequatur, & multò fortior ſit vis naturæ, quàm artis. Alcumiſtica autem.

Ars ſuſpecta probis, ars ipſa inviſaq; multis,
Inviſos etiam cultores efficit artis.
Mendaces adeò multi manifeſtè videntur,
Qui ſeipſos, alioſq; ſimul fruſtrantur inertes,

Dum rerum vertere ſpecies tentant, ac benedictum quendam Philoſophorum, ut vocant, lapidem fabricare præſumunt, quo, Midæ inſtar, contacta omnia corpora, ilicò in aurum argentumvè permutetur, quin etiam è ſummis inacceſſiſque cælis quintam quandam eſſentiam deponere nituntur, qua jam non ſolùm plures quàm Crœſi divitias, ſed depulſo ſenio rejuveneſcentiam, perpetuamque ſanitatem, ac tantùm non immortalitatem, unà cum ingentibus opibus nobis pollicentur.

At nuſquam totos inter qui talia curant,
Apparet ullus, qui re miracula tanta *Comprobet.*

Sed medendi aliquot experimentis, tum ex ceruſſa, purpuriſſa, ſtabio, ſapone, conſimilibuſque pigmentis, ac mulierbribus fucis, vetularumque incruſtationibus, & cujuſmodi Sacræ literæ vocant unguenta meretrici, ſtipem colligunt, quo gebericam inſtituant officinam, unde in proverbium demùm abiit: Omnis Alcumiſta, vel medicus vel ſaponiſta: credulorum hominum aures verbis ditant, pecunia inanes ut reddant loculos. Et quibus ipſi ſpondent divitias, ab his drachmas petunt. Hinc ſe palàm prodit hanc artem eſſe nullam, ſed ingentes nugas, & inſanæ mentis inania commenta. Inveniunt tamen tantæ felicitatis percupidos homines, quibus miro ingenio ſeſe majores divitias conſecuturos in hydrargyrio, quàm natura præſtet in auro, perſuadeant, & quos jam terque quaterque deceptos, ſemper novis præſtigiis incautos denuò fallant, & prodigioſa hac impoſtura cogant follibus aurum impelliere fornacibus, nulla dulcior inſania, quàm fixum volatile, tum volatile fixum fieri poſſe credere: ſic deterrimi carbones, ſulfur, ſtercus ac venena, lotia, & omnis dura pœna eſt vobis melle dulcior, donec prædiis, mercibus, patrimoniis omnibus decoctis, & in cinerem: & in fumum converſis, dum longi laboris præmia & naſcituros fœtus aureos, perpetuamque cum rejuveneſcentia ſanitatem ſibi molliter pollicentur, devoratis multo tempore & ſumptibus, tum primùm vetuli annoſi, pannoſi, eſurientes, ſemper ſulfurolentes, & inter carbones atra fuligine ſordidi, aſſiduaque argenti vivi contrectatione paralytici, ſolius naſi affluentia divites: cæterùm adeò miſeri ut pro tribus aſſibus etiam animam venalem habeant: quam metallis inferre conabantur metamorphoſim, in ſeipſis experiuntur, effecti jam exalcumiſtis cacochimici, ex medicis mendici, & ſaponiſtis cauponiſtæ, ludibriumq; populi, ſtultitiaq; patens, & fabula vulgi, & qui juniores in mediocritate vivere contemſerunt, per omnem vitam alcumiſtarum fraudib. expoſiti, jam ſenes facti, in ſumma paupertate mendicare compelluntur, ac in tanta calamitate conſtituti, pro favore & miſericordia, inſuper contemptum, riſumque reportant, paupertateque coacti ſæpè ad malas artes, & monetæ adulterationem, aliaque falſificia degenerant: ideoque hæc ars non modo à Repub. Romanis legibus pulſa, ſed etiam ſacrorum Canonum decretis in tota Chriſtiana Eccleſia prohibita eſt. quod ſi & hodie omnibus, qui abſque ſingulari principis indulto alcumiſtica exercent, regno ac provinciis interdiceretur, addita etiam bonorum proſcriptione, corporiſq; afflictione, profecto non tot adulterinos nummos haberemus, quib. hodie fraudantur fermè omnes magno Reipublicæ detrimèto Hãc ob cauſam puto

Amaſium

BIBLIOTECA OLIVA

Amasim Regem Aegyptiis olim legem tulisse, qua cogebatur unusquisque destinato magistratui rationem reddere, quose foveret artificio, quod qui non faceret, pœna illi erat extremum supplicium. Permulta adhuc de hac arte (mihi tamen non admodum inimica) dicere possem, nisi juratum esset (quod facere solent, qui mysteriis initiantur) de silentio. Eoq; præterea à veteribus Philosophis, atque scriptoribus, tam constantissimè religioseque observato, ut nullus uspiam probatæ authoritatis Philosophus, ac fidus scriptor comperiatur, qui hujus artis alicubi, vel solo verbo meminisset: quæ res plerosq; induxit, ut crederent omnes ejus artis libros, recentiori ævo jam pridem confictos: cui non modicum adstipulatur ipsa authorum Giberis, Morieni, Gilgilidis, ac reliquæ eorum turbæ obscura, & à nullis aliis celebrata, nomina, cum rerum quibus utuntur absona vocabula, tum sententiarum ineptitudo, philosophandique ratio perversa. Sunt tamen qui aurei velleris pellem interpretentur fuisse librum Alcumisticum, veterum more in pelle conscriptum, in quo auri conficiendi scientia contineretur, ejusmodi libros apud Aegyptios, qui hujus artis peritissimi fuisse dicebantur, cùm Diocletianus magna diligentia conquisisset, omnes exussisse legitur, ne comparatis divitiis, aurique copia fidentes Aegyptii, Romanis aliquando bellum inferre auderent, atque exinde hanc artem publico Cæsaris edicto, semper habitam flagitiosam. verùm nimis longum foret, narrare omnia hujus artis stulta mysteria, ac mania ænigmata, de leone viridi, de cervo fugitivo, de aquila volante, de stulto saltante, de dracone caudam suam vorante, de bufone inflato, de capite corvi, deque illo nigro nigrius nigro, de sigillo Hermetis, de luto stultitiæ (sapientiæ dicere debui) ac similibus nugis innumeris. Denique de illo unico solo, præterquod non est aliud, ubique tamen reperies benedicto, sacratissimi Philosophorum lapidis subjecto, videlicet, penè nomen rei effutivi, cum perjurio sacrilegus futurus, dicam tamen circumlocutione, sed obscuriore, ut non nisi filii artis, & qui hujus mysteriis initiati sunt, intelligant. Res est quæ substantiam habet, nec igneam nimis, nec prorsus terream, nec simpliciter aqueam, nec acutissimam, nec obtusissimam qualitatem, sed mediocrem & tactu levem, & quodammodo mollem vel saltem non duram, non asperam, quin & gustu quodammodo dulcem, olfactu suavem, visu gratam, auditu blandam atque jucundam, cogitatu latam. plura dicere non conceditur, atque sunt tamen iis majora: sed ego hanc artem (ob eam, quæ secum

cum mihi familiaritas est) illo honore potissimè dignam censeo, quo probam mulierem definit Thucydides, illam inquiens optimam esse, de cujus laude vel vituperio minimus esset sermo. Illud duntaxat addam, Alcumistas omnium hominum esse perversissimos, siquidem cùm præcipiat Deus, in sudore vultus vescendum esse pane suo, & alibi dicat per Prophetam: Labores manuum tuarum quia manducabis, ideò beatus es, & benè tibi erit: hi divini præcepti promissæque beatitudinis contemptores procul labore, &, ut ajunt, in opere mulierum & ludo puerorum aureos montes moliuntur. Non inficior ex hac arte multa admodum egregia artificia ortum habere traxisseque originem. Hinc aceri, cinnabrii, minii, purpuræ, & quod aurum musicum vocant, aliorumque colorum temperaturæ prodierunt, hujc aurichalcum & metallorum omnium mixtiones, glutimina, & examina & sequestrationes debemus, bombardæ formidabilis tormenti inventum illius est, ex ipsa prodiit vitrificatoria nobilissimum artificium, de qua Theophilus quidam pulcherrimum librum conscripsit. Narrat autem Plinius, Tiberii Cæsaris tempore excogitatum vitri temperamentum, quo flexibile & ductibile fieret, sed ejus officinam à Tiberio abolitam, quin ipsum quoque tantæ industriæ artificem (si Isidoro creditur) neci datum, idque factum ne aurum præ vitro vilesceret, & argento atque æri sua præmia detraherentur. Sed de iis satis.

De Iure & Legibus. CAP. XCI.

RESTAT nunc de juris scientia dicere, quæ sola se jactat inter verum & falsum, æquum & iniquum, fas & nefas scire discernere, cujus facultatis hodie principes sunt Papa, & Imperator, qui gloriantur se habere jura omnia in scrinio pectoris sui recondita, quibus pro ratione sufficit sola voluntas, cujus arbitrio omnes scientias, & artes, & scripturas, & opiniones, & quæcunque hominum opera judicare, & regere præsumunt. Hinc firmiter præcipit Leo Papa omnibus Christi fidelibus, ut nemo in Ecclesia Dei quicquam vel quenquam judicare, justificare, aut aliquid discutere præsumat, nisi sanctorum conciliorum, canonum, & decretalium (quorum caput est Papa) authoritate: atque ne nobis uti liceat, nec doctissimorum, nec quorumcunque etiam sanctissimorum Theologorum determinatione, nisi in quantum Papa permittit, & suis canonibus authorizaverit: sed & alibi adhuc præcipit canon, ne aliud volumen, vel quicunque liber per Theologos (imò

per universum mundum, ait) recipiatur: nisi ille, qui per Ecclesiam Romanam Papæ canonibus comprobetur. Simile jus prætendit Imperator in philosophiam, ac medicinam, cæterasque scientias, nulli disciplinæ permittens aliquid authoritatis, nisi quantum illis conceditur per sui juris peritiam, ad quam, ut ait, quotquot sunt scientiæ & artes, si comparentur, sunt tanquam viles, & parum utiles. Hinc Vlpianus ait: Lex est rex omnium humanarum, & divinarum rerum, cujus virtus est, ut ait Modestinus, imperare, permittere, punire, vetare, quibus dignitatibus nullum munus majus invenitur: & Pomponius in legibus definit eam esse inventum & donum Dei, & dogma sapientum omnium: quia prisci illi legislatores, quò decretis suis apud rude vulgus authoritatem conciliarent, finxerunt, se diis edoctos illis præscribere. Sic Aegyptiis Osiris à Mercurio, Zoroastes Bactrianis & Persis ab Oromazo, Charundas Carthaginensibus à Saturno, Solon Athenienſibus à Minerva, Zantrastes apud Arimaspos à bono numine, Zamolxis Scythis à Vesta, Minos Cretensibus à Jove, Lycurgus Lacedæmoniis ab Apolline, Numa Pompilius Romanis à Nympha Aegeria. En videtis modò cujusmodi hæc juris scientia in omnes alias sibi imperium arroget, exerceatque tyrannidem, ac quomodo se omnibus reliquis disciplinis, tanquam deorum primogenitam præferens, illas tanquam viles ac inanes aspernatur, cùm tamen ipsa tota atque omnis non nisi ex caducis infirmissimisque hominum commentis & placitis constituta, omnium quæ sunt tenuissima, & ad omnem temporis, status, principis mutationem, convertibilis existat: quæ primam suam ab ipso primi parentis (omnium malorum nostrorum causa) peccato traxit origine. A quo lex corruptæ naturæ (quod jus naturale dicunt) prima prodiit, cujus egregia illa decreta: Vim vi repellere licet. Frangenti fidem, fides frangatur eidem. Fallere fallentem non est fraus. Dolosus dolosò in nullo tenetur. Culpa cum culpa compensari potest. Malè meriti nulla debent justitia nec fide gaudere. Volenti non fit injuria. Licitum est contrahentibus se decipere. Tantum valet res, quantum vendi potest. Item, ut liceat sibi consulere cum damno alterius. Ad impossibile neminem obligari. Item, si te vel me confundi oporteat, potiùs eligam te confundi quàm me. Et ejusmodi plura, quæ postea scripta inter leges relata sunt. Denique lex naturæ est, non esurire, non algere, non vigiliis, non laboribus macerari. Quæ omnem religionis pœnitentiam, pœnitentiæque opera de-

pellens,

pellens, Epicuream voluptatem pro summa statuit felicitate. Exinde verò jus gentium emersit, ex quo primùm bella, cædes, servitutes orta, distinctaque rerum dominia sunt. Porrò jus civile prodiit seu populare, quod populus aliquis sibi proprium constituit. Ex quo tot emanarunt in homines litigia, ut testibus ipsisinet legibus, plura facta sint negotia, quàm rerum habentur vocabula. Nam cùm homines proni essent ad dissentiendum, necessarium, ut dicunt, erat justitiæ observandæ per leges promulgatio: ut malorum sic coërceretur audacia, & inter improbos innocentia tuta redderetur, & boni quietè viverent inter malos. Atque hæc sunt illa tam insignia juris principia, in quo legislatores fuere penè innumeri. Quorum primus Moyses, qui leges scripsit Judæis, quo tempore etiam Aegyptiis leges tulit Cecrops: post Pheroneus primus omnium leges dedit Græcis: rursùs Aegyptiis leges dedit Mercurius Trismegistus: deinde Dracon & Solon Athenienſibus, & Lycurgus Lacedæmoniis, & Palamedes primus leges tulit bellorum, ad judicandum exercitum. Romanis verò leges tulit Romulus, quæ Curiatæ appellatæ sunt, post quem Numa Pompilius leges tulit religionum, & cæteri per successum Romani Reges suas leges dederunt, quæ omnes Papyrii libris postea descriptæ fuerunt, unde jus civile Papyrianum nomen sumpsit. Post hos jus duodecim tabularum prodiit. Item jus Flavianum, jus Helianum, lex Hortensia, Honorarium jus prætoris, item plebiscita, senatusconsulta, jus magistratuum & consuetudinis, denique vis juris constituendi principi data: prætereo Jurisconsultos illos innumeros, quorum bonam partem recenset lex secunda de origine juris. Qui verò jus civile in volumen redigere conati sunt, ex his primus hoc attentavit Cn. Pompejus, deinde Cajus Cæsar: sed præventus uterque bellis civilibus, immaturaque morte, non potuerunt perficere. Tandem veteres illas leges innotavit Constantinus, sed & Theodosius minor in codicem ab eo nuncupatum redegit: tandem Justinianus hunc, qui hodie in usu habetur, Codicem edidit. Iuris autem civilis tota authoritas penes populum ac principes est, neque aliud est jus civile, quàm quod homines communi consensu volunt. Hinc Iulianus ait, leges non alia de causa nos ligare, quàm quòd judicio populi receptæ sunt: qui communi consensu omne imperium ac potestatem in principem contulit, unde si quid populo ac principi placuerit, hoc tum per consuetudinem, tum per constitutiones juris habet vigorem, etiamsi

HAVANA LIBRERIA OLIMPO MEMORIA

error videatur vel falsitas : nam communis error facit jus, & res judicata veritatem. Quod Vlpianus nos docuit his verbis, videlicet, ingenuum accipi debere etiam eum, de quo sententia lata est, quamvis reverà fuerit libertinus, quia res judicata pro veritate accipitur. Apud eundem legimus, Barbarium quendam Philippum, cùm servus fugitivus esset, Romæ præturam petisse, qua functus, ac tandem agnitus, receptum fuit, nihil eorum immutari, quæ servus in tantæ dignitatis velamento gesserit. Et alibi senex rusticus Imperatoris authoritate in tantum veneratur, quod Iurisperitus ex verbis illius argumentari jubetur. Paulus quoque Romanorum jurisconsultissimus : hodie, inquit, propter usum Imperatorum, si in argento relatum sit candelabrum argenteum, argenti quoque esse, non autem supellectilis, quoniam error jus facit. Idem de legibus & senatusconsultis palàm fatetur, non omnium, quæ à majoribus constituta sunt, rationem reddi posse. Hinc ergo scimus jam omnem juris civilis prudentiam, ex sola hominum opinione voluntateque dependere, nulla alia ratione urgente, quàm vel honestate morum, vel commoditate vivendi, vel authoritate principis, vel vi armorum : quæ si conservatrix bonorum & malorum vindex existat, bona disciplina est, finaliter, pessima res, propter iniqua, quæ magistratu ac principe negligente vel tolerante, vel probante fiunt. Quin imò Demonactis sententia erat, leges omnes inutiles & supervacuas esse, ut quæ nec bonis nec malis rogentur, cùm illi non egeant legibus, hi verò per easdem nihilo fiant meliores. Præterea cùm apud Livium fateatur Cato, vix ullam legem ferri posse, quæ omnibus commoda sit, & ex qua non læpissimè contingat æquitatem cum rigore juris pugnare, ipse etiam Aristoteles in Ethicis suis definiens æquitatem, vocat illam correctionem justæ legis, qua parte deficit, quòd generatim lata est. nónne ergo jam hoc ipso satis ostenditur, totam juris justitiæque vim non tàm à legibus, quàm à judicis probitate æquitateque dependere?

De Iure Canonico. CAP. XCII.

A Iure Civili dimanavit jus Canonicum sive Pontificium, quod plerisque sacrosanctissimum videri posset, tam ingeniosæ avaritiæ præcepta ac rapiendi formulas specie pietatis adumbrat, cùm tamen paucissima in eo statuantur ad piétatem, religionem ac Dei cultum, sacramentorumque ritus spectantia, tacco, quòd nonnulla Dei verbo contraria aut repugnantia. Cætera omnia non nisi jurgia, lites, fastus, pompæ, tum quæstus ac lucri negotia, Pontificumque Romanorum placita, quibus neque satis sunt, qui olim à sanctis Patribus conditi sunt canones, nisi his continuè accumulent nova decreta, paleas extravagantes, declaratorias, cancellariæ regulas, ut nullus sit condendorum canonum finis, neque mensura, quæ una omnium Romanorum Pontificum ambitio atque libido est, condendorum scilicet novorum canonum, quorum eousque excrevit arrogantia, ut angelis cœlorum præciperant, ut ex inferno sublata præda rapinam facere præsumerent, & in mortuorum manes manum mitterent : etiam in divinam legem, interpretando, declarando, disputando nonnunquam tyrannidem exercerent, ne quid plenitudini potestatis suæ posset deesse aut derogari. Nónne Clemens Papa in bulla, quæ hodie adhuc Viennæ Limonis Pictavii in privilegiorum scriniis plumbata servatur, præcipit angelis de cœlo, quòd animam peregrinantis Romam pro indulgentiis, & decedentis, à purgatorio absolutam ad gaudia perpetua introducant? insuper, inquiens, nolumus, quòd pœna inferni sibi aliquatenus infligatur, concedens insuper cruce signatis ad eorum vota, tres aut quatuor animas, quas vellent, è purgatorio posse eripere : quam erroneam, intolerabilemque temeritatem, ne dicam propè hæresim, tunc Parisiensis schola palàm detestata est atque corripuit, sed & fortassis pœnitens hodie, quòd non hyperbolicum illum Clementis zelum, pio aliquo commèto interpretati sunt, ut res valeret potiùs quàm periret, cùm propter eorum affirmare vel negare nihil mutatur in re & authoritate summi Pontificis, ad cujus canones & decreta ipsam Theologiam totam sic adstrinxerunt, ut nullus quantumcunq; contentiosissimus Theologus, quicquam audeat statuere, nedum opinari aut disputare à Pontificum canonibus diversum, absque protestatione & venia, ceu de Rufo canit Martialis :

Quicquid ait Rufus, nihil est nisi venia Rufo,
Si gaudet, si flet, si tacet, aut loquitur.
Cœnat, popinat, poscit, negat, innuit, una est
Venia, si non sit venia, mutus erit.

Ex horum præterea canonibus & decretis didicimus Christi patrimonium esse regna, astra, donationes, fundationes, allodia, opes & possessiones, ac sacerdotium Christi Ecclesiæque primatum esse imperium, regnum : & gladium Christi esse ju-

risdictionem ac potestatem temporalem: & petram Ecclesiæ fundamentum esse personam Pontificis: Episcopos esse Ecclesiæ non ministros modò, sed capita: & bona Ecclesiæ esse non modò doctrinam Evangelicam, ardorem fidei, contemptum mundi, sed vectigalia, decimas, oblationes, collectas, purpuram, mitras, aurum, argentum, gemmas, prædia, pecunias, potestatem: summi Pontificis esse gerere bella, dissolvere fœdera, solvere juramenta, absolvere ab obedientia, & domum orationis facere speluncam latronum, ita quòd Papa potest deponere Episcopum sine causâ, quòd potest dare rem alienam, quòd non potest committere Simoniam, quòd potest dispensare contra votum, contra juramentum, contra jus naturale, & nemo debet illi dicere, cur ita facis? posse insuper gravi, ut dicunt, aliqua de causa dispensare contra totum novum Testamentum, etiam ad tertiam partem & ultrà fidelium animas in infernum protrahere. Episcoporum verò officium esse jam non prædicare verbum Dei, sed datis alapis confirmare pueros, conferre ordines, dedicare templa, baptizare campanas, consecrare aras & calices, benedicere vestes & imagines: quibus verò super hæc altius ingenium est, ii relinquentes illa nescio quibus titularibus Episcopis, ipsi regnum fungunturlegationibus, illorum præsunt oratoriis, aut comitantur reginas, magnam satis & grandem ob causam excusati, ne serviant Deo in templis, si magnificè venerentur regum in aulis. Ex iisdem fontibus prodierunt cautelæ istæ, quibus hodie citra Simoniam Episcopatus & beneficia emuntur vendunturque, & quicquid præterea est nundinationum & monopoliorum in gratiis, in condonationibus, in indulgentiis, in dispensationibus, & similibus rapinarum formulis, à quibus etiam in gratuitis ab ipso Deo factis peccatorum remissionibus, precium statutum est, & inferorum pœnis inventum est lucrum. Insuper huic juri debetur illa ementita Constantini donatio, cùm revera atq; contestante verbo Dei, nec Cæsar sua relinquere, nec Clerus quæ Cæsaris sunt sibi debeat usurpare. Sed ex multis admodum ambitionis, superbiæ ac tyrannidis legibus duntaxat aliquas vobis referam, quæ iis, quæ nunc diximus, faciant fidem. Scrutamini igitur, si libet, in antiquis decretalibus cap. Significasti, & c. venerabilem de elect. c. solite de ma. & obed. c. cùm olim, de privileg. c. si summus Pontifex de sent. excom. c. inter cætera de offic. jud. ord. Deinde in sexto Decretal. quem compilavit Bonifacius octavus, videte quid loquatur in illius prologo: & in c. 1. de

c. 1. de immunitate Ecclesiarum. neque cedit istis illa arrogantissima Clementina pastoralis de sent. & re jud. cum extravagãte Ioan. 22. quæ incipit: Ecclesiæ Romanæ, & alia ejusdem super gentes, & extravagans Bonifacii. 8. unam sanctam? Ex compilatione denique Gratiani occurrunt nobis c. Si cujus, d. 14. c. Si omnis, de. 18. c. Sic omnes, & c. enimverò, c. In memoriam, c. Si Romanorum, d. 19. c. Omnes, d. 22. c. tibi domino, d. 60. c. Constantinus, d. 69. & c. Quando, d. 86. & gloss. ibid. & c. Si Papa, d. 60. Porrò etiam accedunt istis 9. q. 3. c. Cuncta, & c. Conquest. 15. q. 6. c. Authoritatem, 17. q. 4. c. Nemini, 22. q. 3. Sunt qui, 23. q. 5. Omnium & q. 8. c. Omni, 30. q. 1. c. Omnia. Hos & horum similes canones qui diligenter examinârit, comperiet, cujusmodi sint illa magna & admirabilia & abscondita mysteria, quæ aliqui Romani Pontifices in suis canonibus fructificant, etiam ea, quæ alicubi dicuntur in Scripturis sacris, convertentes, & nonnunquam adulterantes, atque illis suis figmentis adsimulantes & adaptantes, hinc illæ, quas vocant concordantias bibliæ & canonum natæ sunt. Accedunt istis tot rapinarum tituli de palliis, de indulgentiis, de bullis, de cõfessionalibus, de indultis & rescriptis, de testamentis, de dispensationibus, de privilegiis, de electionibus, de dignitatibus, de præbendis, de religiosis domibus, de sacris ædibus, de immunitatibus, de foro, de judiciis, & ejusmodi reliquiis, deniq; totum ipsum jus canonicum omnium est inconstantissimum, ac ipso Proteo atq; Chamæleonte mutabilius, ac Gordio nodo magis implicitum, ipsaq; Christiana religio, à cujus origine Christus finem imposuit cæremoniis, nunc hoc canonum jure plures habeat, quàm unquam olim habuerunt Iudæi, quorũ pondere addito ipsum leve ac suave Christi jugum nunc redditum sit omnium gravissimum, cogunturque Christiani plus ex canonum præscripto, quàm ex ipso vivere Evangelio. Tota autem utriusq; juris peritia, non nisi circa caduca, fragilia, fluxa, inania, ac profana negotia, vulgiq; commercia atque contumelias, tum circa hominum cædes, furta, compilationes, grassationes, factiones, cõspirationes, injurias, proditiones versatur. Accedũt ad hęc perjurationes testium, falsificia scribarum, prævaricationes causidicorum, corruptiones judicum, ambitiones consiliariorum, rapinæ præsidum, quibus opprimuntur viduæ, prosternuntur pupilli, exulant probi, proculcantur pauperes, damnantur innocentes, atque ut est apud Iuvenalem:

Dat veniam corvis, vexat censura columbas.

Et cæci homines, quæ putaverunt se per leges & canones posse

evitare, sibi protinus paraverunt & incurrerunt, quia non sunt hæ leges & canones à Deo nec ad Deum, sed à corrupta hominum natura ingenioque profecta, & ad quæstum, & avaritiam excogitata.

De Arte Advocatoria. CAP. XCIII.

IVris autem adhuc aliud est exercitium, quam artem vocant placitatoriam sive advocatoriam, ut ajunt, maximè necessàriam, ars vetustissima & fraudulentissima suasorio cooperimẽto subdolè adornata. Quæ nõ est alia, quàm scire judicem persuasione demulcere, & ad omne arbitrium uti, scire juribus vel inventis glossis, ac commentis leges quascunque pro libidine fingere & refingere, vel iniquis quibusq; diverticulis illas subterfugere, aut fraudulentam litem prorogare, sic citare leges, ut pervertatur æquitas, sic glossatorum adstruere authoritatẽ, ut subvertatur sensus legis, mensque legislatoris. In hac arte plurimum momenti habet altum vociferari, audacemque, & in litigando clamosum & improbum esse. Isque habetur advocatorum optimus, qui plures allicit ad litigandum, & promissa spe vincendæ litis in judicium impellit, stimulatque impiis consiliis, qui venatur appellationes, quique est egregius rabula, ac jurgiorum author, qui garrulitate, ac linguæ viribus nihil non possit clamare: sed & quamvis causàm alteri judiciorum præstigiis præferre, ac vera & justa isto modo dubia & iniqua facere, justitiamque ipsàm suismet armis profligare, pervertere, prosternere, apud quos Iustitia nihil est nisi publica merces: at judex in causà qui sedet, empta probat. Sed & ea etiam quæ non sunt rerum, scilicet privationes & silentia, precio exponunt. nam ut nullus eorum loquitur, nisi ad mercedem, ita nec tacet nisi ad præmium, exemplo puto Demosthenis, qui cùm Aristodemum fabularum authorem interrogasset, quantum mercedis, uti ageret, accepisset, & responderet ei, talentum: At ego, inquit Demosthenes, plus accepi, ut tacerem. Causidicorum siquidem lingua, tam damnifica est, ut nisi vinciatur muneribus, fieri non potest, ut non noceat.

De Arte Notariatus & Procuratoria. CAP. XCIV.

QVibus tum ad hoc ipsum adsunt Procuratores, & Notarii, quos vocant tabelliones, quorum injurias, & damna, & nequitias, & falsificia, omnes patienter ferre oportet, cùm omnium fidem, & licentiam, ac potestatem apostolica & imperiali authoritate se obtinuisse videntur. Atq; inter hos illi sunt præcipui,

præcipui, qui nõrunt forum egregiè perturbare, miscere lites, confundere causas, supponere testamenta, instrumenta, rescripta, diplomata: tum egregiè fallere, decipere, & ubi opus est pejerare, & falsum scribere. Omnia audere, & construendis dolis, fraudibus, technis, calumniis, laqueis, captiunculis, insidiis, tricis, ambagibus, circumventionibus, Scyllis & Charybdibus se à nullo vinci patiantur. Nullus præterea notariorum tam integrum quod vocant instrumentum præscribere potest, quin rursus litem contestari necesse sit, si quis velit contradicere adversarius. Nã aut aliquid omissum dicet, aut falsum, aut fraudem subesse, aut aliam exceptionem opponet, qua instrumenti, aut notarii fidem impugnet. Atque hæc sunt alia juris remedia, ad quæ litigantibus confugiendum esse docent: hæ illæ vigiliæ, quibus jura subvenire dicunt, nisi sit qui malit pugnare, quàm litigare. Is enim tantum juris habebit, quantum potentia sua poterit defendere, dicente lege, quoniam potentioribus pares esse non possumus.

De Iurisprudentia. CAP. XCV.

HVc spectant etiam vastissimi illi gigantes, qui nobis contra Iustiniani edictum, tot glossarum, commentariorum, expositionum, ingentia innumeraque volumina, uno quoque illorum aliter & aliter interpretante genuerunt. Præterea tot opinionum procellas, tot vaferrimorum consiliorum ac cautelarum sylvas infelicissima fœcunditate parturierunt, quibus advocatorum instruuntur nutriunturque nequitiæ, qui tam celebri illorum jurisperitorum per singulas periodos, & (ut vocant) paragraphos, nomenclatura pudorem suum obstringunt, ac si non potius rationibus constet veritas, quàm confusis testimoniis, ex tam nugantium opinatorum colluvie adductis, penes quos tanta laus est contentio atque discordia, ut qui non dissenserit ab aliis, qui nescierit novis opinionibus aliorũ dictis contradicere, ac judicata omnia in dubium revocare, & bene inventas leges per ambiguas expositiones ad sua figmenta adaptare, is parùm vel nihil doctus habeatur. Hinc tota illa Iurisprudentia facta est consilium perversum & subdolum rete iniquitatis: hæc sunt ingenia, hæ artes, quibus hodie regitur orbis Christianus, quibus constituuntur: imperia & regna, & principatus populorum, atque ex his nebulonibus deliguntur Principum, Pontificumque officiales, atque parlamentarii, senatores & præsides, ac si qui iniqui hactenus fuerint advocati, æquiores futuri sint judices, atque tandem capita regnorum

sunt. Hi etiam regibus suis, ut Iovi quondam Titanes, formidabiles. Porrò ex his prodeunt tandem Cæsarum, Regumque ventricosi isti archiscribæ, ac circumpurpurati cancellarii, quibus rerum summa commissa est, qui Principum placita, dona, beneficia, officia, dignitates, rescripta, diplomata: præterea jus, fas, leges, æquum, & honestum, omnia venalia habent, & abs se mercari compellunt. Ex quorum arbitrio regum numerantur amici & inimici, quos pro libidine sua nunc fœderibus jungũt, nunc rursus funestis bellis committunt. Atq; cùm ipsi ex infima plebis fece sordidissima vocis prostitutione, ad tantum dignitatis culmen conscenderint, ad tantum simul audaciæ scelus evehuntur, ut audeant nonnunquam proscribere Principes, & vel absque senatusconsulto, vel indicta causa damnare capitis, mutandisque regnorum statibus authores sunt, ipsi interim tumentes furtis & latrociniis suis.

De Arte Inquisitorum. CAP. XCVI.

SPectant ad hunc cœtum etiam ordinis prædicatorum hæreticorum inquisitores, quorum jurisdictio cùm tota in theologicis traditionibus, & sacris Scripturis fundata esse deberet, ipsi tamen hanc omnem ex jure Canonico & Pontificiis decretis, ac si Papam errare impossibile sit, crudelissimè exercent, ipsam Scripturam sacram, velut mortuam literam, & non nisi umbram veritatis à tergo relinquentes, quin & veluti hæreticorum, ut ajunt, scutum & propugnaculum procul rejiciunt. Neque etiam antiquorum doctorum, Patrumque traditiones recipiunt, dicentes, quia falli possunt & fallere, sed unam Romanam Ecclesiam, quæ, ut dicunt, errare non potest, cujus caput Papa est, ejusq; curiæ stylum sibi scopum fidei præfigunt, non aliud cum inquirendo expostulantes, quàm si credat in Romanam Ecclesiam, quod si affirmarit, illico dicunt, Ecclesia Romana hanc propositionem, aut hæreticam, aut scandalosam, aut piarum aurium offensivam, aut Ecclesiasticæ potestatis derogativam damnat, moxque ad palinodiam, & revocationem compellunt. Quod si tunc inquisitus opinionem suam Scripturæ testimoniis aliisve rationibus tueri conetur, interrumpentes strepitu, iratis buccis, dicunt non esse illi negotium cum baccalaureis & scholaribus ad cathedram, sed cum judicibus ad tribunal, non esse ibi litigandum & disputandum, sed simpliciter respondendum, si velit stare decreto Romanæ Ecclesiæ, & opinionem suam revocare: sin minus, fasciculos & ignem ostendunt, inquientes, cum hæreticis non argumentis & Scripturis, sed fasciculis, & igne decertandum, hominemque nec pertinaciæ alicujus convictum, nec meliora edoctum contra conscientiam suam sua abjurare compellunt: quod si nolit, veluti Ecclesiæ desertorem seculari foro tradunt, ut comburatur, dicentes cum Apostolo: Auferte malum de medio vestri. Tanta olim fuit Ecclesiæ mansuetudo, Pontificumq; clementia, sicut in quarta distinctione de consecratione compilavit Gratianus, ut nec relapsos in Iudaismum capite punirent, nec blasphemos supplicio afficerent: ipseque Berengarius in abominabilem hæresim relapsus, non solùm non occisus est, sed nec archidiaconi dignitate privatus est. At hodie in minimum errorem prolapsus, plus quàm capitis reus agitur, & ab istis inquisitoribus nonnunquam pro minimo crimine traditur incendio: fortè expedit hodie Ecclesiæ tam severa animadversio, modò interea non occidat germana pietas: sunt hæreticæ pravitatis inquisitores nonnunquam ipsimet pravi, possuntque etiam esse hæretici, quæ res novæ constitutionis Clementi occasionem præbuit. Debent ergo inquisitores contra hæreticos, non per tenebricosa argumenta, & rixosos syllogismos, sed per verbum Dei, de fide Catholica disputare, & hæreticum per Sacras literas convincere, deinde juxta Canonum documenta, & Sacrorum Conciliorum constitutiones negotium terminare, & inquisitum ad fidem orthodoxam reducere, aut hæreticum declarare. neque enim hæreticus est, qui temerarius non est, nec fautor hæreticorum censendus est, qui innocentem criminis, & indamnatum hæreseos defendit, quò minus ad iniquorum aliquot inquisitorum, imò rapacium authorum tribunal, & in locum non tutum tradatur, dilacerandus. Iam verò etiam cùm Iure expressè cautum sit, inquisitores nec cognoscendi potestatem, nec jurisdictionem ullam habere super quavis hæresis suspicione, defensione, receptatione vel favore, ubi, & quomodo, non constat manifestè, quod ibi sit hæresis expressa, & explicitè condemnata, tamen isti sanguisitibundi vultures, ultra privilegia officii inquisitionis sibi concessa, contra jura & canones, sese jurisdictioni ordinariorum ingerunt, arrogantes sibi jurisdictionem Pontificum, in ea quæ non sunt hæretica, sed duntaxat piarum aurium offensiva, aut scandalosa, aut alio quovis modo citra hæresim erronea, & in rusticas mulierculas crudelissimè sæviunt, quas fortilegii, aut maleficii accusatas, denunciatasve, sæpè nullis juridicis judiciis præcognitis, atrocibus enormibusque tormentis exponunt, donec extortis nunquam cogita-

HAB. CONSTANTIENSIS CIVIT. BIBLIOTHECA

cogitatis confessionibus, habeant quod condemnent, & tunc vere inquisitores sese agere putant, quando non desistunt ab officio, donec misera sit combusta, aut inquisitori manum inaurârit, quò misereatur, & tanquam tormentis sufficienter purgatam, absolvat: potest enim inquisitor non rarò pœnas mutare, de corporali in pecuniariam, & suo inquisitionis officio applicare, unde illis non modicum lucrum est, habentq; ex miseris illis non paucas, quæ annuùm censum illis pendere coguntur, ne denuò rapiantur ad inquirendum: præterea cùm bona hæreticorum Fisco proscribuntur, etiam inde non parva præda est inquisitori, sola denique accusatio aut denunciatio, vel levissima etiam suspicio hæresis, aut sortilegii ipsaque inquisitoris citatio, infamiam annexam habent, cujus integritati non nisi data inquisitori pecunia, consulitur, atque illud nonnihil est. Hac cautela, dum essem ego in Italia, plerique inquisitores in Ducatu Mediolanensi multas honestissimas matronas, etiam ex nobilioribus vexârunt, ingentemque pecuniam à timidulis territisque clàm emunxerunt. Tandem cognita fraude, à nobilioribus male mulctati sunt, vixque gladium & ignem evasêre. Fuit mihi olim cùm apud Mediomatricos Reipublicæ à consiliis advocatus præessem, gravis admodum cum inquisitore pugna, qui rusticam mulierculam ob futiles quasdam & iniquissimas calumnias in suam carnificinam, & in locum non debitum homo nequam nequiter traxit, non tam inquirendam, quàm trucidandam: hanc ego cùm tuendam suscepissem, ostendissemque in ipsis actis nihil esse indicii, quod ad quæstionem faceret, ille in faciem resistens: Est, inquit, unum sufficientissimum, nam mater hujus quondam pro sortilega excremata est: hunc articulum ego cùm impertinentem, & de facto alieno citatis juribus etiam ex judicis officio rejiciendum esse ostenderem: ille mox contrà, ne sine ratione locutus videretur, ex mallei maleficarum penetralibus, & peripateticæ Theologiæ fundamentis, talem eduxit inquiens: ideò id esse, cùm quia solitæ sint maleficæ mulieres fœtus suos ilicò natos sacrificare dæmonibus, tum quia solent illos ex incuborum dæmonum concubitu plurimum concipere: quocirca contingit, tunc in hac prole veluti ex hæreditario morbo radicatam remanere malitiam. Infero ego, siccine perverse pater tu theologizas? hisce figmentis ad torturam protrahis insontes mulierculas, istis sophismatibus alios judicas hæreticos, tu ipse Fausto Donatoq; hæreticis ea sententia non inferior? esto ita ut dicis, nonne evacuas

evacuas gratiam Baptismi? ac frustrà dixerit sacerdos: exi immunde spiritus, da locum Spiritui sancto, si propter sacrificium impiæ parentis proles remansura sit diabolo: quod si tibi libeat etiam illorum opiniones tueri, qui incubos dæmones generarer posse fatentur, centè nullus eorum qui hoc asserunt, adeò desipuit unquam, ut sentiret dæmones illos unà cum suffocato semine, aliquid de natura sua extra mittere ingenitum: quin ego tibi dico, inquam, ex fide, quòd ex propria natura humanitatis nostræ sumus omnes nati una massa peccati & maledictionis æternæ, filii perditionis, filii diaboli, filii iræ Dei, & hæredes inferni, sed per gratiam Baptismi ejectus est de nobis Satanas, & effecti sumus nova creatura in Iesu Christo, à quo nemo potest, nisi per peccatum proprium separari, tantum abest ut obsit illi factum alienum, Vides nunc, quàm sit hoc tuum, quod ais sufficientissimum, judicium jure irritum, & ratione vacuum, & adsertione etiam hæreticum? Incanduit super iis hypocrita, & comminabatur sese adversum me, ut contra fautorem hæreticorum, causam acturum: ego misellam illam defendere non destiti, ac tandem juris potentia ab ore leonis illius salvam eripui, restitiq; sanguinolentus ille monachus coram omnibus confusus. & crudelitatis nomine perpetuò infamis, etiam calumniatoribus illis, qui mulierem traduxerant, ipsi Metensis Ecclesiæ capitolio, cujus subditi erant, insigni multa condemnatis.

De Theologia Scholastica, Cap. XCVII.

Postremò nunc restat de Theologia dicere. Præteribo autem Gentilium theologiam à Musæo, Orpheo, Hesiodo, quondam descriptam, quàm omnino poeticam & fabulosam esse in confesso est: quàm Eusebius & Lactantius, & aliorum Christianorum doctores jam dudum validissimis rationibus profligarunt, neque etiam de Platonis cæterorumque Philosophorum, quos omnes errorum magistros ostendimus superius: Sed de Christianorum theologia nobis duntaxat fide hic sermo esto, hanc, certum est non nisi à doctorum suorum dependere, cùm nullam sub artem cadere queat. Primum autem dicamus de theologia scholastica, quæ à Parisiensium sorbona mixtione quadam ex divinis eloquiis & Philosophicis rationibus tanquam ex Centaurorum genere biformis disciplina conflata est: insuper & novo quodam ac ab antiquorum usu alieno tradendi genere per quæstiunculas & argutos

guros syllogismos absque omnis sermonis elegantia conscripta, alioquin tamen judicio & intellectu plenissima, & quæ ad revincendos hæreticos non modicum attulerit Ecclesiæ emolumentum, ejus authores, & qui in ea excelluerunt, fuerunt Magistri sententiarum, Thomas Aquinas, Albertus cognomento Magnus & multi alii excellentes viri: Porrò Ioannes Scotus doctor intellectu subtili, sed in contentionem procliuior. Hinc tandem scholastica theologia in sophismata paulatim delapsa est, dum recentiores isti theosophistæ, ac verbi Dei cauponatores, qui non nisi empto titulo theologi sunt, ex tam sublimi facultate quandam logomachiam fecerunt, circumeuntes scholas, moventes quæstiunculas, fabricantes opiniones, & scripturis vim inferentes, intricatis verbis alienum sensum illis obducentes, paratiores ventilare quàm examinare, multa admodum jurgiorum seminaria excogitare ausi, quibus litigiosis sophistis contendendi materiam præbent, dum formas abstrahunt, dum discutiunt intellectus, dum voces ipsas genera dicunt & species, dum alii rebus alii solis nominibus inhærent, & quod uni subtrahunt alteri inscribunt, alii indifferenter hoc accipiunt, & studeut quisque quibus stam hæresim possint confirmare. Atque ipsam fidem nostram sacrosanctam apud sapientes hujus sæculi (quod etiam Thomas Aquinas conqueritur) risui ac diffidentiæ exponunt, dum relictis post terga canonicis Spiritus sancti scripturis, multas admodum aptas jurgiis de divinis quæstiones sibi delegerunt, in quibus ingenium suum exercentes, & ætatem consumentes, totius theologiæ doctrinam in illis solis collocarunt, quibus si quis sacrarum literarum authoritate resistere velit, mox auditurus est: litera inquirendum dicent, moxq; ad interpretandum, ad exponendum, ad glossandum, ad syllogizandum conversi quemvis potius alium, quam proprium literæ sensum illi induunt. si instas acrius: si urges, contumelias recipies & asinus diceris, quid quid latet in litera non intelligas, sed tanquam serpens sola terra vescaris, adeò nulli penes eos pro theologis habentur, nisi qui norint egregiè contendere, & ad omne propositum instantiam dare, promptè fingere & novos sensus invenire, ac monstruosis vocabulis sic obstrepere, quo non pro rei difficultate, sed præ verborum portentis intelligantur à nemine. Atque hi tunc doctores vocantur, cum id effecerint, ut intelligantur quàm minime, his tunc auditorum circumstrepit multitudo, qui quidquid ex istis hauserint, ex intimis theologiæ abditis depromptum putant.

putant, jurantque in verba magistri, & inopinabile putant, si quid illi fuerit ignotum, illiusque opinionibus sic captivantur, ut nullis adversis rationibus vincantur, nullis scripturis acquiescant, sed ad sinum matris suæ in quo geniti sunt, more Antæi vires reparare contendunt, suosque doctores in subsidium vocant:

Tunc vultur iumento canibus trucibusq; relictis
Ad suos properat, partemq; cadaveris aufert.
Hic est ergo cibus magni quoq; vulturis, & se
Pascentis, proviacum facit arbore nidum.

Hinc effectum est, ut scholasticæ theologiæ sublimis gymnasiorum facultas, ab errore malitiaq; non sit immunis, tot sectas, tot hæreses introduxerunt pravi hypocritæ temerariique sophistæ, qui (ut inquit Paulus) non propter bonam voluntatem, sed propter contentionem Christum prædicant, ut facilius inter philosophos cõveniat, quam inter theologos, qui omnem illam antiquæ theologiæ gloriam humanis opinionibus noviscq; erroribus extinxerunt, ac variis exponendi institutis ceu labyrinthis excogitatis, fucatis titulis detestandam doctrinam professi, sacræ theologiæ nomen sibi furto & rapina usurpant, ac sanctorum doctorum nominibus & institutis abutentes sectas introduxerunt, sicut olim in Ecclesia dictum: Ego Apollo, ego Pauli, ego Cephæ, prætendentes studia eorum, quorum opera initiati sunt doctrinis, & jurantes in verba magistri, cæteros spernunt, & non quid, sed à quo quid dicatur attendentes. Atq; hi sectatores insuper inter se multifariam secti sunt. Nam aliqui eorum quibus sublime ingenium est, quiq; peritiores prophetis & apostolis videri volunt, ea quæ sola fide creduntur, etiam suis syllogismis sese invenire & demonstrare posse præsumunt, atque de divinis philosophantur deploratis quæstionibus, contenduntque prodigiosa confidentia, variis, nonnunquam etiam absurdis opinionibus, ut cùm divinam essentiam à relationibus alii re ipsa, alii duntaxat ratione distinguunt, alii infinitas (ut loquuntur) realitates tanquam Platonicas ideas adstruunt, illas rursum alii negant atq; rident, tot præterea de Deo portenta, tam varias divini numinis formas, tot phantasmatum cogitationũque suarum de divinis idola fabricant, Christumq; salvatorem opinionum suarum pravitate discerpunt: atq; tam variis sophismatum larvis vestiunt, ac tanquã cereum idolũ in quãvis volunt figuram, suis absurdis suppositionib. formant atq; reformant, quòd eorũ doctrina mera videri posset idololatria.

Cæteri

HYDRIOTAPHIA OU. LA MORT DES

Cæteri verò quibus ad tam alta non est ascensus, hi divorum construunt historias, piè nonnihil admentientes, supponunt reliquias, fabricant miracula, confinguntque (quæ exempla vocant) vel plausibiles vel terribiles fabulas, numerant preces, ponderant merita, mentiuntur cæremonias, nundinantur indulgentias, distribuunt venias, vendunt sua benefacta, ac medicandi populi devorant peccata. Atque de apparitionibus, adjurationibus, responsisque defunctorum veluti certa lege pronunciant, atque ex Tundali Brandariique libris, aut ex Patricii antro edocti, ludunt purgatoriorum tragœdias, & indulgentiarum comœdias, & à suggesto veluti scena, tam militari audacia, tam Thrasonica jactantia, tam arrogantibus oculis, commutato vultu, protensis brachiis, multiformibus gestibus, cujusmodi Proteum describunt Poetæ, sese transformantes, ventosa lingua, ac Stentorea voce ad plebem denotant. Qui verò ex his ambitiosiores, cyclicæ doctrinæ pariter & eloquentiæ decorem sibi arrogant, hi in clamando (declamando dicere putavi) canunt poemata, narrant historias, disputant opiniones, citant Homerum, Virgilium, Iuvenalem, Persium, Titum Livium, Strabonem, Varronem, Senecam, Ciceronem, Aristotelem & Platonem, atque pro Euangeliis, pro verbo Dei meras nugas & humana verba crepant, prædicantes Euangelium novum, adulterantes verbum Dei, quod annunciant non ad gratiam, sed ad quæstum & ad precium: viventes autem non ad veritatem verbi, sed ad voluptatem carnis: & cùm interdiu è suggesto de virtute, vario errore loquuti sunt, serò in latibulis clunes agitant labore nocturno. Atq; hæc est via eorum, qua itur ad Christum. Denique ubi vitia reprehendenda occurrunt, mirum qua linguæ maledicentia irascantur, qua gestuum insolentia debacchentur, qua sermonis turpitudine incandescant, qua vocis impudentia exclament, ac si Christus sui verbi præcones non attrahentes à dextris molli retitulo piscatores, sed persequentes à sinistris sagittariós ac vulnerarios venatores esse voluerit: aut ipsi etiam non homines sint, atque iis ipsis vitiis, quæ insectantur, vel majoribus obnoxii sint, aut aliquando fuerint, vel adhuc obnoxii fieri possint: ita isti piscatores hominum, quibus lingua pro reti est, ut trahant malos ad salutem, facti sunt venatores etiam bonorum in exitium: os habet quasi arcum mendacii, sagitta vulnerans lingua eorum, sed dimissis istis ad veram theologiam nunc properemus, atque hæc etiam bifariam partita est: nam una prophetica est, altera interpretativa est, de posteriore prius dicemus.

De Theo-

De Theologia interpretativa. CAP. XCVIII.

PVtant enim interpretativi Theologi, quòd quemadmodũ naturæ liberalitate uvæ, olivæ, frumenta, linum, & hujusmodi plura crescunt & maturantur, è quibus tandem hominum ingenio & adjumento formantur vinum, oleum, panes, tela, & ita reliqua naturæ opera humanis artibus complentur: ita etiam divina oracula admodum obscura & abscondita, data nostris interpretationibus explicanda, non quidem ex nostris viribus aut adinventionibus quasi Dei oracula sicuti naturæ opera opus habeant nostro adjumento, sed ex ipsomet scripturarum illarum sancto Spiritu, qui distribuit dona sua omnibus secundum quod vult & ubi vult, faciens alios quidem prophetas, alios prophetarum interpretes. Hæc itaque divinorum interpretandi Theologia, non peripateticorum more definiendo, aut dividendo aut componendo, quorum modorum nullus ad Deum attingit, cum ille nec definiri nec dividi nec componi possit, progreditur: sed alia constat cognoscendi via, quæ inter hanc & propheticam visionem media est, quæ est adæquatio veritatis cum intellectu nostro purgato, veluti clavis cum sera, qui ut est veritatum omnium cupidissimus, ita intelligibilium omnium susceptivus est, atque idcirco intellectus passibilis vocatur, quo etsi non pleno lumine percipimus ea, quæ depromunt prophetæ, & hi qui ipsa divina conspexerunt, aperitur tamen nobis porta, ut ex conformitate veritatis perceptæ, ad intellectum nostrum, & ex lumine, quod ex ipsis penetralibus apertis nos illustrat, multò certiores reddamur, quàm ex philosophorum apparentibus, demonstrationibus, definitionibus, divisionibus & compositionibus, daturque nobis ut legamus & intelligamus non oculis & auribus exterioribus, sed percipiamus melioribus sensibus, & ablato velamine & revelata facie hauriamus veritatem, à medulla sacrarum literarum emanantem, quam sub velaminibus tradiderunt hi, qui verò intuitu conspexerunt, quæ à sapientibus hujus mundi & philosophis cognitionibus abscondita est, eamque nos tanto certitudinis judicio apprehendimus, ut omnis amoveatur perplexitas. Atque cum hæc veritas in sacris literis multiplex lateat, hinc sancti & spirituales viri varias & multiplices sacrarum literarum expositiones adorti sunt. nam alii per corticem literæ leni decursu incedentes, scripturas concordantes, & literam per aliam literam exponentes, ex verborum ordine, & etymologiis, proprietatibus,

atque ex vocabulorum viribus & similibus sensum aliquem convincentes, scripturæ veritatem venantur, quam expositionem idcirco literalem vocant. Alii quæcunque scripta sunt, ad animæ negotium & justitiæ opera referunt, quorum expositio idcirco moralis dicitur. Alii hanc per varios tropos, sive figuras ad Ecclesiæ arcana revocant, quorum sensus propterea tropologicus vocatus est. Alii supernæ vitæ contemplationi dediti, omnia ad cœlestis gloriæ arcana referunt, quam expositionem Anagogicam nuncupant. Atque hæ sunt quatuor in Ecclesia exercitatæ Theologorum expositiones: præter quas sunt adhuc aliæ duæ, quarum una ad temporum vicissitudines, regnorum mutationes & sæculorum restitutiones omnia referens: idcircò typica dicta est: in qua excelluerunt Cyrillus, Methodius, & Ioachim Abbas, atq; ex recentioribus Hieronymus Savonarola Ferrariensis. Altera in ipsis sacris literis ipsius universi, & sensibilis mundi, totiusque naturæ, ac mundanæ fabricæ vires virtutesque exquirit, quam expositionem inde physicam, sive naturalem appellant. in hac excelluit Rabbi Simeon, Ben Ioachim, qui super Leviticum amplissimum volumen scripsit, in quo penè omnium rerum naturas discutiens, ostendit quomodo Moyses secundum triplicis mundi convenientiam & rerum naturam arcam, tabernaculum, vasa, vestes, ritus, sacrificia, & reliqua mysteria ad Deum & virtutes cœlestes placandas, & ad explicandam horum imaginem, hominem ordinavit, & hanc expositionem multi cabalistæ sequuntur, illi videlicet, qui de Bereshith, hoc est, de creatis tractant. Nam illi qui de mercana, hoc est, de tribunali Dei differentes per numeros, per figuras, per revolutiones, per symbolicas rationes omnia in ipsum referunt archetypum, hi anagogicum sensum scrutantur. Hi igitur sunt sex famosissimi sacrarum literarum sensus, quorum authores, expositores, & interpretes omnes communi vocabulo Theologi nuncupati sunt. Ejusmodi itaque ex nostris fuerunt Dionysius, Origenes, Polycarpus, Eusebius, Tertullianus, Irenæus, Nazianzenus, Chrysostomus, Athanasius, Basilius, Damascenus, Lactantius, Cyprianus, Hieronymus, Augustinus, Ambrosius, Gregorius, Ruffinus, Leo, Cassianus, Bernardus, Anselmus, & multi alii sancti Patres, quos illa prisca tempora protulerunt: nonnulli etiam posteriores, ut Thomas, Albertus, Bonaventura, Aegidius, Henricus Gandavensis, Gerson, & plerique alii: verum omnes hi interpretativi Theologi, homines cùm sint, humana quoq; patiuntur, alicubi errat, alicubi contraria aut pugnantia

gnantia scribunt, nonnunquam à se ipsis dissentiunt, in multis hallucinantur, nec omnes omnia vident. Solus enim Spiritus sanctus plenariam divinorum scientiam habet, qui distribuit omnibus secundum certam mensuram, multa sibi reservans, ut semper nos habeat sibi discipulos, omnes enim (ut ait Paulus) non nisi ex parte cognoscimus, & prophetamus. Tota igitur hæc interpretava Theologia in libertate Spiritus versatur, & separata quædam à Scriptura sapientia est, in qua unicuiq; juxta suum sensum abundare datum est, per multiplices illas quas recitavimus expositiones, quas Paulus unico vocabulo mysteria, sive mysteriorum locutiones vocat, ubi Spiritus loquitur mysteria. unde Dionysius hanc mysticam & significativam Theologiam vocat, e sanctis illis doctoribus ingentibus voluminibus tractatam. Neque verò illis per omnia credatis, nam multi illorum perseverarunt in multis erroneis opinionibus de fide, quę per Ecclesiam pro hæreticis reprobatę sunt. Sicut manifestum est de Papia Hieropolitano episcopo, de Victorino Pictavienſi, de Irenæo Lugdunensi, de beato Cypriano, de Origene, de Tertulliano, & multis aliis, quos constat in fide errasse, & opiniones illorum pro hæreticis damnatas, cùm tamen ipsi habeantur in canone sanctorum. Hîc tamen altiore opus est spiritu, qui dijudicet atque discernat, qui videlicet non ex hominibus, nec ex carne & sanguine, sed desuper datus sit à patre luminum: de Deo enim sine cujus lumine nemo ritè quicquam effari potest, lumen autem illud est verbum Dei, per quod omnia facta sunt, illuminans omnem hominem venientem in hunc mundum, dans illis potestatem filios Dei fieri, quotquot receperunt, & crediderunt ei: neque verò alius est qui possit enarrare quæ sunt Dei, nisi proprium ipsius verbum: quis enim alius cognovit sensum Domini? aut quis alius consiliarius factus est, nisi filius Dei verbum Patris? De hoc nunc mox dicturi sumus, si propheticam Theologiam priùs absolverimus.

De Theologia Prophetica.

Cap. XCIX.

Quemadmodum Prophetia est sermo Prophetarum, sic Theologia non est aliud, quàm traditio Theologorum, hoc est, cum Deo loquentium: neque enim qui Prophetiam aliquam memoraverit, sive interpretari noverit, is protinus Propheta est, sed ille, qui in divinis cum scientia pietatis, virtute ac sanctitate est præditus, qui cum Deo loquitur,

& in lege ejus meditatur die ac nocte: sic namque Ioannes author Apocalypsis, in literis Dionysii nominatus est Theologus, à divina scilicet locutione, quibus dixit ipsa veritas: qui vos audit me audit, & qui vos spernit me spernit: quod verbum non ad contentiosos Theosophistas dictum est, sed ad veros Theologos, ad Apostolos, ad Evangelistas ad nuncios verbi Dei, qui dicunt: non audeo aliquid loqui, quod per me non efficit Christus. Horum itaque Theologorum de fide, & pietate sanctæ traditiones, theologica sunt: horum dictis atq; scriptis creditur, tanquam fundatis, non in contentionibus syllogismorum, aut opinionibus hominum, sed in doctrina sana (ut ait Paulus) divinitus inspirata: non Philosophorum more dividendo, definiendo, componendo, speculando acquisita, sed essentiali quodam divinitatis contactu, per claram in ipso divino lumine visionem comprehensa: cujus visionis plures admodum species in sacra Scriptura deprehendimus, juxta Prophetarum diversas recipiendi dispositiones: nam quosdam legimus Deum sive Angelos in forma hominis vidisse, alios in forma ignis, alios in forma aëris ac venti, alios in forma fluvii & aquæ, alios in forma volucrum, alios in forma lapidum preciosorum & metallorum, alios in forma literarum ac characterum aut manus scribentis, alios in sonitu vocis, alios in somniis, alios in spiritu quodam habitante intra se, alios in energia intellectus: quocirca Scriptura sacra prophetas omnes videntes vocat. Sic legimus: Visio Isaiæ, visio Ieremiæ, visio Ezechielis, & reliquorum. Et in nova lege Ioannes ait: Fui in spiritu, in illa dominica die, in qua subvectus vidi thronum Dei. Et Paulus testatur, se vidisse quæ non licet homini loqui. atque hic intuitus à plerisque raptus vocatur sive extasis, sive mors spiritualis: fit enim tunc separatio quædam animæ à corpore, sed non corporis ab anima: De hac morte dictum est: Deum non videbit homo, & vivet. Et alibi: Preciosa in conspectu Domini mors sanctorum ejus. Et clarius adhuc per Apostolos expressa est, ubi ait: Mortui estis, & vita vestra abscondita est cum Christo. hac igitur morte mori oportet, quicunque ingredi cupit ad propheticæ Theologiæ penetralia. Hujus autem tam Deificæ visionis duplex est intuitus: Vnus quo videtur Deus facie ad faciem, atque tunc vident Prophetæ (quod ait Paulus) quæ non licet homini loqui, atque quæ nulla nec hominum nec angelorum lingua potens est exprimere, nec calamus referare. Fit siquidem quidam divinæ essentiæ contactus & unio, & sine omni imagine, & si-

& similitudine puri, & separati intellectus illustratio: ideoq; interpretantur hanc Theologi visionem meridionalem, sicuti de iis latè disserunt Augustinus super Genesim, & Origenes contra Celsum. Alter intuitus est, quo videntur posteriora Dei, quando videlicet claro intuitu intelliguntur creaturæ, quæ sunt creatoris posteriora & effectus, per quarum cognitionem cognoscitur creator opifex, & prima causa agens omnia, sicut ait Sapiens: A magnitudine speciei, & creaturæ. poterit cognosci eorum creator. Et Paulus de eodem inquit: Invisibilia Dei per ea, quæ facta sunt, intellecta cognoscuntur, quin & apud Peripateticos usitatus dicendi modus est, ut arguentes ab effectibus ad causas, dicantur arguere à posteriori. Vtraque hac visione fruebatur Moyses, testantibus id sacris literis. Nam de priore legimus, quia vidit Moyses Dominum facie ad faciem: de altera legimus illi dictum à Domino: Videbis posteriora mea. & juxta hanc posteriorum visionem condidit Moyses legem, & instituit sacrificia, & cæremonias, & ædificavit arcam, cæteraque mysteria ad ipsius universi exploratissimum exemplar, omniaque Dei hæc & naturæ operum secreta in illis complexus est. atque hæc visio rursus bifariam incedit: nam aut creaturas in ipso Deo intuetur, & vocatur à Theologis visio matutina, aut Deum ipsum conspicit in creaturis, & vocatur visio vespertina. Est præterea alia quædam prophetica visio, videlicet quæ in somniis fit, sicut legimus apud Matthæum, quia apparuit angelus Dei in somniis Ioseph: & alibi: quia Magi adorato Christo in somniis admoniti sunt, ut per aliam viam reverterentur in regionem suam: Sunt & in veteri Testamento multa illius exempla, qualis denique fit hæc visio, exponit ipse Iob, ubi dicit: In horrore visionis nocturnæ, quando cadit sopor super homines, & dormiunt in lectulo, tunc aperit aures, & erudiens instruit eos disciplina. Et hæc tanquam quarta visionum species, vocatur nocturna. Sunt adhuc alia duo prophetiæ genera, unum quod expressa voce recipitur, quo genere illustrati, & docti fuerunt Moyses in monte Sinai, Abraham, Iacob, Samuel, & plerique alii veteris legis prophetæ: in nova autem lege Apostoli & Christi discipuli omnes, viva & vera voce à Christo edocti fuerunt. Alterum genus prophetiæ fit agitatione spiritus, quando videlicet anima à numine aliquo correpta, illi tunc annexa, & ab animali homine abstracta, & ab eo sapienti & cognitione ultra humanum ingenium & vires repletur, quæ quidem correptio provenit, non solùm ab angelico numine, sed nonnun-

quam etiam à Spiritu Domini, ſicut legitur de Saul, quia inſiluit in eum Spiritus Domini & prophetavit, & mutatus eſt in virum alterum, & numeratus inter Prophetas. Et in Actis Apoſtol. Spiritus S. inſiluit in baptizatos in flamma ignis. atq; hic Spiritus ſæpè etiam corripit homines peccatis obnoxios. quin multi Gentilium vates, ut Caſſandra, Helenus, Chalchas, Amphiarens, Tireſia, Mopſus, Amphilochus, Polybius, Corinthus: Item Galanus Indus, Socrates, Diotima, Anaximander, Epimenides Cretenſis: Item Magi Perſarum & Aſiatici Brachmani: Aethiopum gymnoſophiſtæ & Memphitici vates: Gallorum Druides, & Sybillæ eo ipſo excelluerunt. Ad quam quidè Propheticam ſpiritus correptionem nonnunquam præviæ quædam cæremoniæ, & officii authoritas, ſacrorumq; communio plurimùm præſtant: ſicuti de Balaam exemplificat Scriptura. Et alibi de applicatione ephod, & Euangeliſta teſtatur de Caipha, quia prophetavit, cùm eſſet Pontifex anni illius. Atq; hinc Hebræorum Mecubales etiam prophetandi artificium commentari auſi ſunt. Transeo quæ circa iſta Hebræorum Theologi de triginta duabus ſemitis intelligentiæ profunda contemplatione tractant, & quæ Auguſt. de gradibus tetigit. Albertus de receptionibus formarum, quarum ille ſeptem modos refert in ſomniis, & totidem in vigilia apparitiones. De quibus unum hoc duntaxat admonemus conſiderandum: Nō ſemper divina numina prophetis forinſecus occurrere in conſpectum aut colloquium, ſed ſæpiſſimè illa intrinſecùs cauſari, cùm videlicet mens Prophetæ divinum lumen concipit, cujus illuſtratio effuſa radiis ſuis per ſingula media, usq; in hoc craſſum corpus, etiam ſenſus ipſos ſuæ felicitatis reddit participes, & ex intellecto per rationem & imaginationem, ac paſſim per totam animam usq; ad ſenſuum inſtrumenta intrinſecus progrediens, in illis evadit objectum ut nox, vel lumen, vel viſio, vel ſermo, unumquenq; ſenſuum propria ſua conditione movens: & id quidem multis Prophetis contigit, aliis quidem in vigiliis, aliis verò in ſomniis. Sic legimus apud Platonē & Proculum de Socrate, illum non ſolum intelligibili influxu, ſed etiam per vocem & colloquium inſpiratum fuiſſe: multò tamen facilius hæc in ſomniis proveniunt. ſed de hoc hactenus, quin ad propoſitum noſtrum revertamur. Eſt itaque prophetica theologia, quæ ex intuitiva inſpiratione inconcuſſum verbum Dei docet. Authoritas autem & argumenta quibus corroboratur illius veritas, non ſunt hominum placita non longi temporis uſus, non ſapientum excogitata commenta, non ſectarum magni-

magnifica decreta, non ſyllogiſmi, non enthymemata, non inductiones, non obligationes, non ſolubiles conſequentiæ, ſed divina oracula ſibi invicem conſonantia, in univerſa Eccleſia unanimi ac ſtabili conſenſu recepta, miraculis, prodigiis, portentis, & omnimoda ſanctitate vitæq; diſcrimine, ac ipſo effuſi ſanguinis teſtimonio probata: doctores autem hujus propheticæ theologiæ habemus Moyſen, Iob, David, Salomonem, & plerosq; alios vereris Teſtamenti canonicos ſcriptores & prophetas. Novi autem Teſtamenti doctores habemus Apoſtolos & Euangeliſtas, atq; verò hi omnes licet Spiritu ſancto repleti fuerint, omnes tamen alicubi veritate deſecerunt, & ſecundùm quid fuerunt mendaces, non quòd ſcienter, quòd aſtu aliquid mentiti ſint, hoc enim dicere perniciosiſſimum, Atque Arrii ac Sabellii hæreſibus major & periculoſior error eſt totius canonicæ ſcripturæ ſubvertens authoritatem, in quo tamen tam maximo errore fuit olim magnus ille ac ſanctus Hieronymus, de reprehenſione Petri diſputans adverſus Auguſtinum: dixerat enim Hieronymus, Paulum aſtu mentitum. Quod ſi conceſſum fuerit, & in ſacra Scriptura tale mendacium admiſſum fuerit, mox (ut ait Auguſtinus) tota ſacrarum literarum certitudo corrueret. Cui ſic monenti poſt plures contradictiones & erroris ſui defenſiones, tandem agnito errore, & cognita veritate ceſſit Hieronymus. Quòd ergo dico, ſacros ſcriptores ſecundùm quid alicubi fuiſſe mendaces, intelligi volo, non ſponte errantes, ſed aut humanitus lapſos, aut mutata Dei ſententia deficientes. Sic defecit Moyſes, qui pollicitus erat populo Iſrael, ut educeret eum de Aegypto, & introduceret in terram promiſſam, & eduxit quidem de Aegypto, ſed ad terram promiſſam non perduxit: defecit Ionas, Ninivitis cladem in quadrageſimum diem pronuncians, quæ tamen dilata eſt: defecit Helias, prædicens mala ventura diebus Achab, quæ etiam usque in obitum Achab dilata ſunt: defecit Eſaias, prædicens mortem Ezechiæ in craſtinum, quæ usque ad annos xv. prorogata eſt: defecerunt & alii Prophetæ, & ipſorum etiam vaticinia reperiuntur aliquando ſublata aut ſuſpenſa: defecerunt etiam Apoſtoli & Euangeliſtæ: defecit Petrus quando reprehenſus eſt à Paulo: defecit Matthæus quando ſcripſit Chriſtum nondum mortuum: dum lancea latus ejus aperuit. Verùm iſtic defectus, non eſt defectus Spiritus ſancti, ſed aut defectus prophetæ, non benè percipientis quid ſuggerat ſpiritus vel indicet viſio, aut ex aliqua mutatione

HARVARD LIBRARY OF THE MEDICINE

facta in iis, de quibus vaticinabatur, unde contingit oraculi sententiam aut mutari, aut differri. Hinc contingit omnes prophetas & scriptores in aliquibus videri mendaces juxta Scripturam dicentem: omnis homo mēdax. Solus autem Christus Deus & homo nunquam repertus est nec reperietur mendax, nec verba ejus mutabuntur aut deficient, qui solus expers mēdacii & erroris, oracula nunquam irritanda protulit, sicut ipse dixit: cælum & terra transibunt, verba autem mea non præteribunt: & quia omnis veritas est per Spiritum sanctum, solus Christus hunc Spiritum sanctum firmiter possidet, & nunquam dimittetur ab eo, sed requiescit in illo. Non sic est de aliis: nam venit Spiritus super Moysen, sed in percussione petræ ablatus fuit. Venit super Aaron, sed in peccato vituli recessit: Venit super Mariam sororem illorum, sed in murmuratione contra Moysen reliquit illam: Venit super Saulum, David, Salomonem, Esaiam, & reliquos sed non requievit in illis. Neque verò prophetæ semper sunt prophetæ sive videntes præcidentesque, neque habitus continuus est prophetia, sed donum, & passio, & spiritus transiens, & cùm nullus sit qui non peccet, nullus est à quo non recedat spiritus, aut ad tempus saltem relinquat, nisi à solo filio Dei Iesu Christo, de quo ideo dictum fuit ad Ioannem: super quem videris spiritum descendentem & manentem in eo, hic est filius Dei, qui baptizat in Spiritu sancto, potens illum etiam aliis impartiri. Vnde, quemadmodum ait Symonides: solus Deus habet hunc honorem, quòd sit metaphysicus: ita & nos verè dicere poterimus: Solus Christus habet hunc honorem, quòd sit Theologus. neque tamen propterea quis putet, veteris Testamenti scripturas post natum ex illis divino partu Christi Euangelium, idcirco tanquam effœtas & mortuas: vivunt enim semper summa in authoritate: ex illis Apostoli sua probârunt dogmata, & sine illarum testimonio loquuti sunt nihil, ad illas nos remittit ipse Christus scrutandas, cujus Euangelium scripturas illas non solvit, sed adimplevit usque ad minimum jota & apicem. Sed de hoc latius differemus inferius. Illud adhuc advertendum est etiam, ipsam sacram Scripturam multis voluminibus suis deficere, quod ex ea ipsa facilè convincitur. Nam Moyses citat libros bellorum domini, & Iosue librum Iustorum, Hester libros memorabilium, & Machabæorum liber citat libros sanctos de Spartiatis, & Paralipomenon commemorat libros lamentationum, libros Samuelis videntis, libros Nathan, Gad, Semeiæ, Haddo, Ahiæ Silonitis, & Iesu filii Hammoni

Hammoni prophetarum. Citat Iudas in Epistola canonica librum Henoch. Citatur à fide dignis liber Abrahæ patriarchæ, qui omnes periere & nusquam sunt. Iam verò & qui habentur in manibus, non omnes æqua lance recepti sunt. Nam Dionysius Euangelium Bartholomæi, & Hieronymus meminit Euāgelium secundum Nazareos, & Lucas in præfatione Euangelii sui plures ait Euangelium scribere aggressos, quæ omnia perierunt & amplius non sunt, & plura illorum, quia ab Hæreticis depravata sunt, aut incertis authoribus invulgata, nec à patribus recepta sunt, nec ab Ecclesia approbata. Taceo interim pseudoprophetas, qui subintroierunt propter vanam gloriam prophetantes, quæ Spiritus sanctus non suggessit, sed inaudita quædam mendacia, quæ non sunt de veritate scripturæ, nec ad unitatem spiritus, nec ad pacem Ecclesiæ, sectas introducunt, & quasi Dei consiliarios sese procaci temeritate constituentes, audent testamentum Domini assumere per os suum, & scribere vaticinia & euangelia, quæ omnia aut hæretica sunt, aut apocrypha, nec sacro canoni inserta, quemadmodum de Apostolorum canonibus manifestum est. Sed ipsa Salomonis cantica in sacro Hebræorum canone inserta non fuerunt, nisi prius castigata & comprobata ab Esaia propheta. Iam ex his facilè patet quomodo ipsa etiam vera theologia, sacra videlicet scriptura, multis voluminibus suis privata & quodammodo manca videri posset, ac pauci admodum ex multis veri ac certi supersit, qui tanquam libri vitæ sacrum canonem constituant.

De verbo Dei. CAP. C.

EN audistis modò quàm sint omnes disciplinæ ambiguæ, quàm bisulcatæ, quàm incertæ, quàm plenæ periculo, ut quantum ex ipsis est, nescire cogamur ubinam quiescat veritas, etiam in theologia, nisi sit, qui habeat clavem scientiæ & discretionis, (clausum enim est veritatis armarium, variisque obductum mysteriis, atque ipsis etiam sapientibus & sanctis præclusum) qua ad tantum, tam incomprehensum thesaurum nobis paretur ingressus. Clavis autem hæc sola est, nec quicquam aliud quàm verbum Dei, hoc solum discernit omnem vim speciemque verborum, & quis sermo ex arte sophistica veniat, non veritatem, sed ejus quandam præferens imaginem: & quis sermo veritatem non in specie & in fuco, sed in esse & ratione possideat, dijudicat, in ipso omnis ars malitiæ & mendaciorum superatur, neq; argumentationes, neq;

syllogismi, neq; ullæ sophismatum versutiæ contra ipsum stare possunt. Qui illi non acquiescit, vel ab illo dissentit, is, ut inquit Paulus, superbus est, nihil sciens. Igitur ad ipsum verbum Dei oportet nos omnes scientiarum disciplinas & opiniones, tanquam ad Lydium lapidem aurum examinare, atque in omnibus eo ceu ad solidissimam petram confugere, atque ex eo solo omnium rerum veritatem venari, ac de omnibus disciplinis, de omnium opinionibus & commentis judicare. Quodcunque enim, ut ait Gregorius, ab eo authoritatem non habet, eadem facilitate contemnitur, qua probatur: hujus autem verbi scientiam, nulla schola philosophorum, nec quorumcunq; scholasticorum gymnasia nobis tradidere, sed solus Deus atq; Iesus Christus per Spiritum sanctum in illis scripturis, quæ canonicæ vocantur, quibus juxta divinum præceptum nihil addere licet, nihilque detrahere. Quisquis enim etiam si angelus de cœlo id egerit, anathema est, & à lge domini maledictus est. Hujus scripturæ tanta majestas est, tanta energia, ut nulla externa commentaria, nullas humanas, nec angelicas glossas patiatur: nec tanquam cerea ad humanorum ingeniorum placita se flecti permittat, nec more humanarum fabularum in varios sensus se tanquam Proteus aliquis poëticus transformari, aut transfundi patiatur, sed sibi ipsi sufficiens, se ipsum exponit & interpretatur: & omnes judicans, à nullo judicatur. Major enim est ejus autoritas, ut ait Augustinus, quàm omnis humani ingenii perspicacitas, unum enim constantem, simplicem, & sanctum sensum habet, quo solo constat veritas, quo solo pugnatur & vincitur. Cæteri verò extra hunc sensus morales, mystici, cosmologici, typici, anagogici, tropologici, & allegorici, quibus plerique illam variis ac peregrinis coloribus depingunt, docere quidem nos & persuadere ad plebis ædificationem rectè, & verè aliqua possunt, verùm ad authoritatem verbi Dei confirmandum probare aliquid vel impugnare sive reprobare non possunt. Nam adducat quis in certamen horum aliquem sensum, citet etiam ejus quantumcunque gravem authorem, citet interpretem, citet glossam, citet expositionem quorumlibet sanctorum patrum, non ita nos adstringunt, quin liceat reluctari. Ex litera autem scripturæ, ex illius ductu & ordine vincula nectuntur, quæ nemo perrumpere, nemo evadere potest, quin omnes argumentationum machinas elidens ac dissipans, dicere ac fateri compellat, quin digitus Dei est, quin nunquam sic locutus est homo, quia non ut scribæ & pharisæi loquitur, sed ut potestatem habens. Ejus verò

verò authores divinitus inspirati canonem nobis saluberrima authoritate fecerunt, cujus ea magnificentia est, ut cuncta ei reddamus oportet, & quicquid pronunciaverit & docuerit, hoc absque ulla retractione firmum & sanctum teneatur. Sicut de hoc loquutus est Augustinus se solum eis libris, qui canonici appellantur, hunc honorem deferre, ut nullum scriptorum eorum erraſſe firmissimè credat. Cæteris autem quanta libet doctrina sanctitateque polleant, se nolle credere, nisi evidenti ratione ex divinis literis, quòd à vero non abhorreat, persuadeant. Ad has nos relegat Christus, docens ut scrutemur scripturas. Ex illis jubet nos Apostolus omnia probare, ut teneamus quæ bona sunt, atque probare spiritus utrum ex Deo sint, ac in illis potentem esse de omnibus rationem reddere, & contradicentes redarguere. & sic spirituales effecti, omnia dijudicemus, à nullo dijudicemur. Harum autem scripturarum (dico canonicarum) veritas & intelligentia à sola Dei revelantis authoritate dependet, quæ non ullo sensuum judicio, nulla ratione discurrente, nullo syllogismo demonstrante, nulla scientia, nulla speculatione, nulla contemplatione, nullis denique humanis viribus comprehendi potest, nisi sola fide in Iesum Christum, à Deo patre per Spiritum sanctum in animam nostram transfusa. Quæ tantò quidem superior est atque stabilior omni humanarum scientiarum credulitate, quantò Deus ipse hominibus est sublimior & verior, sed quid verior? Imò solus Deus verax, omnis homo mendax: omne igitur, quod ex hac veritate non est, error est, sicut quod ex fide non est, peccatum est. DEUS enim solus fontem veritatis continet, à quo haurire necesse est qui vera dogmata cupit, cùm nulla sit nec haberi possit de secretis naturæ, de substantiis separatis, deque ipsorum authore Deo scientia, nisi divinitùs revelata: divina enim humanis viribus non tanguntur, & naturalia quovis momento sensum effugiunt, quo fit ut quã nos de his scientiam putamus, is error sit & falsitas, quod ita Esaias improperat Chaldæorum Philosophis & sapientibus, ad eos dicens: Sapientia tua & scientia tua ea ipsa decepit te, defecisti in multitudine adinventionum tuarum. Cavet summa vigilantia Grammaticus, ne quid peccet in sermone, incultumque ac barbarum verbum proferat, vitæ autem sordes atque peccata interim cõtemnit: similitet & Poëta mavult vita claudicare, quàm carmine, & Historicus Regum & populorum gesta, temporumque series, literis & memoriæ mandat, propriæ vitæ nullam tenet rationem: & si teneat, nolit, pudetve confiteri.

fiteri. Rhetor plus horret orationis inelegantiam, quàm vitæ deformitatem. Dialecticus mavult manifestam veritatem abnegare, quàm ab adversario una syllogistica conclusiuncula discedere. Arithmetici & Geometræ omnia numerant, & metiuntur, animæ autem & vitæ numeros mensurasque negligunt. Musici quoque sonos atque cantus tractant, contemptis moribus, animiq; dissonantiis, cujusmodi Diogenes Sinopeus citabat, qui lyræ chordas ad harmoniam congruè aptitarent, animi autem mores inconcinnos & incompositos habuissent. Lustrant cælos & sydera Astrologi, & quid venturum sit in mundo, prædivinantur alii: quæ autem sibiipsis quotidiè præsentia imminent, non attendunt. Cosmimetræ notitiam dant terrarum, formas montium, cursus fluminum, limites provinciarum: cæterum neq; meliorem hominem faciunt, neque saniorem. Philosophi rerum causas & principia magna jactantia investigant, ipsum autem Deum omnium creatorem negligunt, & ignorant. Inter principes & magistratus nulla est pax, & alter in alterius exitium ducitur levi compendio. Curant ægrotorum corpora Medici, & proprias negligunt animas. Iuristæ humanarum legum observantissimi, divina præcepta transgrediuntur, quo circa Proverbio cessit: Nec Medicum benè vivere, nec Iuristam benè mori: quòd Medici genus hominum sint intemperantissimum, Iuristæ autem omnium qui vivunt nequissimi, atque, quod continuè videmus, & unus illorum non infimæ famæ Baldus juris interpres testatur, subitanea morte frequenter extinguuntur. Theologi autem Dei mandata, sacraque dogmata nobis clamando prædicant, vivendo autem longè desituunt, maluntque Dei cognitores videri, quàm esse amatores. Nunc igitur qui cætera novit omnia rectè loqui & scribere, carminisque vires, sæculorum vices, argumentandi rationes, orationisque ornatus, rhetoricosque colores, & multarum rerum memoriam teneat, numerorum proportiones atque sortes, vocum omnium harmoniam, saltationumque modos, quantitatum omnium mensuras, radiorum omnium inflexus, atque reflexus, terræ maris que situs, ac magnitudines ædificiorum omnium, machinarumq; varias structuras, bellorum certamina, arvorum cultus, animalium capturas, pastiones & ingluvina, & omnem speciem rusticationis, omnem mechanicarum artium, & opificum industriam, picturam, statuariam, fusoriam, fabrilem, institoriam, & navigatoriam, astrorum cursus atque in hæc inferiora influxus, fatorumque inge-

ingeniosas prædictiones, & quæcunque futurorum occultorumque divinacula, & inexpugnabilia magicarum artium portenta, & plusquam magica, cabalistica, arcana, rerumque omnium naturalium causas, transcendentiumque altissimas sedes & naturas, morum censuras, Reipublicæ varias administrationes, domestecasque disciplinas, remedia morborum, medicaminum vires, illorumque agnitionem & mixtiones, obsoniorumque latissimos apparatus, vertere rerum species & ex omnibus elicere mundi spiritum: Sciat etiam utraque jura advocationumque forenses tragœdias, & sanctorum Patrum pias de divinis traditiones, is inquam, qui hæc & si qua reliqua sunt omnia norit, tamen nihil scit, nisi sciat voluntatem verbi Dei, & fecerit illam: qui omnia didicit, & hoc non didicit, frustrà didicit, frustra scit omnia. In divino verbo via, in illo norma est, in illo meta est, quò tendere oportet qui nolit errare & veritatem attingere, omnes reliquæ scientiæ tempori & oblivioni subjectæ sunt, quin non solum hæ scientiæ & artes, sed hæ literæ, & characteres, & linguæ, quibus utimur, peribunt, & resurgent aliæ, & fortasse jam sæpius extinctæ fuerunt, & sæpius iterum resurrexerunt. Neq; ipsa ortographiæ ratio semper eadem fuit, nec similis apud omnes, vel eodem sæculo: & Latinæ linguæ genuina pronunciatio hodie nùsquam est: prisci Hebræorum characteres perierunt, & non est eorum memoria, sed quos novos adinvenit Esdras: & lingua eorum à Chaldæis corrupta, quod omnibus ferè linguis contigit, ut nulla hodie sit, quæ suam antiquitatem agnoscat, vel intelligat, subnascentibus vicissim novis vocabulis, dejectisq; veteribus, illisq; porrò rursum restitutis: adeò nihil stabile, nihil diuturnum. Denique Terentiana sententia est, nihil esse jam dictum, quod non sit dictum prius, ita fortè nec factum, quod non sit factum prius, quin & bombardam, cujus recens Germanorum inventum putant ferè omnes, nonnulli (inter quos est Volaterranus) prisco ævo usitatam fuisse, vel ex Virgilii versiculis convincere volunt:

Vidi & crudeles dantem Salmonea pœnas,
Dum flammas Iovis, & sonitus imitatur Olympi.
Quatuor hic invectus equis, & lampada quassans
Per Graium populos, mediæq; per Elidis urbem
Ibat ovans, divumq; sibi poscebat honorem
Demens, qui nimbos, & non imitabile fulmen
Aere & quadrupedum cursu simularet equorum.

Nónne de hoc locutus est Eccles. inquiens: Quid est, quod fuit

IAS OBLIBOTECA QVIMPERIALIS MONACENSIS

fuit ipsum quod factum est? Ipsum quod faciendum est? Nihil sub Sole novum, nec valet quisquam dicere: Ecce hoc recens est, jam enim præcessit in sæculis, quæ fuerunt ante nos, non est priorum memoria, sed nec eorum, quæ postea futura sunt, erit recordatio apud eos, qui futuri sunt in novissimo. Et paulò inferius ait: Moritur doctus simul & indoctus, quid ergò hîc dicemus? nisi quia omnes scientiæ & artes oblivioni & morti subjiciuntur, nec perpetuò manebunt in anima, sed unà cum morte transibunt in mortem, dicente Christo: Quia omnis plantatio quam non plantavit pater cælestis, eradicabitur, & in ignem æternum mittetur, tantum abest ut scientia conducat immortalitati, solum autem verbum Dei manet in æternum. Cujus quidem cognitio nobis tam necessaria est ut qui contempserit, qui neglexerit, qui non audierit (teste ipsomet verbo in Scripturis sacris) inducet super illum Deus maledictionem, & perditionem, & judicium æternum. Non est ergo, ut putetis ipsum ad solos Theologos pertinere, sed ad omnem hominem, omnes ad ejus cognitionem pro data sibi capacitatis gratia obligari, & ab illo ne festucam discendendum. Hinc in veteri lege præcipitur: Erunt verba hæc in corde tuo, cunctis diebus vitæ tuæ, & narrabis, & mandabis ea filiis tuis, & nepotibus custodire & facere ea, meditaberis ea, sedens in domo tua, & ambulans in itinere, dormiens ac consurgens, & ligabis ea tanquam signum in manu tua, eruntque & movebuntur inter oculos tuos, scribesque ea in limine, & ostiis domus tuæ. Sic Iosue legit omnia verba, & cuncta quæ scripta fuerant in legis volumine, coram omni multitudine, mulieribus & parvulis, & advenis. Et Esdras attulit librum legis coram omni multitudine virorum & mulierum, cunctisque qui poterant intelligere, & legit in eo aperte in platea. Et Christus jubet Evangelium suum prædicari omni creaturæ, per universum orbem terrarum, idque non in tenebris, non in aurem, non clancularie, non in cubiculis, non ad aliquos segregatos magistros & scribas, sed palàm, in lumine, super tecta, ad populum, ad turbas. Sic enim ait ad Apostolos: Quod vobis dico, omnibus dico, quod dico vobis in tenebris, dicite in lumine, & quod in aurem auditis, prædicate super tecta. Et Petrus in Actis ait: Præcepit nobis prædicare populo. Et Paulus jubet educari pueros in institutione, & admonitione Christi, quin ipse Christus increpavit discipulos, prohibentes parvulos ad illum accedere, & quorum simplicitatem, & humilitatem, ut nullis pravis opinionibus præventum, nec ullis humanis

humanis scientiis inflatum habentes animum, divinorum verborum auditori adeò necessariam esse docet, ut nisi quis sicut parvulus effectus sit, omnino ineptus sit regno DEI. Hinc Chrysostomus in quadam Homilia vult, pueros præcipuè divinis literis occupari debere, quin etiam domi, atque privatim viros, cum uxoribus & liberis invicem de sacris literis disputare: ac ultrò citroque, & ferre, & inquirere sententiam. Et Nicena Synodus decretis suis cavit, ne quis è numero Christianorum sacris Bibliorum libris careret. Scitote ergo nunc nihil esse in sacris literis tam arduum, tam profundum, tam difficile, tam absconditum, tam sanctum, quod ad omnes Christi fideles non pertineat: quin tota ipsa Theologia omnibus fidelibus communis esse debet, unicuique autem secundùm capacitatem & mensuram donationis Spiritus sancti. Boni itaque doctoris est, unicuique secundùm id quod confert, quantum capere potest, distribuere, illi quidem in lacte, alteri autem in solido cibo, neminem necessariæ veritatis pastu defraudare.

De Scientiarum Magistris, CAP. CI.

TAndem ut me aliquando recolligam, audistis ex his, quæ ab initio hucusque dicta sunt, nihil aliud esse scientias & artes, quàm hominum traditiones, à nobis bona in illos credulitate receptas, easque omnes constare non nisi ex rebus dubiis & opiniombus, per apparentes demonstrationes: essèque omnes non tam incertas, quàm fallaces, quàm simul etiam impias: quocirca credere omnino impium est, illas posse nobis aliquam divinitatis adferre beatitudinem. Gentium hæc olim superstitio erat, qui rerũ inventores, & quos scientia, vel arte aliqua præstare reliquis intuebantur, eos divinis honoribus venerabantur, atque in deorum suorum referebant numerum, templa, aras, & simulacra illis dedicantes, & sub variis imaginibus eos colentes, Quemadmodum Vulcanus apud Aegyptios, cùm esset primus Philosophus, & naturæ principia in ignem referret, ipse deinceps pro igne cultus est: & Aesculapius (ut ait Celsus) quia rudem adhuc medicinam paulò subtiliùs exercuisset, in deorum numerum ob id receptus est. Atque hæc est illa, nec ulla alia scientiarum deificatio, quam antiquus ille serpens, hujusmodi deorum artifex, primis parentibus pollicebatur, inquiens: Eritis sicut dii, scientes bonum & malum. In hoc serpente glorietur, qui gloriatus

IN CURIA EPISCOPALI OHYM. MDCCXXIII

riatur in scientia. Nemo siquidem possidere poterit [illegible]riam, nisi favore serpentis, cujus dogmata non n[illegible]si [illegible], & finis semper malus est, ut etiam [illegible]apud vul[illegible]orum cesserit: Omnes scientes insanire. cui adstipu[illegible]ristoteles dicens: Nullam magnam esse scientiam absq[illegible]mixtam dementiæ. Ipseque Augustinus testatur, multos [illegible]debderio amisisse sensum. Nulla res Christianæ religioni atq[illegible]tam repugnat, quàm scientia, minusq; se invicem comparantur. Scimus enim ex Ecclesiasticis historiis, etiam experientia ipsa edocti, quomodo invalescente fide Christi, ceciderint scientiæ, ita quod maxima, & potior earum pars penitùs perierit. nam magicæ illæ potentissimæ artes sic abierunt, ut ne vestigia supersint. è tot Philosophorum sectis vix una restitit Peripatetica, nec ea quidem integra. Neque verò unquam melius habuit, securiusque quievit Ecclesia, quàm dum scientiæ illæ omnes in arctum deductæ erant, cùm Grammatica non esset, nisi apud unum Alexandrum Gallum, Dialecticæ præesset Petrus Hispanus, Rhetoricæ sufficeret Laurentius Aquilegius, historiis fasciculus temporum satisfaceret, pro Mathematicis disciplinis Computus Ecclesiasticus, reliquis omnibus unus satis esset Isidorus. Nunc verò ubi linguarum peritia, dicendi ornatus, & authorum numerus reviviscunt, invalescuntque scientiæ, turbatur Ecclesiæ tranquillitas, & novæ insurgunt hereses. Neq; verò est ullum hominum genus susciendæ Christianæ doctrinæ minus idoneum, quàm qui scientiarum opinionibus mentem jam imbutam habent. Hi enim tam pertinaces & obstinati in suis opinionibus sunt, ut Spiritui sancto nullum locum relinquant, ac propriis viribus proprioque ingenio sic innituntur atque confidunt, ut nulli veritati cedant nec admittant, nisi quam syllogisticis rationibus possunt ostendere quæ autem propriis viribus & industria investigare, aut intelligere nequeunt, rident atque aspernantur. Ideoq; Christus abscondit hanc à sapientibus & prudentibus, & revelat eam parvulis, qui videlicet sunt pauperes spiritu, nullos scientiarum thesauros possidentes, qui sunt mundi corde, nullis scientiarū opinionibus inquinati, qui sunt pacifici, non sectatores, non contentiosi, nec rixosis syllogismis veritatem expugnantes, & qui persecutionem patiuntur propter veritatem & justitiam. Sic Athenis olim Socrates veneno sublatus, Anaxagoras ultimo supplicio adjudicatus, Diagoras capitis libello accusatus, sed ille instantem necem celeri fuga evasit. Inter Hebræorum etiam Prophetas, Esaias in partes dissectus, Hieremias lapidibus ob-

bus obrutus, Ezechias cæsus, Daniel ad bestias damnat[illegible], Amos fuste occisus, Micheas in præcipitium datus, Zacharias apud aram trucidatus, Helias ab Iezabele persecutus, quæ & ipsa plurimos occidit Prophetas: Quin & sanctus ille Patriarcha Abraham in Chaldaicam fornacem projectus: Sic & Christi Apostoli, infinitique martyres divinitatis Christi testes multiplicibus tormentis occisi sunt. Omnes autem isti non alia ex causa, quàm quòd isti sanctius de Deo sentirent, quàm isti mundi sapientes. Ecce hi qui sic in paupertate spiritus, puritate cordis, & pace conscientiæ parvuli, & humiles sunt, parati etiam sanguinem pro veritate effundere, hi inquam sunt quibus solis datur illa vera & deificans sapientia, quæ nos in deorum beatorum choros refert, ac in similes beatos deos transformat. Sicut hæc nos clarè docet Christus, inquiens: Beati pauperes spiritu, quoniam eorum est regnum Dei. Beati mundi corde, quoniam ipsi Deum videbunt. Beati pacifici, quoniam filii Dei vocabuntur. Beati qui persecutionem patiuntur propter justitiam, quoniam ipsorum est regnum cœlorum. Melius est ergo & utilius idiotas, & nihil omninò scientes existere, & per fidem, & per charitatem credere, & proximum fieri Deo, quàm per subtilitates scientiarum elatos & superbientes cadere in possessionem serpentis. Sic legimus in Evangeliis, quomodo Christus ab idiotis, à rudi plebecula, & simplici populorum turba susceptus est, qui à principibus sacerdotum, à legisperitis, à scribis, à Magistris & Rabbinis respuebatur, condemnabatur, & ad mortem usque persecutus est: hinc & Christus ipse Apostolos suos non Rabbinos, non scribas, non magistros, nec sacerdotes elegit, sed è rudi vulgo idiotas, omnis literaturæ expertes, inscios & asinos.

Ad Encomium asini Digressio. CAP. CII.

SED ne quis me calumnietur, quòd Apostolos vocârim asinos, ipsius asini mysteria paululum quidem, sed non extra propositum digredientes, paucis explicabimus. Hunc enim Hebræorum doctores fortitudinis ac roboris excelsi, patientiæque & clementiæ symbolum esse exponunt, ejusque influxum à sephiroth, quod hochma, hoc est, sapientia dicitur, dependere. Ejus namque conditiones sapientiæ discipulo necessariæ maximè sunt: vivit enim exiguo pabulo, eoque qualicunque contentus, tolerantissimus penuriæ, famis, laboris, plagarum, negligentiæ, omnisq; persecutionis patientissimus, simplicissimi ac pauperrimi spiritus, ut ne inter lactucas &

carduos discernere sciat : corde innocenti ac mundo, ac bile carens, cum omnibus animantibus pacem habens, omnibusq; oneribus patienter dorsum supponens, in quorum remunerationem caret pediculis, rarò morbis afficitur, tardiusq; quàm usum armentum deficit. Plurima, inquit Columella, & necessaria opera supra portionem respondent, cùm & facilem terram aratro proscindat, & non minimo pondere vehicula trahat. Iam verò molarum & conficiendi frumenti penè solennis est hujus pecoris labor, omne rus tam necessarium instrumentum desiderat asellum, qui pleraque utensilia & vehere in urbem, & reportare collo vel dorso commodè potest. In augurio etiam quàm salutaris nuncius sit asinus, testatur Valerius de C. Mario, qui olim Austri & Aquilonis domitor, tandem patriæ hostis declaratus, & à Sylla persequutus, consultore ac duce asino Syllæ minas evasit, asinum authorem fugæ & salutis habuit. Iamq; etiam in veteri lege sic asinum Deus ipse honoravit, ut cùm juberet omne primogenitum occidi in sacrificium, solis asinis cum hominibus pepercit, videlicet permittens hominem precio redimi, & pro asino ovem commutari : hunc, quæ constans fama est, Christus suæ nativitatis testem esse voluit, in hoc è manibus Herodis salvari voluit, atque ipse asinus etiam contactu corporis Christi consecratus, crucisq; signaculo insignitus : nam Christus ipse pro redemptione humani generis triumphaturus ascendens in Hierusalem, testibus Evangelistis, hunc vectorem conscendit, sicut magno mysterio per Zachariæ oraculum prædictu fuit : & ipse electorum pater Abraham asinis tantùm equitasse legitur, ut non inane sit illud apud vulgus vetus Proverbium, quo dicitur, Asinum portare mysteria. Quo nunc ego vos egregios illos scientiarum professores, quinimo Cumanos asinos admonitos volo, quod nisi humanarum scientiarum depositis sarcinis, ac leonina illa (non quidem à leone illo de tribu Iuda, sed ab illo, qui circuit rugiens & quærens quem devoret) mutuata pelle exuta, in nudos & puros asinos redieritis, esse vos portandis divinæ sapientiæ mysteriis omnino penitusq; inutiles : neq; verò Apulejus ille Megarensis ad Isidis sacra mysteria unquam admissus fuisset, ni prius è Philosopho versus fuisset in asinum. Legimus diversorum animantium miracula elephantem Græcos pinxisse characteres, eundem etiam Aristophani Grammatico rivalem Stephanopolidem puellam adamasse tradit Plutarchus : quin & draconem adamasse puellam Aetholidem apud eundem authorem legimus :

mus : eundem etiam suum servasse nutritium, & ad agnitam vocem accurrisse à multis creditum est. Et apud Plinium legimus, aspidem ad mensam cujusdam quotidie venire solitam, cùm sensisset ab uno catulorum suorum hospitis filium interemptum, in violati hospitii pœnam necem intulisse catulo, nec posteà præ pudore in tectum id reversam. Recenset idem pantheram ob eductos à foveo catulos retulisse homini gratias, & extra solitudines eductum in viam publicam restituisse. Iam verò & Cyrum à cane, & Romanæ urbis conditores à lupa nutritos, cùm essent expositi, celebratum est. Transeo delphinorum miracula, & leonum agnita beneficia, relatasq; gratias. Taceo ursam Dauniam, ac bovem Tarentinum à Pythagora mansuefactos, horumque similia permulta : sed quod omnium prodigiorum vincit admirationem, Ammonius Alexandrinus, summus suo tempore Philosophus, D. Origenis & Porphyrii præceptor, asinum sapientiæ auditorem illis condiscipulum habuisse legitur : quin etiã ex sacra bibliorum historia scimus asinum aliquãdo prophetico spiritu donatum. nam cùm Balaam vir sciens & propheta exiret, ut malediceret populo Israël, angelum Domini non vidit, vidit autem asinus, & humana voce ad sessorem Balaam locutus est. Sic inquam sæpissimè videt simplex & rudis idiota, quæ videre non potest depravatus humanis scientiis scholasticus doctor. Nonne Sampson in maxilla asini, in mandibula pulli asinarum percussit & delevit viros Philistæorum? sitiensque rogavit Dominum, qui aperuit molarem dentem in maxilla asini, & egressæ sunt aquæ vivæ, quibus hausti refocillati sunt spiritus & vires ejus? Nónne Christus in bucca asinorum suorum simplicium & rudium idiotarum Apostolorum & discipulorum suorum vicit & percussit omnes philosophos gentium & legisperitos Iudæorum, omnemque humanam sapientiam prostravit atq; confecit, propinans nobis ex illorum suorum asinorum maxilla aquas vitæ & sapientiæ æternæ? Iam verò in Ecclesiasticis historiis & sanctorum gestis varia & multa legimus illorum precibus in diversa animalia collata divino munere beneficia : verùm nullum unquam animal à mortuis suscitatum legimus, præter asinum illum, quem B. Germanus Britonum Episcopus in vitam revocavit, quo insigni miraculo ostensum videtur, asinum ipsum etiam post hanc vitam participare immortalitatis. Ex iis igitur, quæ jam dicta sunt, sole clarius liquet, nullum animal tam esse divis

nitatis capax, quàm asinum, in quem nisi versi fueritis, divina mysteria portare non poteritis. Proprium id olim apud Romanos Christianorum nomen erat, ut vocarentur asinarii, ipsamque Christi imaginem asininis auribus pingere solebant: testis horum est Tertullianus: quocirca jam non indignentur, nec sibi opprobrio dari putent nostri Pontifices & Abbates, si apud istos scientiarum giganteos elephantes asini sint atque vocentur, nec miretur Christianum vulgus, si apud istos Ecclesiarum præfectos, & sacrorum nostrorum mystas, quò quisque doctior est, tantò inter reliquos siat paucioris: non enim faciunt ad asinorum aures lusciniarum cantus & moduli, atque nec asinorum insuavem & minimè musicum rugitum ad lyram consonare in proverbio est, atque tamen ex asinorum ossibus exempta medulla omnium optimæ fiunt tibiæ, quæ spiritu inflatæ, sicut omnium avium eloquentissimam canoritatem, aut cujusque lyræ aut cytharæ elegantissimos sonos longissimè superant atque vincunt, ita religiosi isti idiotæ suo asinino clangore omnes loquacissimos sophistas superant atque percellunt. Sic legimus nonnullos gentilium philosophos ad Antonium visendum venisse differendi gratia, & brevi sermone abs eo captos, cum rubore & verecundia abscessisse. Legimus etiam simplicem & idiotam hominem quendam in literis exercitatissimum ac versatissimum hæreticum paucis verbis deviciisse, ac reduxisse ad fidem, quem doctissimi viri & episcopi, qui ad Nicænum concilium convenerunt, diuturna & anxia admodum disputatione non poterant superare: interrogatus autem postea ab amicis, quomodo idiotæ cessisset, qui tantis restitisset doctissimis episcopis, respondit se episcopis facilè pro verbis verba dedisse: huic autem idiotæ, qui non ex humana sapientia, sed ex spiritu loquebatur, resistere nequivisse.

Operis peroratio.

VOs igitur nunc ô asini, qui jam pro vestris filiis sub jugalibus jussione Christi per ejus Apostolos veræ sapientiæ nũcios prælectoresque in sancto ejus Evangelio soluti estis à caligine carnis & sanguinis, si divinam hanc & veram, non ligni scientiæ boni & mali, sed ligni vitæ sapientiam assequi cupitis, projectis humanis scientiis, omnique carnis & sanguinis indagine atque discursu, qualescunque illę sint, sive in sermonum rationibus, sive in causarum perscrutationibus sive in operum & effectuum meditationibus vagentur, jam non in scholis

scholis philosophorum & gymnasiis sophistarum, sed egressi in vosmetipsos cognoscetis omnia: concreata est enim vobis omnium rerum notio, quod (ut fatentur Academici) ita sacræ literæ attestantur, quia creavit Deus omnia valdè bona, in optimo videlicet gradu, in quo consistere possent: is igitur sicut creavit arbores plenas fructibus, sic & animas ceu rationales arbores creavit plenas formis & cognitionibus, sed per peccatum primi parentis velata sunt omnia, intravitque oblivio materignorantiæ. Amovete ergo nunc, qui potestis, velamen intellectus vestri, qui ignorantiæ tenebris involuti estis, evomite lethæum poculum, qui vosmetipsos oblivione inebriastis, evigilate ad verum lumen, qui irrationabili somno demulcti estis, & mox revelata facie transcendetis de claritate in claritatem: uncti enim estis à sancto (ut ait Ioannes) & nostis omnia & iterum: non necesse habetis, ut aliquis vos doceat, quia unctio ejus docet vos de omnibus: Ipse enim solus est, qui dat os & sapientiam. David, Esaias, Ezechiel, Hieremias, Daniel, Ioannes Baptista, multique cæteri Prophetæ & Apostoli literas non didicere, sed ex pastoribus, rusticis & idiotis effecti sunt rerum omnium doctissimi: Salomon in unius noctis somnio omnium superiorum & inferiorum sapientia repletus est, simulatque rerum gerendarum prudentia, adeò ut nullus ei par extiterit. Et omnes hi homines fuerunt mortales, sicuti & vos estis. quin & peccatores. Dicetis forsan paucissimis admodum hæc contigisse. Et pauci quos æquus amavit Iuppiter: aut ardens evexit ad æthera virtus, Diis geniti potuere. Sed nolite desperare, non est abbrevitata manus Domini omnibus invocantibus eum, qui illi fidele præstant obsequium. Antonius, & barbarus ille servus Christianus, triduanis precibus plenariam dominorum notitiam (quod testatur Augustinus) consecuti sunt. Qui autem non potestis cum prophetis & Apostolis & sanctis illis viris claro & revelato intellectu ea intueri, procuretis intellectum ab his, qui verò intuitu ea conspexerunt, hæc via quærenda superest (sicut ait Hieronymus ad Rufinum) ut quod Prophetis & Apostolis spiritus suggessit, vobis studio literarum quærendum sit, earum inquam literarum, quæ divinis oraculis traditæ, & ab Ecclesia unanimi consensu receptæ sunt, non quæ humanis ingeniis excogitatæ sunt, quia non hæ illustrant intellectum, sed obtenebrescere faciunt. Igitur ad Moysen, ad Prophetas, ad Salomonem, ad Evangelistas, ad Apostolos recurrendum est, qui omnimoda doctrina, sapientia, moribus, linguis, vatici-

niis, oraculis, prodigiis, & sanctitate coruscantes, de divinis ex ipso, de inferioribus autem supra homines locuti sunt omnia Dei. & naturæ secreta nobis clara luce tradiderunt. Omnia enim Dei & naturæ secreta, omnis morũ & legum ratio, omnis præteritorum, præsentium & futurorum notitia, in ipsis sacris Bibliorum eloquiis traduntur. Quò ergo præcipites ruitis vos, qui quæritis scientiam ab illis, qui ipsi in inquirendo omnem ætatem suam consumpserunt, & tempus & industriam perdiderunt, nec ullam veritatem invenire potuerunt? O stulti & impii, qui posthabentes dona spiritus sancti, laboratis, ut à perfidis philosophis, & errorum magistris discatis ea, quæ a Christo & Spiritu sancto suscipere deberetis. An putabitis vos posse ex Socratis ignorantia haurire scientiam? ex Anaxagoræ tenebris lucem? ex Democriti puteo virtutem? ex Empedoclis insania prudentiam? Ex Diogenis dolio pietatem? Ex Carneadis Archesilai stupore sensum? eximpio Aristotele, & perfido Averroe sapientiam? ex Platonicorum superstitione fidem? erratis admodum valdè, & decipiemini ab his, qui fuerunt decepti. Sed revocate vosmetipsos qui veritatis cupidi estis, discedite ab humanarum traditionum nebulis, adsciscite verum lumen. vox ecce de cœlo, vox de sursum docens, & sole clarius ostendens, quod vobis iniqui estis, & sapientiam suscipere cunctamini, Audite oraculum Baruc: Deus inquit est, & non existimabitur alius ad illum. hic adinvenit omnem viam disciplinæ, & tradidit eam Iacob puero suo, & Israël dilecto suo, dans legem & præcepta, atque ordinans sacrificia: post hæc in terris visus est, & cum hominibus conversatus est, videlicet factus caro, & aperto ore docens, quæ in lege, & prophetis ænigmatice tradiderat. Et ne putetis ad divina duntaxat, & non etiam ad naturalia hæc referri, audite quid de seipso testatur Sapiens: ipse inquit, mihi dedit eorum, quæ sunt, scientiam veram, ut sciam dispositiones orbis terrarum & virtutes elementorum, initium, consummationem, medietatem, & vicissitudines temporum, anni cursus, stellarum dispositiones, naturas animalium, iram bestiarum, vim ventorum, cogitationes hominum, differentias virgultorum, virtutes radicum, & quæcunq; sunt abscondita & improvisa didici: omnium enim artifex docuit me sapientiam. Indeficiens enim est divina scientia, cui nihil elabitur, nihil accedit sed comprehendit omnia. Scitote ergo nunc, quia non multo labore istic opus est, sed fide & oratione: non longi temporis studio, sed humilitate spiritus, & munditia cordis: non librorum multorum sumptuosa suppellectile, sed expurga-

expurgato intellectu, & veritati veluti clavis cum cera coaptato: nam librorum turba onerat discentem, non instruit, & qui multos sequitur authores, errat cum multis. In uno sacrorum Bibliorum volumine omnia continentur, & traduntur: ea autem lege, ut non nisi ab illustratis percipiantur, cæteris sint parabolæ & ænigmata, multisque signaculis præclusa. Orate igitur ad Dominum Deum in fide, nihil hæsitantes, ut veniat agnus de tribu Iuda, ac librum vobis aperiat signatum, qui agnus solus est sanctus & verus, qui solus habet clavem scientiæ, & discretionis, qui aperit, & nemo claudit, qui claudit & potest aperire. Hic est Iesus Christus, verbum, & filius Dei patris, & sapientia Deificans, verus magister, factus homo sicut sumus nos, uti nos perficere filios Dei, sicut est ipse, qui est benedictus in omnia sæcula. Sed ne diutius sermocinando ultrà clepsydram, ut dicitur, declamem, hic orationis nostræ finis esto.

Q 4

EPIGRAMMA AD DOMINUM AGRIPPAM, DE INCERTITUDINE ET VANITATE

scientiarum & artium, atque excellentia verbi Dei declamatorem, quin potius *artemasticem, benigna sub interpretatione accipiendum * circa injuriam aut invidiam aut invectivam longe absentem, simulq, alienam Buscono, *veritatis alumno.

* Artemasticem *novum vocabulum à Buscono, ex Latino & Græco compositum, nusquam apud cæteros Poëtas aut Grammaticos repertum: quia miserrimi ingenii esset semper uti inventis & ex seipso non invenire nova vocabula.*

* Citra injuriam *color est Rhetoricus, quo negat se facere, quod maxime facit, vocans me Ardelionem, insuper periurij & tergiversationis à verbo Dei insimulans.*

* Veritatis alumno, *Si veritatis alumnus esset Busconus, non tã insigni mulcta punitus fuisset in iudicio apud Bruxellas damnatus de commisso crimine falsi.*

CLara sub Agrippa* probantur dogmata vafro,
Et sua sulcat aquas scriptio stultiferans.
Censor enim rigidus nulli qui parcit honori,
Papa redarguitur, Cęsar & omne bonum.
Quos fert *erratus titulus bene * tutat eosdem
Declamans, vario fingere cuique licet.

* probantur, *pro exprobrantur, per figuram quæ dicitur ignorantia poëtica.*

* Erratus, *pro erratæ per locum ab auctoritate, quia sic loquutus est Reverendus pater, Frater Magister noster & Magister hæreticorum*

Fallere cuiq; nefas cur scribere quilibet audet
Audax est verbi copia vanitoni.
Probrifer est titulus * scitum qui * vanat amandum.
Eminet insigni certius arte nihil.
Ars haud sit damnãs, multus licet artis abusus
Fit nitidæ vivens crimine nemo caret.
Præsignis * bellã denigras quamlibet author
Artem, scis qui sis, amplus es ardelio.
Nam noscis, nescis, rides, fles omnia carpis.
Sic proprio ecce tuus codice versus habet.
Sis gemini Doctor juris gravitatis amicus.
At * juramenti quæso memento tui.
Quisq; tuum laudat librũ quod verba tonantis
Celsa Dei præfert quem decus omne decet.
Illa profecto vigent cedrinis digna tabellis.
Æternisq; tuæ messibus historiæ.

rum Iac. Hochstratus in libro suo contra Cabalam.

* Tutat, *Poëtice & Busconice: nam vulgus Grammaticorum dicit tutatur aut tuetur.*

* Scitum, *pro scientia, novus lepos: & sicut pueri in scholis dicunt comestum pro cibum meum.*

* Vanat, *novum verbum, & Buscono dignum. Sed admonitus pro illo postea supposuit. Pungit.*

* Bellam artem, *Venusta & rosea elegantia in carmine tam spinoso.*

* Amplus ardelio *appositum epithetum, quemadmodum dicitur. Amplissime pater.*

* Iuramenti, *Non intelligitur de iuramento præstito in baptismo, quo renuntiatur Satanæ & artibus eius. Sed de extorto in scholis, quo iuratur in verba magistri.*

НАУКОВА БІБЛІОТЕКА ОНУ ім. І.І. МЕЧНИКОВА

Quas reprobas artes, aulam complecteris ipsam.
Verba Dei laudas more negata tuo.
Levior ô frater præsenti parcito pennæ,
Recto forsan ego * numine motus agor.

Numine, *fortassis sua malo Genio Quippe etiam mali dæmones nonnũquam à Poëtis vocantur numina.*

REVERENDI PATRIS FRATRIS AURELII AB AQUAPENDente Augustiniani Epigramma in Busconum Lovan. versificatorem.

EST levis ardelio, currensq; per omnia nescit
Sistere, sed petulans fertur in omne genus
Busconis: at cunctas miseratur nescius artes,
Et sic Busconio carmine cuncta tonant.
Agrippam miseris decerpit morsibus, indo
Vir gravis esse sibi dicitur ardelio.
Quid quoq; quod gracili volitat super omnia pœna:
Busconus est igitur maximus ardelio.

EJUSDEM AURELII EPIgramma in Lovanienses articulatores.

EXpectata diu vestra est censura per orbem
Artibus oppressis spem daret ut reditus.
Agrippæ hinc ignẽ gladiũq; minatur & undas,
Diis etiam invitis destinat ille stygem

Qui

Qui tandem exiguum potuistis gignere murem,
Res versa in risum est, gloria parq; decus.
Sic decet indoctas, qui torquet spicula musas,
Vt cadat, ut toto fabula in orbe siet,
Ite in Pigmæos convertite tela gruesq;
His eritis Cæsar numina magna Deus.

HENRICI CORN. AGRIPPÆ Epigramma ad Cæsarem.

QVum me suspectum teneas de crimine Cæsar
Quod tibi persuasit Monachorum barbara turba.
Præcipis insontem, ut jugulet palinodia librum.
Sed detractorum ut noscas mendacia & artes
Siste gradum justum est, unam ut insontibus aurem
Exhibeas, quam jam primam concesseris hosti.

REVE-

НАУКОВА БІБЛІОТЕКА ОНУ ім. І. МЕЧНИКОВА

REVERENDISSIMO IN CHRISTO PATRI GENEROSO Domino, Domino Laurentio Campego, tituli S. Mariæ trans Tyberim presbytero Cardinali, Sanctæ Romanæ sedis, per Germaniam nuper à latere Legato, domino & patrono suo semper observandissimo, Henricus Corn. Agrippa.

S. D.

QVVM me tuæ sublimitati (ob propensum ejus erga me favorem, tum ob collata in me beneficia tum ob patrocinium adversus illos qui Cæsarem, totamque Cæsaris aulam in meam perniciem irritarunt, & propemodum persuaserunt) plurimis maximisque nominibus obligatum esse cognoscam (pater reverendissime) veniam mihi dabis, si gravioribus quoque nominibus cupiam me tibi reddere obligatiorem: rursusque te patrem virtute præstantissimum, & literatura eruditissimum orem ut in tuendo Agrippa jam vetere clientulo tuo tui similis esse velis, eademque animi clementia me suscipere digneris. Quod enim ad te iterum confugio, author mihi est ignara pudoris necessitas, qui jussu Cæsaris, tuoque hortatu cogor me ab impietatis crimine vindicare, atque hanc pugnam aggredi, taleque certamen suscipere, ut capitale impietatis crimen agnoscam, si obticescam: nimiumque obfuturum sit

sit famæ meæ si negligam, nimisq; periculosum, si detrectem pugnare contra fortiter. Quod quum sine adversariorum dolore & vulneribus fieri nequeat, periculosum mihi visum est absque strenuæ eruditionis, pariter & æquissimi judicii patrono, in hanc arenam descendere. En prodit apologia nostra adversus Lovanienſium aliquot rabinorum calumnias, ad quas quanta cum celeritate respondi, nulli meliores testes sunt, quam vir ille ornatissimus dominus Lucas Bonsius, tuæ sublimitatis secretarius, qui non immodicam apologiæ nostræ partem vidit legitque Atque venerabilis dominus Bernardus Paltrinerius tuæ amplitudinis Oeconomus, in cujus cubiculo dies noctesque importuno studio peregi omni: ita quum datus esset mihi libellus adversariorum, ad diem decimum quintum Decembris, ego Apostologiam hanc reddiderim ante ultimas Calendas Februarii, tradidique Mechliniensis Senatus Præsidi, non editurus in publicũ, nisi accepto prius Senatus illius decreto, à quo mihi transumptum calumnioſorum articulorum illorum transmissum esset: quamvis judicium, & sententiam ejus negotii jam pœna antecesserit, & incognita causa, ex sola suspicione damnatus essem ab his, qui posthabita senatus authoritate, sibi judicandi libertatem usurpassent: quique accusatores quum essent & inimici, non tam judicandi, quam opprimendi mei causam quærebant. Quia igitur nunc supra annum & medium frustra expectavi senatus illius decretum, ne honoris mei prodigus, & famæ meæ crudelis, innocentiæque meæ desertor, tam crudelem hæresis, impietatis, & scandali infamiam, quam mihi scelestissimi

ARCHIVE OF EUROPEAN THOUGHT

ſtiſſimi illi ſcriptorum meorum falſarii, & perfidi famicidæ impegerunt. ſilentio meo agnoſcere videat, cogor illam vel ante judicium (paucis recognitam & nonnullis adjectis) in publicum edere. Idque ſub tui nominis protectione. Quod quidem eo audentius facio, quod etiam tua amplitudo me adhortata eſſet, ut reſponderem & me de tam horribilibus criminibus purgarem, ſed lenitatem mihi injungens atque modeſtiam. Vnde ego mihi non promiſi tam libere loqui, nec tam vehementer reſpondere: quam perfide illi calumniatores mei commeruerunt. Qui (quod noſti) non iſtis articulis tantum contra me egerunt, ſed innumeris aliis clanculariis inſidiis, & capitalibus criminationibus, multiſque ſubornatis ſycophantiis, multo aconito conditis, tantum lætalis veneni, in aula Cæſaris, apud principes viros, & in templariis concionibus, apud imperitam multitudinem, adverſum me effuderunt, ut difficilimum ſit mihi ad tam proditorias perſequutiones, ubique habere bonum ſtomachum. Quorum calumniæ quædam ejus generis ſunt, ut quemvis etiam excelſum animum poſſent à tranquillitate dimovere, & ad quas levis eſſe nec poſſim, nec admodum debeam. Sicubi ergo in hac Apologia paulo liberius in malos male loquor, ſitque aliquid amaritudinis, meo jure id me facere puto mihique in illos licere arbitror, edito nomine meo, palam & præcipiente Cæſare, me defendere contra eorum calumnias, detractiones & maledicta, quæ ipſi præter auctoritatem, tacitis nominibus ſuis, clanculum & poſt terga, & proditorie, in me ſibi licere promiſerunt. Certe non ignora-

bam

bam ab initio declamationis meæ, me invidiam eruditionis præmium recepturum, quodque mihi obviatura eſſent gymnaſiarcharum ferocitas, ſophiſtarum aſtus, ſcholaſticorum inſidiæ, magiſtrorum noſtrorum furor, pſeudomonarchorum doli, & omnia mihi pulchre prædivinaveram, ſed arbitrabar illos, eruditorum & proborum virorum more, aut diverſam partem declamaturos, & adverſus mea ſcripturos, aut diſputationem publicam indicturos fuiſſe. non tot falſæ linguæ apparatibus inſectaturos, non tot mendacibus calumniis apud Cæſarem capitis expetituros. Quod ſi ſcripſiſſent aut diſputaſſent, quid tunc valiturus fuiſſem, non iacto. Certe eruditionem eorum, non verebar, violentiam autem pertimeſcere oportuit, non ignarus quanto periculo viverem in ea multitudine, quis quum mihi æternum bellum eſſet ſuſceptum, præſertim quum tanta ſit tyrannidis eorum impunitas. Sed qui quondam diſputationes indicere ſolebant ſcolarum magiſtri, nunc inſcitiæ ſuæ conſcientia confuſi, illas exhorrent, violentiaque damnare prætendunt, quod deberent rationibus convincere. Scio à quorum judicio pendeat Cæſar, quales illi adſint Theologi, ſcio quam odioſa, quam periculoſa ſit veritas: ſed juſto ſub judice vincet, nec terrebitur crimine innocens. At dicere cauſam apud eos, contra quos ſcripſiſſem, grave eſt. Quod ſi Cæſar noſſet totius negotii circumſtantias, & quas paſſus ſum injurias ac illi paterent, quæ ego ſcripſi, fortaſſis propenſior eſſet illius in me animus, nec me inter poſtremos numeraret, niſi in aulis regum plerumque plus valeret

leret detractorum improbitas, quam bonorum favor. Sed quum non solum ille reus sit, qui falsum de alio profert, sed etiam is, qui aurem cito criminibus præbet. Non me admodum læsissent illæ calumniæ, nec cuiquam persuasissent malæ illæ linguæ si non invenissent sibi similes auriculas. Sed confido in innocentia mea, quo fit, ut non confundar, nec aliud cupio, quam æquum & intelligentem judicem, qualis tu es unus. Propterea nunc iterum atque iterum oro amplitudinem tuam ut non graveris animum tuum, licet plurimis gravissimisque negotiis occupatissimũ, mihi tantisper accommodare, nostraque scripta, & responsa expendere velis, donec causam omnẽ perdiscas. Nec molestè feras, si te (quod forte pleriq; dicturi sunt) tam odioso argumento præficiam patronum. Non enim molesta nec odiosa tibi fore puto, quæ adversus perfidos falsarios, & impios sycophantas fidei & pietatis negotia tuentur. Faxit Deus, ut Ecclesia sua ab omni hæreticorum impietate & sophistarum tenebris expurgata, in pristinum splendorem restituatur, qui te prosperet, & incolumen conservet & omnibus bonis impleat & repleat. Vale fœlicissime.

NOBI-

NOBILIS VIRI, HENRICI CORNELII AGRIPPÆ,

ARMATÆ MILITIÆ EQUITIS AURATI, ac Vtriusque Juris Doctoris, Cæsareæ Majestatis à Consiliis, & Archivis Iudiciarii. Apologia adversus calumnias, propter declamationem de Vanitate scientiarum, & excellentia verbi Dei, sibi per aliquos Lovanienses Theologistas intentatas.

Nolite secundùm faciem iudicare, sed rectum iudicium iudicate.

EGO Henricus Cornelius Agrippa, superiore anno edidi declamationem quandam, quam de incertitudine & Vanitate scientiarum, atque excellentia verbi Dei inscripsi. Præsagus revera, cum quantis monstrorum generibus propter illam forem depugnaturus, eoque quum non prodiret edendula, multos admodum esset offensura. Præ cæteris autem Theologos aliquos & Monachos supercilioſum hominum genus. Hinc primum ex Lovaniensi Academia prodierunt, qui me hæreseos, impietatis & scandali, congestis aliquot articulis detulerunt, aliqui Magistri nostri (neque enim credo totius Theologici ordinis communibus suffragijs hanc rem actam esse: quum compertum habeam esse in illorum collegio nonnullos viros candidos, & quibus illa declamatio nostra non displiceat) volitârunt articuli illi clam me, per multorum manus, & plerique aulici mystæ, ad hanc calumniam instructi, illos Cæsari non semel tantum obtruserunt. Hinc ad privatum Cæsa-

НАУКОВА БІБЛІОТЕКА ОНУ ім. І. МЕЧНИКОВА

ris consilium remisſi, inde ad Parlamentarum Senatũ Mechliniam relegati, per annum fermè in judicum manibus versabantur, me inscio, & Cæsare adversum me, non sine causa, licet sine ratione, graviter indignato. Quod tandem ubi rescissem supplicavi apud utrunque Senatum, impetratis etiam literis à Reverendissimo domino Archiepiscopo Panormitano, supremo privati Cæsaris consilij præside, ut mihi articulorum illorum daretur transsumptum, quo illorum admonitione discerem, quid mihi vel explicandum, vel corrigendũ, vel emendandum, vel revocandum esset, paratus cognito errore illum Christiana modestia retractare. Datum itaque est mihi articulorum illorum transsumptum, die 15. Decembr. anni milleſimi quingenteſimi triceſimi primi, & per eundem Reverendiſſimum dominum Archiepiscopum Panormitanum, supremum privati consilij præsidem, edictum, velle Cæsarem, me horum articulorum publicam palinodiam canere. Verum ego cum illis spectarem multa meorum non intellecta, multa item depravata, multa perversa & perperam interpretata, non æquum duxi ejusmodi abs me inaudito & indefenso palinodiam postulari, quodque debeam revocando agnoscere impietatis crimen, cujus mihi non essem conscius, de quo non essem convictus, quicquid sit de voluntate Cæsaris. Respondeo constanter cum Ambrosio, divinæ imperatoriæ Majestati non esse subjecta. Urgemur præceptis Regalibus, sed confirmamur scripturæ sermonibus. Potuit Cæsar credere adumbrata pietatis fuco mendacia deferentibus, atque ego non nescio quanta principum pestis sit lingua bonarum rerum interpres mala. Potuit Cæsar obsequi importunè instigantibus, neque ego ignoro, quantum possit improbitas instigatorum fuco pietatis sese vendicantium. Divi Athanasii deportatio clarè

clarè docet, quantum insimulationes & calumniæ (maximè si ab his, qui fide digni habiti sunt, inferantur) contra innocentes, valeant operari. Tunc etiam Imperatore (sed alias eruditissimo, sed æquissimo clementissimoque quippe Constantino Magno) per falsos sacerdotes, ingestis calidè calumnijs, ad tantum iræ atque furoris adversus Athanasium impulso, ac sceleris consensum agente. Scio Cæsarem hominem, & suis posse agi affectibus, qui mihi obstare non debent, quo minus liceat mihi meam tueri innocentiam, præsertim de tam inexpiabili hæreseos & impietatis crimine, quibus de causis hanc retractationis sententiam, quam Cæsar mandasse dicitur, censeo non judicii, non deliberationis fuisse, sed suspicionis, atque ex insidiosis adversariorum meorum consiliis, inconsiderata credulitate profectam, & me inauditum & indefensum illa non teneri. Nam quæ inaudita parte geruntur, nunquam pro judicio habebuntur, quod si etiam vel justissimam sententiam, quis importunè, vel aliter vitiosè tulerit, tamen hæc nulla est, & pro sententia non est habenda. Mihi ergo licet, semperque licebit, apud Cæsarem innocentiam meam tueri, calumnias repellere, malè consulta contemnere, & quod olim licuit apud Philippum Macedonem, & hodie etiam apud Romanos Pontifices, à dormitante ad eundem vigilantem, à malè instructo ad eundem melius instruendum appellare. Non enim Cæsar damnare poterit, quem lex non prius judicârit, ni fortè (ut in Actis, ait Apostolus) Judicans me secundum legem, contra legem jubeat me percuti. At lex (ut est in Evangel.) non judicat hominem, priusquam interrogaverit ab illo, & cognoverit quid fecerit. Et in Actis Apostolorum capite vigesimo secundo: Hominem indamnatum non licet flagellare. Et in cap. vigesimo quinto ait,

Festus Romanus: Non est consuetudo damnare aliquẽ, priusquam is qui accusatur præsentes habeat accusatores, locumque defendendi accipiat, ad abluenda crimina quæ ei objiciuntur. Nihil enim temerè (ait Moses) judicandum, neque æstimandum, neque credendum est, nondum audita altera parte, hinc ex Atheniensium legibus in duodecim tabulis à Romanis acceptum fuit, similiter ambos audire, unde de requirendis reis Martianus consul scriptum reliquit, ne inaudita causa quẽquam damnemus. Olim ne tyranni quidẽ judicarunt incognita causa. Laudatur C. Caligula, qui ambas aures delatori claudebat. Laudatur Alexander, qui alteram defensori servabat. Et divus Adrianus Ausidio Severo rescripsit, de suspicionibus non debere aliquem damnari. Non enim debet quis suspectus fieri, sed deprehendi. Et imperator Constantinus ait: Judex criminosum discutiens, non ante sententiã proferat, quàm ipse confiteatur, aut per innocentes testes convincatur. Et beatus Eleutherius Papa dicit: Nihil contra quemlibet accusatum absque idoneo & legitimo accusatore fiat: Deus ipse cujus scientia non fallitur, priusquam judicaret protoplastum, loquutus est illi, & confessionem criminis extorsit, idem judicaturus civitates Sodomorum ait: Descendam & videbo utrum clamorem, qui venit ad me opere compleverint, an num est ita, ut sciam. Quod si mihi concedatur hæc respondendi facultas, ostendam me nihil unquam assertive scripsisse, credere, aut tenere, cujus eõtrarium asserit, credit, sentit, & tenet Ecclesia Catholica. Si scripta mea non pervertantur, aut in perversum sensum, & contra mentem meam interpretentur, quod sive insciti a, sive malitia fiat, non debeo ego pœnitentiam agere alienæ insciti æ, aut malitiæ, quando ostendere potero meliorem sensum. Nonne Rex Abimelech,

melech, quod accepit sibi Saram uxorem Abrahæ, quia dixerat ille soror mea est, graviter reprehensus est à Deo, & non imputatur scandalum hoc vitio proferentis Abrahæ. sed præsumentis Abimelech, quia non fuerat scrutatus mentem verborum Abrahæ? Quo exemplo, Augustinus, ream linguam non facit, nisi rea mens sit, & habetur in c. quæritur. xxxij. qu. ij. Est á Jurisconsultorum communis sententia, nõ solum in his, quæ sunt de foro animæ, sed etiam in his quæ sunt de quasi foro animæ, credendum esse declaranti se, & voluntatem suam confitenti. Unde Metiano authore, lex promulgata est. In ambiguis orationibus, maximè sententiam spectandam eius esse, qui eas protulisset, præsertim in meliorem partem, utres valeat potius, quam pereat. Et Ulpianus in libris digestorum de judiciis, sic ait: Si quis intentione ambigua, vel oratione usus sit, id quod ei melius est accipiendum est. Et generalis Jurisperitorũ sentẽtia est, quod quãdo actus aliquis potest dici vel geri, eo modo, quo dicens vel gerens incidat in delictum vel pœnam, & eo modo quo non incidat, debet semper interpretari, ut non incidat. Et Hilarius ait, intelligentia dictorum ex causis est assumenda dicendi, quia non sermonires, sed rei est sermo subiectus. Et Occham Scholasticus Theologus, in suo Dialogo, multis rationibus falsum ostendit, quod vulgo dicitur, verba non ex opinionibus singulorum, sed ex communi usu accipienda esse, concludens, quod in verbis ambiguis & multiplicis intelligentiæ, non sit recurrendũ ad communem intelligentiam, sed potius ad intentionem loquentis. Fuit olim B. ille Dionysius Alexandriæ Episcopus, Julio Papæ, de Ariana hæresi delatus, quia filium Dei dixisset creaturam, ille dictum negans, nec dogma defendens, sed mentem suam synceram declarans, & à suspicione liberans, summa benevolentia, &

commendatione, ab Ecclesia patribus receptus est, edita insuper (per Athanasium) apologia, pro defensione eius contra detractores, docentem non verba, sed mentem & sententiam judicandam & explicandam esse, ab ipso quicquid scripserit aut dixerit. Quis enim hominem scit, quæ sunt hominis, nisi spiritus hominis, qui est in ipso? Quod si nunc mihi concessum erit, ostendam nihil meorum hæreticum, aut impium, aut scandalosum esse, adversus Ecclesiam Dei, si rectè & candidè fuerit intellectum, & non hostiliter perversum, atque id facturus primum bona fide recitabo articulos quos continet libellus adversariorum, mihi à Mechliniensi senatu transmissus, supplicatione mea ad eundem clarissimum Senatum nuper missa, hic etiam præposita. Deinde ad singula respondebo, ne meo silentio, quasi culpæ conscientia, abuti possent nostri obtrectatores, numerisque in margine adiectis signabo, ad quæ adversariorum dicta quæq; responsionis meæ verba referantur, ostendamq; adiectis ad articulorum marginem brevibus scholiis, quibus calumniarum artibus utantur isti piarum aurium Theologi.

CLARIS-

CLARISSIMIS VIRIS DOMINO PRAESIDI ET SENATORIBUS Cæsarei Parlamenti apud Mechliniam.

QVoniam Lovanienses aliquot Rabini, ante annum ferme congestos scholastico odio, quosdam ex declamatione mea (de incertitudine & Vanitate scientiarum & artium, atq; excellentia verbi Dei) articulos produxerunt, quibus me clanculum, & post terga, erroris, impietatis, scandali, & forte etiam hæreseos, Cæsareæ Majestati, & ejusdē privato consilio, calumniati sunt. Deinde vero, sive veriti, judicium ejus causæ sibi dedecus importaturum, sive satis illis visum sit, quod in exulcerato Cæsaris animo fictum de me crimen insideat, prosequutionem articulorum illorum hactenus deseruerunt. Ego autem qui neq; famæ meæ crudelis, neq; honoris mei prodigus, nec innocentiæ meæ desertor esse, nec injurioso nomine apud Cæsarem & quoscunq; claros & probos viros censeri volo nec debeo, quum articulos illos in vestris manibus jam per multos menses desertos, & veluti sepultos jacere eandem intellexissem, claritudini vestræ supplico, & instanter peto, mihi articulorum illorum dari transumptum, vestrumque illis interponi decretum, paratus, si qua errata sunt emendare, si qua perperam intellecta declarare, meamque innocentiam & integritatem ab impietatis crimine, & calumniantium injuria vindicare. quod ut justum & æquum postulo, ita vos illud mihi minime negaturos puto, cæterum mihi in omnibus jugiter percipiendo.

НАУКОВА БІБЛІОТЕКА ОНУ ІМЕНІ ІВАНИКОВА

SEQVVNTVR ARTICULI LOVANIENSIUM AUtentico transumpto, sed absque ullo interposito Senatus decreto transmissi.

ASSERTIONES Agrippæ.

Ex quodã libro de Vanitate scientiarum.

Prima assertio in fronte declamationum post Epistolam ad Lectorem: Ego inquit, aliis generis persuasus rationibus, nil perniciosius, nil pestilentius hominum vitæ, animarũq; saluti posse contingere arbitror, quam ipsas artes, ipsasque scientias.

Contra hanc assertionem videtur B. Augustinus in libris de doctrina Christiana, & in scriptis contra Cresconiũ Grammaticum Donatistam.

Ubi varie demonstrat artes liberales cuilibet Theologo Doctori aut esse necessarias aut maxime cõducibiles.

I. *Falsò interpretantur pro Declamatione Assertiones.*

II. *Malitiosè detruncant titulum obscurantes scopum totius declamationis.*

III. *Ignari Grammaticæ, pro genitivo alius legunt alius.*

IV. *Argumentantur per verbum videtur.*

V. *Futilis argumentatio, vel sic vel sic vel nescio.*

Sunt

Sunt & ancillæ quas ipsa Dei sapientia, ut vocarent ad artem misit Proverb. 9.

VI. *Impertinens & detorta allegoria.*

Qui igitur eas damnat, est is, de quo Apostolus dicit 1. Corinth. 2. Animalis homo non percipit ea, quæ sunt Spiritus Dei.

VII. *Fratralis orthographia, videlicet damnas eum p. Impertinenter citat Apostolum.*

Unde cautũ est ut diversis locis constituantur magistri & Doctores, qui studia literarum artiumq; liberalium doceant.

VIII. *Falsa argumentatio.*

His artibus declaratur sacra scriptura & confunduntur hæreses.

IX. *Falsa assumptio.*

Unde Sapiens: Qui elucidant me, vitam æternam habebunt.

X. *Falsa applicatio.*

Non igitur apparet, quomodo nihil scire sit felicissima vita cum dicat Apostolus: Qui ignorat ignorabitur. Et dominus inquit: Propterea captivus ductus est populus meus, quia nõ habuit scientiam.

XI. *Malitiosa dissimulatio.*

¶ Alia assertio quæ loquitur de scientiarum inventoribus in eadem declamatione inquit.

Impudens mendacium.

Sunt homines aliqui boni, nihil tamẽ scientiæ ipsæ

XII. *Crassa ignorantia nesciunt distinguere bo-*

НАУКОВА БІБЛІОТЕКА ОНУ ім. І. МЕЧНИКОВА

bonitatis, nihil veritatis habebunt, nisi quantum ab ipsis inventoribus mutuant vel acquirunt.

nitatem operativam ab essentiali.

Quasi vellet innuere nullam scientiam habere in se veritatem, sed tantum mutuata ab authore.

Divinatio per Quasi.

Quod est contra Philosophum dicentem, scientię sunt de numero bonorum honorabilium.

XIII. *Futilis applicatio.*

Et est contra c. Si quis artem. xxxvij. dist.

XIV. *Impertinens & sufficiens allegatio.*

¶ Sequuntur aliæ propositiones piarum aurium offensivæ.

XV.

Canones sacerdotes sublatis honestis nuptiis, turpiter scortari compellunt.

XVI. *Ambiguum verbum in peiorem partem accipiunt.*

Volens innuere in effectu Sacerdotes posse contrahere, nisi obstaret juris dispositio.

XVII. *Improbitas in potestatem Ecclesiæ scandalosa.*

Cum tamen à morte Christi non est auditum Sacerdotem duxisse uxorem, nisi quod jam attemptarũt homines plurimum seducti.

XVIII. *Mendacium maliiosum.*

In eodem fol. p. 2. habet hanc propositionem.

Surrexit his temporibus

XIX. *Perverse accipiunt.*

ex Theologorũ Schola invictus hæreticus Lutherus.

Et sequitur quod ideo vos scire volo, ne putetis non etiam Theologos esse lenones.

XX. *Morosi sunt.*

Et ibidem in fine concludens, quicunque principes, Judices & Magistratus lupanaria fovent aut permittunt, dicetur illis à domino illud Psalmographi: Si videbas furem, &c.

XXI. *Reiiciunt propter hyperboles.*

Quasi permittentes seu tolerantes minus malum, ad vitandum majus peccare censeantur contra sententiam Augustini, quæ habetur xxxiij. q. ij. c. si quis verius dicitur. Si facturus est, quod non licet, faciat adulterium, & non homicidium.

Divinatio per Quasi.

Turpi obsequio patrocinantur lupanaribus.

Sic ergo permittitur minus malum ut evitetur majus, licet faciens non excusetur.

XXII. *Dignum patella operculum.*

Alia propositio sublitera D. folio 3.

Mercatores & milites veram pœnitentiam agere non possunt,

XXIII. *Malitiose dissimulantes authorem, transferunt in me, quod est Augustini.*

Alia

НАУКОВА БІБЛІОТЕКА ОНУ ім. І. ФРАНКА

Alia propositio sub lit. F.

Augustinus & Bernardus cõtra Christi sensum bella permittunt.

XXIV. *Depravant verba mea & sensum.*

Et Christo repugnante ordo militantium est in Ecclesia.

XXV. *Depravant verba mea & sententiam.*

Alia Propositio sub litera I. folio 4.

Habere imagines in tẽplis, non est absque Ydolatrie vitio, sive periculo.

XXVI. *Malitiose dissimulant, quæ de his Catholice concludimus.*

Ydolatrie per ypsilon, quia Græcum est vocabulum, tam sciunt etiam Græce Magistri nostri.

Alia propositio sub lit. K.

Dialogus est author cuculle.

XXVII. *Supercilliosa morositate fabellam & iocum trahunt in calumniam.*

Alia Propositio sub lit. R.

Moses. David. Apostoli, Evangelistæ, Prophetæ, homines fuerunt, & à veritate in quibusdam defecerunt, & mendaces in quibusdã inventi sunt.

XXVIII. *Depravant verba & sensum.*

Quasi innuat scripturam sacram una cum aliis scientiis humanis esse ambiguam incertam, & periculo plenam, nisi accedat verbum Dei.

XXIX. *Divinatio per Quasi.*

Asserens ulterius quod

XXX. *Detrahunt verbo Dei*

verbum Dei nullas humanas glossas.

Nec Angelicas patitur, sed seipsam exponit.

¶ Contra has assertiones verbum Petri. 2. Pet. 1.

Non enim voluntate humana allata est aliquando Prophetia, sed Spiritu sancto inspirati locuti sunt sancti Dei homines. Item Prophetia est interdum cõminationis & non eventus, sicut erat de Iona apud Ninivitas.

Subintelligebatur enim hæc conditio: Si Ninivitæ non pœniterent, ut dicit glossa,

Quare non oportet dicere Prophetam mendacem, quia semper est unus sensus verus à Deo intellectus subintelligitur semper, nisi Deus aliter disposuerit.

Alia propositio sub litera R. folio. 3.

Verbi Dei scientiã nulla Philosophorum Schola, nulla Theologorum sorbona, nec quorumcunq; gymnasia Scholasticorum

hanc impugnantes.

XXXI. *Detrahunt Apostolo huic contradicentes.*

XXXII.

Malitiose argumentantur & sycophantiæ sunt.

XXXIII. *Huic contradicentes impii & blasphemi sunt.*

nobis

НАУКОВА БІБЛІОТЕКА ОНУ ім. І. ФРАНКА

nobis tradidere, sed solus Deus atq; Christus.

Cui nihil addere licet nihilque detrahere.

Nulla patitur externa commentaria, nullas humanas aut angelicas glossas.

Alia Propositio sub lit. S. folio 3.

Nulla res Christianæ fidei, & religioni tam repugnat quam scientia, minusq; se invicem compatiuntur.

Alia sub lit. T. folio 3.

Discedite ab humanarum traditionũ nebulis.

Alia sub lit. V. fol. 2.

Cæremonias exteriores despicit Deus, nec vult coli actionibus corporalibus, sensibilibus operibus.

Quia, ut inquit, nihil est apud Deum acceptum præter fidem, Contra illud Apostoli: Si fidem habeam: ut montes transferam, charitatem autem non hãbeam, factus sum sicut æs sonans, &c.

Charitas igitur excitat

XXXIV. Huius oppositum asserentes plane hæretici sunt.

XXXV. Qui huic contradicunt offendunt in Spiritum Sanctum.

XXXVI. Malitiose segregant, quæ accipi debent coniunctim ad idem secundum idem simul & in eodem tempore.

XXXVII. Malitiose interpretantur pro dogmatibus philosophorum constitutiones humanarum legum.

XXXVIII. Malitiosa sycophantia verba mea detruncant, & bene ac Catholice dicta dissimulant.

XXXIX. Mutilant verba, pervertunt sententiam, & crimen falsi committunt.

Malitiose citant has scripturas, ut videar illis contradixisse apud eos potissimũ qui nostra non legerunt.

&

& promovet ad corporales actiones & sensibilia opera.

XL. Divinatio pervidetur.

Vlterius concludendo Vanitatem scientiarum, videtur asserere, quod scientiæ capiunt finẽ in hoc seculo cujus contrarium tenet Hieronymus in prologo, dicens: Discamus in terris quorum scientia nobis perseveret in cœlo.

Falsa applicatio.

Et quanquam dicat Ecclesiasticus: Vanitas vanitatum & omnia vanitas, oportet intelligere sapientem interdum loqui ex sua persona, aliquando ejus personam gerere, qui ea quæ in mundo sunt attonitus admiratur, interdum in Persona stultorũ, interdum in persona prudentum.

XLI. Cur mihi quoq; non opitulatur ista distinctio: O malitiosi sycophantæ.

Quamvis igitur Ecclesiasticus ostendat, quæcunq; sunt in mundo vanitatem esse non tamen omnia damnat, verum reprehendit consilia hominũ, qui in hoc mundo spẽ suam posuisse videntur.

XLII. Pratrica elegantiæ Dampnat.

Et quia author ipse asserit versum in canem, ac

XLIII. Morositas plusquã stoica.

quod

НАУКОВА БІБЛІОТЕКА ОНУ ІМЕНІ В. СТЕФАНИКА

quod nullarum virium sit ad benedicendum, scripsitq; volumen cui titulum fecit de incertitudine & Vanitate scientiarum, sic etiam ejus Indicio liber est famosus & contumeliosus ac Piarum aurium offensivus.

Caveat ambulare sine fuste, qui à cane impetitus est.

Insolens præsumptio eius quod ignorat, videlicet quis in iure dicatur libellus famosus.

Impudens mendacium: quem generalis sermo, teste Hieronymo, ad nullius contumeliam pertineat.

HIC FINIS ARTICVLORVM, FVERVNTque subsignati per protogrammateum Parlamentarii Senatus Lamberti Vanderex.

CHORVS

TANTVM ergo firmamentum isti continent articuli.
Vt quodcunque documentum illorum cedat ritui.
Præstet dolus supplementum veritatis defectui.

RE-

RESPONSIO CORNELII AGRIPPAE AD PRAEnarratos articulos.

I.

MAECCINE sunt illæ propositiones, quæ manifestam habituræ sunt hæresim, impietatem, blasphemiam, & scandalum, quas Magistri nostri Lovanienses, quasi hæreticas, impias, scandalosas, & piarum aurium offensivas damnârunt? Verum ego adduci vix possum, ut credam istas propositiones, sive ut vocant articulos, totius Theologici Collegii communi consensu edifos, sed suspicor insciis Theologis per Busconum aliquem poëtastrum, cui fingere & mentiri in professo est, aut per alium quempiam scholasticum Parasitum consarcinatos, qui sese exercere voluerit in hac harena sub Theologorum Lovaniensium nomine. Non enim tantum ocii Theologis illis fuisse crediderim, ut dignarentur nostras nugas legisse, quin ipsa etiam ordinis confusio. & frustulata detruncatio, ac falsa applicatio, cum verborum & sententiarum depravatione ipsa etiam occultatio nominis istius articulatoris: missaque subscriptio, satis docent, hos articulos proborum Theologorum manibus non fuisse exceptos, quos nec ego tanta Grammaticæ inscitia teneri arbitror, ut declamationem interpretarentur assertionem, quare tam imperito articulatori, qui hanc in me accusationem instituit, antequam intelligeret hujus caput negocii, pro responsione proponendus esset aliquis vocabulatius: ex quo discat primum, quid significet declamatio. Est namque declamationis proprium, in ficto themate, exercendorum studiorum gratia, citra veritatis statuendæ regulam, abrogata fide laborare. Qui enim declamationem scribere se profitetur, hoc ipso sibi fidem abrogat, nec quicquam asserit, non etiam ea, quæ vera & notória sunt, & quibus alias extra declamationem credere, & assentiri teneretur, & de quibus ambigere nefas est. Vnde non puto tam iniquos fore Theologos, ut omnium illorum, quæ declamando diximus, aut scripsimus, rationes ad Theologicum rigorem exigere velint, ni fortè subscripserint his articulis, aliqui male auspicati ingenii

НАУКОВА БІБЛІОТЕКА СЛУЖБИ МІНІКОРА

veteli Theologi, qui iniquitate temporum suorum, ab imperitis præceptoribus delusi, amissis optimarum literarum studiis, per omnem ætatem in sordidis sophismatibus educati, infensi sunt his studiis, quæ ipsi olim juvenes non attigerunt, tã pertinaces veterum illorum sordium amatores, quos perinde ac si Lydia gleba essent, aut formicarum in India auriferum opus, tam obstinata religione colunt, ut offendat illos, etiam optimarum rerum novitas, ac præter propositiones & corollaria, aliud non admittant, hi forte decrepitis rationibus cæcutientes, declamationis titulum, interpretati sunt pro concione Ecclesiastica, sicut olim fecit adversus Erasmum, Lovaniensis Academiæ Procancellarius, Ioannes Athenienſis, sed ille tandem doctus quid esset declamatio, quæ ejus qualitates, quæ conditiones, quæ licentia, quæ libertas, errorem suum satius resipuit, quod factum, nõ puto Lovanienses Theologos ignorare, proinde quo major est Theologorum authoritas, hoc magis etiam oportebit illorum censuras esse candidas, justas, atque veras. Nam qui ad aliena scripta discutienda, non æquo judicio, non veritatis amore, non candido animo accedunt, velintq; calumniandi ansam capere, non dubium, quin etiam Christo & Apostolis calumniam struere possint, neque verò magni artificii est, in alieno opere, quantumvis circumspecto, quantumvis pio & vero, reperire quod aliqua calumniæ specie reprehendi possit. Vtrumque igitur indignissimum est, si debeam ego pœnam dare alienæ sive malitiæ, sive insciticæ, quodque ego ab his, qui sine Grammatica Theologi sunt, impietatis reus postuler, propterea quod ipsi non didicerunt quid Latinè significet declamatio, neque verò æquum est, ut ego omnia illa, quæ in declamatione, sub quocunq; genere argumenti, apparenti, verisimili, jocoso, aut violenter etiam contorto, vel transsumpto, dicta, vel quæsita, vel disputata sunt, sic asseruisse judicet, ut hæc mihi meo periculo defendenda sint, aut mea ignominia retractanda, ad Theologorum seria decreta. Certè liber declamationis nostræ magno eruditorum applausu exceptus, quorum plurimi etiam doctissimi & literatissimi Theologi, mihi & sermone coram, & absentes per literas gratulati sunt, nec unus quidem illorum me, aut impietatis, aut hæreseos, aut scandali notavit, nisi forte immodicæ cujusdam & imperterritæ dicendi libertatis. Quod si vitium est, mihi cum multis commune est, idque magnis & sanctis viris, nec sine illorum exemplo id feci, nec fateri verebor hoc naturæ meæ vitium, quod adulari nescius, locutus sum alicubi

alicubi liberius, quàm fortè expediebat delicatis Mydæ auriculis. Multos fateor offendi, verum dicens, pleriſque curiosa nimis, inquisitione factus sum onerosus, & sunt fortè adhuc aliæ causæ, quæ me subjiciunt invidiæ, quas adhuc aut ignoro, aut ignorare volo, in aliud tempus explicandas reservans. si dicere cogar, alias celaturus haud segniter, ne nova veritas, novum mihi odium pariat, tamen in ea semper opinione sum, quod impiam mentem, in scriptis meis nullus inveniet: esto, sint multa quæ moderatius, quæ circumspectius, quæ eruditius tractari potuissent, sic etiam à me alicubi nonnihil erratum, scio enim me hominem esse & labi posse, semper tamen syncerus animus est, & me Catholicum esse profiteor, nec usque adeo declamatoriæ licentiæ me indulsisse puto, quod ab orthodoxa fide desciverim, aut meo lapsu scandalum dederim Ecclesiæ, neque gratiabor, si cubi erravi, magistrorum nostrorum subire censuram, & ex eorum monitis, errorem meum corrigere, modò meminerint ipsi, se quoque homines esse, & labi posse judicando, quemadmodum ego illis video lapsus in scribendo. Aequum igitur est, ut ipsi me nunc vicissim audiant, permittantque me eorum expendere sententiam.

II.

DEclamationem nihil asserere jam diximus, & latius de hoc in querela nostra disseruimus, unde licet falsè & calumniosè assertionum titulus istis articulis præponatur, & ego me uno declamationis vocabulo ab his tuendis absolvere possem, licet tamen Theologico nomini hanc reverentiam habere, & eorum supercilio morem gerere, nec recusabo hac in parte seriò respondere, & cum ipsa declamatione mea periclitari, exequarque quocunque modo, calumniosorum articulorum ordinem, sed prius mihi hoc unum cum illis expostulandum est, quod declamationis meæ titulum detruncârunt, inquientes: ex quodam libro de Vanitate scientiarum, omittentes alteram partem, atque excellentia verbi Dei, ubi indicatur scopus, & finis, & intentio, totius declamationis, admonenturq; Lectores, scientias omnes incertas & vanas esse, si conferantur ad verbum Dei, licet secundum se consideratæ, certæ sint & utiles, sic homines justi, ad Dei justitiam collati negantur habere justitiam, sic Angeli purissimi, immundi dicuntur in conspectu Domini, cujusmodi hyperbolas multas frequenter obvias habemus in authoribus, quæ simpliciter positæ, non videntur probandæ, tamen condonan-

tur illis collatione aliorum, sicut condonatur Hieronymo, quod matrimonium dixerit malum, ad collationem virginitatis, quam gratiam si nunc etiam mihi cum sacris Doctoribus largiantur, nihil erit in hoc titulo, quod criminari queat, si namq; B. Thomas Aquinas in quodlibetis disputat, in Sacramento Eucharistiæ, corpus Christi potius repræsentandum fuisse, carnibus pecudum, quam pane & vino eo, quod ille perfectius repræsentent id quod significant, sunt ejus generis alia in eodem libro, quæ blasphemias & scandalosa reprehendi possent, nisi sanctus Doctor librũ illum quodlibetarũ (hoc est latino vocabulo placitorum) titulo præmunivisset, & hodie adhuc servantur in plerisque Academiis quodlibetarum feriæ, quibus cuiq; in scholis disputare licet quodlibet, præter omnẽ scandali aut impietatis imputationem, ubi etiam stultissimæ & absurdissimæ quæstiones, sæpè tractantur à gravissimis Theologis, nam licet ibi, quod cuique libet loquatur, credere non est necesse; in omnibus igitur, quæ scribuntur & dicuntur, quorsum spectet mens scribentis dicentisve considerandum est, quæ si feratur ad nullum perversitatis scopum, meretur simplex & recta authoris intentio poscitque publica utilitas, ut si qua sint errata, etiam vel pauca pernicioſa admixta; condonentur authoris eruditioni, aliisve meritis, nec protinus trahantur ad calumniam, sed ad rectum sensum melioribus interpretationibus accommodentur, aut cautionis notula signentur. Leguntur pro orthodoxis Lactantius & Tertullianus, & plerique alii, quos tamen à rectitudine fidei Catholicæ alicubi aberrasse constat, leguntur cum reverentia in Hieronymo, quæ damnata sunt in Tertulliano, legitur & veneratur Magister sententiarum, non paucis locis prolapsus, neque tamen protinus damnatur impietatis & scandali. Divus Augustinus & Innocentius pontifex atque Zozimus, judicârunt infantes non posse salvari, nisi post Baptismum accepissent Eucharistiam, docet Thomas ingressum religionis æquari baptismo, idem cum suis, docet neminem obligari ad subvenendum proximo, nisi in extrema necessitate, ita tamen ut liceat reposcere, cum ille ad pinguiorem fortunam provectus fuerit, idem contra Scotistas, & fermè omnes Theologos, tenet quod humanitati Christi per se sumptæ debeatur adoratio latriæ, & in 3. sententiarum dicit, quod cruci Christi in qua pependit, etiam ut rei inanimatæ, debeatur adoratio: dicit enim alibi, quod imagini Christi, in quantum est imago, debetur eadem reverentia, quæ debetur ipsi Christo, quæ est adoratio

ratio latriæ, eo quod dicat Aristoteles libro de memoria & reminiscentia, motum animæ in imaginem in quantum imago, esse unum, & eundem cum illo, qui est in rem. Adeo profecit Doctor ille sanctus, adjutorio male intellecti Aristotelis, cum ille ibi loquatur de motu recordativo, & conceptu definitivo, non de motu voluntatis, sive identificativo, non dissimile huic est Scoti commentum, imagines videlicet eadem adoratione adorandas, qua illi quos repræsentant. Tradit idem Scotus, non probari ex scripturis illum fidei articulum: Descendit ad inferos, tradit Ocham ex scripturis non probari, quod ad operandum bona, opus sit divina gratia, atque isti Doctores tam periculosè opinantes, interim habentur Catholici. Iam verò etiam nostro seculo dogmatisarunt Colonienses Theologi, Aristotelem sic esse præcursorem Christi in naturalibus, quemadmodum Ioannes Baptista in gratuitis, Iacobus Hochstratus in suo de invocatione Sanctorum libello, hæreticum pronunciavit ad scripturam confugere: & alius quidam Theologus palam concionari non erubuit, consuetudinem potius sequendam esse quàm scripturam divinam, adhuc prænominatus Hochstratus hæreticorum (ut vocant) Magister, in opere suo contra Lutheranos, inquit in hæc verba: Scimus enim consecratione super debita materia facta Christum esse in Sacramento, non autem quod sub hac vel illa determinata hostia Christus contineatur, quia ut subdit, hæreticum est fidem infallibilem & infusam ad talia particularia per certitudinem extendere, eademque ratione concludit, credendam esse remissionem peccatorum in generali, neminem autem in particulari sibi esse peccata dimissa, an non est hoc vere Magistrum hæreticorum esse, vestra hæc sunt, & adhuc aliis deposcitis signi. Quoties errasse constat Scholasticos Theologos, istis suis præcocibus articulationibus, & doctrinalibus damnationibus. Quot articulos velut impios damnavit olim Schola Parisiensis, quos hodie pro veris & Catholicis defendit: eadem olim damnavit Occhanum pro hæretico, & excommunicatum proscripsit Academia, at ille hodie receptus inter doctiores & acutiores orthodoxos: damnarunt posterioribus annis Ioannem Picum Mirandulæ Comitem, cujus conclusiones hodie ab omnibus venerantur Catholicè, eadem his recentibus annis determinavit, Papam non posse dispensare, ut frater ducat uxorẽ fratris mortui sine liberis, atq; propterea matrimoniũ inter Angliæ regem & Cæsaris amitã, velut contra jus naturale & divinum, indispensabile, pro

inceſtuoſo, abominabili, & ſacrilego adulterio damnarunt, magna Sorbonæ infamia. Cum non multis annis ante pro Auguſtino Furnario Civi ac Patricio Genuenſi determinaſſent oppoſitũ. Cenſuit in ſua pro eodẽ divortio determinatione Schola Patavina, illa quæ ſunt juris divini, non ſubeſſe Romani Pontificis poteſtati, nec hunc in illis gerere vicem Dei, ſed ſolum ſuper ea, quæ ſunt commiſſa jurisdictioni nominum.

Atque tamen hic unus eſt articulorum pro quo Lutherus damnatus eſt hæreticus. Dicite mihi ô Lavanienſes & Colonienſes Magiſtri noſtri, quem honorem reportaſtis contra Capnionem, nonne appenſi in ſtatera juſtitiæ, inventi eſtis minus habentes, quam victoriam habuiſtis contra generoſum Comitem Hermannum Nuenarium, nonne calumnias veſtras publice revocare, & mendacia veſtra fateri coacti eſtis, ipſi & facto & jure notorie infames, ac omni veritatis fide deſtituti, quid lucrati eſtis adverſus Eraſmum Roterodamum, Fabrum Stapulenſem, & Petrum Ravennatem, certe numerati ſunt dies veſtri, & Dominus complevit illos, victoriæ veſtræ ceſſaverunt, & ſcholæ veſtræ conticuerunt, & ſplendor ſophiſmatum obſoleviſt, declinaſtis ad interitum plane perituri, quia jam nimium toleravit mundus, inſanabilem inſcitiam veſtram, jam nimiũ cognovit fucos & technas veſtras, ideo obſoleverunt in vobis dignitatis inſignia, & contumelioſum factum eſt nomen veſtrum, quo gloriabamini nuncupari MAGISTRI NOSTRI, nihil fidei vobis reliquum eſt, qui quoties deprehenſi eſtis probis viris palam falſam objicere, toties benedicta calumniari, toties non intellecta damnare, toties impegiſſe in manifeſtam veritatem, & tanta nominis, famæ, honoris jactura, nondum facti eſtis ſapientiores, propterea diviſum eſt à vobis regnum veſtrum, & datum eſt laicis, & mulieribus, & idiotis, qui præcedunt vos in intelligentia ſcripturarum, abſcondit enim illam Deus à Sapientibus & Prudentibus veſtris, & revelavit illam parvulis ſuis. Nonne generoſus dominus Gulielmus ab Iſenberg, licet homo laicus, & nullis Scholaſticis diſciplinis imbutus, occluſit ora Theologorum Colonienſium, & ad deprecandum ulteriorem diſputationem adegit? Sed & quis credidiſſet, Theologos in rebus fidei & conſcientiæ, non ſolum amore, odio, invidia peyerti, ſed nonnunquam etiam flecti conviviis, & muneribus abduci à verò, niſi ipſi illius ſceleris fidem feciſſent in Anglicani matrimonii damnatione, ſed modo revertamur. Non tam rigide judicandum docet Eccleſia, quæ quondam ſub Gelaſio Papa dijudicans ſcripta authorum, inter cæteros

teros de Euſebio Cæſarienſi ſic ait: Chronicon Euſebii Cæſarienſis, & ejusdem Eccleſiaſticæ hiſtoriæ libros, quamvis in primo narrationis ſuæ libro tenuerit, & poſt in laudibus atque excuſatione Origenis ſchiſmati, unum ſcilicet ſextum librum conſcripſerit, propter horum tamen ſingularem noticiam, quę ad inſtructionem pertinet, usquequaque non ducimus rejiciẽdos, ita namque recitat Gratianus in cap. ſancta Romana x v. d. ad hunc modum, ſi & hodie agerent Theologi, & non ex truncatis & fruſtulatis articulis, aut ex leviter erratis, eruditis viris tot ſtruerent calumnias, minus haberent tragœdiæ, nec metuere cogerentur ſciſmaticos & hæreticos, eos quos perſecuti ſunt adhuc Catholicos & Orthodoxos, quos cum neque ſchiſmatici neque hæretici eſſent, ob eruditionis invidiam, rixis & contentionibus expulerunt ab Eccleſia, in caſtra ſchiſmaticorum & hæreticorum, ſic Tertullianum refert Hieronymus clericorum invidia pulſum Eccleſia, ſic Chryſoſtomus, ſic Athanaſius, viri Chriſtianiſſimi, olim propulſi ſunt, ſic Arrius vir doctiſſimus, ſic Sergius Monachus in Eccleſię perniciem excitati ſunt, eisdem artibus hodie Lutheranum malum, ex modica ſcintilla in vaſtiſſimum incendium excrevit, quod ab initio facile ſedari potuiſſet, ſi Lutherus tractatus fuiſſet aliquanto civilius, quando non adhuc repugnaret Romanæ Eccleſiæ, ſed quorundam monachorum indulgentiariorum intolerabili improbitati, atq; quorundam prælatorum tyrannidi ſeſe opponeret, qui illum tandem adverſus hanc exagitarunt, melius quieturum, ſi per illos licuiſſet, ſed revertar ad meum inſtitutum.

III.

DIco igitur, quam iſte articulorum exceptor primam aſſertionem vocat, nequaquã eſſe aſſertionem, ſed diſputandorum, inquirendorum & perſuadendorum thema. totiusq; declamationis argumentum, expectans diverſum, ab alio vel alio tẽpore declamari. Quod autem non ſit aſſertio, ipſa quę ſequũtur verba palam faciunt, ubi ago: Ea autem modeſtia hanc ſententiam meam à vobis accipi volo, ut me nec alios velle reprehendere, qui diverſum ſentiunt, nec mihi aliquid arrogare inſolẽtius putetis, in quibus verbis palam ſignifico, me nequaquam omnia & ſingula, quæ in ea declamatione dicuntur, velle pro veris aſſerere, & adverſus quæ nulli liceat repugnare, ſed me de illis per modum opinionis, cum patientia oppoſiti, citra veritatis regulam probabiliter velle declamare. Non enim omnis qui diſſentit diſputando, protinus damnat, neq; qui ſibi

nihil insolenter arrogat, adversus diversum sentientes, protinus asserit, aut pertinaciter defendit. Recentiores Theologi sexcentis locis dissident à dogmatibus veterum, & inter seipsos etiam contrariis opinionibus depugnant, neque tamen sic sua asserunt, quod adversariorum placita, veluti blasphemia, & hæretica damnent, præsertim in illis conflictationum suarum thematibus, de quibus nihil in utramvis partem determinavit Ecclesia.

IV.

CVm igitur istud sit thema declamationis meæ, quod ego multis admodum rationibus, exemplis, & authoritatibus persuadere aggressus sum, si qui sunt, qui illud improbare volunt, ipsorum erit meas argumentationes primum destruere, non meum erit de novo causam dicere, nam dare instantiam non est solvere, sed objecta oportet diluere. Cuperem enim audire solutionem argumentorum illorum quæ ibidem adfero, atque hic articulatores isti magis muti sunt quam pisces. Numerant thema hoc inter damnabiles assertiones, nempe detrahit lucro facultatis, quod timent ne omnino crescat, si persuasa fuerit hæc propositio, rationes autem illius relinquunt omnino intactas. At demus jam assertionem esse, & liceat mihi cum Sophistis sophisticari, tunc dico, esse propositionem indefinitam, ad cujus veritatem sufficit unam ejus singularem esse veram, neque enim negare poterunt, esse plerasque artes & Scientias animarum saluti nocivas, quod si deserta Logica sua, dicant mihi receptum apud jurisperitos, indefinitam æquipollere universali, verum fatebor, nisi non sit eadem ratio & conditio omnium singularium sub illo universali comprehensorum, quia tunc indefinita non æquipollet universali, sicut hoc declarat glossa magna in c. ut circa de electio. lib. 6. & Dinus sub rubrica, de reg. jur. lib. 6.

V.

SEd cum turpe sit Theologis sine scriptura loqui, quas scripturarum machinas expugnando huic themati, (quam falso assertionem vocant) admoveant, nunc discutiamus, ut ita tandem manifesta fiant, illorum doctrina atq; voluntas, ajunt Augustinum demonstrare artes liberales cuilibet Theologo Doctori, aut esse necessarias, aut maxime conducibiles. Memini ego Augustinum in principio operis sui adversus Cresconiū Donatistam, longo sermone excusare Grammaticam eloquentiam, &

tiam, & Dialecticam sibi à Cresconio objectam, ostendendo multis persuasionibus, si quis illis recte utatur, non officere Theologicę veritati, conducere autem plurimum ad institutionem, si quis rationum suarum argumenta cum eleganter & ornate, tum recte & ordinate proponat. Idem etiam in doctrina Christiana disputat, non autem veluti fidei articulū statuit, à quo non liceat dissentire. Nam in libro secundo de doctrina Christiana expresse dicit: Absque jactura non perspici genuinum dogmata, nisi sanguine Christi tingantur, quin & experiundi ejusmodi disciplinarum facultatem, vix his largitur, qui scientia sacrarum literarum sunt formati, & jam extra periculum positi, & in opere contra Academicos, palam fatetur, vetissimas Philosophiæ disciplinas, non esse Philosophiam hujus mundi, quam merito nostra sacra detestantur, sed alterius intelligibilis, qua excitatæ animæ, in semetipsos redire & respicere patriam etiam sine disputatione possent. Quomodo enim Theologiam docuit Christus? quomodo docuerunt Apostoli? quomodo instituebantur Theologi tempore martyrum? Sanctus Anthonius, Sanctus Panutius, & plures Sancti anachoritæ, Theologi fuerunt: item Theologæ fuerunt, sancta Agnes, sancta Lucia, sancta Anastasia, & pleræque aliæ Sanctæ virgines & fœminæ, tamen illas artes liberales, & gentilem Philosophiam non didicerunt; nec erat tunc illa Philosophica & contentiosa Theologiæ traditio, quæ hodie in Scholis recepta est, tantum ergo abest, quod artes liberales necessariæ sine ad Theologiam, ut qui illis se crediderit, verus Theologus esse non poterit, in quem qui cupit evadere, oportet instructum esse ad pietatem, non ad contentionem, parere scripturis, non fidere syllogismis, ignorare Aristotelem, & scire Christum. Iam vero ex quo articulator iste adversum me argumentatur disjunctive, inquiens aut necessarias, aut conducibiles, non potest me urgere, nisi ad alteram ejus partem, utque liberum sit mihi utram velim eligere, Concedam itaque, duntaxat esse conducibiles, sed necessarias constanter negabo, conducibiles autem, haud aliter, atque venenum in theriaca, quod tamen in se est pernicioſissimum, neque aliter de illis sentit Hieronymus, exponens illud, Quomodo captiva ducenda est in conjugem, atque ego in capite de Scholastica Theologia, quę est ex divinis eloquiis & Philosophicis rationibus composita, fateor illam & judicio, & intellectu plenam, & revincendis hæreticis non parum utilem, præsertim ubi decretis Philosophiæ & Dialecticis argutiis sic innituntur, ut sint aliqua ingeniosa disputatione

constringendi, & tanquam Golias proprio gladio jugulandi, cæterum nihil pertineant ad negocium fidei Catholicæ, neq; quod adversus illos dicitur, decet odiosè pertrahere ad hæresim.

VI.

QVas autem huc adducit ex proverbiis ancillas, his ego expono ex Genesi, ejice ancillam & filium ejus foras, sed jam receptum est apud Theologos, argumenta & rationes ex allegoriis deducta, non probare, vel improbare aliquid necessario, & ego de illis dicam paulo inferius.

VII.

PRoinde ex his tam belle productis, infert iste articulator. Qui ergo eas damnat (puta artes liberales) is est, de quo Apostolus dicit: Animalis homo non percipit ea, quæ sunt Spiritus Dei, cui ego respondeo verbo Christi: Vade retro satanas, non intelligis ea, quæ sunt Dei. An soli Magistri nostri, & Scholastici Sophistæ, homines sunt, & spirituales, cæteri omnes, stipites sunt, aut fungi, aut asini, quicunque non sapiunt, quod ipsi sapiunt. Paulus vocat animales homines, qui ducuntur humanis affectibus, unde Iacobus appellat animalem sapientiam, quæ tumet humanarum rationum & syllogismorum fiducia, carens Spiritu Dei, quales sunt qui pro suo affectu citant & torquent, & interpretantur, & applicant scripturas; ex humanis ratiunculis, & Philosophia gentium, quærentes quæ suæ sunt, nō quæ sunt Dei, non omnes ergo Magistri nostri, non omnes caputiari, & cucullati, spirituales sunt, si vitiorum quorumlibet genere fœdati, superba hypocrisi, insatiabili avaritia, impudenti calumnia, odio, ira, invidia, & tecta cuculla luxuria, postergata imitatione Christi, affectiones sequuntur animales, quantacunq; licet contentiosa loquacitate præditi sint, & humanarum scientiarum opinionibus inflati, sed qui ad sacras scripturas, etiam vitæ, morum, ac fidei rationes accommodant. Nonne Aegyptii eruditissimi & scientissimi erant in omni genere, disciplinarum, & tamen in Deuteronomio dicit Moses, non intellecta ab illis miracula, quæ in Aegypto facta sunt, & mari rubro, quia Dominus non dedit eis cor intelligens opera sua, sic caro quia non suscipit verbum Dei, etiam non intelligit opera Dei, quæ solus credit & admiratur, qui sentit Spiritum Dei in se operantem. Vbi ergo didicit iste articulator, artes liberales? & si quæ reliquæ sunt humanæ artes & scientiæ, esse Spiritus Dei, quū aut omnes, aut plurimæ illarum sint effectus peccati. nisi

nisi enim peccasset Adam, aut nunquā aut frustra futuræ fuissent illæ artes atque scientiæ, quę ex carne atque sanguine sunt humano studio, & terrena diligentia conquisitæ, non à Spiritu Dei influxæ, quæ etiam licet non raro aliquid recte & vere de divinis disserere queant, nullam tamen propterea merentur laudem divinitatis. Nonne confessio Nathanael, similis erat confessioni Petri, dum diceret Nathanael ad Christum: Rabbi tu es filius Dei, tu es Rex Israel, & Petrus dixisset: Tu es Christus filius Dei vivi, tamen solo Petro dicitur à Christo: Beatus es, quia caro & sanguis non revelavit tibi, sed Pater meus, qui in cœlis est. Nathanael autem redargutus est, sicut hæc dilucide declarat Chrysostomus, Homilia quinquagesima quinta super Matth. Animalis igitur homo est, omnis qui ex carne & sanguine, & voluntate viri, natus licet in animam viventem, nondum tamen regeneratus ex Deo, Dei filius factus est, nec accepit inhabitantem in se spiritum Dei. Hæc autem quæ ad scientias attinent, ut intelligantut etiam ab eis, qui in Theologica palestra non sunt admodum exercitati paucis verbis explicabimus, dicentes, duplex esse scientiarum genus, unum quod ex principiis naturali intelligentiæ notis eruitur, ut sunt Arithmetica & Geometria, sive quod ex præcedentis scientiæ principiis dimanat, ut Musica & optica ex Arithmetica & Geometria, & ille à Peripateticis proprie dicuntur scientiæ, ad quarum perceptionem opinabilia phantasmata opitulantur, quæ insensu incipiunt, atque ea semper fuit omnium ætatum unanimis Scholasticorum sententia, ut humano intellectu non capiantur, quæ prius in hominis sensu non fuerunt. Quæ igitur intellectus non capit, de his neque ratio, neq; illius discursus quicquam discernere, aut judicare potest, quæ ergo sensum omnino effugiunt, de his nulla potest esse proprie dicta scientia, quæ autem sensu percipiuntur, infra scientiam sunt, sic quæ nec sensuum apprehensu, nec rationis discursu, nec Logici artificii argumentis acquiruntur, sed nobiliori quadam noticia, à mentis lumine supernæ illabuntur hæc longe certiora & solidiora supra proprie dictam scientiam sunt. Nam quum à natura prorsus, & ab omni materia & motu sint essentialiter absoluta, nulla erit eorum proprie dicta scientia, sed alius generis, firmior & validior noticia, cujus possessio, ut fatetur Aristoteles, videtur magis divinitus illabi, quam humanitus acquiri, unde etiam in resolutionum posteriorum libro dicit, immediatorum scientiam indemonstrabilem esse, & Beatus Athanasius libro tertio contra Arrianos ait: Simplicitatis

plicitatis fides melius est, quam curiositatis persuasiva ratio. Item in opere contra Græcos inquit: Ipsa quidem de cultu divino, & de universorum veritate cognitio, non tam instituta ab hominibus doctrina eget, sed à superis habet notorium suum, & Gregorius Nazianzenus libro secundo, Theologiæ ait. Non comprehensibile fore humano discursui divinum, neque totum, quicquid contingit imaginari, & Lucius Aurelius Commodus, in oratione pro Christianis, coram Marco Aurelio Antonio habita, ostendit, divinis dogmatibus, non eisdem argumentis, quibus de humanis artibus posse persuaderi.

Est enim (ut ait Iob) Deus magnus, vincens omnem scientiam nostram. Cognitio igitur supernaturalium & divinorum, ab inerrabili mente pendet, non è ratione, quæ potest errare, quæ ut idem fatetur Aristoteles, non minus falsum suscipit quam opinio, his ita prænarratis dico scientiam omnem, de qua ego in Declamatione mea loquor, & quam Aristoteles proprie dicit scientiam, scilicet habitum conclusionis per demonstrationem acquisitum, esse animalem, carnalem, & erroris admissivam, quæ non potest comprehendere, quæ sunt Spiritus Dei. Scientia autem, de qua in allegatis per articulatorem scripturis agitur, esse alius generis scientiam, videlicet spiritualem, & adeo influxam, de qua alibi ait Ecclesiasticus: Fons sapientiæ verbum Dei in excelsis, & ingressus illius mandata æterna, quæ ipsa etiam duplex est, una contemplativa, in qua lumen Spiritus sancti, cadens super intellectum nostrum, moneat liberam credendi voluntatem, & hæc est, cujus veritas sola est ab authoritate revelantis, & in qua nullus dominatur syllogismus, & hæc dicitur sapientia, & domina, & sponsa. Altera est scientia actualis, quæ & activa, sive practica, sive scientia mandatorum dicitur, & ipsa quidem via est ad spiritualis scientiæ lumen, per emendationis gratiam, & operæ charitatis, promovens intellectum, sicut scriptum est: Beati mundo corde: quoniam ipsi Deum videbunt, & ista bona opera, & virtutes morales, & purgatoriæ, sunt illæ ancillæ, de quibus loquitur Salomon, in loco ab articulatore citato; non illæ scientiæ carnales & mundanæ, quæ in eodem loco designantur per mulierem stultam & clamosam, cujus convivæ sunt in inferno, de quibus scientiis dictum est per Apostolum In multa scientia multa indignatio, & quod scientia inflat. Et alibi per Esaiam: Scientia tua, & sapientia tua, ea ipsa decepit te: Et Ecclesiasticus ait: qui addit scientiam, addit dolorem. & Hieremias ait: Stultus factus est omnis homo à scientia, nihil,

hil siquidem ad fœlicitatem consequendam pertinet, (ut ait Augusti: in Enchiridio) scire quæ in naturæ sinu occultantur, causas corporalium motionum, unde tremor terris, quia vimaria alta tumescant obicibus ruptis rursusque in seipsis residant. Quod si causæ corporalium motionum noscendæ nobis essent, nullas magis nosse, quam nostræ valetudinis deberemus, quia vero eis ignoratis, Medicos quærimus. Quis non videat, reliqua quæ de secretis cœli & terræ nos latent, quanta patientia sint nescienda, huc accedit etiam allegoria Iacob, qui ex ancillis & uxoribus genuit populum Dei, nec adulteratur in ancillis, quia sponte illas obtulerunt uxores, dummodo ipsæ susciperent proles ex ancillis, ita etiam si in rebus creatis speculandis, & inquirendis delectatur homo, non peccat, modo omnia dirigat in Deum, & in ejus contemplationem.

VIII.

SCio in primitiva Ecclesia institutas fuisse Christianas scholas, in quibus utriusque sexus juventus, non in humanis artibus, quæ in prophanis Academiis tradebantur, sed in fidei disciplina erudiebatur à senioribus Ecclesiæ, ex quibus scholis deinde tot sacerdotum collegia, tot monachorum monasteria, tot fratrum sodalitia, saluberrima fœcunditate pullularunt, quæ nobis priscis illis temporibus, tot sanctissimos pariter & doctissimos Theologos accerrimosque fidei propugnatores dederunt, qui non in Dialecticis contentionibus, & scientiis mundanis incumbebant, sed in doctrina Spiritus, & ostensione virtutis, ut Dii prope putarentur, ubi autem posterioribus temporibus, collegiorum præsides, & monasteriorum abbates, aucti opibus, ocio tepescerent, & cura temporalium distraherentur vetere instituto, cautum est à Romanis Pontificibus in suis decretalibus; de Magistris in celebribus Ecclesiarum collegiis cõducendis. Verum non qui Poetarum fabulas, aut Aristotelis contentiosos syllogismos, & Mathematicos labyrinthos, & quæ prophanarum Academiarum professiones sunt doceant, sed qui Grammaticam & linguas doceant, Hebraicam, Græcam, Latinam, Arabicam, Chaldaicam, quod conducant ad intelligentiam scripturarum, & plus quam omnes reliquæ artes & scientiæ, & in Decretis distinct. 9. recitantur Augustini verba, ut veterum librorum fides de Hebræis voluminibus examinanda est, ita novorum veritas Græci sermonis normam desiderat, hinc Augustinus contra

Cres-

Cresconium Donatistam, jam per articulatorem superius citatum, sese excusans ostendit, sermonis elegantiam, & Grammaticæ noticiam, rectamq; rationandi disciplinam, posse plurimum conferre, atq; tamen hunc eloquentiæ ornatum, hancque linguarum peritiam, hodie Scholastici Theologi junctis phalangibus tanto odio prosequuntur, ut eas veluti omnium schismatum & hæresium causas, ab omni loco exterminari velint, nec eloquentiâ, nec quicquâ elegantis disciplinæ pati possunt, introductis vice illarum rixosis sophismatibus, nec se ullo modo nisi eversis bonis literis fore incolumes putant, & quũ non admittatur ad Theologiam, qui ignorat parva logicalia, admittitur qui nescit Grammaticam, quam si iste articulator didicisset, non fuisset interpretatus pro declamatione assertionem.

IX.

QVod autem per artes liberales declaratur scriptura, & confundantur hæreses, hoc ego nunc primum edoctus, hactenus nescivi, fateorque hanc meam profundam dormitantiam, fateor ingenii mei tarditatem, qui hoc non sum assequutus. Heu me ter infelicem, qui credidi sacram scripturam à nullis humanis disciplinis accipere lumen, sed ipsam cæteras omnes illuminare, dijudicare & discernere, putavique hæreses suum robur, & fundamentum habere in scientiis humanis, quod ego per totam illam Declamationem meam, multiplicibus argumentis, rationibus, authoritatibus, testimoniis, exemplis, demonstrare conatus sum. Nam Hieronymus in Psalmum centesimum scribens, syllogisandi artem, Theologiæ applicatam, comparat plagis Aegypti, & in Psalmum 143. interpretatur Dialecticam esse illam latam viam quæ ducit ad mortem, & ad Damasum ait de Hebraicis disputantem, non decet Aristotelis argumenta conquirere, quin & legi Ambrosium Letaniis addidisse, à Dialecticis, libera nos Domine. Nam garrula Logica, Theologiæ plus obest, quam confert. His & similium authoritatibus persuasus, putavi non posse fidei Christianæ robur, atq; lumen, aliunde pendere, quam ab ipso verbo Dei, & Iesu Christi, qui est gladius spiritus, & gladius oris Domini, qui solo confunduntur hæreses & interficitur homo peccati.

X.

VErum Doctores Scholastici, super primum sententiarum scribentes, ubi tractant eam quæstionem, an Theologia sit sui

sui gratia, & an cæteræ scientiæ ad eam ordinentur, communiter concludunt, illam sui causa esse, & ad nullam scientiã externam constitutam, sed cætera omnia scientiarum genera, sic ad eam statuta, ut ipsa sit dominatrix, & rectrix omniũ, non quod ipsa à cæteris instruatur, aut elucidetur, egeatq; illarum ministerio, & Augustinus libro secundo, capite trigesimo primo, contra Cresconium Grammaticum, disserit de scripturis sacris, quas Ecclesiæ Canon complectitur, omnino non licere judicare per humanas scientias, sed secundum eas de cæteris literis & infidelium judicandum, quod malitiose dissimulavit articulator, qui Augustinum contra Cresconium hic pro se citavit, nunc si id præstare possunt artes liberales, ut per illas elucidetur scriptura, & cõfundantur hæreses, longe ego aberravi à scopo, in ea hucusq; opinione versatus, hanc esse unam Theologiæ pestem, ex humanis dogmatibus interpretari divina, vixque aliter sentire potuissem, ni iste articulator me revocaret, ostẽdens etiam sapientis & Apostoli testimoniis, quod artes liberales, quia elucidant scripturam, vitam æternam habebunt, & qui eas ignorat ignorabitur, quodq; propterea captiv⁹ doctus est populus, quia non habuit illarum scientiam. An non suave quippiam est adeo esse divitem scripturarum, qui non miretur sapientiam Lovanienſium Theologorum, quis tot ac tantis scripturarum testimoniis, tam appositæ citatis, non revinceretur hæreseos, & ad palinodiam adigeretur. Pudet me vere meorum lapsuum, qui hactenus nesciverim ejusmodi dogmata, certe non habeo, quod ad hæc respondeã, quia nihil in illis habetur responso dignum, quæ & lectione sunt indigna, sed sperabat isto articulator, solis barbaris & ignavis cerebellis loqui, non discreturis, quid veri in rebus, & quid falsi sit, atq; ideo sibi licere omnia. Dico igitur quod intellectum sacrarum literarũ pendere atque colligi ex artibus liberalibus, nisi Grammaticã intelligamus accipi, error est, nec ostendi potest aliquis, qui scripturam sacram per Dialecticã & artes liberales sit interpretatus, quodque id illi licuerit, quod qui facere præsumserit, quemadmodum asina Balaam sonabit, & loquetur, ignorans, quid dicat, nihil enim commercii Christianæ fidei, cum artib. prophanis, nihil Dialecticis argutiis, cum divinæ sapiẽtiæ mysteriis. Christus illa docet, non Aristoteles, gratia hęc largitur, non ratiocinatio, non afflatus illa pstat, non syllogismus, non à logicis consequentiis nomen habet Theologus, sed à divinis oraculis, ab ipso inquam verbo Dei. Ad scripturas autem contra me citatas, dico articulatorem esse hæreticum, siquidem

hæres

HAVRDS BIBLIOTEEK VAN DE UNIVERSITEIT AMSTERDAM

hæreticus est, quicunque aliter scripturam intelligit, quam sensus spiritus sancti efflagitat, ut habetur 24. quæst. 3. Hæresis secundum Hieronymum, atque est revera hæreticum, sacram scripturam obstinate ad hæreticum sensum detorquere, & non bona fide citare.

XI.

ITa ne tandem corruit, vetus illud & Græcanicum proverbium: Nihil scire fœlicissima vita, quod si à me repertum esset, erat fortasse, quod infelix articulator iste contra me succenseret, sed quum videar illius patrocinium suscepisse, quia posui illud in præliminari pagina declamationis meæ, experiar si forte commodiore interpretatione, potero illud, aut tueri, aut excusare. Neque vero hic ingrediar disputationem illam profundissimam; de nihilo ex quo cuncta creata sunt adeo, cujus scientia proculdubio fœlicissima est, sed obsequentes articulatoris hebetudini, ignorantiam tuebimur, facit igitur pro illo, in primis quod ait alicubi Augustin. Deum videlicet potius ignorantia quam scientia attingi. Atque quæ modo major fœlicitas, quam attingere Deum? Hinc Dionysius ad Caium, ignorantiam perfectissimam scientiam vocat, & de ipsa ignorandi scientia, passim in multis locis mentionem facit. Et Philo. Hebræus in quæstionibus super Genesim ait: Finis scientiæ in Deo reconditus est; quem etiam testem animavocat cum pura conscientia confitentur suam ignorantiam, sola enim novit anima, quia nihil novit firmiter. Non est ergo vera & perfecta scientia (ut ait Nicolaus de Cusa) qua quis credit se scire, quod scire nequit, sed ubi scire est se non posse scire. Nonne cæcus aliquis audiens quempiam de Solis claritudine quanta sit, multa docentem, arbitrabitur, per hæc ipsa quæ audierit, habere se aliquam solaris luminis scientiam, quod tamen ignorat, quia lux solo visu attingitur, videns autem, quum viderit claritatem solis visum superare, fatetur se illam penitus ignorare, habetque cum luminis illius experientia, etiam ignorantiæ scientiam. Cæcus vero, neque ignorantiæ scientiam habet, neque ullam illius, quod se scire putat experientiam, sic multi Philosophi & Magistri humanis scientiis clari, sed oculo mentis cæci, & suæ cæcitatis scientiam non habentes, putantes se videre, obdurantur in assertionibus suis. Sic multi, qui se Theologos dicunt, cum habent scripturam, in qua veluti in agro absconditus est thesaurus regni Dei ex sola agri possessione, sese divites putant, & scripturarum prodi-

prodigi, quæcunque in patribus alicubi legerunt, ad suas opiniones illustrandas, pro lapidibus preciosis (tanquam de thesauris suis nova & vetera) sine judicio producunt, putantes se statuere articulos fidei, quum longissimè nonnunquam aberrent à scopo veritatis. Qui autem videt sibi thesaurum agri manere absconditum ab oculis suis, in hoc sapientior est cæteris, quia scit se pauperem, quod illi ignorant, unde Algazel in sua Metaphysica ait: Quisquis per probationem necessario cognoscit, & apprehendit impossibilitatem suam, ipse sui est cognitor, & apprehensor, quoniam apprehendit scire ipsum à nullo posse comprehendi, & hæc est fœlicissima illa ignorantia, quæ longissime superexcellit omnem humanam scientiam, quam profectus mihi videtur Cotta apud Ciceronem omnibus ferè, inquiens, in rebus, quid non sit, quàm quid sit dixero, & facer ille Dionysius ait, tutiores circa Deum esse negationes quam affirmationes, quod etiam divus ille Plato in Parmenide inprimis observat, & in Epistola ad Dionysium regem servari jubet, denique de hac ignorandi scientia, multi sancti & mystici Theologi, editis libris profundi locuti sunt, inprimis beatus ille Dionysius Areopagita, item Marius Victorinus ad candidum Arrianum. Item Theodotus in eo libro, quem inscripsit clavem Philosophorum. Item Ioannes Scotigena in tomis paraphraseos, & Ioannes Mosbacensis, in commentariis Proculi. Item Maximus monachus, Hugo de sancto Victore. Robertus Linconiensis, & prænominatus Scotigena. Commentatores in mysticam Theologiam Beati Dionysii supra dicti. Ex recentioribus verò Nicolaus de Cusa Cardinalis, de hac doctissimum librum conscripsit, quem de docta ignorantia intitulavit, tum etiam in aliis plærisque suis opusculis, de eadem commeminit. Sed condonemus huic articulatori, suam, non doctam, sed crassam ignorantiam, qui pauca legit, & minus quæ legit, intelligit, & ut sine judicio patrum authoritate devoravit, ita incoctas, & indigestas, hic illas contra me evomuit, & impotenter depravando detorsit, ad firmandam calumniam, cui se addicavit, qui quum sit tam doctæ ignorantiæ incapax, melius imposuisset ori suo silentium, & quod intelligere nequit, admiraretur potius quàm morderet.

XII.

NVnc ad secundam assertionem mihi respondendum est, quæ quum de rigore sermonis nullum contineat errore,

addivinat ille argutulus articulator sensum, quem impugnet, inquiens: Quasi vellet innuere, &c. nec aliam scripturam contra me producit, præter Aristotelem, &c. si quis artem. 36. d. in quibus cardinem victoriæ locat, ac si obligarent nos tanquam articuli fidei. Hîc ego primùm respondeo, quod ad revincendum aliquem hæreseos, aut impietatis, non valet argumentum à quasi, sed ut inquit Hieronymus ad Ctesiphontem, quod à nobis asseritur, sacrarum scripturarum testimoniis asserendum est, in quibus quotidie credentibus loquitur Deus. Idem Psalmo 98. ait: Omne quod loquimur, debemus affirmare ex scripturis sanctis. Et in Epistolam ad Titum dicit, sine authoritate scripturæ, garrulitas non habet locum, quia ut inquit super 23. cap. Matth. quod de scripturis non habet authoritatem, eadem facilitate contemnitur, qua probatur. Hinc Origenes super Hieremiam homelia prima: Necesse est (inquit) nobis scripturas sanctas in testimonium vocare, sensus quippe nostri, & enarrationes, sine his testibus, non habent fidem. Deinde scire cupio, an hæreticus est, qui contradicit Aristoteli, aut non credit illius somniis. An periculum est, subversam in religionem Christianam, si quis alicubi dissentiat ab Aristotele, aut Gratiano, quum secundum Speculatorem, Ioan. Andr. Panorm. Felin. Paul. de Castr. & cæteros Iurisconsultos. Gratianus nunquam habuit authoritatem quælibet canonisandi, atque ipse Scotus, bonis rationibus motus, dicit, sibi non esse manifestum, quod Canones per Gratianum collecti, omnes obstringant, ego hoc dico, & firmiter asseró, non valere consequentiam, hæc propositio sive assertio est contra dicta Aristotelis, aut etiam Augustini, aut Gratiani, aut contra alium quemvis Doctorem Ecclesiæ, ergo est hæretica, impia, aut scandalosa. Hæreticus nemo pronunciandus est, nisi quia Apostolicis authoritatibus, erroris contra fidem & Ecclesiam publicè convictus, mutare noluerit insana dogmata. Quod si quis etiam habeat erroneam opinionem, de rebus fidei, adhuc per Ecclesiam non determinatis, modo in voluntate ejus nulla sit macula, ille nec peccat mortaliter, nec dicendus est hæreticus.

XIII.

SI calumniandi passio, non incessisset hunc articulatorem, intelligere poterat, me loqui de bonitate operativa, quæ est habitus voluntatis, sive voluntas confirmata consuetudine, in operandis bonis, ad quam bonitatem parum aut nihil scientiæ

scientiæ operantur, quod ipse verum fatetur Aristoteles, inquiens, scire parum aut nihil operatur ad virtutem, siquidem in humana anima, voluntas Imperatoris vicem gerit, cui subsunt & parent omnia. Scientiæ verò, & artes, atque memoria, cæteræque apprehensivæ virtutes, consiliariorum vice funguntur, utilitates & pericula præmonstrantes, nunciantibus sensibus, cæterisque viribus exequentibus. Manifestum enim est, quod ut res vel benè vel male administrentur, totum hoc à bonitate vel malitia imperatoris illius (voluntatis inquam) pendere. Nam tollatur ab homine bonitas voluntatis, etiam datis & positis illi omnibus scientiis, malus homo dicetur, adsit bonitas voluntatis, etiam ablatis reliquis omnibus, homo bonus erit. Quod autem ad veritatem attinet, Petrus Apostolus non aliter probat fidei veritatem, quàm ex Doctoris certitudine. Cur non idem licebit de scientiis! & hanc fuisse intentionem meam, facilè intelligere potuisset, si iste Aristotelicus Theologus, Magistrorum nostrorum parasitus, amaret veritatem, & integram declamationem meam attente legisset. Oportet enim, qui scribentis in re aliqua mentem investigare velit, ut omnia attentè legat, & in unam conformem sententiam conferat, facilè enim est ex truncatis scripturis, aliquid reperire, quod offendat.

XIV.

VErum minimè hac in re me refellere quibus, sed connectere nugas frustrà conaris, quum allegatus per te canon, duntaxat benedicendi & rationandi disciplinas se non improbare dicat, cæteras artes liberales dicat non esse scientias pietatis, esse autem scientias pietatis, nosse legere scripturas, & intelligere Prophetas, Evangelio credere; Apostolos non ignorare. Et ibidem in c. ideo prohibetur, interpretatur ex verbis Isiodori, illud Apostoli: Qui ignorat ignorabitur, quod de eo intelligendum sit, qui noluit intelligere, ut benè ageret. Denique tota illa distinctio, cum sequenti, plus adversatur huic articulatori, quàm patrocinatur. Hæc est illa ignorantia, propter quam captivus ductus est populus, sic enim prosequitur hunc sermonem Propheta, inquiens: Abjecerunt enim legem Domini exercituum, & sermonem sancti Israël blasphemaverunt, propterea iratus est furor Domini in populum suum, non exprobratur illis ignorantia artium liberalium, & Philosophiæ, sed ignorantia legis, & sermonum Domini, ipsius inquam verbi Dei.

HAVIOBARBIBLIOTECA OHNE STEMPEL

XV.

POST hæc scientificus articulator, plenus aurarum buccis, colligit magnam congeriem aliarum propositionum, quas omnes uno homine damnandas, eodemque vase simul in barathrum detrudendas censet, vocans eas piarum aurium offensivas, ex quo probabiliter conjicio, priores illas, quibus jam respondimus, censeri ab illo hæreticas, & blasphemas, quum ea sit doctrinalis inquisitionis scholastica consuetudo. Primò hæreticas, & schismaticas, deinde scandalosas, & piarum aurium offensivas, per ordinem locare. Nunc ergo propositiones illas, quibus tam impiè pias aliquorum Arcadicorum Theologorum aures offendi, examinemus, si prius illos admonuero, ut caveant, ne quando dum putant in meis scriptis offendi, sibi ipsis temerè judicando offendiculi sint authores.

XVI.

HArum prima habet, Canones sacerdotes sublatis honestis nuptiis turpiter scortari compellunt. Hic puto offendit verbum compellunt, quod iste articulator in pejorem partem interpretatur, ac si dixissem: Canones præcipere scortationem, sive illius esse causam, quum hoc verbum compellunt, eo loci positum sit occasionaliter in subjecto, non causaliter in efficiente, aut si malint dicam logico more, occasionaliter in prædicato; non causaliter in subjecto, neque in citra consuetudinem Latini sermonis, etiam Scholasticis Theologis usitatum, ut quum asserunt Deum esse occasionem mali, sed esse causam mali negant, neque aliud sonat hîc compellunt: quam incontinentes & urentes sacerdotes, matrimonio jungi non permittunt.

Loquor enim non de castis sacerdotibus, sed de concubinariis, & turpiter viventibus, quorum ubique nunc & publica, & magna admodum turba est, quos melius esset habere uxores, quàm tam impuro cœlibatu tenere publicas concubinas, convenientibus ad hæc aliquibus Pontificibus & Episcopis, & accepto in singulos annos nummo aureo, ista permittentibus, nec deest huic turpitudini Canonici Iuris privilegium, quo statuitur concubinam sacerdotis gaudere emunitate, & esse de foro Ecclesiæ, ne à seculari judice conveniri possit, ut habetur in c. si concubinæ de sen. exc. & Dd. communiter tenent.

Atque

XVII.

ATque ad hanc propositionem, rursus infœlix articulator iste, temere obiter pens, divinat sensum, quem sibi statuit impugnare, dum inquit. volens innuere, &c. Huic ergo sequimini dulcem parentem porci, sed liceat nunc etiam mihi contra divinare, quid hoc loci sentiat ipse. Nonne quod cœlibatus sacerdotum sit de jure divino, ita, ut nihil possit in illo humani juris dispositio immutare, atque hoc est falsissimum, & potestati Ecclesiæ derogativum, ac scandalosum. Quum cœlibatus sacerdotum, planè sit juris humani, sive positivi, qui per Pontificem, vel concilium, pro ratione temporum, locorum, personarum, seu alia quavis gravi, seu rationabili causa, potest remitti, mutari, vel omninò tolli. Quinimò, Pium secundum, Romanum Pontificem, olim dixisse constat, ob graves causas, ereptas sacerdotibus uxores, sed ob graviòres, illis fore reddendas.

XVIII.

QVòd autem dicit, à morte Christi nullum Sacerdotem duxisse uxorem, illa sunt adulantis & formidolosi sophistæ deliramenta, quibus tota primitiva Ecclesia, multaq; Romanorum Pontificum diplomata reclamant. Quod si Christus & Apostoli vetuissent sacerdotibus matrimonium, non recepisset illa primitiva Ecclesia, nec indulsissent illa Pontifices, quum lex Evangelica, nec rejici possit, nec relaxari, sed ignoscendum huic desidioso articulatori, qui veterum historias non legit, neque etiam vulgatissimam Theologi Antonini summam consuluit. Nunc ergo quid periculi est, si dixissem, pro statu horum temporum, pro honestate clericorum, melius esse, ut sublato rigore juris, permittantur illis honestæ nuptiæ, potius quàm sub certa mulcta concubinatus: quodq; sacerdotes in cœlibatu turpiter libidini servientes, honesti matrimonii permissione sublevarentur. Neq; verò propterea probo: neq; laudo, eos qui his temporibus sacerdotes, putant sibi licere, contrahere matrimoniũ contra statuta Pontificũ & Ecclesiæ, propterea quod multi contra eadem statuta, publicè teneant cõcubinas: neq; etiã assentior huic propositioni, quod sacerdoti in sacris cõstituto, Papa nõ possit ꝓmittere nuptias, quum hæc per scripturã efficaciter probari nõ possit, neq; per Ecclesiã determinatã sit, illam infallibilem continere veritatẽ. & quæ ad hanc rem adduci possunt sacræ literæ, magis stant à sententia opposita. Et hodie adhuc Græcorũ sacerdotes ducũt

uxores, etiam post susceptum ordinem, neq; propterea habentur irregulares, aut impii, & Romanorum canon, jubet Sacerdotem, qui uxorem duxerit, suspendi ab officio, & ministerio sacerdotali, non à laqueo, & arboribus, liberumq; relinquit, ad officium posse reverti. Quin constat Romanum Pontificem; aliquando Cardinali cuidam permisisse, ut nuberet, atq; susceptа prole, rediret si vellet, ad pristinam Cardinalitiam dignitatem, non ergo habentur pro impiis, sed pro tempore duntaxat irregulares.

XIX.

PRoinde nunc atrox mihi crimen objicitur, quod Lutherum vocaverim invictum hæreticum. Nescio an forte sint, aliqui tam superstitiosè Theologi, qui invideant Luthero nomen hæretici, tanquam illi cum Paulo Apostolo commune, qui in actis Apostolicis, coram Felice præside, confitetur se servire Deo, secundum sectam, quam hæresim Iudæi vocant, verum ego non dubito, quin probent Magistri nostri Lovanienses, quod Lutherum vocaverim hæreticum, sed offendit forte, quod dixerim invictum, quem ipsi cum Colonienſibus complicibus suis, primi omnium doctrinaliter condemnârunt. At ego Lutherum hæreseos damnatum non nescio, sed victum non video, quum ille in hunc diem adhuc proficiat in pugna, regnetq; in animis populorum, quos penes tantam fidem authoritatemq; conciliavit illi plurimorum Sacerdotu & Monachorum & Magistrorum nostrorum improbitas, insciтia, malitia, mendacia, de eventu loquor, non de dogmate, qui etiamsi scholasticissimè oppugnatus sit, si rigidissimè judicatus sit, si augustissimè damnatus sit, omnia tamen infeliciter adversus illum gesta sunt, nec profuerunt, quo minus grassaretur hoc incendium, cui quo plus à Magistris nostris, etiam à principibus & pontificibus repugnatum est, hoc latius dilatatum est, & jam etiã pleriq; Principes & Episcopi, & eruditi, & Theologi quamplurimi, & quædam integræ Academiæ in illius dogmata discesserunt, & populus fere plus favet Luthero, quàm Romanæ Ecclesiæ, atq; Pontifici, quod si victus est Lutherus, quid conclamatur ad generale concilium? Quid tantum negotii facessitur, non solum Magistris nostris (qui illum jam non minus metuunt, quàm olim contempserunt) sed Pontificibus, & Cæsaribus, summis Christianæ religionis monarchis. Certè oppugnatum quàm validissimè Lutherum novimus, victum nondum vidimus.

Primò enim in arenam hanc descenderunt Prioras, Hochstratus,

stratus, Eckius. Sed ita pugnantes, ut nil præter risum reportarent. Successerunt monachi, apud rudem plebẽ contumelioſè cõtra Lutherum vociferantes, quid egerunt, nisi quod ea quæ Latino sermonis à doctis intra scholarum parietes agebantur, sparserunt in vulgus, & Lutherum Saxonice scribere impulerunt, factaque est uberrima hæresium sementis. Prodierunt postea Academiæ Lovanienſis, Colonienſis, Parisiensis, cum suis nudis articulis & doctrinalibus damnationibus, quæ dum fumis & librorum incendiis implerent omnia ac si posset ignis ignem restinguere, Lutheri libros desiderabiliores vendibilioresque reddiderunt. Tandem prodiit terrifica Leonis bulla, hæc adeo contempta est à Lutheranis, ut non dubitarint illam contumelioſis scholiis & glossematibus, sub divo catamidiandam exponere. Additum est diploma Cæsaris nihilo fœlicius successit. Porrò sævitum est hominum carnificina, quid aliud actum quàm truncata Hydræ capita. An hoc est vicisse Lutherum? De eventu loquor non de dogmate, atq; utinam non etiam religioſius prædicaretur Christus ab aliquibus hæreticis, quàm à Magistris nostris. An olim victus dicebatur Arrius, quando plures habebat Ecclesias quam Orthodoxi: quando Romanus Pontifex & Imperator, errant Arriani, quando vix tres Episcopi supereſſent orthodoxi, quando in concilio Arrianorum, plures sederent Episcopi suum dogma probantes, quàm in concilio Ecclesiæ, ubi fuerat damnatum? An victus dicitur Mahumetes, cujus secta in hunc diem latius patet, quam religio Christiana? Iterum dico me de eventu loqui, non de dogmate. Quid ergo peccavi, si dixero Lutherum invictum hæreticum, utinam mentiar, & Lutherus ab istis doctrinalibus damnatoribus, tam fœliciter fuisset devictus, quam fortiter provocatus. Vtinam non solum sit invictus hæreticus, & non etiam hæreticorum victor, magno Magistrorum nostrorum dedecore. Quis enim vicit Anabaptistas? Quis restitit Sacramentariis? Nonne unus Lutherus? Date vos vel unum scriptum Academiarum vestrarum, quo illos vel digitum latum loco moveritis. Quæ utilitas vestra in Ecclesia, an sufficit dicere: damnamus, quia sic determinavit Ecclesia? (ad cujus decreta strenuè fugiunt Magistri nostri, quoties urgentur & hærent in causa, nescientes producere scripturam qua se tueantur.) Certè idem sciunt quicunque analphabeti rustici & idiotæ, idem potuissent suo tempore dixisse Hieronymus & Augustinus, si id satis fuisset revincẽdis hæreticis. O nunc salutarem hæreticũ Lutherum, qui dormiẽ-

tibus Magistris nostris,& longum somnum stertentibus, solus vigilavit pro Ecclesia,illamque tam validis, tam violentis anabaptistarum & Sacramentariorum hæresibus totam pene Germaniam occupaturis liberavit solus. Sed videor hic probare Lutherum, & in hoc quidem probo. Sed nolite irasci, probo non aliter quam serpentem in teriaca, qui quum ipse sit venenum, in hac etiam venenis est venenum: quod si vos nunc tam expediti sitis, ad illum irrefutabilibus argumentis expugnandum, quam olim prompti fuistis, nudis sententiis cõdemnandum,& hactenus bene successerit, pergite cum Cæsare in Germaniam,& clamate fortiter Magistri nostri per me non stabit, quo minus vincatur, sed illud vos amice admonitos esse volo, ut præstantioribus argumentis contra illum agatis, quam hic adversum me utimini,quem auctoritatem scripturę,ut virtute verbi Dei victum esse oportebit. Quod si opinamini, cum Lutheranis non aliis argumentis pugnandum esse,quam fasciculis,& igne,videte,& cavete, ne ipsi vobis respondeant, & flammis,& ferro. Erumpatque illorum hæresis,in atrociorem tempestatem Periculose fortassis ista dico,& Lutheranorum patrocinium suscipere videbor,quemadmodum accepturi sint Magistri nostri, horreo, verum ego me non Lutheranum, sed catholicum profiteor, nec in illorum gratiam, nec in istorum odium,neque ob quorumcunque metum fieri volo hæreticus, & si cecidero in errorem aliquem, quod humanum est, pertinaciter perseverare non intendo,sed ita cecidisse me fatebor,ut sciam me honestissime surgere posse.

XX.

SVccedit aliud crimen,quod theologos vocarim Lenones, si ad hoc probandum, exempla adduxero, ex novellis Bocatii,mox dicturi sunt, illum lusisse jocis, ac si ego hæc dixerim serio,nec liceat mihi,meum jocum alterius joco redimere, sed quod si ego hoc,de uno atque altero theologo verum faciam, ostendamque qui lenocinio functi sunt, nonne stabit illius indefinite veritas,etiam theologos esse lenones? puto non negabunt, sed dicent theologico nomini injurium esse, & piarum aurium (quæ de illis tam altum sentiunt) offensivum. fateor si serio,& injuriandi animo dictum esset, modo quod piaculũ est, si Theologicum nomen admiscuerim argumento jocoso, quod in nullum hominum genus non ludit,quod neque principibus,neque pontificibus parcit,neque sanctis Patriarchis & Prophetis,quo forte non injuria reprehendere potuissent, me ineptire

ineptire ex verbis & exemplis sacræ scripturæ, & irreligiosiore joco ludere. Sed quia etiam ipsi Theologi id nonnunquam faciunt,& à multis fieri solet citra omnem impietatis notam, iccirco transilientes hoc saxum,ad hunc lapidem cespitant, illud in Theologos scanduloſe dictum, ita ut etiam si verum esset, tacuisse oportuerit,ne quid Majestatis Theologico nomini decederet. Est enim hodie receptum in scholis dogma,à Beda Parisiensi profectum,valde suspectum esse de hæresi, quicunque quocunque modo male senserit de Theologis & Monachis, aut de illis irreverentiore sermone loquatur. At quanto irreverentius isti Theologici Magistri nostri,nonnunquam loquũtur de Deo,de Christo,de intemerata virgine Maria,quum disputant illum potuisse supposítare omnem naturam,puta Crocodili;Tortuce,Cynocephali,& illum secundum naturam suã, non minus esse in culina,aut cloaca,quam in cœlo? An mater Christi aliquando senserit primos naturæ motus, sive carnis pruriginem? & dum his obscœniora de Deo,de beatissima virgine, disputare non pudet, offenduntur si quis inquirat. An Theologus possit agere lenonem? an Theologus possit esse non minus in prostibulo,quam in schola?

XXI.

VErebar ne post impassibiles offensionũ Magistros nostros, tandem etiam prodirent adversum me meretrices: atq; Lenones,& sui scandali articulos producerent. Verum ab hoc metu præter spem liberatus sum, vicitque exspectationem meam, istius ficulnei Theologi pervicacia,(quis enim exspectasset, ut Lovanienſium Theologorum majestas,sese ad meretricum lenonumque patrocinia demitteret) qui pro illis acerrime pugnat,& magna authoritate lupanaria tuetur,dignus profecto, cujus deforme patrocinium, turpi compensetur præmio, qui gratis in Veneris Phano sacrificet,& in Cupidinis hortis donetur ficulnea statua. Olim jocatus Petrus Ravennas, dixerat, scholares Italos: non posse vivere sine meretricibus. Postularunt illum scandali Magistri nostri Colonienses. Declamavi ego, Rempubl. posse stare sine meretricibus, & me impietatis postulant Lovanienses, & quod illis tunc placuit, nunc istis displicet. Ita ne Magistris nostris,pro tempore,& loco, veritatem & hæresim,& scandala,præsumere licet? forte dicere illis poterimus, sicut ait Christus ad Pharisæos: Venit Ioannes, neque manducans,neque bibens,& dicunt Dæmonium habet. Venit filius hominis, manducans & bibens,& dicunt: ecce homo

vorax, & potator vini, publicanorum & peccatorum amicus. Quis istis canibus; posset rite lectum sternere; qui accubituri, huc atque huc, sic in gyrum volvuntur, ut nescientes, quam in partem casuri sint, etiam nescire cogamur, ubi pulvinar illis collocandum sit. Dico autem iterum ego quia omnis potestas desuper adeo est, ad honorem & utilitatem ejus, à quo est, exercere debet, & non contra. Quare Principes & Magistratus, tenentur, eos qui in lege Dei palam & publice delinquunt, justis legibus coercere, nō publica authoritate fovere, tueri, & publicis theatris hospitari, quemadmodum de publicis usurariis non admittendis, neque hospitandis, statutum est, per Gregorium X. in concilio Lugdunensi, & habetur in c. usurarium, de usur. lib. 6. Simili ratione lupunaria, & scorta publica, fovere non licet, quum sint in Deuteronomio, atque etiam in Euangelio, utraque divina lege, verita, quibus accedit etiam c. meretrices 32. q. 4. Nec urget me citatus per articulatorem c. si quod verius 33. qu. 2. quum Augustinus ibi loquatur de malo deliberato, & inevitabili, de quibus alibi ait Gratian. d. 13. c. duo mala, & c. nervi testiculorum, & 22. quæst. 2. cap. David & aliquot sequentibus. Deinde, licet tolerabilius malum sit adulterium quam homicidium, & meretricatus quam adulterium, tamen institutum prostibularum, atque ratio eam turpitudinem publicis indultis & privilegiis fovendi, damnabile est. Verum ego hanc sententiam nulla pertinacia defendere præsumo, sed inter illas referri volo, in quibus unicuique in suo sensu abundare concessum est, idque non veritatis diffidentia, sed servandæ modestiæ gratia. Neque quisquam in hoc scandalizari debet, ubi dissuadentur aut reprehenduntur vitia, si quis amarulentiore hyperbole utatur, quum ejusmodi in Hieronymo, in August. in Bernardo, in cunctis fere sanctis Patribus legimus, & quotidie Ecclesiasticis concionibus graviora terricula menta inoffensi audiamus.

XXII.

VErum, ut solet disputatio disputationem gignere, veniam mihi dabit articulator, ex hoc argumento suo, & citato per illum Canone, aliquid non extra propositum inquirere. Si è duobus malis, quod minus est eligibilius est, tolerabilius est, & quod puto consequi, etiam mitius puniendum est. Quæro, quid faciet sacerdos incontinens, fornicabitur ne, an nubet? utroque peccatum est, utrumque vetitum est, hoc quidem lege divina, illud constitutione Romanæ Ecclesiæ, utrisque fidem juravit,

juravit. Deo & Ecclesiæ, illi in Baptismo, huic in ordine. Quod si fides frangenda est, si jusjurandum solvendum est, si lex prævaricanda est, utrum illorum duorum malorum eligibilius est, utrum tolerabilius est, utrum mitius puniendum est, fornicari, an nubere? Scimus Paulum dixisse, qui non continet, nubat: Melius est nubere quam uri. Item, unusquisque uxorem suam habeat, propter evitandam fornicationem. Sed de sacerdote incontinente, quid dicit articulator, an ita, qui non continet sacerdos scortetur, minus malum est scortari, quam nubere. Accedat lupanaria, prostibula, meretrices, quarum non est numerus, ut non alligetur uni uxori, quoniam polluitur sacerdotium conjugiis, non polluitur meretricibus. Hoccine suum argumentum erit, quomodo evadet laqueum, forte est dare aliquod medium, quo neq; meretricetur, neq; nubat, sed soluto aureo habeat concubinam. Facient fortasis pro illo, ex Tolerano concilio, & ex Isidoro, duo illi canones, quos posuit Gratianus 34. d. dicentes: Qui homini Christiano, qui non habet uxorem, loco uxoris liceat habere concubinam, dummodo unica concubina contentus. Neque desunt Theologi, qui opinantur, monachos & sacerdotes non abjurare incontinentiam, sed conjugium, quia non abjuratur, quod nulli permittitur, forte scandalizabit Magistros nostros, hunc casum hic illis propositum, neq; ego serio proponerem, nisi articulatoris hujus ad hoc me adigeret argumentum. Sed ne ista rursus inter articulos referantur, ego hic nihil assero, sed inquiro: cupioq; doceri hujus argumenti solutionem.

XXIII.

SEquitur alia tragica propositio: Mercatores & milites veram pœnitentiam agere non posse, quam non dubito, à fratribus aliquibus huc insertam, ut qui plurimum soleant à mercatoribus & militibus male partorum portiunculas corradere, dum participant illis sua beneacta & preculas, securas conscientias pollicentes, si illis plurimum prædæ in sinum effundatur, in quo habent scientiam quæstuosum. Sed quum sit hæc sententia Augustini, in libro de pœnitent. & ego illum authorem verborum illorum citaverim, non mecum, sed cum Augustino hanc propositionem delitigent.

Necesse enim est, ut aut illum mecum faciant scandalosum, & hæreticum, aut me cum illo pariter absolvant. Sed videamus si forte commoda aliqua interpretatione poterit nobis succurri,

curri, atque ego cum Augustino, ab hac sermonis scandalosa impietate liberari, ad quod nescio an opus erit mirifico illo, ex magistrorum nostrorum mysteriis sophismate, quo dicunt, hanc esse veram. Peccatores Deus non exaudit, contra falsam, si dicatur, Deus non exaudit peccatores. Quis Catholicorum dubitat, de nullius peccati pœnitentia desperandum esse? sed ea est patrum loquendi consuetudo. ut sæpe dicant peccatum aliquod impœnitibile, seu inexpiabile, quod difficile expietur. Quemadmodum Ambrosius dixit solutionem quadragesimę, esse peccatum inexpiabile. Et Petrus ad Symonem inquiens: Age pœnitentiam, si forte remittatur tibi cogitatio cordis tui, soli namque Deo in manu est, dare resipiscentiam, sive pœnitentiam peccati. Potest etiam tanta esse malicia, tanta enormitas criminum, tanta continuatio & assuetudo peccandi, in homine, velut in naturam versa, ut Deus hominem illum nolit sua gratia vocare ad pœnitentiam, sicut legitur obdurasse cor Pharaonis, Legat igitur iste articulator Canones, quos Gratianus ex Leone, Chrysostomo, Gregorio, Augustino, Cassiodoro, adducit de mercatoribus, & quæ præterea præfati authores in operibus suis diversis locis tradiderunt, neque nodum in scyrpo quærat. Quod si dicat mihi, oportuisse hæc in Declamatione explicuisse, ego non dogma interpretabar, sed declamationem scripsi, cujus argumentum non in laude, sed vituperio, non in defensione, sed accusatione versabatur, nec concionabatur apud imperitam plebem, sed scripsi doctis & eruditis, quod si his offenduntur aliqui testamentorum venatores, licet Theologiæ titulo inflentur, imputent suæ infœlicitati, qui non didicerunt tropos sermonum & scripturarum, necessarios ad eorum bonam intelligentiam, ac non mox dānent, quicquid suam avaritiam & rapacitatem offendit.

XXIV.

NOn sunt hæc verba mea, sed perfidus cavillator, suo more statuit sensum, quem impugnare, & scripta mea, tam in sensu, quam in verbis depravavit. Ego in capite de arte militari sic scripsi: Augustinus atque Bernardus, Catholici in Ecclesia Doctores hanc alicubi probaverunt, & pontificia decreta illam non improbant, licet Christus & Apostoli longe aliter sentiant. Docet Thomas in quodlibetis, non obligari nos de necessitate salutis credere Ecclesiæ Doctoribus, neque etiam ipsi Ecclesiæ, nisi in his, quæ ad substantiam fidei pertinent,

nent, quia in illis Spiritus admonens, docet Ecclesiam omnem veritatem. Atque ipse Augustinus ad Vincentium: Hoc genus literarum, (inquit) ab authoritate canonis distinguendum est, non enim sic leguntur, tanquam ita ex eis testimonium proferatur, ut contra sentire non liceat, sicubi forte aliter sapuerunt, quam veritas postulat. Sic ego Augustini, & Bernardi, & sanctorum Patrum omnium, & quorumcunque eruditorum authorum scripta, extra canonem Bibliæ posita, debita cum reverentia semper suscipio, non tamen ita authoritate illorū me obligari puto, quod non liceat illis cōtradicere, aut ab illis alicubi diversum sentire, ut circa eorū scripta dubitare, nisi prebētur per scripturā sacrā evidēter expressa, aut per universalē Ecclesiā fuerit determinatū, illa firmā & indubiā cōtinere veritatē, sicuti de Epistola B. Leonis ad Flavianum, factū legitur, in c. sancta Rom. 15. d. An igitur Augustin. & Bernard. de bello per omnia recte sentiant, ego adhuc dubito, Pontificiis decretis, debitam obedientiam exhibeo, conciliis generalibus plus tribuo, tamen ineffabilem veritatem, circa quam solam versantur, & fides & hæresis, illis non tribuo, quum hæc sint solius sacræ scripturæ, & sanctionum universalis Ecclesiæ, in his quæ ad substantiam fidei pertinent, in cæteris Ecclesiam errare posse, etiam scholastici fatentur Theologi, neque tamen omne quod à Christo & Spiritu sancto non est, hoc ilico illi contrarium est. Multa in scripturis exposuerunt authores, aliena à sensu Spiritu sancti, & inter se pugnant contrariis opinionibus, nonnunquam à seipsis dissident, quum spiritus sibi repugnare, & secum dissidere non possit, tamen non protinus contrariantur Spiritui sancto, nec propterea rejiciendū est, omne quod à Spiritu sancto non est, cum teste Hieronymo, nulla interpretatio sit à Spiritu sancto, qui & septuaginta interpretum cellulas pro fabula ridet, tamen non protinus rejiciendæ sunt interpretationes, quantumcunque inter se variæ sint, & dissonantes, ita nec protinus damnantur per me Augustinus & Bernardus, si quid admittant adversus consilia Evangelica, ubi deest maliciosus illorum contemptus. Nonne Paulus Apostolus consilium dat, quod se dicit non habere à Domino, & habet Domini præceptum, quod tamen non exigit. Scimus quod olim Deus in vetere testamento permiserit bella, neque tamen sinebat suos principes adorare bellum, nisi prius obtulissent pacem, sicut legitur Deuteronomii capite vigesimo secundo. In novo autem Testamento, promissa est pax perpetuo fœdere conservanda, sicut in ejus recessu dixit

testator

testator Christus: Pacem meam do vobis, pacem meam relinquo vobis, cujus doctrina tota est ad charitatem, ad fraternam concordiam, ad patientiam, & dilectionem, non admittens malevolentiam, odium, iram, bellum, sed docens diligere inimicos, & tollenti tunicam pallium adjicere, & fraudem pati, sicut de his ad Galatas tertio, & prima Corinthiorum sexto, & Matthæi quinto, & plerisque aliis locis docet Euangelica lectio. Nullum ergo inter veros Christianos licitum est bellum, quum omne bellum ex malo sit, & contra Euangelicam perfectionem. Et Hieronymi sententia est, olim Iudæis licuisse bellare, Christianis autem non licere, unde dico illam propositionem, Christiano ut Christiano non licet bellare, citra omnem hæresis & impietatis notam posse defendi, neque per hoc calumniantur à me Augustinus, & Bernardus: & Ambrosius, & cæteri Doctores, & Pontifices, qui bella permiserunt, quod contra Christum agant sicut neque qui jure permittunt, illico contra Christum permittunt, quod ille dixerit non jurandum omnino. Nam quæcunque pro perfectione Euangelica prohibentur, sic prohibita intelliguntur, nisi rationabilis urgeat necessitas, ut ait, cap. ita ergo. 22. quæst. 1. Neque Augustinus, Bernhardus & Ambrosius, bellum simpliciter & indistincte, quantumcunque justa de causa susceptum probant, nisi simul ex necessitate, atque cum fide, & religionis amore fuerit susceptum, quanquam dicat Ambrosius, neque hoc esse Euangelicæ perfectionis, ipsæque Bernardus, mundum militiam expresse appellat malitiam, ubi qui cadit (inquiens) perit in æternum, qui occidit & vincit, vivit homicida. Itaque licet à perfectis non sit bellandum, docente Apostolo ad Romanos, nobis jam ultra bella non esse carnaliter peragenda, sed animæ certamina, contra spirituales adversarios desudanda, quod idem ex verbis Gregorii, ostendit Gratianus, in cap. nisi bella, 23. quæstio. 1. Propterea tamen non plane prohibetur justis & necessariis causis belligerari, & si hoc non exceperit Christus, qui nec litigandum coram judice, nec jurandum docuit, siquidem à Christo privata vindicta prohibetur, publica quæ legum officio sit, ut judicia, simplicia, bella non sic prohibetur. Quare non etiam pugnant cum Christo, qui quod ille pro perfectione Euangelica docuit, diversa ratione tractant de statu civili. Non ergo protinus damnatur princeps qui bellum gerit, sicut nec judex, qui pronunciat sententiam, quod agat contra Christum, & Euangelium, quum agat ex officio civili, non

vili, non ut Christianus, neque afflatus Spiritu sancto, sed ut minister humanarum legum. Nonne Christus in totum vetat divortium, excepta sola causa fornicationis, tamen Romana sedes dirimit matrimonia, multas alias ob causas, à Christo non exceptas. Sic multa conceduntur de foro judiciali, de consuetudine, de authoritate monarcharum, quæ non sunt de perfectione Christianissimi. Neque vero omne illud hæreticum est, quicquid extra Euangelium est, nec plane prohibitum est, quicquid infra concilium est. Quod si utrunque de hæresi suspectum est, utrum proprius accedit ad hæresim, dicere in totum esse abstinendum à bello, quod consonat Euangelio & Apostolis, an dicere licitum esse bellare, quod nusquam legitur in Euangelicis literis: certe Theologorum officium est, hortari ad charismata meliora, ad pacem, & tranquillitatem, quæ Christi doctrina est, non ad bella, ad seditiones, ad effusionem sanguinis, quæ sunt Ethnicorum. Nec decet Theologos dissimulare tam aperta Christi & Apostolorum dogmata propter opiniones Augustini, Bernardi, Ambrosii, & aliquot cæterorum, qui licet alicubi bella probant, eadem etiam pluribus locis improbant, & detestantur. At cuperem videre, ut isti Theologistæ, qui tam religiose bello patrocinantur, vel unicum Christi verbum, aut Euangelii sensum producerent, bellæ hæc comprobantem, quod si fecerint, & non inique eo detorserint, victum me fatebor, & herbam illis dabo.

XXV.

NEque hæc mea verba sunt, nec mea intentio, quod Christo repugnante, ordo militantium est in Ecclesia, sed quod sceleratissimum illud militiæ genus, de quo locutus ibi fueram, prætextu ordinum illorum irrepserit in Ecclesiam, quod si quis negare velit, non deerunt ad manum horum sceleratissima exempla, quorum myriadibus vel obrui posset. Proinde quum bellum res sit crudelis magis quam pia, & necessaria, plus quam honesta, non adeo decet religiosos, Euangelicam perfectionem professos, quam tolerabile est in hominibus prophanis, nec ipsa eorum militum primordia, vacant reprehensione. Nam quum à Ioanne Patriarcha Alexandrino, primum institutus esset ordo hospitalariorum, propter peregrinos Hierosolymam petentes, ita ut sacerdotes & fratres instructioni & sacrorum ministerio insisterent, cæteri autem barbati laici, quos conversos vocant, peregrinos ad spectanda sacra

HAEC EST BIBLIOTHECA PVBLICA VNIVERSITATIS LOVANIENSIS

sacra loca ducentes, interpretes agerent, illosque à Saracenorum contumeliis tuerentur, tum eleemosynarum collectas, dona, cæterasque monasterii temporalia, administrarent. Sed ut solent ex bonis principiis pessima quæque subsequi, quum in immensum crevissent religionis illius divitiæ prædicti conversi, qui illarum negociationes & procurationes agebant, licet rudes & imperiti laici essent, in tantam ambitionem elati sunt, quod supra venerandum sacerdotalis dignitatis ordinem, sese extollentes, pro conversis & servis, totius ordinis Domini, & Præceptores facti sunt, atque pro hospitalitate, malitiam professi sunt. gratissimum Deo servitium sese præstare existimantes, si sua manu quam plurimos infideles occiderent, & in tartara mittentes diabolo sacrificarent, dum interea aut nullos, aut pauciss imos lucrati sunt Christo. licet hodie longe plus verubus pugnent adversus capos & perdices, quam lanceis contra infideles. Contra quos acerrime invehitur divus Bernardus, & de quibus vere dici potest, malum illud, quod Ecclesiastes vidit sub sole, videlicet servos in equis, & dominos quasi servos ambulantes super pedes, quod considerantes Carthusiani, licet contemplatissimi, in hoc suæ posteritati & durationi sapienter consuluerunt: quod suis barbatulis conversis: temporalium & proventuum suorum negotiationes & procurationes, non committunt, sed servos servilia duntaxat curare permittunt.

XXVI.

IN capitulo de statuaria & plastica, de imaginibus & statuis in hæc verba loquutus sum. Quin etiam hæc in templa, in sacella, in aras Dei, magnis venerationibus traducimus, non absque idololatriæ periculo, sed hæc latius in religione disputabimus. Nonne ibi expresse fateor, me non assertive, nec definitive, sed disputative, & inquisitive loqui, remittens lectorem, ad ejus rei ampliorem sermonem posterius de religione requirendum, videlicet in capite proprio de imaginibus, in quo post longam disputationem, tandem sic assertive concludo, inquiens: Atque hic vos scire volo, quod quemadmodum exuperans imaginum cultus idololatria est, ita illarum pertinax detestatio hæresis est, de qua olim Philippus & I. eo imperatores damnati sunt. Quis hic non videat hujus articulatoris malitiosam cavillotionem, qui ista odio malo dissimulans, obticuit. Quid enim scandali est, si pro evitando scandalo admoneo periculi, quod esse potest, non ex imaginum natura, sed ex

sed ex immoderato, aut superstitioso cultu, vel ex defectu consilii rudis plebeculæ. (Quum nec hodie nunanimiter, nec sufficienter explicatum sit à Theologis, quomodo cultus & veneratio, competant rei inanimatæ) vel ex hypocrisi & avaritia sacerdotum, & monachorum nonnullorum, quibus quæstus acceptior Christi gloria, quiq; ad ejusmodi plebis errorē connivent propter lucrum, quod inde solet illis accrescere. Hinc Aegyptiorum more ferè nihil non infertur aris, hinc videmus cum Ioba & Bernardo, etiam Diabolum traduci in aras Dei, similiter cum Georgio crocodylum, cum Rocchio canē, cum Antonio suem. Venerabile Eucharistiæ sacramentum, procul ab aris, ad angulum aliquem detruditur, ante quod vix una ardet olida lampas, dum insensata illa simulachra, collustrantur innumeris cereis. Quod si quis rem diligenter expendat, comperiet, fortassis in non minorem abusum prolapsa nostra simulachra, quàm olim fuerunt idola Ethnicorum. Quis non cultus nostris istis exhibitus est, dum alterum altero augustius adornatum, & appensis omnis generis anathematibus, velut mercimoniarum taberna instructum, ac coemptitiis indulgētiis, magis propitium prædicatum admentitisq; miraculis, potentius & propè divinius confictum est, contra quā non contumelia affecta sunt nostra simulachra, si quando nobis minor propitia credita sunt. Quoties vidistis, lætis viribus, Vrbani simulachrum, Bacchi instar frondibus coronatum, fidibus, tibiis, tympanis, præeuntibus; comitante sacerdote, solenni gratulationis pompa, per civitatem humanis humeris delatum, peractisq; bacchanalibus, in taberna quapiam vinaria, sacerdote & reliquis benè potis, eadem pompa templo suo restitutum. Nonne etiam vidistis, si fortè gelu, aut pruina, vites aruissent, idem simulachrum, per luta, per sordes, per stercora, laqueo tractum, insuper consputum, conspurcatum, & omni contumeliarum genere affectum. Taceo quid vestri agant Hollandi, cum Paulino idolo, si quando in conversionis ejus festo, aut nix ceciderit, aut pluvia, nonne hæc vidistis, & tacuistis, tacendo consensistis, elatis cachinnis arrisistis, & socii sceleris facti estis? Quid socii, imò vos tam pernicios i sacrilegii, detestabiles auctores extitistis, aperuistis insanæ plebi templa, tradidistis conspurcanda simulachra, & caput abhominationis fuistis, & cauda. Hîc mihi dicite magistri nostri, dicite Pontificum fiscales, dicite Christianitatis decani, dicite hæreticorum inquisitores, & magistri, quem illorum unquam aut hæreseos, aut scandali postulastis, & nunc (si diis placet) cogar ego de

hæresi causam dicere, si quid contra aliquot superstitiosa simulachra, illorumve abusus, vel hiscere ausus fuero, eo quod habetis in illis religionem quæstuosam, & quæ ad eruditionē rudis plebeculæ, pro signis, vix tandem recepit ecclesia, feciſtis vobis instrumenta avaritiæ vestræ, & laqueos irretiendæ pecuniæ. Si qui ergo ex capitulo de plastica, profertur quod accusent, quia me oderunt. invenient in capite de imaginibus, unde me excusent, qui me amant. Non enim improbo imagines, qua ad notitiam deducunt eorum, quæ in vero unius Dei cultu conceduntur; sed quando à cultu latriæ unius Dei abducunt, quasi in ipsis imaginibus & statuis sit aliquid divinitatis, aut illis alligetur, tunc quia decipiunt, & à veritate avertunt, meritò damnandæ sunt, non aliam ob causam, conciliū Laodicense, & damnavit, & anathemate percussit, eos qui colerēt angelos, quasi tales committerent idololatriam. Atque utinam plebs imperita hodie non periclitaretur in imaginibus, & non cum acceptione adoraret, quas indifferenter pro signis colere deberet. Atque sacerdotes non quærerent lucrum, à quibus Deus vitari jussit periculum.

XXXVII.

HAEC est illa execrabilis propositio, nullo satis igne expiabilis, nec in hoc seculo, nec in futuro excusabilis, & velut Erinnis in tragœdia, quæ si in hac declamatione scripta non fuisset, de reliquis omnibus nihil fuisset scandali, sed in sacrosanctam cucullam offendens, omnium cæterorum rerū factus sum. O facinus audax, iniquum, & impium, quale hactenus nemo omnium patravit. Sed invenirent hic forte Pilatus, & Herodes, aliquid quo me liberarent, nisi monachi & fratres omnes clamarent: Crucifige, crucifige, blasphemavit, dicens: Diabolus est auctor cucullæ, qua instar alterius baptismi, melius renascuntur Monachi quam priore, qua etiam mortui involuti, sanctificari traduntur, præcipuè si in sacrosancta Franciscanorum cuculla sepeliantur. Sed admiror & valde, si tam sancta sit cuculla, quomodo tot ac tantos operiat calumniatores, à quo solo vitio apud Græcos diabolo nomen est? De hac ergo, cum in capitulo de statuaria & plastica, narrassem lepidā fabellam, isti sic referunt in articulum, ac si ego theologum ibi agens, hanc serio credendam concionatus essem apud populum, nec liceat mihi scribere, quod pictoribus liceat palam pingere. Quis hic non videat, quanta calumniandi scabies, teneat istos articulatores, qui etiam à jocis, & salibus venantur quod

quod condemnent. Non puto aliquos theologos tam stupidi, tam insensati cerebri esse, aut adeo (vel extremo senio) desipere, ut putent me serio probare jocum quē hic recito, quodque pro hoc ludicro, me serio respondere velint, quum dicat Augustinus, in quæstionibus super Genesim, & habetur xxij. qu. ij. quod ait, videlicet quæ non sunt, si non serio, sed joco dicantur, non deputantur mendacia, neque piarum aurium offensiva. Quis non rideret magistros nostros, si ad theologicū rigorem excutere velint, novellas Bocarii, & facetias Pogii. Fortè sunt aliqui, qui ob magnum aliquem fratralis relligionis (ne dicam stupiditatis) zelum, non possunt ferre jocum in cucullam, dicentq; cum cuculla non fuisse agendum joco, fateor me ignorasse hunc articulum fidei. Doceat ergo hic me primum auctoritate scripturæ sacræ periclitari fidem, si quis quid jocetur in cucullam, aut fortassis de illa minus bene senserit. Hoc unum scio, Evangelium non docere, non præcipere, non consulere, discrimina vestium, neq; quod cultus vestium, sicut nec esca, commendet homines Deo, cujus spiritu (ut ait Paul.) transformamur de claritate in claritatem, non de colore in colorem, de cingulo in funem, de calceis in callopodia, de toga in sagum, de veste in vestem, de rustico cucullo in effœminatam cucullā fratralē, ac si perfectio Evangelicæ relligionis pendeat à veste & cultu, quę sunt traditionis hominū. Narravit mihi his dieb⁹, vir quidā pius juxta & eruditus theolog⁹, ex familia Franciscanorū, & ex ejus ordinis primariis, Franciscanos olim fusca & ferè subnigra veste usos, quo colore adhuc moniales ejus ordinis multis locis induūtur, quumq; propterea ab Augustinianis nō satis discernerētur, qui ipsi nōnunquā etiam funiculis præcingebantur, orta lite, post multās tandem contentiones Augustiniani acceperunt latum illud, & longū pendens, pelliceum cingulum, osse bubalo, aut multis æreis emblematibus adornatum, deinde etiā Franciscani lucidiore colore sese ab illis discreverunt. Cum eisdem Augustinianis, quondam litigarunt Dominicani, coram (si rectè memini) sui ordinis Romano pontifice, volentes Augustinianos albam ponere tuniam. Iamq; ita fore decreverat pontifex, comminatus Augustinianorum procuratori, sese pronuntiaturum, ubi rediisset in crastinum (egrediebatur enim urbem) quumq; procurator dixisset Pontifici, & si non redieris pater sancte. Respō dit ille: Maneat vobis habitus vester cum benedictione Dei, a Pontifex eodem die occidit, sic Augustiniani fruuntur cū benedictione suo habitu invitis Dominicanis. Nō minore discor-

dia, nuper ad Germanos contendebant inter se Franciscani, nam observantes adversus conventuales instabant, volentes illos in signum discretionis mutare habitum, quibus à conventualibus responsum fuit, sat discriminis inter illos fore, si observantes dimissis calceis, sua ex Italia assumerent callopodia. Has atq; similes de vestitu, & cultu monachorum contentiones, si omnes recensere vellē, possem amplo volumine insignem cucullomachiā scribere, ad quod si me impulerint, nec ingenium, nec oratio, nec materia mihi defutura sunt. At verò scimus Christum esse Deum pacis, non contentionis, omnes ergo cultus illos, qui ex contentione sunt, quid piaculi est, si dixerimus esse inventum diaboli, sed nolo hoc loci seriò tueri, quod in declamatione seriò non dixi, & ridiculæ fabellæ seriam interpretationem fabricare, sed ostendere volui, istis tam piè articulatis magistris nostris. Quod tametsi jocus sit, tamen non esse usquequaq; falsum, atq; licet non sit necessariò verū, tamen fortè probabilem esse, & qui citra impietatem disputari, & defendi quoquo modo possit, in quodlibetis, ut mihi & in præsens, & in reliquum, de his & similibus, aliquid declamanti, aut scripturienti, æquior sit illorum morositas, & benignior sit illorum iniquitas. Neq; iste loquendi modus, rursus offendat magistrorum nostrorum, ac latebricolarum monachorum pias auriculas, nam ego illum ex Thoma Aquinate, & magistro nostro, pariter & monacho accepi, ubi ait: Licet rationabilius sit credere, potentiam creandi, creaturæ cōmunicari non posse, tamen defendi posse, quoquo modo, creaturam posse creare. Ad hujus ergo conclusionis imitationem, liceat mihi quodlibetare (ut vestro vocabulo utar) licet rationabilius sit credere cucullam ex celo religionis instinctu Spiritus sancti institutam, tamen defendi posse, illā quoquo modo, & nonnunquam etiam à diabolo profectam. Vtinam tanta esset cucullæ sanctitas, ut omnes monachos & fratres ad veram pietatem inflammaret, & à diabolico calumniæ spiritu emundaret. Vtinam sacrosancta cuculla haberet tot professionis suæ imitatores, quot habet dignitatis suæ buccinatores. Ego nullos monachorum ordines, ritus, vestes, cæremonias, nullum probatæ vitæ genus insector. Ego ut non sum tam insolens, ut talia seriò promittere, aut defendere velim, quæ alicubi in declamationibus, aut placitis, per jocum effutivi, ita nec graves viros decet, quæ joco dicta sunt, seriò reprehēdere, ego quantum monachorum ordinem venerer, quantum monasticæ institutæ favcam, ipsa nostra quam scripsi de vita monastica ostendit

ostendit oratio, & in declamatione nostra, sub capite de sectis monasticis protestatus sum, quæ de malis monachis & eo nomine indignis loquor, me ad ordinum injuriam non referre. Similiter in querela mea, bonos semper excipio, ubi cum perversis mihi res est, qui nihil habent relligionis monasticæ, præter cucullam, & quem vocant clypeum impudentiæ, ac solo cultu, & cæremoniis, sanctimoniam apud vulgus profitentur, quum eorū vita, & mores, minimè respondeant ornatui, quos tamen utcunq; ferendos censerem, si tantum malè viverent, nec malos etiam alios facerent, & ut est in Evangelio, ipsi non ingredientes regnum cœlorum, etiam alios excluderent. Nemo ergo putet, à me taxari bonos monachos, dum reprehendo malorum mores, quos in illis etiam pii monachi detestantur, de quibus malo nunc tacere quàm multa dicere. Vos autem quoscunque pios ac veros monachos, paulò hinc aures avertere jubeo, donec malis illis satisfecero, ne vos meo sermone læsi, quidpiam de me gravius æstimetis, quantò magis vestram sanctimoniam laudare quàm exasperare velim.

XXVIII.

LEgitimi censoris (qui alterius scripta reprehendere aggreditur) officium est, primum bona fide citare verba & rationes, quæ continere putat aliquid hæresis aut impietatis. Deinde validis & nervosis argumentis refellere, quod in illis offendit. Sic Origenes contra Celsum, sic Cyrillus Alexandrinus contra Iulianum, sic antiqui patres & Theologi librum aliquem reprehensuri, totum interserebant de verbo ad verbū sermonis contextum, nihil relinquentes, ut ab omni etiā specie mali abstinuisse probarentur. Contra iste versutus articulator, ex locis frustulatim decerptis, & mala fide recitatis, mihi struit calumniam, ubi quæ præcedunt & sequuntur, si candidè & integre narrata essent, facilè submoverent errorem. Deinde astutus sycophanta, mutavit verba mea, traducens ea suam ad calumniam, non enim reperitur me dixisse, Prophetas & Evāgelistas mendaces in quibusdam inventos, sed quod alicubi à veritate defecerunt, & secundum quid fuerunt mendaces, qui quidem loquendi modus, nihil habet impietatis, aut scandali, nisi quod fortè alienus est à loquendi apud scholasticos Theologos consuetudine. Propterea dignum putavit, qui referretur in articulos, sed ego nunc ostendam huic molinariæ belluæ, doctorem, scholasticum pariter & monachum, & Franciscanum, sed virum eruditissimum, & Theologum non vulga-

rem. Is est Franciscus Georgius Venetus, qui in opere de Harmonia mundi, capite secundo, primi toni, secundi cantici, in hæc verba scribit. Defecerunt prophetæ, ex aliqua mutatione facta in iis quib⁹ prophetaverunt, adeo quod ipsorum omnium vaticinia reperiebantur aliquando conditionata, & visi sunt, & secundum quid fuerunt mendaces. Hunc & ego imitatus, dixi prophetas alicubi à veritate defeciſſe, & secundum quid fuiſſe mendaces, quæ etiam si dicta essent sermone improprio, tamē sensu pio, ipsa monstrat addita illis declaratio, omne scandalū tollens, unde tenet domini de rota in decisione DCCCLXXII. in antiquis, standum esse intentioni, non verbis. Non enim intentio verbis, sed verba intentioni deservire debent, etiamsi proferens videatur talis animi fuisse, qualia verba sonant, tamen si ex circumstantiis, vel aliis appareat contrarium, non statur verbis, sed intentioni. Quod si de mente verborum dubitatur, semper recepta fuit dicentis declaratio, à cujus animo verba dependebant, nulla impediente temporis præscriptione. Sed hanc declarationem, dissimulata conscientia, transit callidus hic calumniator, & aliam substituit, quam tamen elicit per rationem Quasi.

XXIX.

IAM verò, quum non ego sic interpretatus sum, sed sic calumniatus est iste casearius (debui dicere quasarius) quærere tamen libet, illi morem gerens, si sacra scriptura nihil habet ambiguitatis, unde tam varie, & sæpe sibi repugnantes authorum interpretationes, si nullum est ex ea periculum, quomodo Paulus dicit: Litera occidit, si nihil incerti, unde tot scripturæ libri & capita numerantur à plærisque inter apocrypha? certe stat firma & inexpugnabilis sententia, scripturæ infallibilitatem, veritatem, syncerit atem, certitudinem omnem esse à verbo & spiritu Dei, quæ à nullo comprehendatur, nisi cui voluerit ille revelare. Non enim est homo verax, in quo Deus non loquitur, ut ait Augustinus Psalmo centesimo octavo: Tantumq; abest quod hæc propositio sit impia & scandalosa, ut ejus opposita (videlicet sacram scripturam habere infallibilem, dilucidam, inoffensam veritatem, aliunde quàm à verbo Dei) sit non solum scandalosa, impia, piarum aurium offensiva, sed plane hæretica, & omnibus fasciculis & ignibus digna. Omnis autem divinæ scripturæ caligo, non de sui natura accipienda est, sed à nostri intellectus, aut infirmitate, aut perversitate. Hinc multi cæcutiunt, multi hallucinantur, multi offenduntur,

duntur, & multi hæreses prolabuntur, non propter scripturā, sed quia confidentes adinventionibus suis, ex humano ingenio, & contentionum artibus, illam metiuntur, non ex spiritu verbi Dei, qui solus largitur scientiam divinorum, & intelligentiam scripturarum, omnibus autem secundum certam mensuram, quantum necesse est, & expedit ecclesiæ, multa reservans etiam posteris. Sic multa Spiritus sanctus revelavit recentioribus theologis, quæ antiqui patres, & veteres theologi olim non attigerunt, & sunt adhuc in sacris literis multa nondum explicata, in quibus quum sē multi torqueant commentatores, multa in varias sententias disputent Magistri nostri, nullus tamen adhuc illorum ambiguitatem resolvit. Nam quamdiu variant opiniones, nondum apud illos comperta est veritas, cujus generis sunt, quæstiones de Genealogia Christi, prorsus inexplicabiles, in quibus adeo variant Origenes, Nazianzenus, Hieronymus, Augustinus, Ambrosius, Lyranus, Burgensis, & ab illis dissident recentiores quidam, ut Annius Viterbiensis, Petrus Galatinus, & Iacobus Faber, & adhuc sub judice lis est. An in descensu Spiritus sancti, omnium linguis loquuti sunt Apostoli, an unica loquentes ab omnibus sint intellecti. An in extremo die aliqui immutandi sint, qui nō fuerint mortui, quum de hoc diverso modo legant apud Paulum antiqui patres, alii liberam permittunt utrāvis semper lectionem. Ejusdē generis sunt, quæstiones illæ de distinctione personarum divinarum, de unione divinæ & humanæ naturæ in Christo, & quomodo Christus dicatur nescire supremum diē, soli patri Deo cognitum, de peccato in spiritum sanctum non remittendo, & ejusmodi plura, de quibus in hunc diem in decisis quæstionibus Theologi confligantur. Huc pertinent etiam multæ admodum difficultates, quæ sese nobis in Evangelistis offerunt, ex quibus plures colligit Hieronymus, ut illud apud Matthæum, ubi citat ex Hieremia, & acceperunt triginta argenteos precium appreciati, quod appreciaverunt à filiis Israel, & dederunt eos in agrum figuli, sicut cōstituit mihi dominus, quod non solum Hieremias non sic intendit, sed neque in forma scripsit, citat etiam Zachariam, in hæc verba: Percutiam pastorem, & dispergentur oves. Propheta autem non sic ait, sed rogans Deum inquit: Percute pastorem, ut dispergantur oves. Dicit alibi, ut impleretur quod dictum est per Prophetas, quia Nazaræus vocabitur, quod tamen nusquam legitur in Prophetis. Et Marcus Evangelista, exorsus Evangelii historiam ait, sicut scriptum est in Esaia propheta;

HAVNIA BIBLIOTHECA OLIVIA MATHESIS

Ecce ego mittam angelum meum, quod Esaias neque scripsit, neque formaliter intendit, & Lucas in actibus apostolicis, inducit Stephanum recitantem historiam. Descendit Iacob in Aegyptum, & defunctus est ipse & patres nostri, & translati sunt in Sichen, & positi sunt in sepulchro, quod emit Abraham precio argenti, à filiis Emor, filii Sichen. Verum alio sensu, alia intentione, hæc scripta sunt in Genesi. David quum vellet ædificare templum domino, dixit illi Nathan propheta: Omne quod in corde tuo est, vade & fac, quia dominus tecum est, verum longe aliter loquutus est illi dominus. Quod si quis hic dixerit, euangelistas, & prophetas mendaces secundum quid propterea non arguit illos falsitatis, ita ut mereatur cum Celso, Iuliano, Porphirio, connumerari inter impios. Sed de his adhuc inferius dicemus latius.

XXX.

QVod piaculum est, si pono divinæ scripturæ auctoritatem, superare omnia omnium creaturarum suffragia, an propterea videbor negare sanctos patres, qui ex spiritu sancto in eam commentati sunt? minime. Ego quoscunque sacrarũ literarum expositores, semper unice veneratus sum, & vereor, sed scio me majorem reverentiam debere scripturæ, quam firmiter credo, & scio, sic à Deo proditam, ut sine omni humana industria, certam in semetipsa sui habeat sententiam, & intelligentiam, nec ullis se flecti patiatur externis commentariis: duco autem externa, quæ non sunt ex spiritu sancto, sed ex nostris adinventionibus, cujusmodi sunt multa Aristotelica sophismata, & Scoticæ subtilitates, & Occanicæ argutiæ, similiaque peregrina dogmata quæ plærique philosophi, & scholastici rabini, sacrorum eloquiorum sapientiæ invexerunt, quod quam salubriter, quam utiliter factum sit, viderint magistri nostri. Quoties ergo de sensu scripturæ pugna est, non propterea humano ingenio tribuenda est ejus interpretatio, sed dono spiritus, & prophetiæ, ad quod nos hortatur Paulus, ut videlicet non solum linguis loquamur, sed & prophetemus, hoc est, interpretemur sensum scripturarum ex Spiritu sancto, quod prophetiæ donum, nunquam relinquit ecclesiam, sed continuo manet, non in contentiosis magistris nostris, neque in quantumcunque eruditis doctoribus, sed in his qui successerunt in locum Apostolorum, etiamsi nihil habeant humanæ eruditionis, sæpiusmeque idiotis existentibus, revelavit illis Deus, quod multos eruditos celavit. Siquidem quibus dat ordinem,

nem, is etiam creditur infundere spiritum juxta verbum Euangelistæ, de Caipha, qui prophetavit, eo quod esset Pontifex anni illius. Hinc canonistæ cum theologis, communi sensu dicũt: Papam habere hoc jus prophetandi, hoc est, (ut ipsi ajunt) potestatem interpretandi scripturam, & licet multi extiterint pravi pontifices, nullum tamen illorum unquam aliquam falsitatem in scripturam commisisse compertum est. De hac materia satis amplo sermone disserui, in capite de interpretativa theologia, & in capite de verbo Dei, usque in finem Declamationis, ubi submovetur hujus articuli calumnia, quæ legisse debuisset piger iste articulator, priusquam ad calumniam se accingeret.

XXXI.

QVod autem dico nec angelicas, ex Paulo didici, siquidem tam exuperans est scriptura divina, ut nullius creaturæ industria, nullius intellectus creati adminiculo subjiciatur, sed sibiipsi sufficiens, se ipsam (si quis alicubi locus est obscurior) exponit & interpretatur. Vnde veri theologi, nullam de divinis admittunt ratiocinationem, quæ nitatur humanis commentis, sed solam illam quæ sumitur ex scripturis divinis, nec aliter credi sibi volunt sancti patres, & interpretes, nisi quatenus per testimonia scripturæ sua communiunt, in qua sola est scientia spiritus Dei. Et hæc dicitur expositio literalis, omnium certissima, & potentissima, quando videlicet scriptura per scripturam exponitur, & sensus ejus revincitur, quantum satis est ad æternam salutem, quantumque nos scire & credere vult Spiritus sanctus: neque tamen propterea reliquos expositionum modos, allegoricum, mysticum, moralem, tropologicum, naturalem, typicum anagogicum, & si qui præterea reliqui sunt, contemnendos censeo, quasi non etiam sint à Spiritu sancto. Sed dico illos non esse tam efficaces ad vincendum, si quis repugnet, sed duntaxat ad persuadendum, eis qui dociles sunt, & fideles, quod & ipsi fatentur scholastici theologi, allegorias non probare efficaciter, in disputationibus contentiosis, nisi si quas interpretatus sit Christus, aut Apostoli, hoc est, per ipsammet scripturam expositas.

XXXII.

NEc faciat quicquam contra me, quod iste cavillator citat ex epistola Petri, quodq; adfert commentum, de prophetia comminationis quæ omnia in eodem capite de interpreta-

tiva theologia, à me tacta & soluta sunt, licet illa legere noluerit iners pigritia, sive illa dissimulet callida calumnia. Sed spectemus ad quem scopum directa fuerit tota illius rei disputatio, is sese mox offert, quod omnis homo mendax, quod solus Christus Deus homo expers mendacii, & erroris, nunquam quovis modo repertus est, nec reperietur mendax, cujus verba non mutabuntur neque deficient, cujus oracula nunquam immutabuntur, hoc ut evincerem, si forte provectus zelo fidei, & calore disputationis, videar minus circumspecte, aut præter scholasticam consuetudinem, de prophetis & euangelistis loquutus esse, non tamen impie, nec scandalose loquutus sum, nec sine gravissimorum auctorum exemplo. Nonne Hieronymus in dialogis adversus Pelagium, disputans adversus eos, qui asserebant hominem posse vivere absque peccato, non solum non prophetas, non apostolos, sed nec ipsam superbeatissimam Dei genitricem semper virginem Mariam, liberat à peccato, saltem levi, ut errore, aut ignorantia, magis quam culpa commisso, tantoque ardore ad id probandum evehitur, ut etiam ab apocryphis scripturis testimonia petat. Origenes etiam tribuit illi aliquod peccatum actionis: & Theophylactus dicit, illam scandalizatam in morte filii, ubi & Augustinus, tribuit illi diffidentiam, licet leviorem quam discipulis. Chrysostomus etiam, reprehensibilem fuisse dicit, quum evocaret Christum in templo prædicantem, & Eusebius atque Anselmus, eosque sequentes, ajunt: Deum non potuisse facere naturam impeccabilem, quia non potuit facere alium Deum, quæ omnia tamen citra scandalum, eo acrius inquirunt doctores illi, quia Petrus de solo Christo pronunciat, quod peccatum non fecit, solum illum designat agnum immaculatum, qui solus immunis peccato, ablaturus erat omnium peccata. Solent etiam auctores in inquirendo, & disputando, nonnunquam assumere iniqua, ut evincant æqua. Sic Dionysius Alexandrinus, adversus Sabellianos, assumit filium Dei esse creaturam, de qua in sapientia legitur: Prior omnium creata est sapientia, dicitq; eundem esse opus, sive facturam, sicut vitis agricolæ, juxta sermonem evangelii, & etiam Pauli inquientis: Qui fidelis est ei qui fecit illum, quumque in his negatis Homoulion, coram Iulio papa traducetur, declarans mentem suam, & in quem finem sic scripsisset, summa benevolentia, & fidei commendatione, receptus à patribus, etiam ab Athanasio speciali apologia, contra calumniatores, defensus est. Nonne Hieronymus disputans contra Iovinianum, iniquior est matrimonio? Nonne Augu. contra Pelagianos

lagianos, tam iniquus est libero arbitrio, ut à multis pro Manichæo calumniatus fit. Æquum est igitur, ut mihi permittatur, in prophetis & evangelistis, inquirere aliquod genus mendacii, non quod astu, seu malicia, sed vel ignorantia, vel errore, vel lapsu memoriæ committatur, ut ostendatur solus Deus verax, & omnis homo mendax. Facit idē Hieronymus, super Micheā dicens, Apostolos & Evangelistas nonnunquam memoria lapsos. Facit idem Augustinus, sentiens apostolos & ignorasse quædam & errasse in nonnullis, quinetiam Petrum in fide errasse, & ob id à Paulo reprehensum. Et in libris de consensu Evāgelistarum, quoties circa oblivionem, circa reminiscentiam, circa ordinem gestorum laborat, ac tandem & ibi, & etiam in quæstionibus in Matthæum, sentire cogitur, evangelistas non secundum veritatem ordinis rerum gestarum, sed secundum suæ quisque recordationis facultatem, narrationes earum ordinasse, & Evangelistis venisse post in mentem, quod multo ante fuerat gestum, sed non tunc succurrisse. Simili ratione, excusatur Matthæus, quia scribit multa corpora sanctorum qui dormierunt, surrexisse, priusquam narret surrexisse CHRISTUM, qui tamen fuit primitiæ resurgentium. Idem etiam narravit CHRISTUM lancea perforatum, antequam narrasset mortuum, dicente glosia ordinaria super verbo apparuit, in cle. prima de summa Trin. & fid catholica. Quod debeat intelligi per anticipationem, quia ante narravit Matthæus, quod post factum fuit. Etne de hoc scandalum oriretur Ecclesia in concilio Viennensi hunc locum correxit, nec dubito, quin liceat Ecclesiæ corrigere quædam in sacris voluminibus. non tamen diversum statuendo, aut addendo, aut detrahendo scripturæ, sed declarando ordinis & intentionis, & auctoritatis veritatem. Neque vero scripta apostolorum, & evangelistarum, ob hoc tantum habent auctoritatem, quod ab illis tradita sunt, sed quod consensu universalis ecclesiæ approbata sunt. Multi apostoli & sancti discipuli ut refert Lucas, evangelium scribere olim aggressi sunt, quibus tamen credere non cogimur, nisi solis illis, quos comprobavit ecclesia, cujus sententiæ est etiam Augustinus inquiens. Se non creditur evangelio, nisi quatenus illum commoneat ecclesiæ auctoritas. Magna fateor vis est, magnum numen, unum & idem sentiens ecclesia. Quæ est ergo hujus articulatoris perversitas, hoc in me tradere ad suspicionem ambiguitatis, & torquere ad contumeliam ecclesiæ, quod ego pro gloria & auctoritate illius necessario produxi? nisi forte in hoc peccavi, quod plus tribuam præscri-

HAEC OPERA TIBI SOLUM MEMORIA

præscriptis ecclesiæ, quam auctoritati evangelistarum, & apostolorum, qui solam ecclesiam profiteor scripturarum interpretem, penes quam manet scientia discretionis, & inviolatus sensus verbi Dei, a quo solo est omnis infallibilis veritas. Si enim tantus consensus ecclesiæ sine impulsu Spiritus sancti esse non potest, quid est quod de dogmate ecclesiæ dubitare possumus? quid ergo hic est scandali, si verbo Dei, si ecclesiæ, si scripturæ, unicuique tribuo quod suum est?

XXXIII.

IN capite de verbo Dei, sic de illo loquutus sum. Hujus autem verbi scientia, nulla schola philosophorum, nulla theologorum Sorbona, nec quorumcunque scholasticorum gymnasia nobis tradidere, sed solus Deus, atque Iesus Christus per Spiritum sanctum, in illis scripturis, quæ canonicæ vocantur, quibus juxta divinum præceptum, nihil addere licet, nihilq; detrahere. Hanc propositionem articulator iste inter scandalosas, & piarum aurium offensivas collocavit, non quod à scriptura, aut ecclesia, sed quod à scholis dissentiant, quarum decretum videtur, philosophicas disciplinas esse ad pietatem necessarias, erroneum & impium ducentes, quod non est imaginatus ipsorum Aristoteles, solertissimus causarum, & demonstrationum doctor. Ego dico, meam propositionem non solum non esse hæreticam, neque scandalosam, sed & probabiliorem, & magis orthodoxam, sua opposita. Quod si mea propositio erit scandalosa & impia, oportebit ejus contrariam esse orthodoxam, & catholicam, quod videlicet, verbi Dei scientiam, non solus Deus, atque Christus, sed philosophorum scholæ, theologorum Sorbona, & quæcunque gymnasia, nobis tradiderunt: liceatque contra divinum præceptum, addere & subtrahere, canonicis Spiritus S. scripturis. Quis crederet adeo desipere, aut tam profundum dormire, Lovanienses theologos, ut hanc propositionem habeant pro catholica? certe ego de illis longe melius sentio, & aut Busconium versificatorem, aut aliquem theologicum parasitum, aut alium quemvis impium sophistam, qui veritatem verbi Dei, ab Aristotelis philosophia æstimat, nec nisi sophismata, & parva logicalia habet in pretio, istos articulos compilasse arbitror. Liceat ergo illis imputare omnia, quæ in Magistris nostris Lovanien sibus, sine insciticæ, & stultitiæ, vel etiam malitiæ, erroris, aut hæresis infamia, excusari non possunt. Ego illud intendo, ad divinorum cogni-

cognitionem, non esse opus argutiis philosophorum, neque syllogismis dialecticorum, sed oportet illam haurire ex scriptura divina, quæ est regula infallibilis, semper permanens in suo vigore nativo. Esto, valeant philosophia & dialectica, ad erudiendum theologum, valeant etiam ad revincendos suis armis hæreticos, tamen ad scripturæ auctoritatem, inefficax est omnis quantumcunque irrefutabilis syllogismus, nisi accedat auctoritas verbi Dei, per consensum universalis ecclesiæ, Omnia etiam quæ percepit ecclesia, quacunque scholastica ratiocinatione, & ingenii subtilitate, & dialecticis demonstrationibus, ea inducantur, non propterea vera habentur, sed quia præsumuntur à Spiritu sancto esse revelata, non humana sapientia inventa, sicut imperator Constantinus, de Nycæna synodo scripsit ecclesiæ Alexandrinæ, inquiens: Quod trecentis simul placuit episcopis, nihil est aliud quam Dei sententia, maxime ubi Spiritus sanctus, talium ac tantorum virorum mentibus incumbens, divinam voluntatem declaravit. Nulla enim major pestis quam sacram scripturam subjicere placitis philosophorum, & contentionibus sophistarum, qui plus satis curiosis argumentationibus, veritatem ipsam non elucidant, sed in dubium vocant. Nihil ergo ad nos quid Philosophi, & Aristoteles de divinis commenti sunt. Num Christo pluris faciemus Aristotelem, Philosophos & Sophistas? Absit. Ut talibus quibus illi dogmatibus, & argumentis, nostræ fidei firmamenta statuamus. Quamvis hodie plærique recentiores theosophistæ, miserabili syllogismorum servitute captivali, adhærentes illis velut ostreæ, Aristotelem sanctius, quam Aegyptii Ibim, aut crocodylum colunt, illique veluti Deo, ac principi suo primitias, & tributa pendunt. Veri autem Theologi hanc armatam, quin potius dicam captivatam Aristotelicis legibus Theologiam, non tam serio amplectuntur, quippe nullum de divinis, quæ hominum commentis nitatur, recipiunt argumentationem, sed solam illam, quæ est ex scripturis divinis, & quam non Sorbonici magistri nostri, de scholastica cathedra, sed quam Christus docuit de cruce, juxta dictum Augustini: Crux Christi patientis, fuit cathedra Magistri docentis, quæ crucis scientia nos docuit argumentari, inquirere, discernere, & dijudicare, de omnibus longe certius, quacunque Dialectica & Rhetorica. Illa nos docet verbum æternum, & nomen, quod est supra omne nomen, quod nullus Grammaticorum hactenus cognovit. Illius Philosophia, de anima, de spiritu, de virtutibus, de felicitate, de summo bono, omnes

omnium traditiones longe superexcedit. Hæc ergo est illa scientia crucis, quam qui ignorat, ignorabit illum Dominus, & projiciet illum à facie sua.

XXXIV.

HIc jam omissis verbis intermediis, quæ in hac propositione unico contextu leguntur, damnat hæc verba, cui nihil addere licet, nihilque detrahere. O Mose, ô Salomon, ô Paule, ô Ioannes, ô Christe Deus, ô Christi Ecclesia, quis est iste discipulus Sathanæ, qui etiam in verba sacræ scripturæ struit calumniam? Quid respondebit, quando mecum stabit ante tribunal Christi, rationem redditurus, quod impie calumniatus est verbum Dei, certe in die illa, surgunt multi ex Magistris nostris, & dicent: Domine, in nomine tuo fortiter calumniati sumus, in nomine tuo acriter disputavimus, in nomine tuo multos strenuiter excremavimus, in nomine tuo Magistri in divinitate nuncupari sustinuimus. Dicet autem illis Christus: quia nunquam cognovi vos, O impudentem improbitatem, ô inexcusabilem blasphemiam, damnare in meis verbis, ut scandalosum & impium, quod traditum est in sacris literis, quod scandalosum & impium, aut hæreticum, nisi ab hæreticis, impiis & blasphemis, judicari non potest, cujusque oppositum, sit plane impium, & hæreticum, & blasphemium, & omnes qui adhærent illi, quum non liceat cuivis Doctori, quantumcunque sanctissimo, & eruditissimo, ad divinam scripturam aliquid addere, aut tollere ab ea. Hinc Tertullianus, in libro de præscriptionibus hæreticorum. Nobis (inquit) non licet ex nostro arbitrio indulgere, sed nec eligere, quod aliquis de arbitrio suo induxerit, Apostolos Domini habentes authores, qui nec ipsi quicquam de suo arbitrio induxerunt, aut elegerunt, sed acceptam à Christo disciplinam, fideliter nationibus adsignarunt. Itaque etiam si angelus de cœlo aliter evangelizaret, anathema diceretur à nobis. Hæc ille. Et Hieronymus super Psalmum undecimum, exponens illud: Eloquia Domini casta, interpretatur, qui prædicatores de eis nihil vel minuere, vel addere audent, quod pura & munda sunt, non admittentia externas sententias. Quæ enim erit sacræ scripturæ stabilis, & infallabilis veritas, si aut pro ratione temporum, aut locorum, aut rerum, aut personarum recipiat additamentum, aut diminutionem? Nonne scriptum est: Verbum Domini manet in eternum? Nonne ea lex est in Deuteronomio: Non addetis ad verbum, quod ego vobis loquor, nec auferetis ab eo? Et

eo? Et in eodem legitur: Maledictus qui non permanet in sermonibus legis hujus. Et in Apocalypsi: Si quis apposuerit ad hæc, apponet Deus super ipsum plagas scriptas in libro isto, & si quis diminuerit de verbis libri Prophetiæ hujus, auferet Deus partem ejus de libro vitæ & de civitate sancta, & de his quæ scripta sunt in libro isto. Et Salomon, Proverbiorum tertio ait: Omnis sermo Dei ignitus, clypeus est omnibus sperantibus in se, ne addes quicquam verbis illius, & arguaris inveniarisque mendax. An non erubescit hic Theologicus articulator, in tam fœdo, tam impio, tam blasphemo, contra apertam scripturam errore deprehendi, quod inter scandalosos articulos, retulit sententiam sacræ scripturæ, etiam ad verbum in textu positam? Certe cavenda illi erat commonstrata lex divina, in quam tam turpiter impegit, quum ego veluti digito illi ostendens, de Canonicis scripturis loquutus dixissem, quibus juxta præceptum Dei nihil addere licet, nihilque detrahere, insuper addens hæc verba: Quisquis enim etiam si angelus de cœlo id egerit, anathema est, & à lege Domini maledictus est. Sed hæc priora cum posterioribus verbis improbus calumniator malitiose dissimulavit. Quis non Christum citius inter publicanos & meretrices repererit, quam inter tales Theologos, qui dicunt se fidem & religionem defendere, dum evertunt verbum veritatis, sacram scripturam hæresis vocabulo inquinantes, & de Mose, de Salomone, de Paulo, de Ioanne, de ipso denique Deo, hæreticos facientes. Neq; vero hic mihi patientiæ ratio habenda est, ubi non tam contra mea verba agitur, quam contra scripturam divinam. Meminerit ergo in posterum tam sacrilegi lapsus, thrasonicus iste articulator, qui sibi arrogat censuras in errores alienos.

XXXV.

RVrsus eandem cantilenam canens, carpit, sacram scripturam nulla pati externa commentaria, nullas humanas aut angelicas glossas, quibus jam in superioribus responsum est. Quoniam scriptura sacra sibiipsi sufficiens est, & seipsam exponit, sicut apud Ezechielem cap. 18. præcipiens Deus inquit: Audies de ore meo verbum, & ex me annunciabis. Unde ait Irenæus, ostensiones scripturæ, non nisi ex ipsa scriptura ostendi debent, cui nihil externum addere licet, nihilque quod suum detrahere. Quomodo enim stabit promissio illa Christi, pollicentis nobis os & sapientiam, cui nulli possint resistere adversarii, si pro tuendo suo dogmate, ab externis commenta-

HAEC BIBLIOTHECA EST IN USUM

mentariis, ab humanis glossis, nobis emendicandum erit verbum veritatis, ac si imperfecta sit scriptura, & non omnem veritatem docuerint Prophetæ, Evangelistæ, & Apostoli. Quæ pestifera olim Cataphrygum blasphemia fuit, quod dicentes, Augustinus scribens super Psalmum 108. æquiparat his, qui Christum adhuc in mortali carne viventem occiderunt. Vbi enim dignum aliquod veritatis testimonium reperire poterimus, si à Prophetis, ab Evangelistis, ac Apostolis discesserimus? num in scholis Philosophicorum, qui sunt mancipia errorum, maluntque tueri falsum, quam à suis opinionibus decedere? num in Sorbona Magistrorum nostrorum Parisiensium, qui post innumeras contentiones, jam etiam determinationes suas venales habent, & in gratiam principum & regum, detorquent scripturas, & accepta pecunia, pervertunt verbum Dei? num apud cætera Scholasticorum Gymnasia, hujus mundi scribarum & Pharisæorum cœnobia, ac prostibula hæreticorum? Certe dominus loquutus est in scripturis populorum & principum, horum qui fuerunt in ea, super quo dicit Hieronymus, Psalmo 86. Quod exceptis Apostolis, quodcunque aliud postea dicitur, abiciendatur, nec habeat authoritatem. Vnde & Tertulianus ait: Quum credimus, hoc prius oportet nos credere, non esse quod post Evangelium credamus. Iterum Augustinus, super illud Psalmi 103. De medio petrarum dabunt vocem suam, inquit: Si dixero vobis credite, hoc enim dixit Cicero, hoc Plato, hoc Pythagoras, quis vestrum non rideat me? Ero enim avis, quæ non de petra emittet vocem suam Et paulo post: Audiantur ergo, qui de petra, quia in illis petra auditur Christus. Solus ergo Deus, atque Christus, verbi Dei scientiam nobis tradidere, non Philosophi, non Sorbonistæ, non Gymnosophistæ. Nec sumus aliorum sermonum discipuli, nisi cœlestium, ut inquit Origenes, Homil. 9. super Esaiam. Et Cyrillus, super sexto Ioannis capite dicit, unum solummodo Christum sequendum esse Magistrum, illique soli inhærendum. De illo loquitur Paulus, in prima ad Corinth. cap. 11. inquiens: Ego enim accepi à Domino, quod & tradidi vobis. Et ad Galatas 1. ait: Evangelium quod evangelixatum est à me, non est secundum hominem, neque ab homine accepi illud, sed per revelationem Iesu Christi. Et ad Romanos decimoquinto capite ait: Nō audeo aliquid loqui eorū, quę per me nō efficit Christus. Stat ergo (invitis Lovaniensibus articulatoribus) firma & inconcussa propositio mea, quod verbi Dei scientiam, nulla errorum architectrix Philosopho-

sophorum schola, nulla infecta Scholastica lepra, Magistrorum nostrorum Sorbona, nulla opinionum nundinæ Scholasticorum Gymnasia nobis tradiderunt, sed solus Deus, atque Iesus Christus, cujus verbo sub æternæ maledictionis pœna nihil addere, nihil detrahere licet, sed sibi sufficiens, omni perfectionis, veritatis, lucisque plenitudine, consummatissimum, nihil externum patitur sibi commiscri, nec ullo creati intellectus eget adminiculo. Estq; non solum non impia, non hæretica, non scandalosa, non piarum aurium offensiva hæc propositio mea, sed impius, hæretic⁹, scandalosus est, hic blasphemus articulator, & quicunq; illam pro impia, hæretica, scandalosa, piarum aurium offensiva, traducere non erubescunt.

XXXVI.

QVod autem scientia & fides se non compatiantur, non video quod piarum aurium scandalum hic somniat iste articulator, quum sit receptissimum scholasticorum dogma, quod in eodem subjecto, & respectu ejusdem veritatis, non possunt simul stare, habitus fidei acquisitæ, & habitus scientiæ per demonstrationem genitæ, quod & ego hic intendo, & sic me accipi volo, itaque nullus error hic est, sed mera invidia, & induratum odium ad calumniandum. Loquebar enim de his, qui evacuantes crucem Christi, fidem nostram, quæ nullam sub artem cadere potest, persuasibilibus humanæ sapientiæ verbis, ac Dialecticorum regulis astringunt, qui quod sola fide credere debemus, conantur syllogisticis demonstrationibus ostendere, ex humanis scientiis philosophorum gentium. Quin extat liber de articulis fidei, cujusdam eruditissimi viri, qui universum symbolum Apostolorum, & singulos illius articulos, probat ex Aristotele, atque id quidem (fateor) quam acutissime, sed non secundum pietatem. Neque ignoro, quod dicit Henricus Gandavensis, acutissimus Scholasticorū Theologorum, dari scilicet lumen quoddam, superius lumine fidei, in quo Theologi videant veritates Theologicæ scientiæ, tamen non est illud lumen naturale, neque dictamen rectæ rationis, neq; artes liberales, quas Arcadicus hic articulator, dicit declarare & elucidare sacram scripturam, sed erit lumen inspirationis.

XXXVII.

PRoinde nunc ubi legitur, discedite ab humanarum traditionum nebulis, non satis divinaturus fueram, hujus arti-

culi scandalum, nisi ipsa calumnia, aperiret mysterium. Verum si quis simul legat, quæ ibi præcedunt, & sequuntur, manifestò clarius comperiet, me non de humanarum legum cōstitutionibus loqui, sed de dogmatibus Philosophorum, unde hic notarus articulus, satis indicat, suum articulatorem, ex impotentissima invidia, illum huc traduxisse, ni forte tam stupidus est, ut non intelligat, quod reprehendit.

XXXVIII.

QVid hic nobis obgannit verborum meorum detruncator, ac falsarius, iste Lovanienſis articulator, de cæremoniis, de fide, de operibus, de charitate, ac si ego Ecclesiasticis cæremoniis, & bonis operibus, omnem auctoritatem detrahere velim, ego de hoc cæremoniarum genere loquutus sum, quæ pro ornamento Reipublicæ, ad carnalem, & extrinsecam sacrorum pompam, & ab hominibus humano spiritu, ad hominum gloriam sunt repertæ, habentes licet sanctimoniā quandam, sed mundanam, & in rebus externis, & visibilibus sitam, quæ ex gentium ritibus, olim in nostram religionem migrarunt, non tam supervacuæ, quam etiam superstitiosæ, & inepræ, quarum hodie adhuc damnabilis viget consuetudo, non nunquam cum insigni stultitia, & fœditate conjuncta, qualem hoc anno conspeximus, Gandavi, in furiosa illa processione, beati Levini, eorum patroni, quæ turpitudinem summam habet, gratiam & pietatē nullam, cujusmodi insaniæ plures sunt, etiam in aliis locis, conniventibus Episcopis, & sacerdotibus, & sub fuco pietatis, tam turpibus ritibus defœdari sanctorum gloriam sustinentibus. O quam execrabile flagitium, eorum qui hujusmodi cæremonias excogitaverunt, vix credere potuissem, nisi ipse vidissem, fuisse aliquem populum tam scelleratum, qui ista confingeret, tam furiosum, qui ista ageret: tam stultum, qui istis crederet, tam perfidum, qui ad ista conniveret. Quis hujusmodi nō detestetur cæremonias? Cæremonias autem ab Ecclesia, & patribus institutas, non damno, nisi sint qui in illis statuant finem pietatis, & quorum est superstitiosus, licet pius affectus, quē ut statim non probo, ita nec omnino improbo, sed admoneo. Verum & proprium latriæ cultum, geri intrinsecus in animo, non in signis & cæremoniis exterioribus, quorum multæ repertæ sunt propter infirmos, quibus non obligantur perfecti. Multæ etiam ornatus gratia, à magistratibus, & populo institutæ, quas etiam in quibusdam rebus conservandas, lætitiæ & concordiæ causa, arbitratus sum, partim

tim etiam commendo, ac receptos inveterata consuetudine honestos ritus dissolvi, non facile ferendum puto, sed meriti alicujus fiduciam, quantumcunq; bona sit intētio, in illis collocare non probo. Sic namq; persuasit mihi Hieronymus, super 45. caput Ezechielis, non tam voluntate, quam boni operis opinione, etiam peccari dicens. Deinde Augustinus, Psal. 144. etiam Dei laudandi rationem, ex scriptura, non ex nostris bonis intentionibus petendam ait. Atq; hic puto, in sacris literis quoties mentio fit de mandatis & judiciis, nusquam non additum, hoc pronomen, mea: quoniā (ut est etiāapud Matth.) non liceat hominum præceptis colere Deum, sed suis propriis legibus, atque utinam non coleremus Deum legibus dæmoniorum, componentes Christum cum Belial, prætexentes religionem, ubi est abominatio. Si exempla quæritis, dicite, ô Grudii, Aduatici, Garduni, Brabanti, Flādri, & qui reliqui estis Gallogermani, quid sonant campanæ vestræ, nonne spurcitiarum notis, vocant vos ad divinam? Quid modulantur organa vestra, nonne cum canone missæ, fœdissimæ quæq; libidinum cantiunculæ pares vices habent? Cur ista non offendunt Magistrorum nostrorum tam pias aures, aut desināt offendi meis admonitionibus, aut his quoque offendantur, quæ sunt atrociora. Denique si quis legat totum hoc capitulum, videbit me non impiè sentire de cæremoniis, maximè, quæ à Deo, & lege, aut Ecclesia, & patribus, institutæ sunt, quibus tantum adest ut detraham, quod nec circumcisionem quidem fieri, damnare velim. Etiam in hominibus Christianis, sicut in Nigritis & Iacobinis, modo non credant necessariam ad salutem, sed ob id tantum susciplant; ut sint Abrahæ, & Christo, etiam in hoc signaculo conformiores, nec referre putent ad veritatem salvationis, illam accipere, aut non accipere, sed quod sicut illa non salvat, ita sit sine illa salvatio, cui opinioni citra scandalum adhæret etiam doctissimus ille Cardinalis Nicolaus de Cusa, in libro suo, quem de pace fidei inscripsit. Et Ioannes Scotus, tuetur, post passionem Christi, potuisse cæremonialia veteris legis sine peccato observari.

XXXIX.

QVis hic dubitat, hunc tartareum Scholasticum Præceptorem habuisse Sathanam, illum qui erat Christum tēntans in deserto, qui scire cupiens, an IESUS esset CHRISTUS, sic ei dolo malo scripturas detruncando proposuit. Scriptum est, inquiens: Quoniam angelis suis mandavit de te, quod in manibus portabunt te, ne offendas ad lapidem pedem tuum.

Nihil amplius dixit Diabolus (ut super hoc scribit Hieronymus) nisi Angelis suis mandavit de te, quod in manibus tollent te, ne ad lapidem offendas pedem tuum. Mediam autem partem dimisit, neque dixit, ut custodiant te, in omnibus viis tuis, sciebat enim contra se esse. Eadem arte, hic utitur contra me iste sathanicus articulator, qui ut verus & Catholicus hujus propositionis meę sensus non appareat, ipsius alteram partem dolo malo amputavit. Sic enim habent meа verba: Cæremoniæ nequeunt homines promovere ad Deum, apud quem nihil est acceptum prеter fidem in Iesum Christum, cum ardenti imitatione illius in charitate, ac firma spe salutis & præmii, sed hoc totũ omisit falsarius. Nonne ex his verbis liquidò apparet, me loqui, non de nuda & mortua fide, sed de illa, quæ per charitatem operatur. Atq; me, ne verbo quidem repugnare dicto Apostoli, per ipsum citato. Sed quid potest esse tã piè, tam rectè, tam circumspectè scriptum, quod non videatur impium, iniquum & scandalosum, quando porrigitur per talem aliquem diabolum, qui etiam bene & catholice dicta, ad suum sensum depravat. Putabat fortassis neminem fore tam oculatum, qui tam manifestam sycophantiam deprehensurus esset. Eat ergo nunc in externas tenebras, mendax truncator, & abscondat se à facie omnium proborum Theologorum, non enim dignus est, qui numeretur inter Theologos, qui more hæreticorum (ut ajunt sexti synodi patres) scripturas detruncat, & in pœnam legis Corneliæ de falsis incidit, quæ constituta est in eum, qui ut verum non appareat, quid celaverit.

XL.

POrrò sequitur alia assertio, sed non nisi per argumentum videtur huc inserta, ac si ad condemnandum aliquẽ de hæresi, sufficiant probationes, quæ pendent à quasi, & à videtur, cui respondere possem, quod argumentum constructum per videtur, solvitur per verbum non videtur. Est itaq; hujus cæcutientis articulatoris visio, quod scientiæ capiunt finẽ in hoc seculo, quam propositionẽ iste articulator ex seipso fabricatã, unico protinus telo jugulat, atq; confodit, citans Hieronymũ in prologo bibliæ dicentem: Discamus hic in terris, quarum scientia nobis perseveret in cœlo: hic me planè victum confiteor, istius Theologastri hebetudine, quæ sic citat testimonia, dum vult alios hæresis, & scandali cõvincere, sed quæso doceat me iste Theologaster, quæ nam sint ista discenda hic in terris, quæ nobiscum perseverent in cœlis? an parva logicalia? an moralia

moralia Aristotelis? an formalitates Scoti, an ars veterinaria, & coquinaria? an alchymistica, agricultura histrionica? Certè ego crediderim nos illorum nihil egere in futuro seculo, nisi sola scientia scripturarum divinarum. De quibus loquitur Hieronymus in prologo citato. Et in Esaiam inquiens: Si juxta Apostolum Paulum, Christus Dei virtus & Dei sapientia est, & qui nescit scripturas, nescit Dei sapientiam. Ignorantia scripturarum est ignorantia Christi, & habetur 38. d. capit. Si juxta. Hæc ergo nobis discenda sapientia est, scire Christum & verbum ejus, quod solum manet in æternum. Hic certè formidolosus sophista, sua parva logicalia, suppositiones, ampliationes, restrictiones, exponibilia, insolubilia, obligatoria, & ejusmodi contentionum artificia, tum monstrifica illa conflictationum vocabula, exercitatum, qualitatum, formalitatum, quidditatum, & reliquos Scholasticarum nugarum casus, pugnantesque voces, nominalium & realium, primarum & secundarum intentionum, propriarum & impropriarum significationum, implicitorum & explicitorum sensuum, cæterasque magistrorum nostrorum chimeras, si supra conscenderit, se penitus amissurum, non cassa opinione formidat, & anxius dubitat, num sibi conducat ascensus superum, ubi est regnum pacis, & perpetua quies, quibus nihil magis adversatur, contentiosis istis sophistis? Et quamvis in declamatione, non illud propriè vertebatur in dubium, an scientiæ & artes in hac vita acquisitæ, nobiscum perseveraturæ sint in futuro seculo, sed illud ventilabatur, multas scientias & artes, in seculo hoc, vicissim & nasci, & interire à memoria hominum, nec aliquid esse firmum sub sole, tamen ausim dicere, etiam nullam scientiam (de humanis loquor) nobiscum perseveraturam in futuro seculo: neque aliquid illorum, quæ à sensu percepta, & ad intellectum provecta, studiorum diligentia, & ratiocinandi artificio, à nobis cognita sunt, nisi ulterius ab intellectu ad mentem, & ad ejus lumen pertingant, ubi quasi divinum induant intuitum, & idolo careant humano. Et hanc conclusionem teneo, & assero, ut rationabilem opinionem & citra omnem impietatem disputabilem, atque ex eorum numero, quæ solent esse themata conflictationum, de quibus adhuc disputatur inter orthodoxos, ut non statim sit hæreticus, qui de illis dubitat, quum nulla Ecclesiæ authoritas, hactenus vetuerit de his dubitare, nec omnes Doctores circa hęc in eandem opinionem consentiant.

XLI.

IAM tandem profligatis articulis omnibus, Cyclops articulator perorat, planeque triumphat, & scripturarum interpretem agit, atque exponit illud sapientis: Vanitas vanitatum, & omnia vanitas, Scholastico more distinguit, inquiens: Oportere intelligere sapientem: interdum loqui ex sua persona, aliquando in persona attoniti, quandoq; in persona stultorum, interdum in persona prudentis. Sed ubi possunt hæc discerni, melius norunt pueri, qui student in Donato. siquidem hic articulator distinguit quidem, sed nihil discernit. Et contra Aristotelem suum, qui in calce libri de Physico auditu, inquit: Sapientem non sufficit dicere, nisi dicti rationem assignet, nihil neque dicit, neque probat. Verum Hieronymus illud exponens, ait sic intelligendum, ad comparationem creatoris & æternæ majestatis, omnia dici vanitatem, sicut Apostolus ait: Vanitati creatura subjecta est. Et Psalmista ait: Omnis vivens vanitas, quia solus Deus est immutabilis, & semper idem quod est, & non aliud. Sed illud pari ratione oportebat articulatorem intelligere, distingueréque, me non ubique eandem personam gerere, sed aliquando inquirentis, aliquando disputantis, quandoq; monitoris, quandoq; recitatoris persona loqui, iste verò non assertatoris, sed declamatoris, atque si velit etiam canis vices agere. Similiter etiam putandum est, hunc articulatorem, aliquando loqui in persona parasiti, aliquando in persona calumniatoris & sycophantæ, aliquando in persona asini Cumani, nullibi autem per omnem hanc articulationem, in persona docti & probi viri.

XLII.

NEque ego plane damno omnes scientias & artes, sed de illarum vanitate, & incertitudine declamo, & reprehendo illos, qui neglecto verbo Dei, in humanis & mundanis scientiis fiduciam suam collocant, semper discentes, & nunquam ad scientiam veritatis pervenientes: ostendoque, qui errores, quæ hæreses, quæ mala, ex quavis scientia orta sint, & oriantur, quando non regulantur ad verbum Dei, in quo solo est scientia discretionis, discernens verum à falso, justum ab injusto, bonum à malo, sine quo omnis scientia vana & errori subjecta est. Proinde declamatio non judicat, non dogmatizat, sed quæ declamationis conditiones sunt, alia joco, alia serio, alia falsè, alia severe dicit: aliquando mea, aliquando aliorum sententia loquitur, quædam vera, quædam falsa, quædam dubia pronunciat, alicubi disputat, alicubi admonet, non ubiq; improbat, aut docet, aut asserit, nec omni loco animi mei sententiam declarat, multa invalida argumenta adducit, ut habeatur, quod improbet, quodq; solvat declamaturus partem diversam, quæ quum nesciat hic articulator discernere, nullam de illis nisi stultam poterit ferre sententiam.

XLIII.

TAndem ut faciat perfectum circulum, revertitur ad libri nostri principium, colophonia injuria, calumnians epistolam præliminarem, in qua jocatus cum amico, dixi me versum in canem, ipse articulator plus quàm canis, humanitatis expers, & vitæ communis ignarus, qui literas ad amicum scriptas, Cynica petulantia mordere nō erubescit, ac veluti rusticus indisciplinatus, canis ignotos omnes adlatrat, hic carpit, calumniatur, damnat, quæ non intelligit. At verò canis iste meus nullos adlatrat, nisi malos, nullos mordet nisi noxios, odio persequens facta improba, qui si impotens erat ad benedicendum, causa fuit, quia inter illos agebat, qui nolebant intelligere, ut bene agerent. Quemadmodum & Christus, ut est in Evangelio: nō poterat facere miraculum in Nazareth, propter incredulitatem illorum. Non est ergo propterea liber declamationis illius piarum aurium offensivus, nisi piæ aures, intelligantur aures morosorum asinorum. Neq; est contumeliosus, siquidem (teste Hieronymo) generalis sermo, ad nullius contumeliam pertinet, & qui citra nomenclaturam notat vitia, malos admonet, bonos commendat. Neq; est etiam ille liber famosus, quum habeat inscriptum authoris sui nomen, & titulum, atque non sine Cæsarei consilii examine, & authoritate publica prodierit, nec quenquā, nisi de quo publica vox, & fama, & notoria historia est, nominatim perstringit. Cæterum, si quispiam sui conscius, aliquid in se dictum arbitretur, ob idq; mihi succenseat, ipse jam de se ipso, quod talis sit, nullo accusante confitetur, unde præsumptuosus hic articulator, ignorans quis in jure dicatur libellus famosus, falcem suam ponit in messem alienam, & ultra crepidam judicans, nescit quid loquatur. Atque hæc tandem est miserandi articulatoris hujus, plusquam asinina peroratio, qui si quid cordis haberet, & probus vir haberi velit, addidisset articulis istis nomen suum, si illos commendatione dignos putabat. Aut prodiisset in publicum, nec me post terga aggressus esset, sed restitisset in faciem, dum aderam quireſponderem.

LAVRENTII BALBI IN THEOLOGIA OPERA

EX his tandem mihi plane persuadeo, librum declamationis meæ, per Lovanienses Theologos, non fuisse lectum, sed laborem illum aliis quibusdam fuisse distributum, in quorum fidem: forte Theologi aliqui subscripserunt, notatis. Vnde si quid in hac mea Apologia, amarulentius dictum videbitur, sciant me hoc non in Theologicum ordinem dicere, sed in illos ter sceleſtos sycophantas, qui de ordine Theologico pessime meriti, tam insulsas nænias, tam perfidas calumnias, illis suggesserunt, atque tam celebrem olim Academiam, tam futilibus articulis, tam frigidissimis argumentis, tam inappositis scripturarum citationibus, earundemque adulterinis applicationibus, & interpretationibus præficere voluerunt authorem, & eruditis omnibus exponere ludibrio. Ego semper doctis & eruditis viris, quibus sensus est Catholicus corrigendi mea scripta libenter submittam, modo illa legant cum judicio, & candore, & si quid admonuerint aut docuerint, libenter audiam, illorumque judicium pro veneranda authoritate libenter accipiam. Sed si quis æquo animo ferat, istius fecis cicatricosum judicium, qui invidiosi, & nihil scientes, vitiant quæ sana sunt, & deflexis à vero oculis, in improbitate, fraude, dolo, falsificio, mendaciis, malitia, depravatione, dissimulatione, & impudenti calumnia, spem victoriæ ponunt, & se constituunt censores alienorum laborum, eorumque quorum sunt imperitissimi. Atque horum nebulonum arbitrio (si diis placet) Christiani dicemur aut hæretici, ad horum sententiam exurentur homines, quorum verba, voces & censuras, nihilo pluris ego faciam, quam Demetrius ille, qui dicere solebat, eodem sibi loco voces esse imperitorum, quo & ventre redditos crepitus, quum nihil pene interſit, qua corporis parte, iursum an deorsum turpiter sonet. Qui quod doctrina nequeunt, authoritate exequi contendunt, eo quod quas olim eruditionis meritis, laureas decrevit antiquitas, ipsi mercede & Sympoſiorum meritis impetrarunt, titulo quidem Doctores & Magistri, literarum conditione miserabiles Sophistæ, contenti ut alii doctrinam, ibi umbrā tantum & speciem occupent. Sciant ergo nunc populi, & intelligant nationes. Quales hodie sunt isti Magistri, quibus filios suos erudiendos mittunt discipulos. Væ discipulis, quibus tales contingunt Doctores, qui quodcunq; loquuntur licet: videatur sapientia, tamen est stultitia, & iniquitas: cur autem væ, quippe dominus, & Magistros illos, pariter & qui credunt illis discipulos disperdet, juxta verbum Esaiæ: Quoniam dominus caput & caudam disperdet.

Nunc

NVnc ergo vos obtestor, clarissimos Senatores, virosq; prudentissimos, in quorū manibus tot nefaria illa calumniatorum cohors, ante hunc conflictum intendit, & obtrectatione mei nominis, sparsit in vulgus; & hæreseos nomine obtulit magnatibus, & Cæsari quoque me traduxit pro hæretico. Vosque omnes, quicunque nunc, & in posterum, ista & visuri & lecturi estis: Nolite secundum faciem judicare, sed rectum judicium judicate. An nō digni & efficaces sint isti articuli, propter quos, ex conspurcatis scholis, sordidi ludimagistri, qui nihil norunt, nisi præesse pediculosis pueris, cum aliquot seditiosis Theosophistis, & funestis monachis, sceptra supra Cæsarem sibi arrogantes, nostram de Vanitate scientiarum, atq; excellentia verbi Dei declamationem (cui jam subscripserant censores, assensus est privati consilii senatus, & Cæsareo diplomate comprobavit) prohibere debuerint, & ne apud Lovanium distraheretur inhibere: Nolite secundum faciem judicare, sed rectum judicium judicate, an digni & efficaces sint isti articuli, propter quos, rescindendum postulaverint. Cæsarei diplomatis privilegium, maxima privati consilii (ubi nihil non agi summa cum prudentia & deliberatione hactenus putatum est) cum infamia, tum injuria. Non enim ad me solum pertinet hæc calumnia, sed etiam ad eos, qui declamationem meam examinarunt, qui comprobarunt, qui subscripserunt, qui Cæsaris sigillum appenderunt, quorum fides, si semel hinc suspecta fieri patiatur, reliquorum omnium perpetuo infirmata est: Nolite secundum faciem judicare, sed rectum judicium judicate. An digni & efficaces sint isti articuli, pro quibus mihi inaudito & indefenso, publica indicenda fuerit palinodia? quum isti Lovanienses censores non innitantur alio robori, quam falsis interpretationibus, malitiosis argumentationibus, impertinentibus allegationibus, depravationi, detruncationi, dissimulatione, mendacio, improbitati, sycophantiæ, blasphemiæ, falsitati, cæterisque calumniarum detestabilibus artibus, quibus degeneres, & invalidi sophistæ plures turmatim, me solum, & unum clanculum, & post terga aggressi, opprimere studuerunt. Nolite secundum faciem judicare, sed rectum judicium judicate. Num digni & efficaces sunt isti articuli, propter quos ille minister justitiæ Cæsar, tam gravi indignatione contra me commotos fuerit, quod supplicanti mihi pro justitia, & aures suas occluserit, & oculos suos à supplicatione mea averterit? Et quum nemo regum, unquam tam inclementes, sive superbas aures, habuisse sciatur, qui servorum suorū honestas preces fastidie-

rit,& honestarum personarum,justas supplicationes, dedignatus fuerit,mihi uni solique hoc a Cæsare suapte natura Clemētissimo,præter morem suum alieno impulsu contigit:sic pii illi magistri nostri,suis istis articulis,conscelerarunt Cæsaris aures, tantumque venenum illis instillarunt,illi mundo corde monachi,sic Cæsaris adversum me furorem concitarunt, illi subornati aulici sacrificuli, atq; aulicarum conscientiarum instigatores, ut vix duorum reverendissimorum doctissimorumque Cardinalium fideli instructione,deflagrari Cæsaris ira, & purgari potuerit suspitio,parumque abfuerit, ut cujus beneficentiam virtutibus,fideliq; obsequio commeruerim, illius iram, & indignationem, servitiorum præmium, laborumque mercedem habuerim, quemq; virtutis, ac literaturæ gratissimum pensatorem speraveram, virtutum & eruditionis punitorem invenerim,nec quicquam bonæ spei habiturus sim reliquum, qui mihi tam infensum Cæsaris odium,virtutis & eruditionis meritis peperissem. Verum hæc tragœdia alio loco, & alio stilo,mihi uberius decantanda est. Vos quæso quod ad articulos attinet,nolite secundum faciem judicare,sed rectum judicium judicate.Salvo mihi jure addendi auferendi,corrigendi,emendandi,interpretandi. Quod ut in prophanis causis concedi solet,in sacris maxime concedendum erit.

Vbi ignavi imperant: ibi summa ingenia in occulto iacent.

Proverb. XXIX.

Princeps qui libenter audit verba mendacij, omnes ministros habet impios.

Non solum ille reus est, qui falsum de alio profert,sed etiam is,qui aurem cito criminibus præbet. II. quæ. 3. *non solum.*

Apologiæ adversus Theologistas Lovanienses, Finis.

HEN.

REVERENDO PARITER ATQUE GENEROSO DOmino, Domino Joanni Laurentino Lugdunensi præceptori primario Divi Antonii apud Rivum eversum Provinciæ Pedemontium.

HENRICUS CORNELIUS Agrippa. S. D.

QUoniam sic tibi persuasum video vir clarissime,ut multò laudabilius ducas scire plura mediocriter, quàm unũ aliquod insigniter: & licèt jam in utroq;,& Pontificio & Cæsareo jure insigniter doctus sis,tamen circa eam disciplinam tibi immorandum non censeas,nec illam omnimoda ingenij occupatione dignam esse arbitraris, sed & alias quasq; optimas disciplinas felicissimi ingenij amplitudine prosequeris, etiam occultiores abstrusioresque scientias diligenti investigatione perscrutaris: indefit, ut ego etiam mei ingenii industria cupiam tuis desideriis morem gerere,& te à nostrorum arcanorum pomæriis non excludere. Itananq; virtus tua deposcit: & benevolentia erga me tua meretur. Volumus igitur te donare, & ea non vulgari, non triviali non arte circa unum aliquod objectũ occupata, sed arte artium omniũ regina, qua duce ad reliquas omnes scientias & artes facilè conscendas,ita ut nõ modò in illis mediocrem disciplinã, sed & insignem doctrinam rationabiliter valeas profiteri. Ea aũt est ars inventiva Raymundi Lullii,cujus ea dignitas est ac præcellẽtia,ea generalitas ac certitudo,ut se sola sufficiẽte, nulla alia scientia præsupposita,non ullo indigens forinseco juvamine, infallibi-

liter

liter cũ omni securitate ac certitudine, errore omni semoto, de omni re scibili veritatem ac scientiam sine difficultate & labore invenire nos faciat. Insuper omnes alias scientias sub se complectens, & ad verum ordinãs, soluens omnes quæstiones & objectiones, quæ circa quodcunq; scibile fieri possunt; nec ullum scibile est, quod hãc effugiat: argumentatur insuper per argumenta infallibilia, certissima & notissima, quibus nemo potest contradicere: ideoq; non indiget aliarum scientiarum, vel scripturarũ testimoniis, sed ipsa omnem aliarum scripturarum ac scientiarum auctoritatem, etiam ipsam Sacram scripturam disponit, ordinat & probat. Habet enim principia universalia, generalissima ac notissima, cum mutua quadam habitudine ac artificioso discurrendi modo, in quibus omnium aliarum scientiarum principia & discursus tanquam particularia in suo universali, eluescunt. Ea insuper hujus scientiæ est prõptitudo & facilitas, ut etiam pueri impuberes, hac arte freti, in omnibus fermè facultatibus doctè disserere possint: multi etiam, qui in extrema senectute se ad literas contulere, hac arte paucis mensibus in viros doctissimos evasere. Ita hæc ars omnem temporis indigentiam vincit & inopiam. Quod ne fabulosum videatur, extant nostræ memoriæ testes Petrus Daguinus Mediatus & Jacobus Januarius, viri tota Italia celebrati, quorum prior tricesimo septimo ætatis suæ anno, cùm vix prima hausisset elementa literarum, septem duntaxat mensib. huic artificio incumbens, omnibus doctissimis viris miraculo habitus est, quem & tota ferè Italia verbo experta est, & opera ejus in hunc diem, quantum doctrina præstitit, præ se ferunt. Alter autem, (quod magis mirũ est) cum septem peregisset lustra, à literis penitùs alienus, in tantum hac arte profecit, ut sicut ex scriptis eius videre licet, nulli doctorum hominum sit postponendus.

Notum

Notum est, Ferdinandum Cordubam Hispanum per cuncta ultra & citra montes gymnasia, omnibus studiis hac arte celebratissimum extitisse: atque Raymundus Sabunde, qui librum creaturarum sive Theologiam naturalem edidit, eo ipso præter reliqua sua scripta satis ostendit, quantum hac arte valuerit. Præterea Jacobum Fabrum Stapulensem, ac Carolum Bovillum, apud Parisios divulgatæ sapientiæ viros, Raymundo devotissimos scimus, eorumq; scripta testantur. Et, ut apud meos Germanos veniam, Andreas, Petrus, Jacobus, germani fratres, natione Frisones, cognomine Canteri, unica cum sorore adhuc pueri decennes, in omni disciplinarum genere egregiè disseruere, quos nõ modò Germania & Gallia, sed tota penè Italia, ipsaq; Roma & novit & admirata est. Horum Andreas mihi hujus artificij præceptor contigit, cujus fundamento innixus deliberavi etiam ego aliquod ædificium superstruere, atq; hæc in artem brevem succincta commentariola scribere: quæ cùm jam diu apud me detinerem, cogitabũdus, cui ea dignè dedicare deberem, tu mihi protinus occurristi, hoc ipso dignissimus, quòd præter generosam natalium dignitatem, insuper amplissimo ingenio decoratus vir desideriorum es, & qui nihil, quod sciri possit, ignorare velis. Accipe igitur nunc benignissimo animo has nostras lucubrationes: accipe Lullianum artificium: huic insiste, huic inhære, quousq; penetraveris, & in actum ac praxim deducere noveris: tunc mactus virtute, confidens ingenio, aggredere omnia, & evades omnium scientiarum toto animo plenissimus. Vale.

HEN-

HENRICI CORNELII AGRIPPAE, ARMATAE MI-litiæ equitis aurati, & vtriusque Juris Doctoris.

IN ARTEM BREVEM RAYmundi Lullij.

COMMENTARIA.

RAymundus Lullius composuit artem ad scientiarum inventionem, quam ex eo Artem inventivã nuncupavit, & ipsam per multos & varios tractatus sparsim scriptis tradidit, quorum alium intitulavit artem demonstrativam, alium de mixtionibus principiorum, alium vocavit artem magnam, alium artem brevem, in quo totam artem inventivam breviter complectitur, sicut per præsentem expositionem compendiosè declarabimus.

Dicitur autem hæc ars inventiva, quia docet nos invenire & multiplicare res & terminos, & propositiones, definitiones, divisiones, media, loca, argumenta, quæstiones, quæstionum & argumentorum solutiones atq; deductiones, veritates & scientias de omni re, & ad omne id quod proponitur.

Invenire autem rem, vel terminos, hoc solùm interest: quoniam res, cùm una sit, pluribus potest terminis explicari, idem aut simile significantibus, convertibiliter vel aliter. Invenire itaque terminos nihil aliud est, quam re aliqua proposita illam pluribus, & iis quidem aptis verbis amplificare & exornare.

Dicimus autem terminum, quidquid extra propositionem est, ut nomen & verbum, quæ principales partes sunt orationis, sive etiam aliquid categoricum, quicquid præter nomen & verbum finitum & rectum est, ut quidam, omnis, nullus, & reliquæ partes orationis, sive etiam aliquod complexum quantumlibet multiplex, à parte prædicati vel subjecti positum, vel modus etiam, vel dictum de quo modus prædicatur.

Rem autem compositam, vel terminum compositum, dicimus

mus orationem complexam, quam ex rebus incõplexis complexã facimus. Terminis itaq; incõplexis repertis, facilè erit eos varia adjunctione complexas facere ut homo, & homo justus.

Primùm autem nos invenire oportet terminos generales, quibus in omni re proposita uti possimus, secundum hujus artis intentionem: & hujusmodi termini sunt, quos Raymundus Lullius nobis sub quadruplici figura tradidit, extra quos nihil cadit in intellectum.

In tres itaque partes præsens expositio nobis partienda erit: in quarum prima, juxta intentionem materiæ, terminos ipsos generales declarabimus, & multiplicare docebimus: in secunda parte, complexorum inventionem ostendemus: in tertia, universalem artis dispositionem & applicationem docebimus, & per exempla demonstrabimus.

Prima pars in sex subdividitur: nam primò declarantur subjecta universalia, quarum figura apud Raymundum notatur per literam S. Secundò agitur de prædicatis absolutis, quarum figura signatur per A. Tertio de prædicatis respectivis, seu de triangulis, quarum figura notatur per T. Quartò de quæstionibus, earumque regulis ac speciebus, quarum figura tenet literam Q. Et hæ sunt quatuor figuræ generales artis, & quælibet illarum apud Raymundum novem possidet terminos, notatos per novem has literas, B C D E F G H I K, post figurarum expositionem. Quintò terminorum multiplicationem, & extraneos terminos invenire docebimus. Sextò loco figurarum in se invicem multiplicationem ostendemus.

Quære figuram in fine libri.

Primùm itaq; nunc definitiones subjectorum nobis memorandæ sunt: ut in prædicatorum attributione considerentur definitiones, circumstantiæ & conditiones subjectorum, quas uniuscujusq; subjecti genus, natura atq; ordo demõstrat. Quoniam non omnia prædicata, aut non eodem modo omnib. subjectis conveniunt, aut cohærent, vel consequuntur, vel attribuuntur, vel antecedunt. Nam ea quæ de Deo dicuntur, per quendam alium modum, quam de creaturis dicuntur: ita quæ homini secundum rationem attribuuntur, oportet in bruto non esse: sic illa quæ de homine justo, aliter quam de homine injusto dicuntur. Sed nunc ad definitiones subjectorum veniamus.

Deus est illud ens, in quo bonitas, magnitudo, & cætera prædicata absoluta in arte posita sunt, unum & idem numero, habens in se omne complementum, & aliquo extra se non indigens,

HAVANA BIBLIOTECA CENTRAL UNIVERSIDAD

digens. Est itaque Deus illud ens infinitum, æternum, perpetuum, ante & post omnium rerum principium & finem, ipsum sine principio & fine, in quo sunt perfectiones omnium rerum universæ, & imperfectiones absunt.

Angelus est substantia spiritualis, creata, corpori non conjuncta, nec conjungibilis: ideoq; non indigens tempore, neque motu, neque loco, secundum suam essentiam & naturam intellectualis, immortalis, insensibilis & impassibilis, ex sui natura & proprietate, nisi ex ea facultate, quæ sibi ex libero arbitrio permissa fuit, se moribus depravarit. Similis descriptio animæ convenit, nisi quia corpori conjuncta est, ipsumque semper appetit.

Cælum, est illud corpus, quod habet magis extensam magnitudinem, quàm aliud corpus. Est itaque corpus incorruptibile, in quo non cadit mutatio ad formam, sed tantùm ad ubi, sua materia & forma compositum, nō elementorum compositione coactum, habens animam viventem, rationis capacem, meliorem meliori conjunctam corpori, quàm sit anima humana.

Homo est substantia, in qua anima rationalis & corpus mortale conjungantur. Est itaq; homo, qui habet esse, vivere, sentire, imaginari & intelligere.

Imagmativa, est illa potentia, in qua animal imaginatur similitudines eorum quæ fuerunt sensibus præsentata: itaq; sub eo continentur animalia perfecta, & sunt illa quæ habent esse, vivere, sentire, & apprehendere potentiis & sensibus interioribus & exterioribus.

Sensitiva est illa potentia, cum qua animal sentit res sensibiles: itaque sub ea continetur animal, quod habet esse, vivere, sentire & apprehendere per potentias apprehensivas exteriores, carens sensibus interioribus, aut potius sine illis consideratum: potest enim sine illis intelligi, quamvis fortassis sine illis dari non possit. Sunt autem secundum Raymundum sex sensus particulares, scilicet visus, auditus, odoratus, gustus, tactus, affatus.

Vegetativa, est illa potentia, per quam naturaliter fit transmutatio de una substantia in aliam: itaque vegetativum dicimus illud, cui convenit esse, & vivere, ut ea quæ generantur, nutriuntur & vegetantur, sicut arbores & plantæ: & ita vivunt, licet sensu careant.

Elementativa, est potentia in elementatis, cum qua elementa existunt & agunt actualiter & præsentialiter ac potentialiter in ipsis

in ipsis elementatis. Est itaque elementativum, quod habet solum esse substantiale, & continet sub sua generalitate primò quatuor elementa simplicia, scilicet ignem, aërem, aquã, terram: deinde omnia mixta inanimata, in quibus non est vita, sive sint perfecta, ut sunt metalla, & gemmæ, sive imperfecta, ut nix, grando, pluvia: & etiam quævis alia elementata, quæcunq; de quatuor elementis composita sunt, sine vita tamen considerata, licet vita non careant, ut animalia & planta, & homo secundum corpus.

Priusquam nunc ad instrumentativam procedamus, primò de scala naturæ pauca exponemus.

Scala naturæ quinque habet gradus generales, ad quos tota rerum universitas reducitur, qui sunt esse, vivere, sentire, imaginari, intelligere: & infra quemlibet illorum sunt multi gradus speciales, quæ sub uno gradu generali continentur.

Conditio istorum graduum est, ut omnis inferior possit esse sine superiori, & non econtrà: & omnis gradus superior fundatur in inferiori: ideoque infimus gradus, qui est ipsum esse, est principium, radix & fundamentum scalæ, in quo omnes alii gradus sustentantur, ipsum autem à nullo sustentatur, nec in alio fundatur: ideo potest separatim sine aliis reperiri, alii autem sine ipso reperiri minimè possunt.

Esse ergo est primus gradus scalæ naturæ, & sub ipso sunt multi gradus dignitatis, secundum quos aliqua res habet nobilius esse, quàm alia: & illæ cognoscũtur à propriis ac specialibus accidentibus rerum, sic quod ubi sunt nobiliores proprietates, ibi sit nobilius esse, sicut in igne luciditas, subtilitas, levitas, caliditas: in aëre diaphanitas: subtilitas minor, levitas minor, & humilitas: in aqua fluxilitas lubrica, perspicua grossities, gravedo labilis, & frigiditas: in terra opacitas tenebrosa, solida grossities, ponderositas gravissima, & siccitas. Similiter nobilius esse est in mobili circulari, quam recto: in mobili sursum, quàm deorsum: in motu simplici, quàm composito: graduatur etiam esse secundum gradus durationis & virtutis, & reliquorum principiorum. Insuper illud est nobilius, in quo fundantur nobiliores gradus ipsius scalæ: & hoc idem de reliquis gradibus scalæ inferioribus intelligendum est.

Secundus gradus generalis est vivere, & habet propria accidentia, & proprias potentias, quæ sunt generativa, nutritiva, augmentativa, &c. & quæ ad illas sequuntur, vel antecedunt, ut attractiva, digestiva, retentiva, expulsiva, quæ propriè sequuntur esse compositum ex elemenus, & quodammodo

præcedũt actus vitales, & quælibet istarum utitur suo elemento ut instrumento : nam attractiva sive appetitiva, aëre gaudet, quia implet : retentiva terra, quia restringit : digestiva igne, quia est dilatativus partium & ampliat : expulsiva aqua, quia lubricitate sua evacuat.

Tertius gradus tenet sentire : & intelligitur de exteriori tantùm, & habet, sex particulares sensationes, visum, auditum, olfactum, gustum, tactum, & affatum, secundum quos distinguuntur gradus nobilitatis sensitivorum : & inter omnes sensus auditus est nobilior, quia non potest reperiri sine sensibus interioribus : nam ubicunq; est auditus, ibi necessariò est memoria, ideoq; absq; auditu non est disciplinabilitas.

Quartus gradus est imaginari : & cohærent sibi sensus intrinsecus, qui communis dicitur, item imaginatio, phantasia, æstimatio, memoria, secundum quorum præeminentiam sumuntur sub illo gradu gradus particulares.

Quintus gradus est intelligere : & habet sibi conjuncta recolere, & liberè velle, sine quibus esse non potest, & quæ hæc sequuntur, discernere, docere, eligere, judicare, sermocinari, & quæ inde proveniunt, sapientia, scientia, ars, ingenium, notitia, fides, opinio, credulitas, religio, virtus, & ejusmodi, secundum quorum gradationem & possessionem gradantur sub hoc genere contenta : & supra hunc gradum non est ascensus in scala naturæ : & ipse continet in se singulos inferiores, & quilibet gradus superior continet suos inferiores in se realiter, & dignificat eos ea dignitate qua ipse dignificatus est. In his autem quæ supra naturalia sunt non est ita, ut quilibet gradus superior contineat inferiorem realiter, sed continet illum secundum nobilissimum modum continendi & dignificandi, ut formaliter & intellectualiter, & non secundum modum conjunctionis, sed unionis & cujusdam identitatis, gradatim secundum subjecti nobilitatem minus a se invicem distinctos.

Et quia jam descendimus ad subjectum elementalitatis, in quo situatur infimus gradus scalæ naturæ, separatus ab omnibus aliis, videlicet ipsum esse sive vivere, sentire, imaginari, intelligere, vel sine illis consideratum : ideo scire nobis convenit, quia quoddam est esse primitivum & per se subsistens, nõ ab aliquo, nec de aliquo, nec in aliquo, sed simpliciter ante omne non esse, quod est deus : aliud est esse, non in aliquo, nec de aliquo, tamen ab aliquo, quia à primo esse de nihilo productum : & tale est esse creatum substantiale, cui præcessit nõ esse : tertium est esse, quod est ab alio de alio, in alio, & non nisi

in alio:

in alio : ut esse accidentis, cujus esse est secundarium, natura & perfectione : natura, quia præsupponit substantiam in absolutione & respectu : perfectione, quia substantia est per se, in se, de se, propter se, & sui : accidens autem, per ipsam, in ipsa, de ipsa, propter ipsam, & ipsius substantiæ : itaq; nunc consequenter de accidente dicamus, quod Raymundus instrumentativam vocat : quod est ultimum in genere subjectorum.

Instrumentativa, est potentia illa, quæ est instrumentum substantiæ, cum qua agit aliquod opus, & per se existere non potest : itaq; continet sub se omne id quod habet esse in alio, ut in principali subjecto : itaq; consideratur dupliciter, vel absolutè secundum se considerata, vel quemadmodum subjecto alicui adjungitur : ut si dicatur de justitia Dei, vel hominis, & tunc reducitur ad genus sui subjecti, conditionum subjecti observandarum causa.

Adhuc autem subjectum hoc instrumẽtalitatis apud Raymundum consideratur dupliciter, scilicet naturaliter & moraliter. Naturaliter, sic continet in se novem prædicamenta accidentis, & quicquid artificialiter instrumentum est alicujus operis in quantum instrumentum : Moraliter autem sic continet sub se virtutes, & vitia, & quicquid hujusmodi est, ut gratiæ & dona.

Instrumentalitatis itaq; naturaliter consideratæ talis constitui potest figura, prænotata litera I.

Quære figuram in fine libri.

Nunc consequenter singula hæc accidentium principia definiamus & declaremus.

Quantitas est principium, ratione cujus entia creata sunt finita sive terminata. Est itaq; quantitas, principium, cui convenit ratio mensuræ, secundum multitudinem, magnitudinem, diminutionem, & diuturnitatem. Quantitatis autem aliud continuum, cujus continuæ partes sunt : ut linea, longitudo, latitudo, superficies, altitudo & profunditas corporis, & tempus mensurans, actus, & locus atq; motus circumscribens corpus. Quantitatis aliud discretum, cujus partes non copulantur ad aliquem terminum, ut numerus, & oratio, & alia multa, sicut in respectibus duplum dimidium, longius, brevius, & hujusmodi : & in actibus, in quantum violenti, vehementes, intensi vel remissi : similiter in qualitatibus prout remissæ, vel intensæ.

Qualitas est principium, ratione cujus res sunt quales sive determinatæ : itaq; secundum qualitatem dicim⁹ aliquid esse

quale, ut secundum justitiam justum, secundum bonitatem bonum. Species autem qualitatis sunt, ut habitus, dispositio, virtus naturalis potentia vel impotentia, ut esse fortem, risibilem, & quæ sunt contraria: item passio vel passibilis qualitas, ut calor, dolor: item forma, & circa eam constans figura, ut triangulum, quadrangulum.

Relatio est principium, ratione cujus aliquod ens de necessitate refertur ad aliud: idem alio nomine vocatur ad aliquid, quia ejus esse ad aliud est vel secundum superpositionem: ut pater filii, dominus servi: vel secundum æquiparentiam, ut frater fratris, vicinus vicini.

Actio est principium, ratione cujus agens agit in passivũ.

Passio est principium, ratione cujus patiens patitur sub agente.

Habitus est principium, quo res induit de semetipso rem quæ ipsam sustinet, & est illud per quod etiam sunt habituata sive vestita de similitudinibus aliorum: itaque habitus communiter est corporum, & eorum quæ corpori adjacent, ut tunicatum esse, &c.

Situs est principium, per quod partes rectè & debitè sunt positæ in subjecto in quo sunt, ut caput sursum, pedes deorsum: est itaque situs nihil aliud quàm partium ordo in toto.

Tempus est illud principium, in quo & per quod entia creata, sunt noviter incœpta. Consideratur autem hic tempus, non solum secundum mensuræ rationem, sed etiam secundum id quod extempore in re temporali relinquitur, ut esse senem vel juvenem.

Locus est principium, ratione cujus una substantia aliam in se continet & collocat. Est itaq; locus circumscriptio corporis: & hoc principium alio nomine dicitur ubi: & est ubi repletivum, ut dei in mundo, animæ in corpore: & est aliud ubi definitivum, videlicet secundum operationem etiam vel in absentia rei, ut Solis in terra: secundum eundem modum angeli dicuntur esse in loco, scilicet secundum operationem: est aliud ubi occupativum, ut corpus occupans locum aliquem in alio corpore: & est aliud ubi continentiæ quod continet in se.

Quando autem instrumentativa moraliter consideratur, in virtutes dividitur & vitia, quæ sub duobus novenariis Raymundus complectitur: qui tamen velit aliter hæc restringere vel ampliare, potest id suo modo facere, & figuram earum mutatis ita fabricare possumus, prænotatam duplici litera W.

Quære

Quære figuram in fine libri.

Qui supra in figura S. narrati sunt novem termini generales subjectorum, hi ad nostram intentionem maximè necessarii sunt, in quibus continetur omne id quod est, tamen sub ordine quodam atq; quibusdam inter se gradibus: ideo observandæ nobis sunt necessariò conditiones illæ quas Raymundo Lullius in arte sua quatuor enumerat, per quas regulatur & conditionatur intellectus quoties nobis subjectum aliquod per principia respectus, & regulas hujus artis deducendũ est. Harum prima est ut observentur, definitio, cõditiones & proprietates ipsius subjecti, tales, cum quibus differat ab omni alio subjecto, cui tunc ita attribuantur principia & regulę, affirmando vel negando, ut nulla causetur læsio definitionũ subjecti & principiorum & conditionum suarum. Secunda conditio est, ut conserventur differentiæ subjectorum in attributione principiorum & regularum, sicut bonitas Dei differt à bonitate angeli per infinitatem & æternitatẽ. Tertia conditio est, ut concordantia quæ est inter unum subjectũ & aliud, non destruatur, sic angelus cum homine convenit in intellectu, ille cum brutis sensu, ipsa cum plantis vegetatione, & sic de similibus. Quarta conditio est, ut in quo gradu unum subjectum altero superius vel inferius vel æquale est, secundum eundem gradũ attribuantur illi principia & regulæ artis, & hæc omnia lucidius patebunt in practica tertiæ partis horum commentariorum. His addi potest quinta conditio talis, ut omnis perfectio quæ affirmatur de aliquo subjecto inferiori, dicatur suo modo de omni superiori: & quicquid imperfectionis negatur de inferiori, negetur & de superioribus: ita quidquid imperfectionis attribuitur vel perfectionis negatur de superiori, eodem modo attribuatur vel negetur de inferiori: ut si homo est mortalis, ergo omnia animalia necesse est esse mortalia: si homo intelliget. Sexta conditio est, ut quicquid attribuitur duobus extremis, attribuatur omnibus intermediis: ut Deus & homo intelligunt, ergo angelus & cœlum intelligunt. Similiter de quocunque dicuntur duo extrema, de eodem dicantur omnia intermedia, ut in Deo est esse & intelligere, ergo vivere & sentire.

Secundariò nunc de figura A, hoc est de prædicatis absolutis dicendum erit. Accipiuntur autem hæc prædicata, pro quibusdam terminis generalibus prædicabilibus de omni re secundum aliquem modorum, per quos discursus fieri potest circa aliquod subjectum, vel simpliciter attribuendo, vel

ostendendo aliquod prædicatum inesse subjecto, propter congruentiam quæ erit cum his terminis.

Sciendum etiã quod prædicata nõ solũ accipiuntur hic termini qui actu prædicãtur, sed etiã qui apti nati sunt prædicari secundũ aliquod genus prædicationis, etiãsi sit forma abstracta, & extra gen⁹ suũ cõsiderata, ut bonũ, bonitas & ejusmodi.

Sciendum, quòd quamvis prædicatorũ infinita fermè multitudo reperiri possit, quemadmodum & subjectorum, tamen in hac arte Raymundus redegit ea in certum numerum ac ordinem, & vocavit illa prædicata absoluta, & principalia generalia, vultq; quod non sint ex genere prædicationis accidentalis, sed etiam substantialiter & causaliter de aliqua re prædicari possint, prout aliqua res non solum accidentaliter, sed etiam substantialiter bona magnave dici potest: unde sciendum est, quod omne principium generale & substantiale, creatum est cum alio accidentali innato, quod est de suo genere: sicut bonitas accidentalis, quæ est accidens bonitatis substantialis, & instrumentu cum quo illa bonificat cætera, & ita unumquodque principium & plenum sui ipsius, in quantum est substantiale, habens partes in semetipso essentiales, & concretas, de sua essentia, specie & natura, videlicet, tivum, bile, ãre, & est plenum omnibus partibus, quæ sunt similitudines, quas ab aliis principiis assumit, & ab illis subjectatur, & illæ similitudines sunt accidentales, quæ de partibus substantialibus procedunt. Præterea ista prædicata, non solùm prædicari habent, sed etiam sibi invicem subjici, sive in concreto, sive in abstracto, utcunque considerato, ut si dicamus bonam magnitudinem, vel magnam bonitatem, sive magnum bonum.

Nunc consequenter ad terminorum istorum declarationem accedamus. Bonitas est ens, ratione cujus bonum est bonum & bonum agit bonum: & sic bonum est esse: & malum est non esse. Est itaque bonitas, principium diffusionis & communicationis, similitudinis, formæ & fluxus: fluxus enim à forma est in materia susceptio: circo bonitas in rebus dupliciter consideratur, videlicet in quantum est permanens, qua res in se est bona, & in quantum est fluens, qua res est bona fluens in aliud secundum operationem.

Magnitudo est ens, ratione cujus bonitas, duratio & cætera principia sunt magna, ambiens omnes extremitates essendi: itaq; nihil aliud est magnitudo, quàm extensio substantiæ, bonitatis, durationis, potestatis, &c. sive secundum substantiam, utputa quia res magna est in se, sive secundum motum, vel augmen-

augmentum vel operationem. Est itaque magnitudo triplex, videlicet virtutis, quæ in spiritualibus rebus consideratur, secundum respectum virtutis: & est magnitudo molis sive materiæ, in quantum consideratur in corpore vel circa corpus: & est magnitudo actionum sive operationum, & hæc consideratur essentialiter & accidentaliter. Atq; hinc est quod gradus majoritatis & minoritatis diversimodè sumuntur, secundum magnitudinem in qua fundantur: sic etiam intensa vel remissa qualitate, super qua similitudo fundatur, similia sunt sibi similiora, aut minus similia.

Duratio est ens, ratione cujus bonitas & cætera principia durant: ipsa itaq; est permanentia essentiæ bonitatis, &c & est triplex propter tres terminos permanendi. Aeterna, quæ sine principio & fine est: Aeviterna, quæ principium habet sine fine: Temporalis, principium & finem habens, quæ variatur magnitudine, ita ut alia breviot, alia longior sit. Sciendum insuper, quoniam duratio quædam est de essentia subjecti, ejus intima pars alia est de essentia temporis vel ævi, &c. mensurãs priorem à se essentialis distinctam, quæ est coessentialiter proprietas mundi, in eo sustẽtata, sicut accidens in subjecto, mensurans omne quod est in mundo, vel per tempus quod sequitur motum, vel per tempus æviternatum, & ita circa alia principia considerabis.

Potestas est id, per quod bonitas, magnitudo, &c. possunt existere & agere. ipsa itaque est principium essendi, agendi, patiendi & existendi, ut in inferioribus, vel materia. itaq; potentia tendit ad esse, impotentia verò ad corruptionem, & consideratur dupliciter: naturaliter, quæ aliter se habere non potest, & voluntariè, quæ est in arbitrio. Adhuc nota hic, quod potentia quædam est efficiens in effecto, sicut intellectus in intelligibili in eadem essentia: alia est ad fieri, ut aliquid de quo possit fieri, realiter distincta ab efficientis essentia, ut in generatione cum motu, loco & tempore.

Cognitio est proprietas, ratione cujus cognoscens cognoscit: & consideratur in hac arte, ut qualiscunq; seu quantumlibet de aliquo susceptа notitia, sive secundum veritatem, sive secundum speciem, quamvis ea quæ secundum speciem est & errore contrahitur, non rectè cognitio dicatur, sed opinio vel suspicio, quæ tamen hic cognitioni junguntur: & talis cognitio est actus intellectus, qui neq; de veritate, neq; de suo oppositо certificatus est, per necessarias rationes, ut in credere & opinari, aliquid esse verũ vel possibile, quod nõ est, sed secũdùm

veram cognitionem impossibile est esse intelligibile, hoc est, possibile quod est impossibile, quia suus appetitus est de rebus veris tantùm. Est autem cognitio multiplex: nam alia intellectualis, quæ fit simplici intuitu, absque discursu, qualis est in angelis, & in modo scientiæ infusæ, & in prophetia. Est alia rationalis, quæ fit discursu rationis, sive sit sapientia, quæ est altissimarum & primarum rerum cognitio, sive sit scientia, quæ est habitus conclusionis per demonstrationem acquisitus, sive sit intellectus speculativus, qui ex speculativis principiis procedit: sive practicus, qui ex practicis: sive sit ars, quæ est recta ratio agibilium cum appendiciis & partibus suis. Est alia cognitio sensitiva, quæ aliquid apprehendit, & cognoscit aliquo sensuum interiorum vel exteriorum, circa suum objectum versante, aut post primam & propriam sui objecti apprehensionem, ex his aliquid judicante, & conditionem aliquam componente, quam quidem cognitionem in animalibus brutis instinctum vocamus, ut est providentia formicæ, & studium apum. Est alia cognitio apprehensiva, sine sensu & motu aliquo cognitiva, ipsa videlicet natura cognoscente quid sibi proprium cõveniensve sit, neque enim in naturam suam res ferretur, ut gravia deorsum, aut in loco suo quiescerent, si nulla certa esset ejus cognitio.

Appetitus est id, per quod bonitas, magnitudo, &c. sunt appetibiles & amabiles. Est itaq; appetitus, insita rebus assequẽdi aut fugiendi alicujus rei cupiditas, qua unaquæque res naturaliter fertur & per se in id quod sibi convenit, & fugit adversum. Appetitus alius est rationalis, quem voluntatem dicimus: est itaque voluntas appetitus cum ratione. Est alius sensitivus, qui inest animalibus brutis sine ratione, & in homine secundùm inferiorem portionem. Est alius insensibilis, ut ille quo dicimus arbores & plantas appetere solem & pluviam. Et nota hic, quod quamvis appetitus de sua natura versetur circa amabile, ea tamen ejus libertas est maximè in voluntario, ut possibile sit hoc esse odibile, quod est amabile, & econtrà.

Virtus est origo unionis, bonitatis, magnitudinis, &c. Ipsa itaque est origo & principium operationum, manens in substantia, & fluens in operationes, & hæc multipliciter dividitur: Nam alia intellectualis, quæ non nisi intellectu administratur, ut sapientia, scientia, prudeniia, &c. alia theologica, quæ non nisi desuper venis, ut fides, spes, charitas, & gratiæ quæ virtutes gignunt, sive sint gratis datæ, ex quocunque genere donorum, sive pertineant ad animam, ut intellectus & consimilia, sive ad corpus,

corpus, ut forma, sanitas, & similia, vel ad res exteriores, ut potentia, divitiæ, &c. sive sint gratiæ gratum facientes, sive prævenientes, sive subsequentes, sive operantes, sive cooperantes. Est alia virtus quæ animalis dicitur, sive sensitiva, quæ sensibus operatur, quæ est apprehensiva alicujus sensibilis, ut interius per sensum communem, imaginationem, phantasiam, existimationem, memoriam: vel exterius, ut per visum, auditum, olfactum, gustum, tactum. Est alia virtus animalis, quæ motiva dicitur, qua se movet animal, cui conjungitur virtus concupiscibilis & irascibilis, ac virtus vitalis, qua vivit aliquid, ac virtus vegetativa, cujus potentiæ sunt generare, augmentari, nutriri, &c. ad quos sequitur attractiva, retentiva, expulsiva, digestiva, ad quam sequitur separatio & assimilatio. Est etiam virtus prima elementorum, & elementatorum plures virtutes, quæ virtutes naturales vocantur. Sunt præterea in ipsis virtutes cœlestes, quæ occultæ seu specificæ nuncupantur. Ipsa etiam natura virtus appellari potest, est enim principium quiescendi. Plures adhuc divisiones virtutis dari possent, tot enim sunt virtutum genera, quot operationum & potentiarum, secundùm actionem & passionem.

Veritas est id, quod verum est de bonitate, magnitudine & cæteris, & ipsa est duplex, videlicet propositionis & rei: veritas propositionis, sive mentalis, sive vocalis est, cùm prædicatum verè attribuitur suo subjecto: ex quo enim quòd res est vel non est, oratio dicitur vera vel falsa. hinc describitur veritas, quòd est adæquatio rei intellectæ ad intellectum: veritas autem rei, est vera conservatio naturæ in suo genere: unde falsitas est in re, quando ea quæ alicui rei jure conveniunt, in re ipsa non sunt. Consideratur autem veritas rei, vel secundùm actum sive usum, vel secundùm habitum: sicut homo furiosus secundùm actum verè homo dici non potest, habitu verò sic. Adhuc notandum est, quòd veritas quædam est æterna, quæ convertitur cum suo subjecto, ut in Deo, quæ immediatè causat aliam veritatem creatam, quæ non convertitur, potestque deficere, & hæc est necessaria rebus, ut agant naturaliter & artificialiter, & ut Deus in illis agat naturaliter, quod non potest immediatè. Et idem de aliis principiis intelligas.

Gloria est ipsa delectatio, in qua bonitas, magnitudo, & cætera principia quiescunt. Ipsa itaque est quies rei in fine suo, aut ipsa per se consummatio delectans, quæ in omnibus rebus reperitur, quando in appetiti consecutione res delectatur.

Habent autem hæc principia distinctionem quandam &

ordinem, nam ad Deum relata, prima tria essentialia sunt, reliqua tria dicuntur personalia, personarum attributa distinguētia ultima tria dicuntur notionalia, quasi notiones quasdam importantes.

Iterum dicuntur tria prima essentialia, quia essentiam quodammodo ingrediuntur, tum, quòd his essentia subsistit. Tria verò sequentia dicuntur causalia, cum quibus & ex quibus causantur operationes extrinsecæ & intrinsecæ, atque ideò ad unitatem atque ejus fluxum pertinent, ultima verò tria ad perfectionem accommodantur, quoniam in consummatione sunt, atque in ipsis est consummatione causationis.

Itaque istis novem principiis per Raymundum positis, tria alia principia generalia, ad quæ hæc novem reducuntur, haud inconvenienter addere possumus, quæ sunt scilicet, essentia, unitas, perfectio.

Essentia itaque est, qua unaquæque res est in se, & in suis principiis, in quibus ut res dicitur esse, sicut homo in animali & rationali, & domus in sua materia & opifice.

Vnitas autem est, secundùm quam aliquid dicitur esse unum: & hæc dividitur, nam alia rei realem continens existentiam, & hæc vel est simplex, in quam nulla cadit multitudo, nec discreta, nec partibus composita, ut quælibet forma simplex: vel est composita, ut multarum rerum in unum collectio, sive secundùm modum unitatis substantialis, ut formæ & materiæ in uno supposito, sive continuitatis, ut partium continuarum in suo toto, & punctorum in linea, sive discretionis, ut unitatis in numero: sive accidentalis, ut accidentis cum suo subjecto, quod unum est numero, nec dicitur compositum, nisi per modum quendam. Alia est unitas rationis, quæ secundùm intentionem abstractam unum aliquid facit, in intentione verius quàm in re, ut genus & species ad sua inferiora. Est & unitas identitatis, & hæc alia est nominis, ut cùm plura in uno nomine conveniunt, aut plura nomina in una re. Alia est secundùm conversionem, ut definitio & definitum, proprium & species, & hujusmodi.

Perfectio est, secundùm quam aliqua res consummata est, & suis terminis completa: perfectionum verò, alia est in fine perfectionis simpliciter, & hæc est collecta consummataque integritas, cui nil addi potest in universo, ut crescat perfectio ejus, nihil etiam subtrahi ut subsistat, qualis est in Deo. Alia perfectio est secundùm modum essendi uniuscujusq; rei, & secundùm

cundùm mensuram conditionis suæ, secundùm quam est unaquæque res habituata ratione sui generis, sicut arbor est perfecta in gradu suo, & animal sanum, dicitur perfectum, quod potest operari operationes sibi debitas sine defectu, & post operationes non habet læsionem, & in hoc genere gradus perfectionum sunt per accessum ad ens perfectum simpliciter, & per recessum ab eo.

Tertiò nunc de figura T. hoc est, triangulorum sive respectuum, dicendum est. Respectus autem, & ipsi prædicata quodammodo sunt, non tamen absolutè de re aliqua dicuntur, sed comparationem inter res diversas faciunt, ut si dicatur, Deus est bonus, nulla comparatio est: Si autem dicatur, Deus differt ab homine, & ab angelo per bonitatem, & æternitatem, comparatio est: similiter si dicatur, duratio angeli & hominis differunt per tempus & ævum. Itaq; hi termini per se nihil præstant, sed fundamentum eorum quærendum est ex generibus subjectorum, & prædicatorum absolutorum, & secundùm hanc rationem ipsi etiam in subjecta vel prædicata transeunt, ut si dicatur, homo & brutum differunt cognitione, vel si dicatur, differens cognitio reperitur in homine & bruto.

Genera itaq; respectuum, Raymundus in tres triangulos partitur, sub quibus ferè omnes reliqui continentur.

Primus triangulus continet differentiam, concordantiam, contrarietatem sive oppositionem. Secundus constat ex principio, medio & fine. Tertius habet majoritatem, æqualitatem & minoritatem.

Quære figuram in fine libri.

De his itaque nunc per ordinem dicamus.

Differentia est id, per quod bonitas, magnitudo, &c. sunt rationes claræ & inconfusæ. Est itaque differentia, qua alterum differt ab altero, vel à seipso essentialiter vel accidentaliter, aut realiter, quamvis non semper secundùm idem, nec in eodem tempore. Est ergo differentia alia essentialis, quando res adinvicem comparatæ differunt in aliquo essentialiter, sicut homo differt à lapide per animatum, & hæc differentia dicitur magis propria: sic quæcunque differunt per actum & objectum, differunt per essentiam, sicut voluntas & intellectus. Alia est differentia accidentalis, quæ fit per accidens, sive proprium, sive commune, ut risibile, bipes: & hac ratione differentia sumitur ex primis intentionibus: ex secundis autem intentionibus sic dividitur, ut alia genere differāt, alia specie, alia

numero,

HISTORIA DE LA FILOSOFIA

ditur causa in effectus diversos quos causat. Aut effectus in diversas causas à quibus causatur, secundùm quodcunque genus causarum. Aut dividitur subjectum in accidentia, sive consideratur subjectum secundùm speciem, ut hominum alius albus, alius niger: sive secundùm numerum, enumeratione quadam, per secundam & tertiam speciem regulæ Q.C. ut in homine inest color, risus, intelligentia, &c. Aut dividitur accidens in subjecta, prout in diversis subjectis reperiri potest, ut corona, alia auri, alia argenti, alia ex herbis & floribus. Aut dividitur virtus in operationes, non ut genus, nec propriè ut causa, sed ut quoddam primitivum, à quo operationes proficiscũtur. Aut dividitur substantia in potentias, quæ in ea sunt, ut angelus in intellectum, voluntatem & memoriam. Aut dividitur absolutum in comparata, ut bonum in melius & optimum. Per extraneum autem fit divisio, secundùm attributa intrinseca, vel extrinseca, secundùm intentionem dicentis, quã ipse proponit, quod tam in complexo, quàm in incõplexo fieri potest.

Divisio complexi, scilicet propositionis vel orationis fit, ut in subjectum & prædicatum, patientem & ultra patientem, & in modum actionis & passionis, & in modum subjecti & prædicati, si tot sunt termini expressi vel subintellecti, quod quisq; per se notare potest, ut in hoc exemplo: Spiritus Domini replevit orbem terrarum. In quibus verbis considerantur, res replens, actus repletionis, & patiens, scilicet orbis terrarum. Similiter in hoc themate: Sapientia ædificavit sibi domum, consideratur ædificans, actus ædificationis, & patiens domus. Quod si hanc ædificationem per extranea multiplicare volumus, hoc eo modo fieri potest, per aliquorum attributionem, ut dicendo, sapientia ingenita, prudenter ædificavit sibi domum sanctam: & quum ita propositio in terminos aliquos divisa est, postea singuli termini subdividentur, secundùm aliquem modorum superius dictorum, aut per se, aut cum aliquo alio juncto in eadem propositione, & hęc sunt divisionum ferè genera: & si quę alia sunt, quisque facilè per se invenire potest.

Concordantia est id, ratione cujus bonitas, magnitudo, &c. in uno & in pluribus concordant. Est itaque concordantia qua inter se subjecta prædicatáve vi subjectorum redacta, concordant aut sunt eadem. Est autem concordantia alia unionis secundùm aliquem modorum unitatis, velut aut partium in quantitate, aut universalium in tempore, aut in modo, aut aliquo horum in suo toto. Alia est mixtorum in mixto, alia continuorum

tinuorum in continuo, aut discretorum in toto discreto, aut materiæ & formæ in uno supposito. Sunt etiam quæ inter se concordant in aliquo tertio, per modum unitionis vel unitatis, ut trinitatis in Deo, & in his nonnunquam falsè dicitur, quæcunque sunt eadem in uno tertio, sunt eadem inter se: de hac autem unitate & identitate loquuti sumus in capite præcedenti. Sunt alia quæ concordant in uno tertio, velut in medio jungenti per unionem. Alia in termino concurrente, ut vir & mulier in filio. Est alia concordantia æqualitatis, ut æqualium in eadem quantitate. Alia proportionis, ut dupli & dimidii. Alia proportionaliter concordant, ut duarum proportionum inter se secundùm aliquam medietatem arithmeticam, geometricam vel harmonicam. Alia est concordantia effectus, ut calidi & frigidi in induranda terra: alia causationis, ut induratio terræ & mollificatio ceræ in caliditate, & in hunc modum plura. Illorum autem quæ similitudine inter se concordant, aliud est similiter simile, æquè per omnia: aliud similiter simile, sed non æqualiter per omnia: aliud dissimiliter simile, ut per oppositum: atque hinc oritur illa regula: Sicut affirmatio est causa affirmationis, ita negatio est causa negationis, possunt enim affirmatio & negatio ad similem consequentiam pervenire. Illa autem quæ invicem concordant, in hoc quod sibi invicem junguntur, pluribus modis se contingere dicuntur: aut quia essentia alicujus, ut rationale hominis: aut sicut essentiæ proprietas, ut risibile homini: aut ut forma subjecto, ut anima in corpore: aut contingit aliud sicut transmutans transmutatum, ut cœlum ad elementa: aut sicut ars subjectam illi materiam, ut faber clavũ: vel sicut pars individua in suo toto, ut stellæ in cœlo, intellectus, voluntas & memoria in angelo & anima: vel sicut pars separabilis à suo toto, ut partes aquæ ab integritate sui elementi, ad quod colliguntur: aut sicut effectus suæ causæ adhærens, ut herbæ terræ semper affixę: aut sicut effectus ex suis causis constans, ut animalia reptilia ex terra, pisces ex aqua: aut sicut causa efficiens, ut Deus creans mundum: aut sicut causa exemplaris, ut homo secundùm imaginem Dei: aut sicut causa finalis, ut homo ad cognoscendum Deum, & dominandum creaturis: aut sicut causa affinitatis, quo causæ primariæ secundariæ obediunt, ut Deus cum anima movet corpus, & finis secundarius principali, sicut stellæ ut luceant, & lucendo influant: aut causa cognationis, ut homo homini, vir mulieri: aut ut medium participationis, ut colores medii inter album & nigrum: vel divisionis, ut firmamentum in medio aquarum.

Potest

Potest prætereà concordantia dividi eisdem modis quibus differentia, sicut ex prioribus notum est, & econverso, differentia, secundùm eum modum, secundùm quem concordantiam nunc divisimus, ac quemadmodum suprà divisionem declaravimus, econverso collectionem constituemus, varias res ad propositum nostrum referendo.

Oppositio est quorundam mutua resistentia propter diversos fines. Est itaque oppositio secundùm quod aliqua opponuntur. Oppositorum itaque alia sunt contraria, quæ sunt mediata, ut album nigrum: quædam immediata, ut virtus vitium: alia sunt contradictoria, ut affirmatio negatio. Debet autem contradictio esse ad idem, secundùm idem similiter & in eodē tempore: alia sunt privativè opposita, in quibus non est ordo regressilis, ut habitus & privatio, cæcitas & visus: alia dicuntur relativè opposita, ut pater & filius, & hoc ex natura verbi & rei, quandoq; autem fit ex applicatione quæ faciat respectum rei, quæ non est ex prima impositione talis, ut si dicatur equus regis, securis sectoris, & est alia oppositio, quæ est localis, ut duorum polorum in sphæra, & hujusmodi: & est alia oppositio in propositionibus & oratione, & illarum quædam est contraria, ut universalis affirmativa ad universalem negativam: quædam subcontraria, ut affirmativa & negativa particulares: quædam contradictoria, ut affirmativa & negativa universali alia particulari: quædam est subalterna, ut affirmatio & negatio particularium ad suas universales ejusdem qualitatis. Raymundus ipse in arte ponit duas species, circa quas iste prior triangulus præcipuè versatur, scilicet sensuale & intellectuale, ut inter intellectuale & intellectuale, intellectuale & sensuale, sensuale & sensuale. Definit autem Raymundus sensuale, omne illud ens, quod sensibus percipit vel percipitur sive percipi potest, tam interioribus quàm exterioribus sensibus. Intellectuale est illud ens, quod est solùm perceptibile per intellectum, voluntatem vel memoriam, & non per imaginationem, neque per sensus, sicut sunt Deus, angelus, anima rationalis, virtutes, vitia, scientia, artes & omnia quæ ista habent in semetipsis, similiter dicuntur res intellectuales. Et est sciendum circa hunc triangulum, quòd differentia est magis generale principium quàm concordantia & oppositio, quia ubicunque est concordantia & oppositio, ibi est differentia, sed non è converso in omnibus: ita concordantia majus est principium quàm cōtrarietas, quia ab ea descendunt principia primitiva positiva: à contrarietate autem privativa, & ideo concordantia magis convenit principiis figu-

piis figuræ A. quam contrarietas: quia concordantia applicatur illis ponendo, contrarietas autem privando. Et scias quod differentia & concordantia sunt principia substantialia in suis partibus substantialibus, ut differens, differentiabile, differentiare: concordans, concordabile, concordare, quæ sunt partes de eorum essentia & substantia, & sunt alio modo principia accidentalia in quantum aliqua non per se, sed per accidens differunt vel concordant, ut per differentiam & concordantiam: oppositio autem nullo modo potest esse principium substantiale, excepta oppositione relationis & locali.

Secundus triangulus constat principio, medio, & fine. Principium est, in quo alicujus rei primitiva ratio vel essentia consistit. Principium, aliud universale, ut unumquodq; superius secundum prædicationem, quod de essentia sui inferioris est, ut genus suarum specierum, species suorum individuorum & singularium, de quibus in quid prædicatur: differentia etiam quodammodo suæ speciei principium est, & hæc sunt principia ratione, intentione & definitione potius quàm tempore, ut prius oportet existere animal quam hominem, &c. Generum verò aliud generalissimum, ut ens, substantia vel qualitas, &c. Aliud subalternum, quod sub alio genere locatur, ut animal sub corpore, & illud potest esse species, sed subalternata. Nam species specialissima, est illa, sub qua non est alia species, ut homo, sicut in Dialecticis manifestum est. In Rhetoricis autem aliter sumitur, prout ibi & personarum & actionum & negotiorum consideratio habetur: ut si dicatur, nihil turpe bonum, generalissimum est: sub eo autem specialius dicimus, usuram turpem esse quæstum: specialissimè autem, hunc quæstum esse usurarium, & hoc modo specificando secundum respectus negotiorum, actionum & personarum.

Principium causale, est principium primitivum, & quoniā ante causam nullum ens existere potest. Est itaq; causa ad cujus esse sequitur aliud: non autem tam strictè intelligendum est hoc verbum, ut necessitatem importet, quia etiam sub hoc genere principium ponimus positivum, videlicet ad cujus positionem sequitur aliquid, ut domificator domus: similiter principium privativum, ut absentia Solis nocti, & similia, per quæ & privatio unius est principiū inductionis alterius. Causarum itaq; alia per se, alia per accidens. Causæ per se dicuntur, aut intrinsecæ, aut extrinsecæ: intrinsecæ sunt, sicut materia & forma, quæ ingrediuntur constitutionem rei: & dicuntur intrinsecæ, secundum quendam dicendi modum, ut ali-

quod materiale id quod est, & aliquod formale id quod est, quæ in omni re & actione considerantur, & in omni intentione, ita etiam, ut si sit aliqua forma simplex, suo materiali & formali constet, quæ ubi nomina desunt, per tivum & bile denotentur, ut intellectus ex intellectivo, & intelligibili: sed in his cavendum est, ne quis fallatur, abutendo his in vim actionis & passionis extrinsecæ, sed secundum modum intrinsecorum principiorum. Similiter in moralibus, in genere demonstrativo & deliberativo, materiam & formam accipimus, ut in virtute, vitio, verbis, intentionibus, actibus, voluntate, facto & animo. Causa itaque materialis, est principium essentiale, quo est substantia secundariè, ut corpus in homine: Materia verò est ens, quod propriè & maximè sub passione consistit, unde inter materiam & passionem non est dare medium. Est igitur materia ex qua aliquid fit, & hæc est aut propinqua, ut lateres parietis: aut remota, ut lutum unde fabricatus est paries, & hæc divisio etiam in aliis causis accipitur. Dicitur etiam materia objectum circa quod alicujus potentiæ actio aut intentio versatur, similiter & subjectum, cui aliquid ineſt ut accidens, & quæ sunt similia.

Causa autem formalis, est principium essentiale, per quod substantia maximè consistit in suo esse, & in illo conservatur, forma verò est per quod actio maximè consistit, & extra eam nulle actio existere potest: ipsa itaq; dat esse rei, non ut efficiens, sed ut id quo res est id quod est: & hæc aut est essentialis, ut forma informans materiam, sicut anima rationalis per quã est homo: vel accidentalis, ut forma circa aliquod constans figura, vel exemplaris sive idealis, ut alicujus rei exempla. Et dicuntur adhuc causa sive principium essentiale, ipsæ partes absolutæ totum aliquid constituentes, sicut substantialitas & spiritualitas constituunt angelum, & hoc principium est medium principii effectivi quo ad facere: est aliud principium essentiale, quod sunt tivum, bile, & are, ut intellectivum, intelligibile, intelligere in angelo: ut simpliciter composita vel resultantia ex essentiali principio.

Causa efficiens, est principium quod facit aliquam rem, ut agens naturale vel artificiale, sive principium unde motus: & est aut primitiva, aut conjuncta, quæ utraq; etiam apud medicos & oratores considerantur. Primitiva sive antecedens est, ex qua aliquid per se sequitur, quæ etiam ab effectu separatur: & hæc apud oratorem consideratur in causa jurisdictionali, ut in parte assumptiva, si quid in necessitatem confertur: vel in im-

impulsiva, ut si in rem, vel in personam impellentem crimẽ aut factum transfertur. Quandoque tamen partim primitivè, partim conjunctivè mixtim apud oratorem causa rei investigatur, ut in causa conjecturali & probabili: ut si à vita, consuetudine, fide, & his quæ impellere possunt, argumentum sumatur. Causa autem conjuncta est, quæ effectu manet ut inflatio, tumor cum percussione: & hæc apud oratorem sumitur, quæ opportunitatem facto præstat, quam signum vocant, ut locus, tempus, occasio, ipes celandi, & hujusmodi. Est iterum causa efficiens, aut substantialis, ut domificator domui aut accidentalis, quanquam accidens per se nihil causet, ut longitudo porrectionis: adhuc quædam est principalis, ut sector: quædam instrumentalis, ut securis? similiter quædam mediata, quædam immediata.

Causa finalis est principium, propter quod res finaliter est facta, ut totum suarum partium. Est itaq; finis propter quem aliquid fit, & ipse est primus in intentione, & ultimus in executione; & ex his alius est ultimo ultimus, alius subordinatus ut arma belli, bellum pacis causa sumuntur. Et est finis impulsivus, licet impropriè, ut impudentia Calphurniæ quæ causa fuit impulsiva, ne mulieribus liceret postulare in judicio.

Causa autem per accidens est, quæ aliquo indicio ex se non importat necessitatem effectus subsequentis, ut sunt casus, occasio, fortuna. Sed quia Raymundus in arte dividit principiũ in causale, quantitatis & temporis, sub principio quantitatis & temporis intelligit principium accidentale sive instrumentale, ipsa videlicet novem prædicamenta accidentis, quæ sunt quantitas, instrumentum seu principium mensuræ, qualitas determinationis, relatio conjunctionis, actio formæ, passio materiæ, habitus doctrinæ, situs figuræ, tempus motus, locus continentis, & de his singulatim dictum est superius. Hinc præterea motus sub ratione principii consideratur, & est actus mobilis secundum quod mobile: & hujus sex sunt species, scilicet Generatio, quæ est progressio de non esse ad esse, seu à potentiali ad actualem. Corruptio, quæ est progressio de esse ad non esse. Augmentatio & diminutio, quæ sunt mutationes quantitatum. Alteratio, quæ est mutatio qualitatis: Et Motus secundùm locum qui est vel rectus, vel non rectus: necessarius vel voluntarius: intra se vel extra se, sive per occasionem.

Est aliud principii genus, quod ordinale dicitur, quo aliquid prius est, sive natura, sive tempore, sive definitione, sive

UNIVERSITÄTS- UND LANDESBIBLIOTHEK DÜSSELDORF

cognitione: & illud nō rectè principium, sed solum prius, quoniam nihil principii tribuit suo posteriori suæ originis. Est præterea principium originale, ut punctus lineę fons rivi, unitas numeri, pater filii, & hujusmodi.

Medium est, quo aliqua extrema inter se quadam coordinatione cohærent positivè vel privativè, constructivè vel destructivè. Medium Raymundus dividit in medium conjunctionis, mensurationis & extremitatum. Medium conjunctionis est, quod plura conjungit in unum, vel quod ducit aliquid de principio ad finem, sive quod conjungit inter extrema, vel natura, ut copula inter subjectum & prædicatum: vel situ & loco, ut unitas media in ternario. Medium mensurationis est, per quod substantialiter aut accidentaliter æqualia vel inæqualia mensurantur, & dicitur esse medium operationis: quo aliquid fit, ut oculus advidendum, securis ad secandum. Deinde est medium extremitatum, quod concluditur inter duo extrema. Sub his modis quidā alii sumi possunt, nam est quoddam medium adhæsionis, seu instrumentale, ut clavus conjungens duoligna. Aliud est medium participationis, quod inter duo extrema positum naturam trahit utriusque, ut colores medii inter album & nigrum, & numerus impar inter pariter parem & pariter imparem. Aliud est medium comprehensionis, quod continet ea inter quæ ponitur, ut genus inter duas differentias, se dividentes. Aliud est medium negationis, ut temperatum inter calidum & frigidum, & perfectum inter superfluum & diminutum. Aliud est medium transitionis, per quod fit motus, actio atque passio: sive secundum locum, ut à termino à quo ad terminum ad quem: sive secundum speciem, ut aër illuminatus vehens spiritus visibiles: aut secundum quietem vel desitionem, ut quies media inter duos motus ad terminos oppositos, sicut status morbi inter augmentum & declinationem. Est adhuc medium quoddam essentiale, quoddam coessentiale, hoc est medium principii essentialis & coessentialis: horum primum est, ipsa mutua informatio partium absolutarum, unius activa, alterius passiva. Alterum est ipse actus formæ in materiam, & materiæ sub forma.

Finis est in quo aliquid terminatur & quiescit, cui sicut à principio influxus est, sic principio refluere videtur. Est itaq; finis perfectionis ille in quo res perficitur, sive habet suum finale complementum secundum aliquod genus perfectionis, de quibus superius in prædicatis dictum est. Alius est finis terminationis, seu finitionis sive extremitatum, in quo res ulteriùs non extenditur, & est extremum alicujus rei, substantiæ vel accidentis, secundùm essentiam, vel tempus, vel locum, vel qualitatem, vel quantitatem, & hujusmodi, sive ante, sive post: & huic opponitur infinitum. Finis autem desitionis est, cum res desunt esse, vel operari, sive pati, & sumitur secundum multiplices circunstantias, ut hoc vel illud tantum, aut tale, tunc vel ibi, & hujusmodi, inquantum alia aut aliter sunt vel operantur. Alius est finis privationis, in quo res finiunt in non esse, & considerantur, naturaliter, moraliter & artificialiter, & sub eo est finis corruptionis & defectionis, qui & ipse eosdem habet terminos per oppositum. Est adhuc finis essentialis, qui dicitur consistentiæ, & est duplex hæc consistentia extrema, ut partes absolutæ, extrema unius consistentiæ cum alia, sicut spiritualitas & substantia in angelo, & concidit cum principio essentiali: est alia consistentia, quæ propriè finalis dicitur. ut ipsum totum ex his resultatum, & finis eorum, ut spiritus. Potest adhuc finis divisio sumi secundum divisionem principii, sicut in prioribus dictum est. Similiter quæ hìc de fine dicuntur, suo modo referantur ad principium, & secundum hæc utraque diversitas medii simili ratione investigetur, & à medii divisione, & sumatur principium & finis illi conveniens.

Tertius triangulus constat majoritate, æqualitate, minoritate. Majoritas est imago immensitatis, bonitatis, magnitudinis, &c. Aequalitas est subjectum in quo finis concordantiæ quiescit. Minoritas est ens circa nihil, unde res creatæ de nihilo, quæ de non esse in esse veniunt, ante sunt in minoritate quàm majoritate. Et iste triangulus facit respectum in rebus, secundum aliquod genus magnitudinis & proportionis, & habet diversimodè considerari, quemadmodum superius ostendimus, ubi de quantitate in figura subjectorum loquuti sumus. Raymundus verò huic triangulo duas species assignat, circa quas potissimè versatur, quæ sunt substantia & accidens, totus enim ille triangulus versatur vel inter substantiam & accidens, vel inter accidens & accidens, ut æqualitas inter duas substantias, sicut duorum individuorum in specie, & æqualitas inter substantiam & accidens, sicut extensio quantitatis æqualis suæ substantiæ, & æqualitatis inter duo accidentia, sicut calidum in tertio gradu & frigidum in tertio. Est autem substantia ens quod per se existit, in se, sicut Deus, angelus, cœlum homo, &c. Accidens est ens quod per se existere non po-

teſt, nec in ſe, ſed in ſubſtantia & per ſubſtantiam qualia ſunt, quæ ex novem principiis accidentalibus ſunt, & ſub illis continetur, de quibus ſuperius latè dictum eſt.

Hæc ſunt reſpectuum genera, quæ ad copiam inventionis maximè videntur accommodata: quicunque enim reſpectus in rebus ſunt, in aliquo iſtorum generum contineri habent. Qui ſicut per Raymundum in triangulos diviſi ſunt, ita tripli-ci vię doctrinali videntur accommodati, ita tamen quod unus triangulus alium adjuvet, in explendo ſuo munere & officio, & alius alium probet, & ſe mutuo penetrent, & inter ſe ſinguli etiam termini quandam penetrationem habeant. Itaque primus triangulus diviſivus dici poteſt, quantum ad differentiã: ſecundus definitivus, propter principium: tertius verò collectivus, & finis oſtenſivus, cui etiam anguli medii & finis ſubſerviunt. Hinc ex primo triangulo in probanda propoſitione aliqua affirmativa, utimur concordantia: in deſtruenda ea, utimur differentia vel oppoſitione: & econverſo in negativa, unde differentia accommodata eſt ſolutionibus: concordantia ad probandum & medium inveniendum, oppoſito ad improbandum, cui differentia inſervit. Vnde concordantiam ſequitur hæc regula: Quando alterum de altero prædicatur ut de ſubjecto, quæcunq; de eo quod prædicatur dicũtur, omnia de ſubjecto dicuntur, ita tamen quod ſervetur idem modus prædicationis & ſuppoſitionis. Sic ex ſequenti triangulo colligimus alicujus rei neceſſitatem, cauſſalitatem vel contingentiam, ſic eſſendi vel non eſſendi. Tertius verò triangulus, parum vel nihil probat, niſi ex locis ſibi conjunctis, quare magis utilis eſt ad amplificationem ſermonis, quam ad probationem rei.

Quartò nunc de figura Q, hoc eſt, quæſtionum & regularum tractandum eſt. Dicitur autem hîc quæſtio non ut dubitabilis propoſitio, ſed ipſum ſignum quæſitivum, ſive ipſe terminus per quem quærimus. Regulam autem dicimus, rectam rationem reſpondendi ad quæſtionem.

Quæſtiones autem inter ſe diſtinguuntur, nam quædam ſunt eſſentiales, ut iſtæ quatuor, utrum, quid, de quo, quare: quæ quærunt de ipſa re vel eſſentialibus ejus. Reliquæ verò ſunt accidentales, ut quantum, quale, quando, ubi, quomodo, & cum quo: quæ quærunt de aliquo accedente rei, & ſub his quæſtionibus plures aliæ ſpecies continentur, neque tamen ita reſtringimus iſtas quæſtiones, quin & per eſſentiales accidentalia quærantur & è converſo, quemadmodum hoc diviſio atq; mixtio expoſtulant.

Quære

Quære figuram in fine libri.

Prima igitur quæſtio eſt Vtrum, per quam quærimus, ſit ne illa res quæ propoſita eſt, aut fiat, aut fuerit, aut futura ſit. Deinde per eandem quæſtionem quærimus ulterius, de rationibus, ſpeciebus & regulis omnium aliarum quæſtionum, tam eſt generalis iſta quæſtio, quod etiam in omnibus aliis quæſtionibus vis ipſius ſupponitur: ut ſi reſponſum eſt ad aliquã quæſtionem, iterum inveſtigamus per hanc quæſtionem, ſit ne rectè reſponſum? ut ſi quæratur, quid eſt homo, quo dicto iterum emergit iſta quæſtio, ut ſit ne homo id quod dictum eſt: & ſimiliter in aliis quæſtionibus, ut ſit ne ex eo, ſit ne propter id, ſit ne talis, & ſic de ſingulis pro ſua conditione. Regula autem hujus quæſtionis, apud Raymundum eſt poſſibilitas. Itaque huic quæſtioni jungitur quæſtio ſi eſt, cujus regula potius eſt entitas, & illæ regulæ contrahuntur particulariter ſecundũ ſingulas propoſitiones, ut poſſibilitas ſive entitas ſubſtantiæ, quantitatis, qualitatis, neceſſitatis, contingentię, & hujuſmodi. Habet autem hæc quæſtio apud Raymundum tres ſpecies, quæ ſunt affirmatio, negatio, dubitatio: Sed poſſumus ponere alias ſpecies reſpondendi ad hanc quæſtionem, ut poſſibile, contingens, neceſſe, impoſſibile. Oportet itaque reſpondentem ad hãc quæſtionem ſecundum artem diſcurrere cum ſubjecto quæſtionis, per prædicata & reſpectus, regulas ac regularum ſpecies, & ex his id eligere, quod vel verius vel probabilius & magis conveniens reperitur, cum definitionibus ipſis ſubjecti, de quo agitur, tum prædicatorum & reſpectuum. Sũt autem quædam quæ in hoc quęſtionis genus non cadunt, quę adeo per ſe nota ſunt, ut neque probatione indigeant, vel nec probari, nec demonſtrari poſſint, ut prima. Nunc ergo adverte aliquas conditiones obſervandas, ut ad hanc quæſtionem ſine errore valeas reſpondere, affirmando vel negando, ſecundum quod veritas ipſa requirit. Harum prima eſt, ut affirmemus omne illud eſſe verum quod eſt magis intelligibile, recolibile & amabile, diſcurrendo per principia & regulas, definitiones & ſpecies, quantum fieri poteſt cum majoritate intelligentiæ, & non cum minoritate: nam primum eſt de genere ſcientiæ, hoc autem credulitatis & opinionis. Secunda conditio eſt, quotieſcunq; ad affirmationem alicujus ſequitur deſtructio principiorum & definitionum, negativa eſt tenenda. Tertia eſt, ut non concedamus illud eſſe verum, quod non eſt intelligibile, poſtquam intelligibile eſt ſuum oppoſitum

BIBLIOTECA CIVICA DI FILOSOFIA

esse verum. Quarta est, ut positis duobus vel pluribus possibilibus, illud tenendum est, quod est magis intelligibile, amabile, & recolibile.

Secunda quæstio est, quid est, cujus multæ sunt species, & secundum illas diversæ regulæ, quamvis Raymundus solummodo quatuor ejus species ponat, ut quid est in se, quid habet in se, quid est in alio, quid habet in alio. Regulamque hujus quæstionis vocat quiditatem. Est itaq; quid essentiale, ut cùm quærimus quid est in se, vel quid est in alio, cui respondetur per definitionem rei, non solùm essentialem, sed etiam quamvis aliâ, quæ notificat rem, quare sub illa comprehenditur, quid explicans nomen rei, sive per interpretationem, sive per vocabuli significationem, sive per translationem, ut si quis senectutem vocet occasum vitæ, sive per allegoriam, sive metaphoram, vel paraphrasim, quæ omnia in rei definitionem venire possunt, ad quid est: in alio respondetur per quiditatem respectivam, ut si est forma, potentia, pars, finis, totum, perfectio: plenitudo, effectus, accidens, locatum, vel aliquid in fine, & è contra. Est præterea quid rei, quocunq; modo rem ipsam definiens. Est aliud quid contentivum, cujus essentia est in existentia, quando quærimus quid habet in se secundum aliquem modum essendi & habendi, essentialiter vel accidentaliter, sive ut pars in toto, vel totum in suis partibus: aut inferius secundum prædicationem in suo superiori, vel econtrà, sive ut forma substantialis vel accidentalis in materia vel subjecto, aut ut potentia in virtute, aut locatum in loco, aut causa in effectu & econtrà, aut ut principiatum in suo principio & econtrà, & hujusmodi. Et aliud quid operativum quærens de actibus & operationibus intrinsecè aut extrinsecè, ut quid habet in alio, sive verè alio, sive interpretativè, ut si quæratur, quid habet intellectus in sensu, cujus responsionis copia ex virtutibus & operationibus sumitur, tum ex diversis prædicatis verbaliter, activè vel passivè acceptis: habet enim unumquodque in alio quod habet in se: habet insuper actum operandi, tam proprium quàm appropriatum. Est aliud quid personale, cujus regula est personalitas, quod quis dici potest, quod de persona sive supposito quærit, ut quis creavit mundum: quo tam in recto quàm in obliquo, per quædam modum ad rectum reducibilem, mutata cõstructione utimur, ut quis te accusat, vel per quem accusaris, seu à quo accusaris, & in hunc modum plura.

Tertium quæstionis genus est de quo, cujus tres sunt species apud Raymundum, ut de quo originaliter, sive primitivum, quod

quod dici potest à quo, cujus regula est derivatio sive originalitas, variè quidem secundum varietatem originis, juxta ea quæ de principio dicta sunt, & ad hanc respondetur tripliciter, ut vel quia non ab aliquo, nec de aliquo, ut deus: vel quia ab aliquo & non de aliquo, ut angelus & omnis forma primitiva: vel quia ab aliquo & de aliquo ut corporalia. Secunda species est, quando quærimus de quo materialiter, cujus regula est materialitas, ut si quæratur de quo factus est homo, respondetur de limo terræ. Tertia species est, de quo possessivum, quæ quærit possessionem, dominum, pertinentiam, respectum & relationem, cujus regula responsiva ex omni ratione respectuum sumitur, & hæc quæstio potest notari per signum, cujus, ut si dicatur, cujus est pater, cujus est bonitas, & hujusmodi, & accipitur dupliciter, derivativè ut deus est bonus, vel bonitas est subjecti in quo est: vel sumitur possessivè, ut homo est dei vel tempus est subjecti in quo est. Adhuc ad hanc quæstionem de qua, per plerasq; alias regulas ac species respondere possumus, ut conversivè, sicut deus de suis dignitatibus quæ in eo convertuntur, exceptis paternitate, filiatione & spiratione: vel effectivè, ut angelus de deo, vel constitutivè, ut anima de suis potentiis memoria, intellectu & voluntate: vel compositivè, ut homo de corpore & anima: vel derivativè, ut particulare de universali: vel originaliter, vel materialiter, ut dictum est.

Quarta est quæstio Quare, quę interrogat de quiditate subjecta modo essendi rei, & ejus regula generalis est causalitas, & investigat duas causas, videlicet formalem, quæ quærit per quid res est seu quare res sunt, vel agunt, per existentiam & agentiam, hoc quod sunt vel agunt, & ista prima species hujus quæstionis est idem (licet secundum diversum modum) cum secunda specie C. scilicet quid habet in se. Et est sciendum, quia ista species quærit de re dupliciter, vel inquantum abstrahit ab omni respectu, & respondetur quod res est per se, vel inquantũ respicit principium formale aut effectivum & respondetur per aliud, ut per essentialia: aut per effectivum & hujus speciei regula est formalitas: aut investigat hæc quæstio causam finalem quæ propriè dici potest propter quid, quærens existentiam & agentiam rerum propter alias res vel de finibus earum, & hoc duplici respectu, vel habitudinem intrinsecam, & respondetur propter se, quia omne quod potest aliquo modo absolvi, prius est propter se quàm propter aliud: vel ad habitudinem extrinsecam, & respondetur propter aliud, cujus regula est finalitas. Et est aliud quare, quærens secundum necessitatem positionis

HARVARD BIBLIOTECA OTTO E. NEUMANN

ab effectu ad causam, & à posteriori ad prius, ut à specie ad genus, cujus regula est necessitas consequentis, ut animal est, quia homo est. Est & aliud propter quid, secundum illationem à priori, cujus regula est necessitas antecedentis, ut homo est, quia animal rationale.

Quinta quæstio est, Quantum, & quærit de quantitate absoluta vel comparativa, continua, vel discreta, cujus regula generalis est Quantitas, non solùm quantitas rei, sed ita generaliter accepta, ut quamlibet comprehẽdere valeat formalitatem, uti infinitum & finitum, & per hanc quantitatis quæstionem varie quærimus secundum varietatem specierum quantitatis, Aut enim quærit de magnitudine secundum longum, latum, & profundum. Aut de loco aut de multitudine, & fit per signũ quot, cujus regula est quotitas, & hoc diversimodè: aut secundum ordinem, ut cùm quotus sit quærimus: aut secundum multiplicationem, ut cùm quotuplex sit quærimus: aut secundum distributionem, quæ variatur secundum subjectum quãtitatis, ut cùm quærimus quoties modorum, quotubi locorum, quotennis annorum & hujusmodi, & hæc dicuntur quãtitates rei. Nam alia est quantitas propositionis, secundùm quam propositio dicitur universalis, vel particularis, vel indefinita. Reliqua hujus quæstionis sumenda sunt ex his quæ superius de quantitate & magnitudine dicta sunt, & ex respectibus ultimi trianguli figuræ T.

Sexta quæstio est Quale, quærens qualitatem rei, secundum aliquem modorum quo qualitas qualificat, propriè vel appropriatè, essentialiter, ut differentia specifica, aut coessentialiter, ut proprium, aut accidentaliter, aut convertibiliter vel contrà, & regula hujus quæstionis est qualitas, & potest dividi secundum species qualitatis, ut suprà ostensum est. Est autem qualitas propria, quæ inest rei secundùm suam naturam propriam, ut calor in igne: appropriatè autem inest rei per naturã alterius, ut calor aquæ ab igne, itaque determinat substantiam, & quærimus de illis nominaliter: aliquando autem quærimus adverbialiter de actu substantiæ, ut qualiter, tunc respondemus per adverbium consimile, ut bene, magnificè, extensè, longè, latè, finaliter, effectualiter, totaliter, partialiter, formaliter, materialiter, & modo consimili, ex figura A. & T.

Septima quæstio est quando, quærens de designatione rei secundum ejus permanentiam, cujus regula est temporalitas, cujus divisio ex subjecto temporis & principio durationis petenda est, atq; ex temporum divisione, ut cum dicimus diem, noctem,

noctem, hyemem, æstatem, etiam secundum aliquod extraneum, ut sub hoc rege, sub hoc consule, & multiplicatur regula hujus quæstionis per regulas C.D.K.

Octava quæstio est ubi, quærens de designatione actus essendi cujuscunque rei, & quamvis unaquæq; res unico ubi sit designata, secundum incommunicabilem quantitatem suã, multis tamen ubificationibus designare potest, secundum quod multa sunt quæ abstrahunt à tali quantitate, & aliqua quæ ab omni, unde contingit hanc quæstionem plures habere species, cujus regula est localitas, & accipit divisionem secundum modum essendi in loco, & secundum terminos loci ut de subjecto Vbi dictum est: sic quærimus ubi, & quærimus unde, videlicet principium unde motus: & potest comprehendi sub à quo. Adhuc accedit huic quæstio in quo, quærens de continenti, & respondemus, per quid est in alio, & multiplicatur similiter hæc quæstio per regulas C.D.K. Nunc exemplificabimus quomodo istæ duæ quæstiones H. & I. deducuntur per regulas C. D.K. Vt si quæratur per primam speciem regulæ C. intellectus quando est, respondetur quando suum esse est: ita ad secundam dicitur, quando habet suas partes sibi coessentiales. ad tertiam quando agit in alio, sicut practicus in subjecto: ad quartã, quando intelligit similitudinem illius. Quòd si quæratur ubi est intellectus, respondetur per primam speciem C. est in ubi coessentiali, & naturali, scilicet in suo esse sive essentia, sicut homo in humanitate, & suo esse. Per secundam est in seipso sicut suæ partes in suo toto. Per tertiam, est in anima, sive in homine, sive in loco in quo est homo. Per quartam, est in illa virtute per quam habet habitum sciendi, & in illo subjecto in quo habet actum practicum. Itaque cognoscimus, quia locus est ens cui proprie competit locare, ipso habente collativum, collocabilia & collocare, & est habitus in subjecto collocato, in quo habet suum esse sicut caliditas in igne, & actio in agente. Quando autem respondendum occurrit per regulas D. in hunc modum considerabimus, ut ad quando per primam speciem, quia tempus est essentia primitiva, eò quòd non est de alia essentia producta, neque genita sicut prima materia, quæ non est de alia materia, similiter prima forma, & sic tempus inquantum primitivum, est prima forma ex quâ causantur suæ formæ particulares, ut dies, horæ, &c. Per secundam speciem, tempus, mediante motu continente in se movere, moventem & motum sive mobile, est de temporificativo, temporificabili & temporificare, tamen non accipias quòd tempus & motus

sint

HAVOD BIBLIOTHECA OPUS. MSS. MIDDLETON

sint idem per essentiam, sed sunt duo habitus, ex quibus subjectum est habituatum & passionatum. Per tertiam speciem tēpus est subditum agenti & agibili, per agere, eò quia substantia de ipsa induit se naturaliter & moraliter. Simili ratione ad ubi respondemus per regulas D. per primam speciem, sicut intellectus est primitivus, ipso non habente aliquid præjacens ex quo sit derivatus materialiter: sic locus est primitivus, in quantum est generalis, ipso existente una parte universi, intelligibilis tantum, per secundam, ut sunt suæ figuræ visibiles & imaginabiles, sed non secundùm essentiam. Per tertiam locus est collocati possidentis locum, sicut calefactum possidet caliditatē, ipso habituato caliditate. Reliquum nunc per species regulæ K. investigamus has quæstiones H. & I. in hunc modum per ambas regulas, cum suis speciebus, ut tempus. Per primam cōsistit in regula movēte & mobili sive motivo, & hac habitualiter, sicut pars in parte substantialiter, & similitudo temporis consistit sicut figura per præteritum, præsens & futurum: sicut in habitu caliditatis sunt figura, calefaciens, calefactibile, calefacere, & in motu, movere, movens, mobile: similiter unus locus est in alio per accidens, & omnia loca particularia sunt in universali, & figura loci apparet in continente, continere, & contento. Per secundam regulam K. tempus est instrumentū substantiæ cum subjecto, ut sit agibilis, & sua agibilitas est figura per tempus & per motum. Similiter locus est instrumentum substantiæ cum quo collocat partem in parte, sicut habituatus est in habitu, bonus in bonitate, albus in albedine, &c. & figura hujus instrumenti apparet per sensum & imaginationem, ut in collocante formam in aqua, & aquam in forma, &c. & isto modo apparet, quomodo intellectus attingit verè & realiter essentiam temporis atq; loci: atq; huc pertinent etiam illi novem modi essendi, qui sunt pars in suo toto, totum in suis partibus simul sumptis, species in genere, genus in specie, forma substantialis in materia, accidens in subjecto, effectus in sua caussa, res in suo fine, contentum in suo continente.

Nona quæstio est. Quomodo, cujus regula est modalitas: nam querit modalitatem essendi, operandi, & omnium eorum quæ possunt rei alicui attribui, essentialiter aut accidentaliter, primariè aut secundariè, ut secundùm naturam quæstionis hæc quæstio non videatur variari, sed secundùm naturam quęsitorum, & respondetur ad omnes species hujus quæstionis per medium gerundrum, ut uniendo, componendo, resultando, operando, ut infrà.

Huic

Huic quæstioni adjungitur quæstio, Cum quo, cujus regula est instrumentalitas: nam ipsa quærit de instrumento & medio operationis, sive de re cum habitudine ad instrumentum, cui responderi oportet per sua correlativa, & potest ampliari responsio, secundùm ea quæ essentialiter rei competunt, aut quæ essentialiter consequūtur, aut hujusmodi, & ipsa ex sua vi nulla divisione eget, sed secundùm divisionem instrumenti & medii dividi potest, quatenus aliud est naturale, aliud artificiale, aliud morale, ut superiùs ostensum est: & sub hac quæstione accipitur quæstio per quid de medio quærens secundùm omnē medii modum. Raymundus verò assignat his ultimis ambabus quæstionibus quatuor species, seu quærendi modos, ut si quæratur quomodo & cum quo est pars in se, & hoc per modum differentiæ vel proprii, secundum quod quælibet res habet essentiam suam distinctam ab omni alia re: vel si quæratur, quomodo vel cum quo est pars in parte, per modum actionis vel passionis, veniendo: vel si quæratur, quomodo vel cū quo sunt partes in toto, & econverso, constitutivè vel compositivè, componendo ac resolvendo: vel si quæratur, quomodo vel cum quo totum transmittit similitudinem suam & suarum partium extra se, hoc secundùm modum perfectionis, vel finis, operando.

Hi itaq; sunt termini ad hanc artem maximè necessarii, per quos totius artis discursus fieri potest. Possumus tamen præter istos terminos alios accipere extraneos, etiam alienissimos & quantumlibet multos, per quos eodem modo discurremus. Quinto itaque nunc, de multiplicatione horum terminorum dicemus, deinde extraneos terminos sumere docebimus.

Genera itaq; subjectorum sic multiplicabimus, aut sub genere quærendo divisionem, aut illi uni de quo agitur, diversa attribuendo, per complexionem substantialem aut accidentalem, hoc modo faciendo subjectum variè complexum. Itaque reducere nos oportet res ipsas, sæpè à generibus ad species, sive essentiales sive accidentales: sæpè à speciebus ad genera, à subjectis ad proprietates, à partibus ad totum, & econverso: sic à similibus, & differentibus, oppositis, prioribus, posterioribus, causis, effectibus, exemplis, actionibus, passionibus, majoribus, minoribus, æqualibus, secundum variam conferentiam alicujus subjecti in se, aut ad aliud, ad ostendendum aliquid esse vel non esse, alicui quidquam inesse vel non inesse, aliquid sic aut aliter se habere, & si aliquod subjectum compositum est, statim ad suum genus reducendum erit, atque si sit accidens proprium

prium nec ad ſuum ſubjectum reducitur, ut tum ratio complexi, tum incomplexi habeatur, propter eam reſtrictionem quæ in complexo eſt ut ab omnibus his commodè duci poſſit oratio: atq; hoc modo magna copia ex his ſubjectorum generibus, cum ſuis ſpeciebus occurrere ſuo dicenti. Itaq; juxta præſens artificium, illud quod principali ſubjecto habetur, tanquam in centro collocetur, & circum illud in circumferentia, per literarū diſtinctim locentur illa, quæ ſibi eſſentialiter aut accidētaliter attinere videtur, vel etiā quo quomodo extranea ad ipſum accipi poſſunt, quæ ſubjectum ipſum multiplicare valeant, ut exempli gratia, ſit anima pro ſubjecto, qua poſita in centro, circumſcribamus illi genus ſuum, principia, partes, proprias paſſiones maximè cohærentes, accidentia communia, virtutes, actus, operationes, cauſas, potentias, & ſi quid extra illa eſt, quod vel per ſimilitudinem, vel oppoſitionem, vel alios reſpectus ad illam referri poteſt, in quibus omnibus ſicut in ſubjecto principali, cum omnibus generibus prædicatorum & reſpectuum, quæſtionum & regulam, ſimpliciter & commixtim, planè & illativè, & quibusq; aliis modis procedere poſſumus, ſic enim fiet, ut cùm de anima ſermo habendus ſit, de omnibus his quæ ad eam pertinent, occurrat dicendum: itaq; nunc figuram quandam de anima pro exemplo ſubjungemus.

Quære figuram in fine libri.

Præterea ſub his terminis deſcenſus fit ad magis ſpecialia, ut dividendo motum anima in potentias, nutritivam, augmentativam, generativam, & motum progreſſivum. Sic ſenſus exteriores in viſum, auditum, olfactum, guſtum, tactum. Similiter intellectum in agentem, paſſibilem, ſpeculativum & practicum, & ſic de ſimilibus, de quibus omnibus particularem ſermonem facere continget.

Simili ratione ſi in genere demonſtrativo oratio habenda ſit, utputa in perſona laudanda, ponatur illa tanquam pro ſubjecto in centro, & circumſcribamus illi originem, gentem, patriam, parentes, majores, formam, vires, divitias, potentiam, actiones, & circa hujusmodi, loca, tempora, occaſiones, & ſingulis iſtis alias determinationes, ut certus & facilis ſit ordo, & variè poſſint hæ res inter ſe commiſceri.

Simili ratione in genere deliberativo ponatur genus actionis in centro, & circumſcribantur huic bona, mala, utilia, facilia, difficilia, poſſibilia, impoſſibilia, commoda, incommoda, leges, decreta, ſtatuta, privilegia, conſuetudines, opiniones, honeſtates,

neſtates, à re in perſonam, & econverſò, divertendo vario modo, & ita cum omnibus iſtis conjunctim & ſeparatim, eſſentialiter & accidentaliter, per ſingula principia, prædicata, reſpectus, quæſtiones, regulas, mixtim & planè procedendo, ſicut id ad intentionem facilius & magis commodum videbitur.

Hæc jam dicta via, ſecundum diviſionem hanc, aut attributionem, etiam ad prædicatorum multiplicationem applicari habet, nam habitu uno prædicato generali, cum illo & ſub illo, per eundem modum procedere poſſumus.

Nunc ergo conſequenter de prædicatorum multiplicatione dicendum eſt quæ his patebit: nam accepto quovis ſubſtantivo vel adjectivo, mediante copula aut aliquo verbo conveniēti nomini, aut aliter, ſive illud verè ſive falsè prædicetur, ſecundum genus prædicationis multiplicabimus ea ſecundum multiplicationem quæ ſuperius de ſubjectis poſita eſt, faciendo variam attributionem prædicatorum ad ipſa ſubjecta, vel generaliter ad rem, vel ſpecialiter ad perſonam, vel ſpecialiſſimè ad attributa perſonæ aut rei, quemadmodum hæc ex generibus ſubjectorum, cum omnibus ſuis partibus, ſpeciebus & proprietatibus, & quibuscunque quæ in eam conſiderationem veniūt, ita etiam ut ex ſubjectis prædicata fiant, & in prædicati vim transeant, ut ſi dicatur Deus creat angelum, vel Deus eſt homo, ſeu homo eſt animal, & ſic de ſimilibus: vel dividendo ſubjecta & prædicata per genera, differentias, ſpecies, per convenientiam & cauſas, & ſecundum aliqua plura ejusmodi procedendo & inveſtigando. Quæ res multiplificat tā ſubjecta quàm prædicata, quemadmodum de iis ſuprà oſtenſum eſt.

Multiplicantur autē reſpectus, ſecundam viam quā de ſubjectis & prædicatis ſuprà oſtendimus, & ſecundum multitudinem ſpecierum, & varietatē quæ ſub his continetur, etiam cum ipſa ſui fundamenti mutatione, ut differentiam, ſecundū bonitatem & magnitudinem & hujusmodi, quantum ad prædicata: aut inter ſubjectum & accidens, ſive inter corpus & ſpiritum, quantum ad ſubjecta. Sic multiplicanda differentia & concordantia, facilè erit ſecundum varias ſpecies earum perquirendo ſub differentia diverſa genera, ſpecies, propria, accidentia, ſecundum quæ aliqua inter ſe differunt: & ſimili ratione ſub oppoſitione, ea ſecundum quæ aliqua aliquo modorum opponuntur, & per oppoſitum quærendo concordantias rerum perſcrutabimur, & ſimili via in cæteris triangulis procedemus. Nam & principiorum multiplicatio, facilè invenitur ex diviſione, principio aſſignata; nam in eodem genere

principia

HAEC OBLIGATORIA CIVITATIS MEDIOLANI

principia seſe ex principiatis ostendunt, & econverso, secundū quodlibet genus ipsorum. Medii verò multiplicatio invenitur, vel conjunctione, vel separatione, vel administratione, ut ostendendo non esse primum nec ultimum, non agens principale neq; subjectum, non hoc vel illud extremorum. Finis multiplicationem similiter, vel terminis, vel consummationibus, vel distinctionibus indicabimus simul & reperiemus. Majoritas verò, æqualitas & minoritas, eisdem modis secundum fundamenti rationem secundum quod sumuntur multiplicari possunt, sive ex subjectis quæ ad invicem operantur, sive ex prædicatis & attributis secundum quæ operantur.

Multiplicantur autem quæstiones istæ secundum communitatem quæstionum essentialium & accidentalium inter se, ita ut quævis quæstio per species aliarū quæstionum duci possit: ut si de speciebus quid est quæratur per quantum, vel per quale, ut quantum est in se, quantum est in alio, quale est in se, quale est in alio: similiter de speciebus quæstionis de quo, quærimus quanta aut qualis est res originaliter, essentialiter, effectivè, &c. & sic sub speciebus quæstionis quare, quanta aut qualis est res formaliter, finaliter, consequutivè: similiter species quæstionum accidentalium, per quæstiones essentiales ducuntur, & commiscentur singulæ quæstiones cum speciebus omnium quæstionum positis in relationem, ut de quo est quod habet in se, quare habet hoc in se, quantum est quod habet in se, &c. faciendo mutuam quæstionum & regularum inter se commixtionem, variis suppositis aut quæsitivis, variando etiam quæstiones secundum attributum aliquod genesile aut speciale: ut si quæratur, quid est homo secundum bonitatem, aut homo bonus, cui respondetur rectè juxta speciem quid est in alio, ut si quæratur, quid est bonitas in magnitudine, respondetur forma vel bonitas magnificata. Itaq; ad hoc genus quæstionis respondetur dupliciter, aut per significationem, & sic est quodlibet in alio quod in se, licèt non eodem modo: aut secundum eandem suppositionem. quæ propriè est acceptio termini subjectivi pro aliquo in propositione: supponit autem hic terminus quantum dici oportet, aut materialiter pro voce & scripto, aut simpliciter pro intentione aliqua quæ extra materiam non existit, ut homo non est species: aut personaliter pro suis inferioribus, aut pro quibus ad significandum imponitur. Hęc autem variantur secundum addita in propositione, ut confundatur aut distribuatur, vel amplietur, aut restringatur, aut ex situ mutet suppositionem, ut confundatur aliter & aliter, in prædicato

prædicato vel subjecto, sine necessitate rei vel signi, vel ut prædicatum contrahatur ad mensuram subjecti, ut de his latè patet apud Dialecticos. Sed in his paulò extra propositum vagati sumus. Quemadmodum autem unaquæque quæstio per varias variarum regularum species deducitur, sic etiam ad unamquamque quæstionem per aliarum quæstionum regulas ac species respondetur, quemadmodum de hoc latius in secunda parte horum commentariorum dicemus. Denique ex divisione quæstionum, non parva sumitur multiplicatio, tam regularum quàm ipsarum quæstionum, ideo hìc aliam figuram Q, magis copiosam subjungemus.

Quære figuram in fine libri.

Cæterùm nunc quomodo termini extranei accipiendi sunt videamus. Sunt autem termini extranei, quicunque non sunt apertè in hac arte notati, quorum multiplex copia emergit ex multiplicationibus principiorum, ut suprà ostendimus per oppositionem ad terminos in arte expressos, item similitudine & vicinitate ad eosdem, item ex cujusq; rei vel actionis seu negotii, scientiæ vel artis, propriis communibusq; principiis: & ejusmodi termini incerti, rediguntur suo modo in circulos & figuras, cum literarum distributione, secundum artem in se invicem ducuntur, & cum terminis expressis commiscentur, prout oratione videtur, & ut ista clariora sint, exempla aliqua per tabulas ponemus, juxta quæ similia formabimus, & reducemus in figuras & circulos, secundum multitudinem terminorum literis præsignando. Sic in Theologia terminos convenire accipimus tales.

B Deus
C Christus
D Angelus
E Lex
F Homo
G Anima
H Spiritus
I Natura
K Gratia
L Virtutes
M Opera
N Fructus
O Meritum
P Remuneratio
Q Vtilitates
R Beatitudo
S Adversitates
T Pericula
V Tentationes
X Peccatum
Z Pœna.

HATHI TRUST DIGITIZED BY GOOGLE

Alia tabula.

B Articuli fidei
C Sacramenta
D Præcepta
E Dona ſpiritus ſancti
F Virtutes
G Gratiæ & præmia
H Beatitudines
I Opera miſericordiæ
K Potentiæ hominis decem, Videlicet
B Intellectus
C Voluntas
D Memoria
E Affatus
F Imaginatio
G Viſus
H Auditus
I Odoratus
K Guſtus
L Tactus.

In Philoſophia verò figuram ſive tabulam in hunc modum formemus.

A Forma
B Materia
C Generatio
D Corruptio
E Elementatio
F Vegetatio
G Senſus
H Imaginatio
I Motus
K Intellectus
L Voluntas
M Memoria.

Oppoſitorum autem terminorum tabulam ſic formabis.

A Primus motor Primum mobile
B Aeternitas Motus
C Infinitum Finitum
D Fatum Natura
E Inſtans Tempus
F Locus Vacuum
G Intelligentia Corpus
H Simplex Compoſitum
I Forma Materia
K Subſtantia Accidens
L Totum Pars
M Actus Potentia
N Habitus Privatio
O Cauſa Effectus
P Neceſſarium Impoſſibile
Q Verum Falſum
R Prius Poſterius
S Eadem Diverſa
T Vnum Multum
V Actio Paſſio
X Vniverſale Particulare
Z Eſſe aliquid Habere aliquid.

Simili ratione in medicinis, ex ſuis principiis figuram formemus in hunc modum.

1 Elementa
2 Complexiones
3 Humores
4 Membra
5 Virtutes
6 Operationes
7 Spiritus
8 Sexus
9 Aetas
10 Habitudo
11 Continens
12 Motus
13 Quies
14 Somnus
15 Vigilia
16 Inanitio
17 Repletio
18 Nutrimentum
19 Medicina
20 Accidentia animæ
21 Tempus
22 Regio
23 Exercitium
24 Conſuetudo
25 Coitus

25 Coitus
26 Morbus
27 Accidentia
28 Cauſæ
29 Signa
30 Prognoſtica
31 Criſes.

Simili ratione in Philoſophia morali conſtruere poterimus terminos oppoſitos, ex virtutibus & vitiis. Omnis namq; virtus habet peculiare vitium quod illi opponitur : habet etiam aliud, quod illam quadam ſimulatione imitatur. Et ſunt virtutes quæ ſibi opponi & repugnare videntur : ſimiliter & vitia, ſicut hæc ſequens tabula oſtendit.

Malitia	Prudentia	Superſtitio	Religio
Simplicitas	Stultitia	Securitas	Inobedientia
Præſumptio	Scientia	Inhumanitas	Severitas
Fides	Credulitas	Pietas	Oſtentatio
Arrogantia	Doctrina	Ambitio	Præſidentia
Diſciplina	Curioſitas	Obedientia	Ignorantia
Aſtus	Induſtria	Agreſtia	Integritas
Opinio	Error	Familiaritas	Impudentia
Infirmitas	Conſcientia	Duritia	Fortitudo
Arbitrium	Perverſitas	Patientia	Ignavia
Otium	Contemplatio	Præcipitatio	Promptitudo
Activitas	Importunitas	Solicitudo	Anxietas
Calliditas	Peritia	Superbia	Magnanimitas
Docilitas	Inertia	Lenitas	Puſillanimitas
Crudelitas	Iuſtitia	Temeritas	Audentia
Miſericordia	Mollities	Timor	Timiditas
Calumnia	Correctio	Pertinacia	Conſtantia
Amicitia	Adulatio	Manſuetudo	Mutabilitas
Obſtinatio	Confidentia	Voluptas	Petulantia
Deliberatio	Negligentia	Avaritia	Frugalitas
Tyrannis	Poteſtas	Liberalitas	Prodigalitas
Subjectio	Obſcuritas	Hypocriſis	Humilitas
Triſtitia	Temperantia	Gloria	Vanitas
Lætitia	Laſcivia	Dejectio	Verecundia
Dubitatio	Spes	Laus	Iactantia
Certitudo	Contemptus	Moroſitas	Modeſtia
Pœna	Pœnitentia	Libertas	Inſolentia.

Secundùm ea quæ jam dicta & exemplificata ſunt, patet quomodo magna multitudo terminorum extraneorum reperiri poſſit. Raymundus autem in arte ipſa centum enumerat terminos, quos vocat centũ formas, per quas conditionatur aliquod ſubjectum, diſcurrendo illud cum ipſis, per principia & regulas, & diſcurrendo ipſas formas, tot modis, quot

НАУКОВА БІБЛІОТЕКА ОНУ ім. І. ФРАНКА

quælibet illarum differens est in ipsis subjectis, servando tamē per omnia cuilibet formæ suam definitionem, ut discurram? aliquod subjectum cum entitate, unitate, natura & cæteris, vel discurrendo aliquam formam, ut entitatem prout est una forma in Deo, & alia in angelo, & alia in aliis subjectis. Sed nunc formas ipsas enumerabimus, non omnes sed potiores: nam quæ residuæ sunt, qui scire velit, illas apud Raymundum requirat.

Essentia	Esse	Forma	Nateria
Existentia	Existens	Necessitas	Contingentia
Entitas	Ens	Realitas	Intentionalitas
Idem	Alterum	Substantia	Accidens
Simplicitas	Compositio	Spiritualitas	Corporeitas
Vnitas	Pluralitas	Prius	Posterius
Creatio	Transubstãtiatio	Generatio	Corruptio
Natura	Ars	Habitus	Privatio
Primævitas	Derivatio	Potentia	Objectum
Plenitudo	Vacuitas	Actus	Proprietas
Pulchritudo	Monstrositas	Comprehensio	Apprehensio
Ordo	Confusio	Infinitas	Novitas.
Status	Forma		

Verùm qui termini principiis in arte nominatis vicini sint, vel opponantur sive repugnent, ex sequentibus collige in figura A.

B Bonitati consonant emanatio, communicatio, diffusio, melioratio, constructio, nobilitas, honestas, utilitas, commoditas, sanctitas: esse, essentia, actio.

Repugnant bonitati, malitia, solitudo, destructio, restrictio, inhonestas, dedecus, profanum, damnum, incommodum, otium.

C Magnitudini conveniunt extensio, intensio, infinitas, immensitas, incomprehensibilitas, sublimitas, superioritas, unitas, indivisibilitas, totalitas, summitas, universitas, singularitas, integritas, emanatio, amplitudo, multitudo, plenitudo, abundantia, sufficientia, divitiæ, numerus, pondus, mensura, distantia, figuratio, punctus, linea, superficies, soliditas.

Repugnant magnitudini minoritas, parvitas, paucitas, paupertas, comprehensibilitas, partialitas, diminutio, insufficientia, occupatio, comprehensum, limitatum, vacuum.

D Durationi adest æternitas, incorruptibilitas, immortalitas, immutabilitas, antiquitas, firmitas, sempiternitas, indissolubilitas, primævitas, tempus, ævum, semper, primitivum, constantia, perseverantia.

Repugnant

Repugnant corruptio, mutatio, privatio, inconstantia, dissolubilitas, præteritum, transitorium, recens, aliquando.

E Potestati adhærent possibilitas, esse, existere, operari, agere, producere, creare, dominari, omnipotentia, magnipotentia, fortitudo, vis, violentia, actus, auctoritas, jurisdictio, præceptum.

Repugnant otium, resistentia, impotentia, passio & potentia passiva, impossibilitas, debilitas, impedimentum, servitus.

F Cognitioni adsunt Sapientia, prophetia, prænotio, instinctus, præscientia, providentia, prudentia, præsagium, scientia, industria, intelligentia, opinio, sensus, fides, electio, recolitio, contemplatio, interpretatio, immemoratio, memoria, diligentis, ordo, necessitas, rationabilitas, arbitrium, conscientia, syndæresis, conjectura, divinatio, præsumptio, suspicio, nomen, consequentia.

Repugnant ignorantia, error, oblivio, incredulitas, stultitia, negligentia, confusio, contingens, fors, casus, fortuna, extraordinarium.

G Appetitivi consonant voluntas, amor, libertas, audacia, spes, liberum arbitrium, dilectio, conservatio, licentia, permissio, consuetudo, interpretatio, & omnes animi passiones constitutivæ.

Repugnant odium, coactio, desperatio, timor, ira, horror, metus, violentia, malevolentia, obligatio.

H Virtuti adsunt dignitas, nobilitas, honestas, laus, decus, honor, gratia, donum, meritum, fortitudo, natura, operatio, unio, instrumentum, instrumentalitas, potentia agendi & patiendi.

Repugnant, vitium, impotentia, ineptitudo, vilitas, ignavia.

I Veritati adsunt, justitia, ordo, regulatio, correctio, lex, præceptum, prædestinatio, necessarium, possibile, esse, existentia, idea, imago, exemplar.

Repugnant, falsitas, error, mendacium, confusio, deceptio, incorrigibilitas, impossibile, contingens, dispensatio, privilegium.

K Gloriæ consonant, gaudium, lætitia, plenitudo, perfectio, pulchritudo, beatitudo, libertas, felicitas, voluptas, fruitio, delectatio, finis, præmium, retributio.

Repugnant, contrarietas, inquietudo, imperfectio, deformitas, impedimentum, infelicitas, damnatio, pœna, pœnitentia, ingratitudo, tristitia.

L Essentiæ cohærent, esse, substantia, natura, forma, informatio, entitas.

Repugnant, non esse, non ens, accidens, casus, fortuna, violentia, negatio, falsitas, mendacium.

M Vnitati respondent, simplicitas, identitas, convertibilitas, paritas, integritas, singularitas, proportionalitas, fortitudo, individualitas.

Repugnant, debilitas, multitudo, compositio, mixtio, divisio, diversitas.

N Perfectioni convenit finis, complementum, pulchritudo, status.

Repugnant, imperfectio, deformitas, diminutio, defectus, mutabilitas, superfluitas.

Simili modo in figura T. conveniunt.

B Differentia, distinctio, pulchritudo, distributio, divisio, distantia, pluralitas, ordo.

Repugnat, confusio.

C Concordantia, proximitas, similitudo, unio, identitas, convertibilitas, collectio, compositio, comparatio, amicitia, sympathia.

Repugnat, discordia.

D Oppositio, contrarietas, contradictio, repugnantia, resistentia, inimicitia, derogatio, negatio, privatio, corruptio, destructio.

Repugnat, disquiparantia.

E Principium, causa, origo, impulsus, nobilitas, productio, influxus, effluxus, antecedens, absolutum, prioritas, auctoritas.

Repugnat, otium.

F Medium, instrumentum, centrum, forma, dignitas, mediatum, perfluens, refluens, comitans, conjungens, connectens.

Repugnat, vacuum.

G Finis, quies, perfectio, consummatio, retributio, refluxus, affluxus, eventus, objectum, consequens, terminus, determinatio, finitum, posterioritas, extrema.

Repugnat, inquietudo.

H Majoritas, magnidecentia, magnificentia, auctoritas, superioritas, libertas, difficultas, causalitas, majus, magis, superius.

Repugnat, nihilum & nullitas.

I Aequalitas, similitudo, conformitas, convertibilitas, imitatio, propinqua, immediata.

Repugnat, inæqualitas.

L Minoritas, humilitas, obedientia, opera, effectus, inferius, facile, minus.

Repugnat, immensum, infinitum, omnipotens.

Verbaliter autem colligimus sic in figura A.

Bonitas bonificat, communicat, diffundit, construit, emanat, agit, essendi vim tribuit, sanctificat, emendat.

Magnitudo magnificat, amplificat, extendit, intendit, multiplicat, extollit, mensurat, figurat, sufficit.

Duratio confirmat, conservat, durat, perseverat.

Potestas continet, operatur, agendi vim tribuit, fortificat, producit, possificat, creat, liberat, præcipit.

Cognitio regit, cognoscit, credit, recolit, intelligit, investigat, eligit.

Appetitus appetit, vult, diligit, sperat, deliberat, permittit.

Virtus operatur, nobilitat, dignificat, fortificat, vim tribuit, laudat, honestat.

Veritas verificat, justificat, circumscribit, corrigit, ordinat, regulat, demonstrat, castigat, præcipit.

Gloria perficit, complet, in fine quiescere facit, liberat, beatificat, salvat.

Similiter in figura T.

Differentia distinguit, decorat, ordinat, dividit, distribuit, discernit, separat.

Concordia unit, adsimilat, comparat, pacificat, communicat, colligit, continet, conciliat.

Oppositio opponit, resistit, repugnat, contradicit, contrariatur, inimicatur.

Principium creat, producit, causat, efficit, effluit, disponit.

Medium trahit, perfluit, appetit, rapit, allicit, conjungit, separat.

Finis perficit, redit, retribuit, refluit, repetit.

Majoritas magnificat, dignificat, præcipit, causat, ligat.

Aequalitas æquiparat, similat, approximat.

Minoritas humiliat, obedit.

Sextò nunc de figurarum mixtione multiplicationeque dicamus. Fit autem hæc mixtio, aut ex parte subjecti, aut à parte prædicati, aut modi aut cujusque eorum: & iterum fit tripliciter, aut terminorum in arte explicitorum inter se, aut terminorum extraneorum inter se, aut explicitorum cum extraneis: & omnia hæc variè aut in una figura tantùm aut in diversis & pluribus, ut in figura S, si dicitur: Deus est homo: & in figura A, sic dicatur bonitas est magna: in figura T, ut differentia & principians: & in figura Q, ut angelus est de Deo, vel quærendo de quo est angelus, & similiter permiscendo

ГАЛОВА БІБЛІОТЕКА ОНУ ІМ. І. ФРАНКА

quæstiones & regulas in se invicem circa aliquod subjectum. In diversis autem figuris, vel duplici, vel multiplici: sic procedetur, ut in figuris S.A. Deus est bonus, in S. T. Deus est principium, in A T. bonitas est concordans. Et hoc modò multa varietas commixtionis emerget, quando cum unaquaque litera circuli immobilis, variantur omnes literæ quæ sunt in circulo mobilili, & in hac duplici vel multiplici figura, sæpè alter circulorum duplicatur, vel multiplicatur, ut in S A. duplicando circulum S. ut si dicatur, Deus est melior angelo, vel angelus est melior homine, sic in S T. ut Deus differt ab homine, sic in A T. dicendo bonitas differt ab æternitate: vel duplicando circulum T. dicendo, concordantia magis convenit veritati quàm differentia. Similiter & eodem modo in extraneis terminis faciendum est, possumus enim extraneum subjectum accipere, & cum eo similiter per has figuras sive circulos, vel simplices, vel duplices, vel magis multiplices discurrere, similiter cum extraneis prædicatis & respectibus agere, ita quod semper unus circulus immobilis maneat pro basi, cui omnes alii circuli mobiles vario modo applicentur: & quemadmodū in hac duplicitate proceditur, sic & in multiplicitate fieri habet, & magis variè, pro circulorum multitudine, quo nunc istis nunc illis variatis, necesse est diversas complexiones propositionesque emergere, continentes multos terminos sub una constructione, vel diversa vel conjuncta cum aliis propositionibus sive per conjunctionem copulativam, vel disjunctivam, sive per suppositionem, sive in syllogismo, aut aliter, & ista mixtio est centrum & fundamentum ad multas propositiones, diffinitiones, quæstiones media, loca, argumenta, conditiones, objectiones & solutiones, & intellectus invenit per illam quicquid vult, & sunt species mixtionis hujus communiores istę, Aa. Tt. Qq. At. A q, T q, A tq. & extenditur hæc mixtio secundū duplicationem, vel multiplicationem uniuscujusque circuli, in aliqua istarum specierum contenti, prout circa subjectum aliquod majus minusve diffusè voluerimus, vel aliter opus sit discurrere.

Raymundus ipse in arte hac quatuor duntaxat ponit mixtionis species, quas quatuor vocat generales figuras, quarum prima est figura A. in seipsam ducta, ut si dicatur, bonitas est magna. Secunda est figura T, in se ducta, ut si dicatur, differentia est principians. Tertia constat ex prima & secunda, ut bonitas est differens.

Quarta componitur ex tribus prioribus omnibus juncta.

Quæli-

Quælibet autem istarum figurarum propriam habet conditionem, quas in omni discursu convenit observare, sicut nunc dicemus de singulis his figuris, secundum Raymundi ipsius sententiam eas breviter declarando.

Prima figura primò ac principaliter versatur circa primum ens, in quo subjectum & prædicatum convertuntur, in identitate subjectæ naturæ & numeri, & hoc est necesse, nam alias æqualitas quæ est inter subjectum & prædicatum, esset absolutè destructa, utputa æternitas, quæ esset superior per infinitatem durationis, & sua bonitas esset inferior per potestatem operationis quod est impossibile, & istud primum ens est Deus, cui primò & convertibiliter principia hujus figuræ applicantur, deinde ad omnia reliqua subjecta proportionaliter. Inquirimus igitur per hanc figuram naturalem cōjunctionem, dispositionem, & proportionem, quæ est inter subjectum & prædicatum, & investigamus per eam, quæ convertuntur, & quæ nō, & quæ sunt propriæ passiones, & quæ appropriatæ, inter subjectum & prædicatum, ut ad faciendum conclusionem possit medium inveniri. Et mixtio istius figuræ fit tripliciter, vel in abstracto, ut bonitas est magnitudo, vel in concreto, ut bonitas est magna: & eliciuntur ex ista figura propositiones octoginta una, secundum quemlibet prædicandi modum, contrahendo unum principium ad aliud, & conditio in hac figura maximè observanda est, ut conversio & proportio, quæ est inter unum principium & aliud non destruatur, utpote, de quo dicitur duratio secundum æternitatem, de illo dicatur magnitudo secundum infinitatem, & potestas secundum omnipotentiam.

Secunda figura quæ est triangulorum, ipsa inquirit objecta optata, unde per illam jam primò intellectus incipit acquirere scientiam, discurrendo per illam circulariter, linealiter, rectè & transversaliter, mutando angulos cum angulis terminos cum terminis, generaliter & specialiter, & facit totidem propositiones suo modo, quot de prima figura dictæ sunt: & conditio hujus figuræ observanda est talis, ut unus triangulus alium adjuvet, & alius alium probet, & se mutuo penetrent.

Tertia figura miscet omnia principia cū omnibus, ut intellectus per omnia principia cognoscat quodlibet principium, inveniatq; medium, cum quo subjectum & prædicatum, conjungantur, ut ad quamlibet propositionem sive conclusionem probandam & declarandam, multas inveniat rationes. Continet autem hæc figura triginta sex combinationes, quas dicimus cameras, quarum quælibet duas continet literas, & quæ-

HYLOBIBLION A QUINTINO PROBA

libet litera ſtat pro ſubjecto & prædicato cujusque duarum præcedentium figurarum, & hoc modo in qualibet camera ſunt duodecim propoſitiones, ut in camera b dicimus, bonitas eſt magna, bonitas eſt differens, bonitas eſt concordans: magnitudo eſt bona, eſt differens, eſt concordans: differentia eſt bona, eſt magna, eſt concordans: concordantia eſt bona, eſt magna, eſt differens. Et ſcias inſuper quod unaquæque propoſitio duas habet implicitas quæſtiones, de natura literarum cameram conſtituentium, unde in quavis camera ſunt viginti quatuor quæſtiones, & ita in tota figura ſunt propoſitiones quadragintæ & triginta duæ ac quæſtiones octogintæ ſexaginta quatuor, & conditio hujus figuræ eſt, ut una camera non ſit contra aliam, ſed ſe mutuò adjuvent & probent. Inſuper obſervandum eſt, ut diſcurramus unamquamq; cameram hujus figuræ tribus modis, ſecundum ſuarum literarum ſignificata, primò cum definitionibus figuræ A. ſecundò cum ſpeciebus triangulorum figuræ T. tertio cum ſpeciebus regularum figuræ Q. ſecundum conditionem cameræ, affirmando vel negando.

Quarta figura ipſa diſponit intellectum, ad inveſtigandum, & inveniendum, objiciendum, probandum, & determinandū, per neceſſarias concluſiones, & iſta figura conſtat ex tribus circulis, extremo immobili, & duobus interioribus mobilibus & continet in ſe tres præcedentes, ideo ipſa eſt generalior quàm tertia, nam in qualibet camera hujus figuræ ſunt tres literæ, & iſtæ cameræ, propter nimiam ſuam multitudinem memoratu difficillimam, reducuntur ad formam tabulæ ſuis columnis diſtinctæ, in qua intellectus diſcurrendo per principia & regulas, facit ſe adeò univerſalem & generalem, ita quod ſophiſta contra illum ſtare non poteſt. Conditio iſtius figuræ eſt, ut accipiantur ſolum illæ cameræ, quæ ſunt magis applicabiles ad propoſitum, recipiēdo ex illis convenientiam inter ſubjectum & prædicatum, tali modo, quòd non ſequatur inconveniens, vel impoſſibile, & cum iſta conditione intellectus facit ſcientiam per quartam figuram, & habet plurimas rationes ad eandem concluſionem.

Sequuntur nunc figuræ tabularum, & primò tabula tertiæ figuræ, quæ eſt triginta ſex camerarum, quæ eliciuntur ex octoginta una cameris tabulę quadratę, quas generant duorum circulorum mixtiones. quando unus mobilis volvitur cum qualibet litera circuli immobilis.

bb	cb	db	eb	f b	gb	hb	ib	kb
bc	cc	dc	ec	f c	gc	hc	ic	kc
bd	cd	dd	ed	f d	gd	hd	id	kd
be	ce	de	ee	f e	ge	he	ie	ke
bf	cf	df	ef	f f	gf	hf	if	kf
bg	cg	dg	eg	f g	gg	hg	ig	kg
bh	ch	dh	eh	f h	gh	hh	ih	kh
bi	ci	di	ei	f i	gi	hi	ii	ki
bk	ck	dk	ek	f k	gk	hk	ik	kk

Per hanc tabulam argumentamur in hunc modum, ut in camera b c, omne quod eſt ſui diffuſivum, eſt magnum, bonitas eſt hujusmodi, ergo magna: item, ubicunq; eſt pluralitas, ibi eſt differentia, in bonitate eſt pluralitas, ſcilicet bonificativum bonificabile & bonificare, ergo in bonitate eſt differentia, & bonitas eſt differens: item omne quod producit ſuam ſimilitudinem in eadem ſpecie, producit cum concordantia, ſed bonitas producit plures bonitates in eadem ſpecie, ergo, &c. Item, omne id quod habet actum bonum eſt bonum, magnitudo eſt hujusmodi, ergo eſt bona: item, magnitudinem eſſe differentē & concordantem, eisdem rationibus probatur, quibus de bonitate. item, omne id quod facit adeſſe, eſt bonum, differentia & concordia faciunt ad conſtituendum eſſe, ergo ſunt bona. item, ubi eſt diſtantia, ibi eſt magnitudo, ubi differentia, ibi diſtantia, ergo &c. Item, nulla actio eſt ſine magnitudine, concordia eſt activa, ergo eſt magna: item omnis differentia quæ eſt ſine contrarietate eſt concordans, differentia inter ſubſtantiam & ſubſtantiam eſt hujusmodi ergo eſt concordans: item, omnis concordantia eſt inter plura, nulla pluralitas eſt ſine differentia, ergo concordia non poteſt eſſe ſine differentia, ergo eſt differens: & in iis argumentis, quæ per hanc tabulam formantur, medium ſumitur ex definitionibus principiorum, conditionibus & ſpeciebus regularum, quæ cadunt in cameram propoſitam: & ſicut hoc exemplificavimus in una camera, ita ſecundùm eandem rationem operaberis per omnes cameras, generaliter & ſpecialiter, ſicut uſus requirit, & fiunt adhuc in una figura argumenta in terminis extraneis, permixtim cum terminis artis, vel ſub illis acceptis ſumendo medium ſecundùm ſpecies quæſtionum, vel conditiones principiorum, & figurarum, ac regularum, ut accipiendo medium per conditionē primæ figuræ, arguimus in hunc modū: nulla poteſtas quæ convertitur

HANC OBLATIONEM OPUSCULI MEUM HORA

vertitur cũ magnitudine, & æternitate, est limitata aut impedita: divina potestas est hujusmodi: ergo, &c. Item, nullum ens in quo bonitas & principium sunt idem, est causa malitiæ, Deus est hujusmodi, ergo, &c. Idem accipiendo medium secundùm primam conditionem regulæ b, arguitur omne illud, per quod homo potest Deum magis intelligere, & in ipso credere, recolere, & magis amare, est à Deo ordinabile, sed hoc est per incarnationem Dei: ergo, &c. Item, omne illud per quod divina bonitas potest magis glorificare beatos est necesse, sed hoc est per incarnationem Dei, & per resurrectionem mortuorum, ergo, &c. Vt intellectus per hanc tabulam tertiæ figuræ sit magis generalis, debet unamquamque cameram ipsius discurrere, juxta hæc quæ dicta sunt, cum duodecim propositionibus ac totidem argumentis, cum viginti quatuor quæstionibus, & cum earum speciebus ac regulis, speciebusque regularum, & triangulorum, ac cum definitionibus principiorum, sumendo media ut diximus, & inferiùs in secunda parte latius docebimus, probando intentum, vel ex natura subjecti, vel ex ejus definitione, vel per formam ejus, vel materiam, vel actum, vel ex his sumptis ac prædicatis, ut sicut bonitas habet naturam bonificandi, est ratio per quam bonum est bonum, & agit bonum, est forma dans esse bonum, concipit in se cuncta bonabilia, habet actum bonificandi, & bonificare, & sic de similibus, probationes sumendo, & faciendo demonstrationes, vel per propter quid, vel per quia, vel per æquiparantiam, ut alibi docebimus.

Sequitur tabula quartæ figuræ, quæ est octoginta & unius columnarum, & quælibet columna novem camerarum, quæ faciunt in toto cameras septingentas & viginti novem, secundùm trium circulorum variationem: sed Raymundus non recipit nisi ducentas & quinquaginta duas cameras, scilicet harum viginti octo columnarum, ex quibus colliguntur capita tabulæ octoginta quatuor, ut infra.

B.

bbb	bcb	bdb	beb	bfb	bgb	bhb	bib	bkb
bbc	bcc	bdc	bec	bfc	bgc	bhc	bic	bkc
bbd	bcd	bdd	bed	bfd	bgd	bhd	bid	bkd
bbe	bce	bde	bee	bfe	bge	bhe	bie	bke
bbf	bcf	bdf	bef	bff	bgf	bhf	bif	bkf
bbg	bcg	bdg	beg	bfg	bgg	bhg	big	bkg
bbh	bch	bdh	beh	bfh	bgh	bhh	bih	bkh
bbi	bci	bdi	bei	bfi	bgi	bhi	bii	bki
bbk	bck	bdk	bek	bfk	bgk	bhk	bik	bkk

C.

cbb	ccb	cdb	ceb	cfb	cgb	chb	cib	ckb
cbc	ccc	cdc	cec	cfc	cgc	chc	cic	ckc
cbd	ccd	cdd	ced	cfd	cgd	chd	cid	ckd
cbe	cce	cde	cee	cfe	cge	che	cie	cke
cbf	ccf	cdf	cef	cff	cgf	chf	cif	ckf
cbg	ccg	cdg	ceg	cfg	cgg	chg	cig	ckg
cbh	cch	cdh	cch	cfh	cgh	chh	cih	ckh
cbi	cci	cdi	cei	cfi	cgi	chi	cii	chi
cbk	cck	cdk	cek	cfk	cgk	chk	cik	ckk

D.

dbb	dcb	ddb	deb	dfb	dgb	dhb	dib	dkb
dbc	dcc	ddc	dec	dfc	dgc	dhc	dic	dkc
dbd	dcd	ddd	ded	dfd	dgd	dhd	did	dkd
dbe	dce	dde	dee	dfe	dge	dhe	die	dke
dbf	dcf	ddf	def	dff	dgf	dhf	dif	dkf
dbg	dcg	ddg	deg	dfg	dgg	dhg	dig	dkg
dbh	dch	ddh	dch	dfh	dgh	dhh	dih	dkh
dbi	dci	ddi	dei	dfi	dgi	dhi	dii	dki
dbk	dck	ddk	dek	dfk	dgk	dhk	dik	dkk

E.

ebb	ecb	edb	eeb	efb	egb	ehb	eib	ekb
ebc	ecc	edc	eec	efc	egc	ehc	eic	ekc
ebd	ecd	edd	eed	efd	egd	ehd	eid	ekd
ebe	ece	ede	eee	efe	ege	ehe	eie	eke
ebf	ecf	edf	eef	eff	egf	ehf	eif	ekf
ebg	ecg	edg	eeg	efg	egg	ehg	eig	ekg
ebh	ech	edh	eeh	efh	egh	ehh	eih	ekh
ebi	eci	edi	eei	efi	egi	ehi	eii	eki
ebk	eck	edk	eek	efk	egk	ehk	eik	ekk

НАУКОВА БІБЛІОТЕКА ОНУ ім. І. МЕЧНИКОВА

F.

fbb	fcb	fdb	feb	ffb	fgb	fhb	fib	fkb
fbc	fcc	fdc	fec	ffc	fgc	fhc	fic	fkc
fbd	fcd	fdd	fed	ffd	fgd	fhd	fid	fkd
fbe	fce	fde	fee	ffe	fge	fhe	fie	fke
fbf	fcf	fdf	fef	fff	fgf	fhf	fif	fkf
fbg	fcg	fdg	feg	ffg	fgg	fhg	fig	fkg
fbh	fch	fdh	feh	ffh	fgh	fhh	fih	fkh
fbi	fci	fdi	fei	ffi	fgi	fhi	fii	fki
fbk	fck	fdk	fek	ffk	fgk	fhk	fik	fkk

G.

gbb	gcb	gdb	geb	gfb	ggb	ghb	gib	gkb
gbc	gcc	gdc	gec	gfc	ggc	ghc	gic	gkc
gbd	gcd	gdd	ged	gfd	ggd	ghd	gid	gkd
gbe	gce	gde	gee	gfe	gge	ghe	gie	gke
gbf	gcf	gdf	gef	gff	ggf	ghf	gif	gkf
gbg	gcg	gdg	geg	gfg	ggg	ghg	gig	gkg
gbh	gch	gdh	geh	gfh	ggh	ghh	gih	gkh
gbi	gci	gdi	gei	gfi	ggi	ghi	gii	gki
gbk	gck	gdk	gek	gfk	ggk	ghk	gik	gkk

H.

hbb	hcb	hdb	heb	hfb	hgb	hhb	hib	hkb
hbc	hcc	hdc	hec	hfc	hgc	hhc	hic	hkc
hbd	hcd	hdd	hed	hfd	hgd	hhd	hid	hkd
hbe	hce	hde	hee	hfe	hge	hhe	hie	hke
hbf	hcf	hdf	hef	hff	hgf	hhf	hif	hkf
hbg	hcg	hdg	heg	hfg	hgg	hhg	hig	hkg
hbh	hch	hdh	heh	hfh	hgh	hhh	hih	hkh
hbi	hci	hdi	hei	hfi	hgi	hhi	hii	hki
hbk	hck	hdk	hek	hfk	hgk	hhk	hik	hkk

I.

ibb	icb	idb	ieb	ifb	igb	ihb	iib	ikb
ibc	icc	idc	iec	ifc	igc	ihc	iic	ikc
ibd	icd	idd	ied	ifd	igd	ihd	iid	ikd
ibe	ice	ide	iee	ife	ige	ihe	iie	ike
ibf	icf	idf	ief	iff	igf	ihf	iif	ikf
ibg	icg	idg	ieg	ifg	igg	ihg	iig	ikg
ibh	ich	idh	ieh	ifh	igh	ihh	iih	ikh
ibi	ici	idi	iei	ifi	igi	ihi	iii	iki
ibk	ick	idk	iek	ifk	igk	ihk	iik	ikk

kbb

K.

kbb	kcb	kdb	keb	kfb	kgb	khb	kib	kkb
kbc	kcc	kdc	kec	kfc	kgc	khc	kic	kkc
kbd	kcd	kdd	ked	kfd	kgd	khd	kid	kkd
kbe	kce	kde	kee	kfe	kge	khe	kie	kke
kbf	kcf	kdf	kef	kff	kgf	khf	kif	kkf
kbg	kcg	kdg	keg	kfg	kgg	khg	kig	kkg
kbh	kch	kdh	keh	kfh	kgh	khh	kih	kkh
kbi	kci	kdi	kei	kfi	kgi	khi	kii	kki
kbk	kck	kdk	kek	kfk	kgk	khk	kik	kkk

PEr hanc revolutionem quartæ figuræ, intellectus facit scientiam in hunc modum, sumendo videlicet extrema quæ vult probare, ut concludat de illis per novem media figuræ A. & totidem figuræ T. ut si quæratur, utrum Papa habeat plenitudinem potestatis, extrema sunt in figura A. sub literis c e: probatur affirmativa, novem mediis figuræ A. in hunc modum: per c b e, omnis potestas optima, cujus non est melior, est plena potestas; Papæ potestas est hujusmodi, ergo per c c e, omnis suprema potestas est plena potestas, &c. per c d e, omnis indissolubilis & immutabilis potestas est plena potestas, &c. per c e e, illa potestas quæ potest præcipere omni potestati, & nulla sibi, est plena potestas, &c. per c f e, illa potestas quæ est super omnem scientiam, prudentiam, rationem, est plena potestas, &c. per c g e, omnis potestas cujus ratio est sua voluntas, est plena potestas: per c h e, illa potestas quæ dignior est omnibus potestatibus, est plena potestas, per c i e, illa potestas quę est vera imago divinæ potestatis, est plena potestas: per c k e, illa potestas quæ est quies, finis & perfectio omnis potestatis, ultra quam non est progressio, est plena potestas. Probatur eadem conclusio per novem media figuræ T. sic scilicet, per c b e, illa potestas cujus est distribuere, & distinguere omnes alias potestates est plena potestas, Papæ potestas est hujusmodi, ergo. per c c e, omnis illa potestas quæ colligit, continet, unit in se omnes potestates, est plena potestas, per c d e, illa potestas cui nihil potest resistere nec contra dicere, est plena potestas: per c e e, illa potestas cujus autoritas antecedit omnes potestates, estque principium & caussa aliarum potestatum est plena potestas, per c f e, illa potestas quæ est medium conjungens mensuras, comprehendens, ponēs & uniens omnes alias potestates, est plena potestas, per c g e, illa potestas quæ est consummatio, & terminus omnium potestatū est plena potestas: per c h e, illa

potestas

НАУКОВА БІБЛІОТЕКА СУМДУ. ЕЛЕКТРОННА

potestas, quæ est major omni potestati, & nulla sibi, est plena potestas, per c i e, illa potestas quæ est immediatè proxima, & æqualis potestati divinæ est plena potestas. per e k e, illa potestas cui omnis potestas inferior & minor est ac obedit, est plena potestas. Cum his novem mediis fiunt deinceps novem columnæ tabulæ, sicut patebit, inferius, & ita probata hac conclusione, eliciuntur aliæ similiter probandæ, ut si per cameram c e t e, arguimus: ubicunque est prima potestas in aliquo genere, ibi est plenitudo potestatis in illo genere: in Papa est prima potestas in corpore Christi mystico, ergo in Papa est plenitudo potestatis in corpore Christi mystico. Deinceps inferimus per quartam speciem regulæ c, argumentando: Papa habet plenitudinem potestatis in corpore Christi mystico: animæ existentes in purgatorio sunt membra de corpore Christi mystico, ergo Papa habet plenitudinem potestatis in animas existentes in purgatorio. hinc deinceps nascitur probanda conclusio quæstionis, utrum Papa possit liberare animam quæ punitur in purgatorio: cujus affirmationē probamus novem mediis, ut suprà exemplificavimus, & erunt termini in figura a, sub e k, & quæstio secundùm formam terminorum est, utrum potestas Papę possit glorificare animam quæ punitur in purgatorio: probamus affirmativam partem per e b k, omnis potestas quæ potest emendare & bonificare animas existentes in purgatorio, potest illas liberare à pœna, & glorificare: potestas Papæ potest hujusmodi, ergo per e c k, omnis potestas cujus plenitudo se diffundit extensivè & intensivè per totum corpus Christi mysticum, potest ut suprà: per e d k, omnis potestas quæ se extendit non solùm ad tempus, sed etiam in ævum, hoc est, non solùm operatur supra illa quæ in tempore, sed etiam in illa quæ sunt in ævo, potest: per c e k, omnis potestas quæ immediatè habet autoritatem in cœlis, habet illam multò magis in purgatorio, & potest: per e f k, omnis potestas quæ potest supplere & dimittere errores, & negligentias animarum in fide & moribus quondam commissas, potest: per e g k, omnis potest satisfacere desiderio animarum ad salutem, potest: per e h k, omnis potestas quæ habet liberam & plenam dispensationem super virtutes, gratias, dona & merita fidelium & sanctorum, potest: per e i k, omnis potestas quæ potest justificare, potest: per e k k, omnis potestas ordinata ad beatitudinem, & gloriam fidelium, potest. Simili ratione poteris probare hanc conclusionem, per novem media sumpta ex figura T. & per novem columnas tabulæ, sed hæc pauca pro exemplificatione sufficiant. Constituti itaque

itaq; hujusmodi argumentis, evacuamus unamquamq; propositionem argumenti, tribus quæstionibus, cum suis regulis & speciebus, similiter ipsam conclusionem, cum novem quæstionibus, & earum regulis & speciebus. Deinde multiplicamus hanc figuram de una camera in aliam, de una columnula revolutionis in aliam, propter conformitatem quam habēt in duabus literis, vel in una, ut camera b c d, cum camera c d e, & cum camera d e f, & sic de similibus, procedendo per hanc multiplicationem, donec omnes columnulas ac cameras revolutionis ad subjectam materiā applicaverimus, quas deinceps multiplicamus per tabulam magnā, de qua nunc dicem⁹.

Ex præcedenti tabula secundùm trium circulorum revolutionem collecta, sicut ostendimus, colliguntur octoginta quatuor cameræ, in quibus tota continetur, & quælibet ex his 84 cameris, facit unam columnam viginti camerarum particularium secundùm distinctionem duarum figurarum, quæ distinctio notatur per literam T, ita quod omnes literæ positæ ante T, sunt de prima figura, & omnes sequentes ipsam T, sunt de secunda figura. Sed jam octoginta quatuor illas cameras, quæ sunt capita totidem columnarum, colligemus: deinde quomodo columnæ constituendæ sunt, monstrabimus, & sic patebit tabula magna Raymundi, quæ est octoginta quatuor columnarum.

B c d	b f k	c f k	d i k
b c e	b g h	c g h	E f g
b c f	b g i	c g i	e f h
b c g	b g k	c g k	e f i
b c h	b h i	c h i	e f k
b c i	b h k	c h k	e g h
b c k	b i k	c i k	e g i
b d e	C d e	c e f	e g k
b d f	c d f	D e g	e h i
b d g	c d g	d e h	e h k
b d h	c d h	d e i	e i k
b d i	c d i	d e k	F g h
b d k	c d k	d f g	f g i
b e f	c e f	d f h	f g k
b e g	c e g	d f i	f h i
b e h	c e h	d f k	f h k
b e i	c e i	d g h	f i k
b e k	c e k	d g i	G h i
b f g	c f g	d g k	g h k

b f h	c f h	d h i	g i k
b f i	c f i	d h k	H i k

Multiplicatur autem quælibet harum camerarum in viginti cameras, ut prædiximus, & nunc exemplificabimus, in camera b c d, ut secundùm eundē modum scias omnes reliquas multiplicare, & in columnas reducere. Nunc quomodo per hanc tabulam probationes & improbationes formari habet, unico Raymundi exemplo ostendemus: ut in camera b c d, per totam columnam ostendendo mundum non esse æternum, dicimus per b c d t. si mundus est æternus, sua bonitas est ratio ut ab æterno producat bonum æternum, & magnitudo illam bonitatem ab æterno & in æternum infinitaret, sicut æternitas illam ab æterno æternaliter durare faceret, ex quibus sequeretur nullum malum esse in mundo, quod est contra experientiam, unde regula b, per definitiones principiorum ponit negativam esse tenendam.

b	c	d	t
b	c	t	d
b	d	t	c
b	t	c	d
t	b	c	d
c	d	t	b
c	t	b	d
d	t	b	c
b	c	t	b
b	d	t	b
b	t	b	c
b	t	b	d
b	c	t	c
c	d	t	c
c	t	b	c
c	t	c	d
b	d	t	d
c	d	t	d
d	t	b	d
d	t	c	d

Item per b c t d. Si mundus est æternus, est bona & magna contrarietas æterna, inter substantiale & substantiale, &c. quod est impossibile, quia contrarii fines non possunt esse boni cum magnitudine æterna, nam aliâs bonitas esset ratio producens bonum & malum infinitè, cum æterna contrarietate, & æternitas faceret durare illam contrarietatem bonam, magnam & malam, quod est impossibile, & prima species regulæ D. ponet primitivas contrarietates bonas, magnas & æternas, quod est impossibile.

Per b d t c. Si mundus est æternus, æternitas Dei & mundi benè quidem concordant, quod est impossibile, cùm æternitas mundi in se contineat æternam malitiam per corruptionem & peccatum, & prima species regulæ C, ponit, si mundus est æternus, quod sua æternitas est ens, ultra quod non est aliud præjacens per durationem, quod est contra æternitatem Dei.

Per b t c d. Si mundus est æternus, sua bonitas est æterna & innata, in scala de substantiali & substantiali, &c. ipsâ scala existente habituata de æterna concordia & contrarietate, quod est impossibile, adhuc prima species c d, ponet primitivam correptionem, ratione primitivæ contrarietatis existentis inter bonitatem & malitiam: concordantia autem primitiva ponit compositum, & sic secunda species c d, ponit quòd mundus est cōpositus & contextus ex contrariis, uno posito in alio.

Per t b c d. Si mundus est æternus, suæ differentiæ concordantiæ & contrarietates sunt æternæ, nam privatis naturali differentia, concordantia & contrarietate, mundus non haberet ex quo esset, & ita mundus est compositus ex partibus privativis & primitivis, ordinatis ad aliquem finem æternum, per differentiam, concordantiam & contrarietatem, & sic divina æternitas est causa mundi & non causa, & mundus est compositus & non compositus, quod est contradictio.

Per c d t b. Si mundus est æternus, tunc magna est differentia suæ æternitatis, per scalam de substantiali & substantiali, &c. est illa ratio quæ ponit æternitatem distinctam, inter substantiale & substantiale, quod est impossibile, quia illa substantialia sunt incorruptibilia, quod est contra earum definitiones.

Per c t b d. Si mundus est æternus, tunc magna contrarietas differentiæ suæ per regulas c d, est scala existens inter substantiale & substantiale, habituata simpliciter de contrarietate composita, per secundam speciem regulæ c d, sub qua differentia essentialis mundi est subdita, & contrarietas est actio in differentia, per tertiam speciem regulæ c d, & per quartam speciem regulæ c, contrarietas habet actus æternos simpliciter, quod est impossibile, per scalam inter substantiale & substantiale.

Per d t b c. Si mundus est æternus, sua æternitas est de primitivis infinitis & finitis differentiis & concordantiis, in scala de substantiali & substantiali, &c. sustentatis: & æternitas quo ad suum genus, est infinita duratio differentiæ & concordantiæ, quæ in scala sunt, quo ad genus eorum, in extensitate quantitatis, atq; in habitu & in situ incompositus ex partibus infinitis & finitis, quantitate habente durationem æternam, per omnes partes innatas, quæ finitæ sunt, quod est impossibile.

Per b c t b. Si mundus est æternus, sunt duæ æternitates differentes, scilicet dei & mundi, & sic differentia quæ est inter sensuale & sensuale, & inter intellectuale & intellectuale, &c. ponit tres æternitates differentes, & bonitas ponit illas bonas, & magnitudo infinitas, & hoc est impossibile, quia differentia ponit ipsas malas secundum quid, & sic deficit magnitudo bonitatis, & simili ratione deficiet infinitas magnitudinis.

Per d b t b. Si mundus est æternus, differentia per scalam suam ponit tres æternitates bonas & æternas, in quibus bonitas est ratio producens bonum confusum, & æternum, quod est impossibile, nam differentia in creatis non est æterna.

Per b t b c. Si mundus est æternus, bonitas & differentia inter sensuale, & intellectuale, &c. non possunt habere concordantiam in uno æterno, & mundus erit subjectum confusum, similiter bonitas moralis non habebit concordiam ab æterno, quod patet per evidentem corruptionem, privationem & culpam.

Per b t b d. Si mundus est æternus, sua contrarietas est innata & æterna & sustentata à bonitate & malitia, contra differentiam, per æternam & universalem scalam existentem inter substantiale & substantiale, quam scalam contrarietas nequaquam sustinere potest, & regula c. prædictis testatur, quia si mundus est æternus, contrarietas æterna est impediens omne bonum diversum per substantiale & substantiale.

Per b c t c. Si mundus est æternus, concordia innata quæ est de esse medii inter substantiale & substantiale, & cætera, est æterna, & sic sunt tres concordiæ, & tres æternitates substantialiter generales, à magnitudine bonitatis & æternitatis cum durationæternæ magnitudinis bonitatis, quod est impossibile, quia sunt tres contrarietates subalternatæ & oppositæ cum magnitudine malitiæ & æternitatis.

Per c d t c. Si mundus est æternus, tunc magna concordia suæ æternitatis, est ens habens in se innata æternantem æternatum æternare, & quod de ipsis omni contrarietate remota, quibus testantur prima & secunda regula c, & secunda regula d, & quod habeant per magnitudinem sic extensitatem, sicut per æternitatem durationem, quod est impossibile, per scalam de substantiali & substantiali.

Per c t b c. Si mundus est æternus, magnitudo suæ differentiæ & concordantiæ per regulas c d, sunt primitivæ essentiæ & æternæ ab omni contrarietate separatæ, & mundus est compositus ex ipsis absq; contrarietate, quod est falsum, cùm mundus sit subditus corruptioni, ratione contrarietatis, habentis in mundo magnam & æternam actionem.

Per c t c d. Si mundus est æternus, magna distantia inter quam magnam concordantiam & contrarietatem, est illa forma, quæ causat contradictionem, quod patet per scalam æternam existentem inter substantiale & substantiale, &c. & quia conjunxit se in æternitate, quod est simplex principium, in quo

quo sunt composita per secundam regulam c d, & unum principium est subditum alteri, per tertiam regulam d, & secunda regula c, ponit magnam distantiam & æternam, & concordantia & contrarietas sunt compositæ in subjecto, & sic æternitas mundi ponit contradictiones, quæ stare non possunt.

Per b d t b. Si mundus est æternus, sua æternitas innata est bona & æterna, quod est falsum, nam contrarietas æterna, est contra bonitatem æternam, cum malitia, & econtrà, unde sequitur quod æternitas mundi est subjectum ex contrariis innatis compositum, & hoc patet per primam & secundam speciem regulæ d, quòd substantia sit composita ex primis contrariis æternis, & per speciem regulæ c, mundus habet æternaliter innata, contrariantem, contrariare, & contrariatum.

Per c d t d. Si mundus est æternus. tunc magna contrarietas inter magnitudinem & æternitatem, est illa infinita resistentia inter divinam magnitudinem & æternitatem, & sic per primam speciem regulæ d, divina æternitas causat infinitam durationem sibi similem, & magnitudo mundi causat magnitudinem finitam sibi simlem, & sic per tertiam speciem regulæ d, magnitudo dei est impedita in suo effectu agendo, æternitas verò nequaquam, quod est impossibile.

Per d t b d. Si mudus est æternus, suæ differentiæ & contrarietates innatæ, quæ sunt sibi coëssentiales & propriæpassiones, in scala sustentata, sunt de primitivis & æternis differentiis & contrarietatibus, per primam regulam d, quæ componuntur per secundam regulam c d, ipsis habentibus durationem & subjugationem per quartam regulam c, & tertiam d, unæ ratione, sicut principio existente in alio subjecto æterno, sicut punctus naturalis in alio puncto, ex quibus linea est conjuncta & composita, quod falsum est, & impossibile.

Per d t c d. Si mundus est æternus, suæ naturales coëssentiales concordantiæ & contrarietates, per primam speciem regulæ desunt de seipsis, & scala de substantiali & substantiali est composita ex contrariis, quia habet in se concordantem, concordatum, concordare, contrariantem, contrariatum, contrariare, æternantem, æternatum, æternare, quod quidem est ponere oppositum in objecto, & mundus est in partibus incorruptibilibus & corruptibilibus, & habet infinitas in numero revolutiones, multiplicando infinitum numerum, & æternum, quod est impossibile.

HÆC EST SECVNDA PARS HORVM COMMENTARIORVM, QVÆ TRACTAT DE INVENTIONE COMplexorum, & dividitur in quinque partes: quarum prima est de formatione propositionum, secunda de formatione definitionum, tertia de formatione argumentorum & inventione medii, quarta de locorum sumptione, quinta de solutionibus quæstionum & argumentorum dissolutionibus.

PRopositiones fiunt per mixtionem terminorum, quando terminum incomplexum complexum facimus, addendo sibi aliquid, per quod determinetur, vel contrahatur, quocunque modo fiat per quamcunque orationis partem, sive per nomen, sive per verbum, vel adverbium, & ejusmodi.

Illud autem observandum est, ut in conficiendis propositionibus, non semper uniformem rationem adhibeamus, sed variare oportet, tum propter decorem, tum etiam propter usum: quæ varietas sumitur ex diversis generibus prædicationum, ut scilicet aliquando attribuamus prædicatum subjecto affirmativè, aliquando negativè, nonnunquam exclusivè, interdum indefinitè, directè vel indirectè, quæ omnia ad exornandum sermonem fiunt.

Itaque ut hæc magis extendere valeamus, prius de varia prædicatione pauca dicamus, sive ea sit ex natura prædicati, sive ex natura subjecti, vel signi, seu modi proveniat.

Est itaque prædicatio ex natura prædicati aut univoca, quæ est unius de pluribus eodem nomine & ratione, ut hominis de Socrate & Platone: Aut communis, ut nominis tantùm sicut canis de sidere cœlesti, pisce marino & cane latrabili? Aut denominativa, quæ fit à casu accidentaliter, sicut à justitia dicitur justus, à bonitate bonus.

Iterum secundùm attributionem prædicationum, alia naturalis seu necessaria, cùm prædicatum est de essentia subjecti, vel proprium ejus, sive genus, vel species, & hujusmodi. Alia est contingens, secundum rem & rationem, in qua prædicatum potest adesse vel abesse subjecto. Alia remota, in qua prædicatum nullo modo potest convenire subjecto. Prædicatio autem necessaria, alia simpliciter, alia ex hypothesi. Contingens autem est, ut sæpè, vel raro, vel ad utrumlibet.

Iterum secundum rationem prædicationum, alia directa, quæ est superioris de inferiori. Alia indirecta, quæ fit econverso. Alia æqualis, quæ est convertibilium inter se, ut definitionis de definito, aut ejusdem de seipso, nomine vel re. Et est alia mediata, ut animalis de Platone, alia absoluta, in qua non est aliquis terminus qui comparationem faciat, ut homo est animal, homo est justus. Alia comparativa seu respectiva, aliquo termino respectivo addito, ut homo Christianus, Deus est principium homini, Deus est melior angelo, Deus est optimus entium: & in his sæpe reperitur duplex comparatio, una affirmativa, sicut in ista: Deus melior est quàm alia entia: & alia negativa, quia nullum entium melius Deo, quamvis in aliquo alio subjecto dari possit æquale.

Iterum secundùm qualitatem prædicationum, alia affirmativa, alia negativa, alia vera, alia falsa, sive secundum qualitatem prædicationis, vel secundum convenientiam orationis cum re, vel secundum quantitatem, quando est vel universalis, vel particularis, vel indefinita, termino communi in subjecto ponto, sine aliquo termino vel signo universali vel particulari, & hæc aliquando æquipollet particulari, ratione signi, aliquando universali ex parte rei, aliquando singulari, quando fit per terminum discretum.

Iterum secundum modum prædicationum, alia de inesse, quæ continet simplicem inhærentiam prædicati ad subjectū, ut homo est animal, homo est albus. Alia est de modo, quam rem largius tamen quam dialecticè appellamus, ut hic vel est modus subjecti, vel prædicati vel propositionis. Modus subjecti, & prædicati, est omnis determinatio nominalis, vel adverbialis, vel aliter subjecto aut prædicato adveniens, ut homo bonus, homo justus, similiter in prædicato, ut operatur benè vel justè, & secundùm hanc modalitatem facilè multiplicantur termini, tam subjecta, quàm prædicata, illos ex complexis faciendo variè complexos, & in hanc varietatem veniunt propositiones reduplicativæ, exceptivæ, separativæ, comparativæ, modo vario exponibiles, & quicquid ex his conficitur. Modus autem propositionis est, qui de tota propositione dicitur, ut hominem justum esse est possibile. Hujus autem modi tot genera sunt, quot sunt ea quæ de aliquo toto dicto dici possunt, ut verum, falsum, possibile,

bonum, fictum, creditum, auditum, & multa alia similia. Iterum secundùm figuram distinguitur prædicatio, quoniam alia est categorica, simplicem prædicationem continens, ut Deus est bonus: Alia hypothetica, quæ duas categoricas jungit, cum ratione tamen suppositionis, ut si Deus est bonus, Deus est justus: & hæ quidem veræ hypotheticæ sunt, si fiunt per signum conditionale, ut si: sive locale, ut ubi: sive temporale, ut quando: aut modale, ut quomodo. sicut & per aliquod relativum cadens in determinationem subjecti vel prædicati, ut Deus est bonus qui creavit omnia bona. Quæ autem simul conjunctæ sunt conjunctiva vel disjunctiva conjunctione, nullam suppositionem continent.

Hæc itaq; sunt prædicationum genera, quæ assignavimus, quoniam alia & alia prędicatio, aliam & aliam rationem requirit in probando & reprobando, concedendo, refutando, argumentando, solvendo, demonstrando, inferendo. Aliter namq; in universalibus, aliter in particularibus, aliter in essentialibus, aliter in accidentalibus est procedendum. Alia enim & alia ad aliarum veritatem requiruntur, & aliæ & aliæ possunt simul esse veræ vel falsæ, & econtrà quædam non: & sunt aliæ inter se contrariæ, aliæ contradictoriæ, subcontrariæ, aliæ subalternæ: & hæc de prædicationibus nunc dicta sufficiant, ad propositiones modò redeamus.

Quæ in hac arte ponuntur genera prædicatorum, ea generalitatem magnam habent, & alicui subjecto proposito, in laudem vel vituperationem, aut quamvis aliam rationem adhibeantur simplici prædicatione, aut per inhærentiam, vel operationem transeuntem, aut alio modo, sive ipsi rei, sive actionibus ejus, sive principiis & hujusmodi, varia explicatione, ut Deus est bonus, Deus est bonitas, Deus facit bonum, Deus bonitate per fecit omnia: quæ postea per respectum & quæstionũ genera percurrimus, ut sic multiplicentur propositiones, prædicata & prædicationes, ut cùm plura prædicata uni jungũtur subjecto, vel si plura subjecta cum uno prædicato variãtur, quæ deinde variis respectibus ac regulis multiplicamus, inquirimus, & demonstramus aliqua inesse vel non inesse, prout cõveniunt vel disconveniunt, propter cohærentiam, multiplicando media, & sumendo locos ex his vel simpliciter, vel per conversam illationem, aut alio modo, uno probante, vel improbante alio, quemadmodum inferius docebimus. Similiter & in respectuum generibus, quæ & ipsa prædicata sunt, quanquam non absoluta, & in extraneis terminis, eadem propositionum multi-

multiplicatio fit, & eò major, quò propter varietatem suam in comparationibus, majorem sumunt multiplicationem. Per oppositas etiam eisdem modis propositiones multiplicamus, ut unum oppositorum per aliud cognoscatur, & de quo unum dicitur, ab eo aliud removeatur.

Primò autem sumuntur ex terminis hujus artis propositiones generales, & quæ generalissimæ dicuntur, quæ nullas habent generaliores, quæ semper & ubiq; veræ sunt, quæ demonstratione seu alia probatione non indigent, sed primò & per se notæ sunt, & sumuntur hæ generales quatuor modis, vel prædicatione ejusdem de seipso, simpliciter, denominativè vel demonstrativè, ut si dicatur, bonum est bonum, vel bonum est bonitate bonum. Aut per definitionem, ut bonum est sui communicativum. Aut per commixtionem simplicem, ut magnũ bonum producit magnos effectus bonos. Aut per mixtionem comparativam, augendo figuram T, ut principium bonitatis est in summo bono, & per eosdem modos termini extranei secundùm hanc artem, cum his aut aliis jungi possunt, ad faciendum propositiones.

Sub his autem propositionibus generalibus, descensus fit ad speciales, sumendo aliquid sub subjecto, vel prædicato, vel modo, vel addito aliquo huic vel illi, vel pluribus simul, per se, vel per accidens, vel simplici consequentia, vel per simile, vel per oppositum, vel conversione, aut hujusmodi, descendendo à generalibus ad minus generalia, & ab his ad ulteriora, usque ad specialissima deveniatur, ut in hoc exemplo: omne bonum est diffusivum sui, Deus est bonus, ergo diffusivus sui, scilicet generando, creando, salvando, gratias largiẽdo, præmia communicando. Iterum vel sic, bonum est diffusivum sui, ergo æternitas omne tempus complectitur, quo vera comprehensione in se claudit: nam sicut se habet bonitas ad bonum, ita se habet æternitas ad durationem. Per oppositum verò sic: bonum est sui diffusivum: ergo malum sui constrictivum, & destructivum. vel sic: bonum est diffusivum sui, hoc est, destructivum sui, ergo malum: & sicut hæc in simplicibus fiunt, ita in mixtis & comparatis similiter fieri habent.

A particularibus autem ad universalia fit conscensus vel planè vel demonstrativè. Planè fit secundùm aliquem modum conversum exp. ioribus, qui de descensu traditi sunt. ut si dicatur, Deus se communicat creaturis, hæc particularis est: ergo bonus, hæc generalis: omne enim bonum est sui communicativum, hæc generalissima & universalis. Demonstrativè autem

sic, largo modo sumendo hoc verbum, ut si non necessariò tamen probabiliter aliquid demonstretur, & hoc fit quando aliqua propositio particularis, invento medio, demonstratur per maximam universalem, & ista pars tot habet modos, quot varietates sunt inveniendi medii, & potest etiam fieri demonstratio per Propter quid, sive Quia, vel etiam per æquiparantiam, ut quod intellectus, memoria & voluntas sunt in anima æquales per essentiam, demonstratur, quia prima causa per æqualitatem suorum attributorum bonitatis, magnitudinis, &c est intelligibilis, recolibilis, & amabilis æqualiter. In simplici autem amplificatione, & multiplicatione, multæ propositiones, & generales, & speciales, ad unam intentionem colliguntur, vel ad diversas, ex terminis hujus artis, aut extraneis, aut mixtis inter se, ut multa de una eademque re, aut ad unam rem seu finem dicantur, per modum duplicis & multiplicis figuræ: & sic una propositione expedita, accipiatur alia vel per se, vel cum eo quod propositum est, & unaquæq; ducatur ascendendo, & descendendo, secundùm formam figurarum, verborum etiam adhibita varietate, & qui uti velit hypotheticis, hoc facere potest, ut si potestas Dei non est infinita, ejus duratio non est æterna, & hujusmodi: sed has omnes tandem ad suas simplices reducere oportebit.

Nunc consequenter quomodo definitiones sumendæ sint, declarabimus.

Sumitur autem definitio multis modis. Aut ex genere & differentia, ut si homo definiatur per animal & rationale: Aut ex genere & proprio, sive sit propriè proprium, quod inest uni soli & semper, ut si homo definiatur per animal & risibile: sive sit aliquod accidens proprium aut commune, secundùm aliquod accidentium genus: ut si homo definiatur per animal & bipes. Vnde sciendum est, quando differentiæ rerum sunt nobis ignotæ, oportet eas sæpè circumscribere per proprias passiones, ut imaginatio est id, cui propriè competit imaginificare, hoc est, imaginarium componere, circa quod notandum est, quòd in hac & consimili definitione, ipsum are, ut imaginificare, quod est actus, non ponitur pro se sed pro differentia intrinseca, quia aliter definitio non esset quidditativa, cùm daretur per extrinsecum definiri: & secundùm hanc rationem scias, quòd ista definitio: homo est ens cui propriè competit hominificare, est magis ostensiva quàm hæc: homo est animal rationale, mortale. nam hominificare soli homini competit, rationabilitas & mortalitas multis, & hoc modo proprietas sumitur per concordantiam,

dantiam, ab unitate formæ: quando autem sumitur per differentiam, hoc fit secundùm pluralitatem potentiarum, ut velle, intelligere, memorari, & cætera.

Aut per hæc quæ dicta sunt omnia, vel aliqua simul juncta, ut si dicatur, homo est animal rationale risibile bipes.

Aut sumitur ex partibus, velut ex materia & forma vel aliis in quocunque genere totius collectivi, integralis vel alterius: ut si domus definiatur, res composita ex lignis & lapidibus.

Aut sumitur definitio à caussa, secundùm quodlibet genus causæ.

Aut per effectum & operationes, tam actuales quàm aptitudinales, secundùm formam, aut potentiales secundùm materiam.

Aut ex his simul collectis, ut si domus dicatur, res composita ab architecto, ex lignis & lapidibus, apta ad habitandum, tegens nos ab imbribus, & hujusmodi.

Aut per potentiam vel objectum, ut color per visum, & visus per colorem.

Aut per potentiam & actum, & econverso, ut bonitas est ens cui propriè competit bonisacere. & econtrà, bonificare est actus bonitatis: & hæc definitio est clarior quàm illa quæ datur per genus & differentiam, quia per ipsam habetur cognitio subjecti, & actus ejus specifici, per aliam nequaquam, nisi partium tantùm.

Aut per esse & essentiam, & econtrariò: ut bonitas est ens cujus esse est bonum, & econtrariò, bonum est ens, cujus essentia est bonitas.

Aut ex fine rei, ut bonitas est quod cuncta bonificat.

Aut per respectum & relationem, ut pater per filium, & econtrariò filius per patrem.

Aut per distantiam extremorum, ut si temperatum definiatur, quod non est neque calidum neque frigidum.

Aut per abnegationem oppositi, ut si dicatur. virtus est vitium fugere.

Quomodo autem sumantur definitiones per regulas figuræ Q. duobus his exemplis facilè constabit, ut si quæratur quid sit natura, quid homo, respondetur per primam regulam C. natura est essentia in suo naturali concreto subsistentata, & mota, per actum naturalem, in quo actu est in quiete: homo autē animal est rationale: per secùdam regulam C. natura est essentia habens connaturalia, correlativa, naturativum, naturabile,

naturare,

BIBLIOTECA OPERA RAMONIS LULLI

naturare, sine quibus esse non potest, & homo est habens sua correlativa propria, hominificativum, hominificabile, hominificare: per tertiam sic, natura est quæ in subjecto suo est activa & passibilis connaturare, & homo est animal in mechanicis agens, sicut in scriptura scribens, & ejusmodi: per quartam regulam C. natura est, quæ in subjecto in quo est, habet actionē, & passionem, & actum, & per hoc agentem naturalem, & per naturalem formam, materiam & finem, & cum naturalibus instrumentis, & homo est ens, habens majorem possessionem in brutis & plantis. Simili modo per primam regulam D. natura est essentia primitiva omnium naturalium, & homo ens primitivum in nobilitate secundùm sensualitatem: per secundam regulam D. natura est quæ constat de suis correlativis ascendēdo ad essentiam, & suum concretum est de ipsis descendendo, & contrahendo, & homo est ens constitutum ex anima & corpore: per tertiam regulam D. dicitur natura ea potentia, de qua subjectum in quo est naturaliter agit, & homo est ens cui subdita sunt bruta & plantæ & hujusmodi. Per primam regulam E. natura est ens continens in se sua correlativa ex quibus est, & homo est substantia per suam humanitatem: per secundam regulam E. natura est per quam alia entia habent existentiam & agentiam naturaliter, & homo est ens creatum ad serviendum Deo cum vegetativis & sensitivis, Per regulam F. natura est essentia habens continuam quantitatem & indivisibilem, & sua concreta sunt ei quantitates discretæ, & homo est ens quantum & continuum per suum elementativum, vegetativum, sensitivum, imaginativum & rationativum ex quibus est, & istæ quinq; potentiæ sunt ei partes discretæ, eò quia sunt differentes. Per regulam G. natura est quæ habet proprias actiones & passiones, sicut ignis per calefacere: appropriatas verò, sicut aqua calefacta habet calefactivum, calefactibile & calefacere, sic homo est ens cui proprie competit humanificare, & est ens risibile scribens, &c. Per regulam H. natura est ens in tempore continuè & successivè, per quantitates continuas & discretas. & homo est ens in tempore intelligens, legens, &c. Per regulam I. natura est ens in loco, sicut contentum in continente, agens in agibili, & in subjecto in quo est substentata & mota, & homo est ens in vinea fodiens, in Ecclesia Deum orans. Per primam regulam K. natura est habens modum nascendi, generandi & corrumpendi, &c. & homo est habens modum mechanizandi & generandi alium hominem. Per secundam regulam K. natura est agens cum suis instrumentis, sicut substantia cum

tia cum suis instrumentis, sicut substantia cum suis accidentibus, & mechanicus cum instrumentis suis, & homo est substantia generans alium hominem cum muliere, & cum martello fabricans clavum. Et hæc de definitionibus sufficiāt, quod superest, ex mixtionibus principiorum per teipsum investigabis.

Tertiò nunc, quomodo argumenta, quibus aliquid probare vel improbare possumus, formanda sunt, & unde medium sumere oportebit, videamus.

Forma argumenti multiplex est. Aut enim est syllogismus, qui vario modo conficitur, ut apud dialecticos notum est: Aut enthymema, hoc est consequentia simplex: aut inductio, quæ fit à sufficienti enumeratione: Aut exemplum, ut à simili: sed omnes hi modi tandem ad syllogismum reducuntur.

Perfecta autem argumentatio est ea quæ apud oratores in quinq; partes distributa est, scilicet propositionem, qua proponitur summatim quid probare vel improbare intendimus: Rationem, qua demonstramus propositionem propositam veram esse vel falsam: Rationis confirmationem, vel dissolutionem ex pluribus particularibus argumentis ex locis collectam: demum Exornationem, quæ suis locis constat rei honestandæ & locupletandæ causa: porrò Conclusionem, qua brevissimè argumentationis partes finaliter complectimur. ut in epistola ad Hebr. Paulus cap. 6. proponit, quòd Christus præcursor pro nobis introivit interiora velaminis, secundùm ordinem Melchisedech, Pontifex factus in æternum. Rationem propositionis ostendit, ex conditionibus ipsius Melchisedech, & ejus similitudine: confirmat rationem ex obviatione, ex benedictione, ex decimatione, ex nominis interpretatione, ex genealogia, ex infinitate: item à contrario sic, quòd non secundùm Aaron, quòd ex alia tribu, quòd ex jurejurando, quòd in æternum. Exornationes harum omnium tandem per totum capitulum prosequitur septimum. Concludit in capitulo octavo, finaliter complectendo sic: tandem igitur habemus Pontificem, qui consedit in dextera throni magnitudinis in cœlis, & cætera quæ sequuntur ibidem. Atque hæc argumentationis exercitatio ad plurima confert, tum ad probandum quàm improbandum, tum ad exponendum, ac sermocinandum, etiam ad conficiendas epistolas, & consilia in senatu, vel alibi danda, & ad quælibet alia eloquia multum est utilis. Atque etiam hujus vis ex syllogismo dependet.

Quia autem tota vis argumenti dependet à medio, ideò de medio inveniendo doceamus. Medium

Medium est hoc loco, quo aliquid esse vel non esse monstratur propter convenientiam vel disconvenientiam, quam habet cum utroque, aut altero, & id quidem varium esse oportet, secundùm varietatem terminorum & propositionum, quoniã interdum accipitur extraneum à subjecto, aut prædicato, aliquando antecedens, aut consequens, & aliter quidem in propositione affirmativa, quàm negativa, aliter in particulari quã universali. & iterum variè sumitur in syllogismo demonstrativo, qui ex primis veris & immediatis procedit, & aliter in dialectico, qui ex probabilibus, & aliter in sophistico qui ex apparentibus, & aliter in aliis propter diversas syllogismorum potestates, prout inferimus vel oppositum oppositã ratione, aut simile, & multis aliis modis, prout explicatur in dialecticis. Sed in hac arte facilis est mediorum inventio, quæ fieri habet per multiplicem figuram, secundum circulorum multiplicationem, ita quòd superior & inferior circuli, extremorum vim obtineant, medius verò circulus, semper medium præstet, sive simplices sint, sive multiplices, secundùm quod termini illi, qui pro extremis vel medio sumuntur, incomplexi manent, vel reduntur complexi, & hac ratione constituendo varios syllogismos, ex affirmativis vel negativis propositionibus, ut in hoc exemplo, ad probandum istam, Deus est æternus, subjectum est ex circulo S. in camera B. prædicatum est in circulo A. in camera C. Argumentum est, cujus magnitudo est infinita, ejus duratio est eterna: sed Deus est infinitus, ergo æternus: vel arguendo negativè sic: nullum immensum cõstringitur terminis durationis: Deus immensus, ergo extra terminos durationis & æternus. Quòd si negatur minor, ponantur ejus termini in extremis circulis, sic S B A C, & sumatur medium ex figura T. in cameris E. G. Arguitur sic: quicquid est sine principio & fine, est infinitum: Deus est sine principio & fine, ergo infinitus, & si id ex pluribus & remotioribus inferre volumus, argumentamur sic: Quicquid est sine principio, necesse est id omnibus esse principium: deinde miscendo A M. sic, atque id solùm unum esse necesse est: deinde A B. sic, & id principium sui maximè diffusivum est, oportet ergo diffusivum per omnia, per omnem essentiam magnitudinis, durationis, potestatis, & cæterorum. postremò inferendo, ergo infinitum, æternum, omnipotens, &c. quemadmodum hæc variè commiscentur.

In syllogismis autem oratoriis, & particularibus, sæpè majores & inferiores derivationes fiunt, quæ maximè inducimus ex figura

ex figura T. per similia, differentia, opposita, principia, fines, &c. ut in suadendo, cùm quærimus, qualis debeat esse imperator, responsio quæritur ex prædicatis attributis subjecto, deinde argumentamur demonstrando huic vel illi ea inesse, vel omnia vel plura, vel magis huic quàm illi inesse, & sic de similibus.

Si verò medium taliter ut diximus, inventum, non videbitur satisfacere, nec sufficienter probare conclusionem, tunc volvendus erit circulus medii, in proximam literam, & sic deinceps per omnes alias literas, donec unum vel plura media inveniamus, conclusionem ipsam probantia, & horum mediorum copia facilè emerget, prout in figuris S. & A. & T. copia terminorum elicitur, & etiam ex figura Q. non per modum quæstionis, sed propositionis, tum etiam per multiplicationem circulorum medii, ejusdem vel diversorum circulorum, mixtim sumendo medium, vario modo complexum.

Quoniam locus est tanquam sedes argumenti ac ornamentum sermonis, ipsi argumento vim tribuens, aliquid probandi vel improbandi, sermonem amplificans, atque movens animas auditorum, ideo nunc quartò de locis nobis dicendum occurrit.

Loca sumuntur ab his, de quibus dicitur vel disputatur: & horum quædam sumuntur ab his quæ insunt rebus de quibus agitur, & dicuntur intrinseca, quæ in hac arte sumuntur per secundum triangulum figuræ T. cum omnibus suis speciebus, quæ in divisione & multiplicatione illius ostenduntur. Sunt alia loca quæ ab extra assumuntur, quæ ideo extrinseca dicuntur, & in hac arte sumuntur ex primo & ultimo triangulis figuræ T. tum etiam ex figura A. cum earum speciebus, divisionibus, & subdivisionibus, de quibus superius dictum est: & hæc loca dicuntur essentialia, quia plurimum probandi vel improbandi causa assumuntur, & sunt alia loca accidentalia, quæ rei vel orationis amplificandæ exornandæque causa ponuntur, quæ maximè conveniunt exordiis, & conclusionibus, cum admirationibus, exclamationibus, quæstionibus, & hujusmodi, de quibus paulò inferius dicemus. & hi sumuntur in hac arte ut potissimùm ex figura A. & suis speciebus.

Quæ verò ex locis essentialibus plurimùm in usu sunt, modò narrabimus: sunt itaque ex locis intrinsecis isti qui sequuntur.

Locus à definitione, cujus maxima est: cui definitio convenit, ei & definitum, & econtrario. Est autem definitio, oratio indicans

indicans quid res sit, & fit propriè hoc modo, cùm sumpseris ea quę sunt rei quam definire velis cum aliis communia, & usque eò prosequaris, dum ita proprium efficiatur, ut nullā in aliam rem transferri possit, & id vocant dialectici ex genere & differentia, rei propriam complexionem.

Ab hac argumentamur in hunc modum, ut furtum definitur contrectatio rei alienæ invito domino. Quisquis ergo abjuravit proprium, utendo rebus ecclesiæ, vel monasterii, sine consensu prælati, facit furtum.

Locus à divisione, & partitione, cujus maxima est: ubi partes desunt, ibi totum non esse.

Hoc autem interest inter divisionem & partitionem, quia divisio formas complectitur sub genere positas, ut qui neque justus est, neq; fortis, neq; prudens, neq; temperatus, iccirco ne virtuosus quidem est. Partitio autem, rem propositam quasi in membra discerpit, ut quod neque fundum, neque tectum, neque parietes habet iccirco domus non est.

Ex interpretatione nominis, ut cui interpretatio non convenit, neque nomen convenit.

Hinc arguimus ex alicujus nominis vi ac potestate, ut: si regulares esse dicuntur, qui regulam ab Ecclesia approbatam solenniter voverunt, iam utique is desivit talis esse, qui proprietarius, aut inobediens, aut fornicator est.

A conjugatis, ut conjugatorum eandem esse naturam.

Sunt autem conjugata, quæ orta ab uno verbo variè mutantur, ut illud: potens potenter tormenta patietur: & illud: malos malè perdet: vel sic: si risus est gaudium, ergo ridere est gaudere.

A genere, ut quod generi non convenit, id omnibus sub eo constitutis denegari.

Est autem genus, quod de pluribus specie differentibus, in eo quod quid sit, prædicatur. non autem necesse est id à capite usque acc ersire, sed etiam citra, dummodo suprà sit, quod sumitur, magis quàm id, ad quod sumitur, ut in prima ad Corinthios sexto: An nescitis quia iniqui regnum Dei non possidebunt? nolite errare, neq; fornicarii, neq; adulteri, neq; ebriosi regnum Dei possidebunt.

A specie sic, quod singulis convenit, id etiam speciei, & in speciebus spectari generum proprietatem.

Species est quæ de pluribus solo numero differentibus dicitur, & in eo quod quid sit, prædicatur, & fit argentum, ut Iacob. 5. Helias homo erat similis nobis, passibilis, & oratione oravit

oravit ut non plueret super terram, & non pluit annos tres & menses sex: & rursum oravit, & cœlum dedit pluviam, & terra dedit fructum suum: orate igitur pro invicem ut salvemini, multum enim valet deprecatio justi assidua. Potest etiam à specie regressio fieri ad genus, ut ad Galatas 5. Testificor autem omni circumcidenti se, quoniam debitor est universæ legis faciendæ.

A similitudine, quia de similibus idem est judicium.

Similitudo est eadem rerum differentium qualitas, ut Iacob. 5. Ecce agricola expectat pretiosum fructum terræ, patienter ferens donec accipiat temporaneum & serotinum: patientes igitur estote & vos, & confirmate corda vestra, quoniam adventus Domini appropinquabit.

A differentibus, ut dissentium rerum diversum judiciū.

Differentia sunt, quorum rationes non sunt eædem, ut Iohan. 15. Iam non dicam vos servos, quia servus nescit quid faciat dominus, vos autem dixi amicos, quia omnia quæcunque audivi à patre meo, nota feci vobis.

A contrariis, ut contraria sibi convenire non posse.

Sumuntur autem contraria quatuor modis, aut ut adversa, sicut album & nigrum: aut privativè, ut justitia, injustitia: aut relativè, ut dominus, servus: aut negativè, ut videre, non videre. secundùm hunc locum argumentamur, ut ad Galatas capit. 5. Caro concupiscit adversus spiritum, spiritus autem adversus carnem, hæc enim sibi invicem adversantur: manifesta autem opera carnis, quę sunt fornicatio, immunditia, &c. fructus autem spiritus est charitas, modestia, continentia, castitas, &c.

A conjunctis, ut ex adjunctis adjuncta perpendi.

Conjuncta sunt, quæ finitimum locum obtinent, & hic locus magis ad conjecturam pertinet quàm probationem, ut cùm investigatur quid sit, aut evenerit, aut futurum sit, sive fieri possit: item quid ante rem, ut si apparatus, colloquia, locus, constitutum convivium, ut Hester 7. En lignum quod paraverat Mardocheo. Item, quid cum re, ut si strepitus, crepitus, umbræ, & ejusmodi, ut 1. Regum 19. Visusq; est Saul, configere David lancea in pariete, & declinavit David à facie Saulis, lancea autem cassò vulnere perlata est in parietem. Item quid post rem, ut si pallor, rubor, pavor, titubatio, & si qua alia signa perturbationis, & conscientiæ, quæ suspicionem movere possunt, ut gladius cruentus, ignis extinctus, & ejusmodi: ut 3. Reg. 3. Dixit autem mulier, cujus filius erat vivus, ad re-

gem: commota sunt quippe viscera ejus super filio suo: obsecro domine, da illi infantem vivum, & non moriatur: econtrario illa dicebat: nec mihi, nec tibi, sed dividatur.

Ab antecedentibus & consequentibus, ut posito antecedente comitari quod subsequitur: & perempto consequente, perimi quod antecedit. Iste locus differt à superiori: nam conjuncta non semper eveniunt, antecedentia autem & consequentia eveniunt semper: dicuntur enim hic consequentia, quæ rem necessario sequuntur, similiter antecedentia cohærent rei necessariò, neque tamen quæritur hic, quid tempore prius sit vel posterius, ut Genes. 38. Fornicata est Thamar nurus sua, & videtur uterus illius intumescere: antecedens est, conceptum: consequens, gravidam esse.

A repugnantibus, ut repugnantia sibi convenire non posse.

Repugnantia sunt, contrariorum consequentia, ideoque sibi cohærere non possunt, ut vigilare, dormire, contraria sunt: stertere dormitioni cohæret: ergo stertere & vigilare, repugnant.

A caussa efficiente, ut ubi caussa est, ibi effectum non deesse.

Caussa efficiens est, quæ rem præcedens efficit, non tempore, sed proprietate naturæ, ut sol diem: Vnde Iosue 10. Stetit itaque sol in medio cœli, & non festinavit occumbere spacio unius diei, igitur non fuit ante & postea tam longa dies.

Ab effectu, ut ubi effectus est, ibi caussam deesse non posse.

Effectus est, quod efficit caussa, ut Matth. 7. A fructibus eorum cognoscetis eos.

A majori sic: quod in re majori valet, valet in minore: & si majus adest, etiam id quod minus est, aderit.

Majoris comparatio fit, quoties id quod minus est, comparatur majori, ut Ioan. 15. Non est servus supra dominum: si me persecuti sunt, & vos persequentur.

A minori: ut quod in re minore valet, valet in majori: & si minus abest, etiam majus abesse.

Comparatio minoris est, quando res major confertur minori, ut ad Hebræos 9. Si enim sanguis hircorum & taurorum, & cinis vitulæ aspersus inquinatos sanctificat ad emundationē carnis, quanto magis sanguis Christi, qui per Spiritum sanctū semetipsum obtulit immaculatum Deo, emundavit conscientiam nostram ab operibus mortis, ad serviendum Deo viventi.

A pa-

A paribus: ut rerum parium idem esse judicium.

Paria dicuntur, quæ ejusdem conditionis sunt: hinc, ad Corinth. 9. Nunquid non habemus potestatem sororem mulierculam circumcidendi? sicut & cæteri Apostoli & fratres Domini, & Cephas? aut solus ego & Barnabas, non habemus potestatem hæc operandi?

Quæ verò extrinsecus loca assumuntur, hæc tanquam testimonia quædam sunt ad faciendum fidem, quæ sunt, ut Oracula, Autoritates, Confessa, vulgi opiniones, Sectæ, Pacta, Sententiæ, Iudicium, Consuetudo, Vsus, Leges. Oracula sunt à quodam divino numine prodita vaticinia. Autoritas est probabile dictum sapientis, vel alicujus famati viri atq; præstantis in arte sua. Confessa sunt, quæ ab aliquo extorquentur veritatis indagandæ caussa, ut Matth. 8. Et ecce clamaverunt dæmoniaci dicentes: quid nobis & tibi Iesu fili Dei, venisti huc ante tempus torquere nos. Vulgi opinio, est certa fama quæ omnibus videtur, unde illud Marci undecimo: Timemus populum, omnes enim habebant Ioannem quasi verè propheta esset. Secta est certæ disciplinæ alteri adversæ imitatio. Pacta sunt conventiones aliquarum partium in idem tendentium. Iudicium est, futurorum æqua cogitatio, ut Matth. 16. Facto vespere dicitis serenum erit, rubicundum est enim cœlum: & mane, hodie tempestas, rutilat enim triste cœlum. Hinc Proverb. 12. Cogitationes justorum judicia. Sententia est judicis voluntas verbo aut scriptis promulgata. Consuetudo est diuturnitas morum, consensu populi approbata. Vsus, est contrectatio rei: Lex, est sanctio præcipiens justa, & prohibens adversa.

Præterea quæ personis ac rebus attributa sunt, faciendæ fidei locos præstabunt. Attributa autem personæ, his versibus patent:

Nomen, natura, cum fortuna, studioque,
Personæ victus, habitus, casus, & affectus.

Quæ verò negotiis seu rebus attributa sunt, hoc metro patent

Quidnam, cur, quibus auxiliis, ubi, quomodo, quando.

Et ejusmodi plura loca sumuntur in arte, ex regulis & speciebus figuræ Q.

Sunt adhuc alia loca accidentalia, quibus animus auditoris movetur ad severitatem vel remissionem, ad odium vel benevolentiam, ad tristitiam vel lætitiam, quæ communiter sumuntur in hunc modum.

Ab autoritate exponendo, quantæ curæ res fuerit Deo ani-

BIBLIOTECA ON-LINE DE FILOSOFIA

gelis, prophetis, ecclesiæ majoribus, regibus, nationibus: senatui, legibus, civibus, viris sapientibus, & ejusmodi.

A relatione, eorum ad quos res pertinent, utrum ad superiores, vel inferiores, an ad pares.

A felicitate, scilicet invitandi, vel vitandi, vel difficultate eorundem.

A dissimilitudine, hujus ad alia.

A consilio, quia deliberatè, vel debita opera factum, narrando causas.

Ab exaggerando facinore, ut si sit nobile, regium, præclarum, mite, humanum: vel contra, crudele, tyrannicum, tetrum, nefarium, impium.

A non vulgari, quia singulare, ac rarum.

A comparatione, quia unum altero pejus, vel melius loco, tempore, modo.

A consequentia bonorum seu malorum, & eorum enumetione,

A demonstratione alicujus quod palam est, ut miraculi seu attributi.

A conversatione rei ad nos, vel nobis conjunctos si similia conjiceremus. Commiserationem etiam movemus consimilibus locis, ut:

A vi fortunæ perpessæ, vel patiendæ, etiam à quibus minimè decuit, auditori exemplo futuræ.

A tolerantia, alicujus magni, ac excelsi, ac fortis animi, patientisque malorum.

A deploratione, singulorum incommodorum breviter enumeratorum.

A convertentia, similis casus ad auditores, eorumque conjunctos.

Ab humanitate, erga alios communicatione.

A commendatione, cum precibus & observationibus.

Ab utilitate, referendo varia exinde commoda, ad Rempublicam, ad gloriam & exemplum auditorum, posteritatisque memoriam.

A confessione, cum lachrymis, gestibusque lamentabilibus, quasi deficientis præ dolore, ut in orationibus funebribus, & consimilibus sæpè convenit.

Ex his itaq; locis sumuntur probationes & improbationes, probationes in constructionem affirmativè vel negativè: improbationes, in confutationem alterutrius. Sed in probationibus considerandum est, an necessariò inferant vel probabiliter,

liter, universaliter vel particulariter, an constructivè vel destructivè, quæ omnia facillimè inveniuntur ex figura A, & T, & illarum multiplicatione per figuram Q: ut ad probandum istam: Iejunium esse bonum, assumimus ex figura A, in camera F, quia facit observatorem suum potentem adversus vitia & dæmones, juxta illud: Hoc genus dæmoniorum non ejicitur nisi in jejunio & oratione. Similiter per A, F, quia facit observatorem suum sapientem, juxta illud quod legitur de pueris Danielis, &c.

Improbationes autem sumuntur per modum oppositum, vel destructionem loci sive rationis, ut dicetur inferius. Præterea considerandum, quia probationum & improbationum quædam directæ, quæ arguunt à superioribus & prioribus: quædam indirectæ, quæ à posterioribus: quædam extraneæ, quæ per extraneum aliquod.

Quando autem oppositas nobis rationes diluere non possumus, tunc sumptis locis accidentalibus, illas variis modis eludimus, ut sequitur, videlicet:

Aggressione cujusque gravioris rei, ut cætera auditor vana credat.

Intermissione ostendendo nos transire rem brevitatis causa: & si tempus daretur, plenius satisfacturos.

Promissione solutionis, si postea multa dicamus, quorum multitudine auditorem obtundendo, intantum obruimus, ut promissæ solutionis immemor fiat.

Attenuatione, ostendēdo amplificādo fuisse impossibile id, quod oppositum est possibile, aut aliter dictum, factum & ejusmodi. Admonitione, qua adversarium si in eo argumento perseveret, ostendimus in varia pericula & inconvenientia casurum.

Quæstione, duorum vel plurium, ex quibus adversarius malè alterum electurus sit, vel cui respondere non possit.

Retorsivè, argumentorum in adversarios.

Illusione, si argumenta in risum resolvuntur.

Contemptione, illorum tanquam humilia, extra propositum, viris doctis indigna, & prætereunda.

Suspicione postremum, nam quæ improbare non possumus, figuratis suspicionibus aspergemus.

Quintò nunc & ultimò, de solutione dicendum erit, quæ duplex est: una respondens ad dubitabiles quæstiones, alia improbans ac dissolvens argumenta.

Solutiones per quas ad dubias quæstiones respondemus,

ex regulis & speciebus quæstionum sumere oportet, quemadmodum superius ostensum est, ubi de figura Q. locuti sumus, ubi docuimus qualiter ad unamquamque quæstionem respondendum sit. Sed hoc licet facilè sit cognoscere, non tamen facilè reperitur quid respondeatur.

Ad inveniendum itaq; quid ad quodvis quæsitum respondendum sit, hoc per sex modos fieri potest, qui sunt figura A. figura T. figura duplex, figura multiplex, subjecta & regulæ, vel juxta Raymundum applicando quæstionem per quatuordecim modos, ad artem, qui tamen sub his sex jam dictis continentur, & sunt isti, prima figura, secunda figura, tertia figura, quarta figura, tabula, evacuatio tertiæ figuræ, multiplicatio quartæ figuræ, mixtio principiorum & regularum, definitiones principiorum, species triangulorum, regulæ quæstionum, species regularum, novem subjecta, termini extranei, quos Raymundus concipit per centum formas, & in istis quatuordecim tota applicatio artis perficitur. Solutione autem quæstionis accepta, probatio ejus ab eisdem generibus ex quibus solutio sumitur, requirenda est, varia illatione, mixtione, alcēsu, descensu de principio in principium, de subjecto ad subjectum, de regula ad regulam, de figura ad figuram: & quoniā ex his probationibus & consequentibus novæ quæstiones nascuntur, oportebit illarum solutiones per suas regulas eodem modo reperire.

Solutionum verò ejusmodi, quædam directæ, quando responsio ipsa immediatè ex terminis hujus artis colligitur. Aliæ indirectæ, quando id quod pro responsione inventum est, non in arte explicatum est, sed secundum artis terminos reperitur & excogitatur. Exemplum primi modi est, ut si quæratur, quid est angelus, respondetur secundum regulam quidditatis per figuram A, sic, angelus est qui sua potentia agit, & sapientia cognoscit, nullo sensu imperante, vel objecto movēte. Sed per secundum modum inveniemus responsionem, continentem regulam quidditatis non expressè, ex his quæ in arte ponuntur, sed secundum ea comparatam, ut ex figura T, per angulos B & C. per angulum C. invenitur aliquid loco generis, in quo angelus cum alia re concordat, ut si dicatur, angelus est spiritus. Deinde per B. invenitur differentia, per divisionem illius quod loco generis inventum est, vel per separationem subjecti propositi, ab aliquo alio, quod sub eodem genere continetur, & emerget definitio talis, angelus est spiritus corpori non conjunctus. Similiter si quæratur utrum angelus possit creare, sec-

re, secundum primum modum responsio sumatur per A, & per secundum modum sumitur ex T, E, K, videlicet, secundum potestatem, principium, & minoritatem, ostendendo negationem quæstionis, quia ipsummet quod ex nihilo factum est, non potest nisi ex præjacente materia aliquid facere.

Quid est Deus? respondetur per mixtionem principiorum A, ex definitione B, applicata ad C. D, secundum primam speciem Q. C, sic: Deus est illa bonitas, quæ infinitè & æternaliter est ratio boni, quod agat bonum, infinitum & æternum.

Quid est angelus? respondetur per tertiam speciem Q. C. & per principia T, C, H, angelus illa creatura, quę est magis similis deo, vel respondetur per regulam Q. D. angelus est spiritus constans ex intellectu, memoria & voluntate, nullum habens appetitum ad corporis conjunctionem, & hæc ultima clausula sumitur per A, G, ad differentiam animæ rationalis.

Quid est anima? respondetur per T, G, est illa essentia quæ perficit corpus cum quo est conjuncta.

Quid est cœlum? respondetur per T, B, H, est illa substantia corporalis, quæ major est omnibus aliis.

Quid est substantia? respondetur per definitionem A, E, est ens per se naturaliter existens & agens.

Quid est corpus? respondetur per tertiam speciem Q. C, est substantia, in loco occupans locum.

Quid est accidens? respondetur per tertiam speciem Q. D, est instrumentum substantiale, quod per se existere non potest.

Quid est peccatum? respondetur per T, D, G, K, est accidens in subjecto, quod nullam similitudinem habet cum deo.

Vtrum peccator absolutus à sacerdote cum injuncta pœnitentia existens in bona voluntate satisfaciendi, sed postea mutet hanc voluntatem, negligens & omittens pœnitentiam, sit absolutus. Respondetur negativè per A, D, T, F, Q. E, quia facto medio, frangitur duratio formæ & finis, & principium non se potest habere ad finem, per lineam continuam, & destruitur influentia & refluentia absolutionis.

Vtrum facta pœnitentia à sacerdore injuncta, peccator sit absolutus à pœna & culpa. Respondetur per T, B, I, hoc modo, sumendo differentiam inter sensuale & intellectuale, si culpa est magna in anima, & pœnitentia levis in corpore ratione dissimilitudinis peccator non est absolutus à pœna, nec à culpa, sed si contritio & dolor in anima æquipollet culpæ, quamvis levis sit pœnitētia in corpore, ratione virtutis sa-

cramenti, liberatus est peccator à pœna & culpa: itidem si culpa sit levis in anima, & pœnitentia æquipollet in corpore liberatus est.

Argumentorum autem dissolutio tribus modis perficitur. Aut enim solvimus fallacias verborum, vel sententiarum ostendendo falsitatem argumenti, propter defectum, quem habet in forma, vel in materia, vel in distinctione, constructione, cooperatione, conjunctione, & reliquis ejusmodi.

Aut dissolvimus argumentum, ostendendo diversitatem subjectorum, principiorum, mediorum, causarum aut illis, vel illis, aliter vel aliter inesse, & aliter ad hæc vel illa referri, quod genus dissolutionis apud jurisconsultos maximè in usu est.

Aut dissolvimus argumentum, improbando ipsum, ostendendo ex aliis principiis, rebus necessariis, falsũ esse hoc quod concludit, vel dicit, vel hoc aut illud inconveniens sequi dissolvendo & improbando rationem argumenti & destruendo, ac improbando locum, ut quia falsus, vel malè dictus. Aut negando autorem, vel autoritatem, vel quia autori non est fides adhibenda, vel quia alia, vel majori autoritate repellitur. Aut afferendo aliam rationem potiorem, vel contrariam. Aut ostendendo aliquid inconveniens, quod sequatur ex eo, quod in argumento positum est. Aut excipiendo à generali aliquod speciale, ratione exceptionis adjectæ ostendendo differentiam vel similitudinem, vel causationem, vel effectionẽ, vel respectum, vel separationem aliquorum inter se, ex subjecto vel prædicato, vel modo cohærentiæ ex quorum distinctione, & contraria applicatione omnis improbatio & dissolutio componitur.

HÆC

HÆC EST TERTIA PARS PRINCIPALIS HORUM

Commentariorum, quæ est de universali dispositione, & applicatione artis, docens quomodo de subiecto aliquo vel qualicunque re, de qua sermonem facere volumus, per artem ipsam copiosè differendum sit, & hæc pars dividitur in quatuor partes, quarum prima est de ingressione: secunda, de deductione: tertia, de conclusione: quarta horum omnium tradit exempla: de quibus singulis nunc dicemus.

INgressio constat Exordio, Narratione, Divisione, hæc autem quoniam non satis doctè ex hac arte petitur, ideo qui velit, ad præcepta rhetorica se conferat.

Exordium ipsum quod principium est sermonis, conciliat auditores, animumq; ipsorum idoneum reddit ad audiendum faciens eos attentos, dociles, & benevolos, quanquam ad hæc ipsa etiam toto sermone oporteat conari.

Attentos reddimus auditores, si pollicemur nos de rebus magnis, novis, inusitatis dicturos etiam verbis excitantibus hortando auditores ut attentè audiant.

Benevolentiam captamus à nostra, ab auditorum, ab adversariorum persona, & à re ipsa, cum nostra sine arrogantia, cætera vero citra adulationem prudenter laudamus, item cùm inimicorum odium, inimicitiam, contemptum, & invidiam movemus, atque cum rem ita proponimus, ut ab eo quod odiunt, ad id quod diligunt auditorum animi traducantur.

Dociles verò reddimus auditores, quatenus summam rei de qua agimus, breviter complectimur, quæ pars in sermonibus thema, vel thesis, hoc est propositum, vel positum vocatur: verum hæc omnia, vel agimus manifestè, vel per insinuationem, dissimulando, occulta interjectione verborum, ad movendum benevolentiam auditorum.

Sumendum verò est omne exordium, ex intimis ipsius rei de qua agitur, ut propriè cohæreat cum narratione rei, & ex ipsa natum videatur, non vulgare, non commune, non nimis prolixum, non superfluis, vel nimium apparatis verbis compositum, nec affectatum, ne fidem derogent dicenti.

Præterea ut omnia rectè peragas, considerare oportet mo-

НАУКОВА БІБЛІОТЕКА ОНУ І.І. МЕЧНИКОВА

res auditorum, & coram quibus, quid, qualiter, qua audientium opinione, quo loco ac tempore, & secundum illorum rationes sermonem moderare, ac temperare.

Narratio ipsa, sive negotii, sive rei, sive lectionis, vel qualiscunque fuerit, brevis sit & clara, atque credibilis.

Brevis erit si nullo cursu, nullis ambagibus, sed solùm necessariis verbis rem explicemus, cavendo omnem reduplicationem, & repetitionem.

Clara erit, si qualitates rei propriis ac usitatis verbis, debita & accommodata pronunciatione, ut auditores facilè accipiant & intelligant, significemus.

Credibilis erit, si verisimilis, si ejus circumstantiæ, sicut natura rei vel negotii & auditorum opinio postulat, debite observentur.

Divisio est rerum de quibus dicturi sumus brevis enumeratio, ut certas res animo teneant auditores quibus dictis sciant sermonem esse completum, & hæc debet esse absoluta, pauca, subdistribuenda, ordinata.

Absoluta, ut nihil in ea desit, aut supersit, nullum assumendo verbum nisi necessarium.

Pauca, ut sola sine speciebus ita genera proponat, ut nec species tanquam dissimiles generi permisceat, nec supervacua assumens, vel in minutissima dividens: vel plura quam satis est membra faciens, in eandem obscuritatem incidat, cõtra quam divisio inventa est.

Subdistribuenda est, à generibus simpliciter expositis ad species, cùm id res ipsa postulat singulariter exequendas.

Ordinata, ut ita unaquæq; res prosequatur, quemadmodum per divisionem exposita est, vel quòd ultimo distribuantur, quæ auditor maximè optare videtur.

Qui autem secundum hanc artem, breviori vel leviori dispositione uti velit, is accepta materia de qua dicendum erit, primùm illam auditoribus proponat, & aliquo modorum deductionis prosequatur, aut certe cum re ipsa, mentio seu finalis caussa dicatur, aut impulsiva abjiciatur, vel si divisione quadam res proponenda sit, simul qua ratione, quo ordine dicendum sit proponatur, ut attenti & dociles fiant auditores: captando benevolentiam ex personis & rebus, per loca superius tradita.

Deductio artis est, qua ostenditur propositare, aut propositione, aut quæstione, vel oratione, quomodo sermones argumenta, probationes accipere & deducere debemus: ex quo elicimus

cimus duplicem deductionis cursum, scilicet sermocinativum, & argumentativum.

Itaque in deducendo aliquo subjecto, sive sit dictum, sive oratio, sive propositio, sive quæstio (dico enim hîc subjectum non solùm quod in propositione subjectum est, sed omne id circa quod versatur animus, quodq; est objectum intellectus, vel cogitationis, quocunque ejusmodi posito) diversimodè deduci potest.

Uno modo plano processu, ex ipsa arte, ordine principiorum servato, conjungendo vel separando subjecta, prædicata, modos, determinationes, tam subjectorum, quàm prædicatorum, & hoc vario modo, vel multiplicando unum terminum ad alium, respectu actionis, passionis, imitationis, alicujus principii, secundum figuram A vel T, faciendo commixtionem cũ pluribus & singulis terminis: variè commiscendo: vel per oppositum investigando, vel deducendo & variando secundum regulam aliquam aut quæstionem, commiscendo eis principia, secundum duplicem & multiplicem figuram, planè, vel relativè, vel secundum aliud quodvis inferendi genus. constructivè, vel destructivè.

Illud etiam notandum est, nunquam tractari aliquid, in quo non sit aliqua regula implicita, secundum quam dicatur id, quod dicendum est.

Cùm itaq; res aliqua pro subjecto suscepta, est per artem deducenda, sive dictio incomplexa, vel intentio aliqua, vel sententia à præclaro aliquo autore posita, vel aliter suscepta, sive sit aliud quodvis thema, de quo sermonem facere intẽdimus: possumus subjectum hoc deducere per prædicata absoluta & respectiva, faciendo illorum inter se, tum ad subjectum ipsum variam attributionem, aliquo verborum diversorum mediante, ut per est, inest, fit, facit, habet, dicitur, possibile est, necessarium est, & ejusmodi: qualia superius inter terminos extraneos ostendimus: activè vel passivè sumptis, multiplici ratione, vel in seipso, vel ad seipsum, vel à seipso, vel per seipsum, vel propter seipsum, vel secundum seipsum, vel in quantum est hoc, vel in hoc, vel cum hoc, ab hoc, & secundum hujusmodi mutationes, prout possunt accidere, aut ex una parte, aut ex diversis, per eadem verba, vel alia, ad idem vel ad aliud, vel ab alio deducendo, affirmativè, vel negativè, nominaliter vel verbaliter, discurrendo per principia, & regulas, & subjecta, secundum variationem de uno ad aliud, de generalib. ad minus generalia, & per cõtraria, ascendendo & descendẽdo, ut major fiat

multi-

HAVOR BIBLIOTEKA

multiplicatio,& varietas,mutatis nominibus verbis,& propositionibus per quæ discursus ejusmodi applicari potest. Et sicut procedimus in his secundum modum planum & simplicem, sic etiam procedere possumus secundum modum mixtum & multiplicem, multiplicando figuras varia commixtione terminorum.

Si verò per quæstiones & regulas rem ipsam deducere volumus,sive implicitè,sive explicitè,hoc secùdum aliquam quęstionem & regulam fieri potest: ut si de nomine non constet, primò quid nominis investigetur,deinde cum nomen explicatum est,vel per se constat, per quæstionem. Vtrum rem ipsam investigamus, discurrendo tunc per omnia quæ in figura A & T.ponuntur, per conveniens aut inconveniens, probãdo affirmationem vel negationem ejus quod propositum est, sumendo locos plurimos,ex figura T,quibus probamus rem esse,vel non esse.

Illud autem considerare oportet, nullam regulam secundũ se probare totam suam quæstionem, sine alterius commixtione: exempli gratia, si quæstio sit,utrum justitia est, responsio sumitur per T D, quia misericordia est,quæ est contraria justitiæ, jam emerget regula qualitatis, in qua similitudo contrarietasque consistit, soli enim qualitati aliquid est contrarium. Quod si respõsio sit per T E,quia deus est,qui est causa & principiũ justitiæ,emergit regula derivationis de quo, & erit quæstio,de quo est justitia,& secundum eundem modum,ex diversis responsionibus & probationibus,aliæ ulterius colliguntur: expeditis autem his, quæ ad Vtrum dici oporteat, proximum erit investigare per quæstionem quid, secundum omnes species suas,& sic deinceps per reliquas omnes quæstiones,in unaquaque quæstione,illum modum servando,qui de Vtrum exemplificatus est,& fiat transitus de omnibus & per omnia quæ sunt in figura A,& T,adhibendo etiam subjecta, vel propter similc,aut diversum,vel propter subjecti operationem,vel principia, sic enim subjecta ipsa in probationem veniunt, ut si de justitia dicatur,ostendamus justitiam esse in deo, in angelo, in homine, justitiam facere hoc vel illud apud deum, hominem, angelum,& ejusmodi,commiscendo & multiplicando per singulas figuras,& in singulis subjectis,secundum illorum conditiones,veritates,falsitates,possibilitates,impossibilitates,aut de esse rei, vel de quiditate,vel qualitate, & similibus,per mixtionem multiplicis figuræ.

Hoc etiam addendum est præter istos terminos, in quibus artis

artis hujus discursus consistit, posse undecunq; alios accipi, etiam alieniſſimos, vel quantumlibet multos, per quos eodem modo discurramus ad rationem quæstionum, & cum aliquid simpliciter dictum est,postea dicatur respectivè, vel adjunctivè,vel per oppositum,affirmativè vel negativè, & sicut procedimus secundum modum simplicem: sic etiam procedemus per multiplicem, commiscendo, & jungendo unum alteri, ad probandum,&multiplicandum,in quibus probationibus,tanquam similibus,prioribus,consequentibus principiis, caussis, effectibus, mediis, distinctionibus eorum quæ dicuntur, cum dissolutionibus argumentorum, & in singulis,sua multiplicatione ut monstratum est,adhibita.

Præterea, si quid alicubi, ab aliquo autore dictum, lectum, vel auditum memoriæ occurrit, simul recitetur, vel quantùm ad res,vel quantùm ad verba, ita enim latè diffundetur sermo in verba & allegationes similium, oppositorum, historiarum, sermonum, disceptationum, quæ omnia ita tractentur, ut non videatur à proposito recessum, & hoc maximè convenit & necessarium est apud Iurisconsultos.

Est alius deductionis modus, qui divisivus dicitur, sive sit propositionis,sive rei,sive utriusque,per omnes figuras, præcipuè per figuram Q implicitè vel explicitè illa suo modo deducens.

Itaque si complexum est ut propositio vel sententia aliqua, primò partes ejusdem,quæ per divisionem distinctæ sunt, breviter definiantur, & earum quiditas explicetur: & singulæ earum tractentur per quæstiones,& principia, & per subjecta, ut in priori deductionis genere ostensum est.

Convenit etiam in hoc genere divisivo,quod quidem in sacris literis explicandis sæpè usuvenit,ut distinctio fiat per trãslationes,& allegorias,ad eliciendos diversos sensus, ex ipso sermone, & tunc in uno quoque sensu deducere rem secundum processum suprà notatum,& hoc particulatim per singula mẽbra,tum etiam commixtim in tota propositione. Exemplum ejus, ut si pro Hierusalem accipimus civitatem ipsam vel animam vel ecclesiam militantem,vel triumphantem:similiter in Sacris literis,per aquas accipimus populum,vel gentes,vel animam,vel cælum aqueum, vel elementum, & sic de similibus, prout apud theologos juxta quatuor exponendi genera hoc in usu est.

Accedit ad hæc alius quidam deducendi modus, utputa quando una propositio vel res deducitur per aliam, ut si justitia sit

tia sit pro subjecto, & deducatur per hunc versiculum: Arma virumq; cano: Dicamus justitia armari hominem contra vitia & tentationes, & per justitiam reddi virilem animum, ne sensuũ illecebris muliebribusque affectibus succumbat, & hominem propter justitiam acquirere sibi perpetuam laudem & gloriã, & ab omnibus laudari & decantari ad posteros, in bonorum exemplum. Simili ratione sit sapientia pro subjecto, & deducatur per illum versiculum: O regina novam cui condere Iuppiter urbem: Dicamus itaq; sapientiam reginam & novam, & non senescentem, & illam condere urbem, videlicet ecclesiam, ad quæ nobis occurrunt tunc dicta Salomonis: vocantis eam mulierem adolescentiæ nostræ, & ipsam ædificasse sibi domũ, septem excidisse columnas, & in hunc modum plura.

Ex his quæ jam dicta sunt, satis patet ordo deductionis: sed hoc observandum est, ut ordinem commutemus commiscendo figuras, & hinc inde ex una figura transiliendo in aliam, prout ornatus vel necessitas postulabit, unam regulam ex alia trahendo, sic tamen ut primùm simplicia tractentur, antequã ad composita deveniatur: deinde verò permixtim: modò de tota re simul disseratur, modò de singulis partibus, multitudine locorum essentialium & accidentalium, probationum, improbationum, demonstrationum, solutionum & ejusmodi, quæ suprà dicta sunt, adducendo substantialia prædicata & principalia, esse, essentiæ, actus, formæ, potentiæ, & cætera quæ in figura A. & T. includuntur.

Apud oratores deductio orationis in confirmationem & confutationem distributa est, in quibus tota vincendi spes ratioque persuadendi consistit.

Confirmatio, est propositæ narrationis approbatio, secundum distributorum membrorum expositionem, secundum modum argumentandi ex locis & mediis superiùs traditum.

Confutatio, ex eisdem sumitur ex quibus confirmatio, nam contrariorum eadem est disciplina, & hæc fit sicut docuimus superiùs, de argumentorum dissolutionibus.

Sciendum insuper, quoniam in omni materia, vel ethica, vel politica, vel theologica, tria occurrunt causarum genera.

Demonstrativum, quod tribuitur in alicujus laudem aut vituperationem.

Deliberativum, ad suadendum vel dissuadendum.

Iudiciale, quod positum in controversia, habet accusationem aut petitionem cum defensione.

Præterea

Præterea hæc genera sæpè mixtim agenda occurrunt, sæpè etiam, & si non cum multis fiat consultatio, vel apud tribunal, tamen ab una persona omnia hæc genera veniunt agenda, ut in prædicatione verbi divini, concionator ipse sit actor, populus tanquam reus, conscientia judex, aut unus ipse suppleat omnium suffragiorum vota.

Conclusio est ultima pars totius orationis, & sermonis terminus, auditoris memoriam reficiens, & animum ejus commovens, & potest fieri tribus modis.

Vel potissimo aliquo argumento, in quo totum robur sermonis consistat, atque ita concludatur sermo.

Vel fiat per enumerationem, ordine colligendo & componendo, quibus de rebus verba fecerimus: & hæc debet esse brevis, ut rememoretur, non reintegretur, nec ab exordio vel lectione, sed secundum divisionem, ejus sumatur initium.

Vel amplificatione utendum est, movendo animos repentes, & sedando commotos, quod fit per loca communia superiùs narrata: præterea secundum diversos modos differendi diversos fines inferendo, utputa in theologicis, ad finem æternitatis & omnipotentiæ: in jure, quod æquum, bonum & utile: in oratoria, quod deceat, delectet: in mathematicis, quod maximè perspectibile est: in sermonibus devotionalibus, ad suspiria, lachrymas, vel voluptatem, aut charitatem Dei, angelorũ, sanctorum, & ecclesiæ, aut amorem proximi, aut parentum, fratrum, conjugum, liberorum, familiarium, prælatorum, officiorum divinorum: aut honestatem, ut virtutum, maximè earum, quæ ad communitionem hominum, & liberalitatem, ac mandatorum alienationem, & conscientiarum serenationem valent: aut ad decorem, transferendo sensibilia ad intelligibilia, & divina ad mentem, & vitam angelicam, & similia, cohortando auditores ad ea retinenda, & in eos à quibus hæc violata sunt incitando odium, & invidiam, demùm commovendo miserationem. Hæc omnia multiplicando, probando, amplificando, per omnes artis partes, secundum duplicem & multiplicem figuram, atque ita concludendo sermonem, quemadmodum nunc per exempla ostendetur.

Reliquum igitur nunc est, ut exemplis quibusdam ostendamus, ipsius dispositionis ac applicationis modum, secundum præcepta ea, quæ in præcedentibus tradita sunt. Primum itaq; exemplum sit, quale Andreas Canterius tradidit secundum planam ac simplicem deductionem. Sit itaque Iejunium pro subjecto, atque hoc deducamus primò per figuram A.

De Ie-

HAVE BASILIOTEKA OJCÓW DOMINIKANÓW

De Iejunio habiturus sermonem, ab hoc evangelico verbo exordiar: Venient dies cum auferetur sponsus à filiis nuptiarũ & tunc jejunabunt. Quo verbo intelligimus palàm, apostolis, qui tunc præsentes demonstrabantur, & per eos, toti ecclesiæ Christianæ, constitutum imperatumque esse à domino nostro Iesũ Christo ipsum jejunium: sic enim & alio loco legimus: Quod vobis dico omnibus dico: vigilate. Quis igitur hoc evãgelico atq; dominico præcepto monitus, non studeat jejunare, ut ad æternam, quæ jejunantibus promittitur, saturitatem perveniat? dicente domino: Beati qui nunc esuritis, & cætera. cum perspexerit eam virtutum copiam, quæ in jejunio collata est, & quæ in jejunio perficiuntur, & quàm rectè ordinatum ac conditionatum est. Est enim jejunium abstinentia cibi & potus, quæ quidem abstinentia ea abstrahit, quæ carnis sunt, ut conservet ea quæ spiritus sunt, & faciat observatorem suum seipso sublimiorem, ac ex corporali reddat spiritualem. Ideò inquit apostolus: Debitores sumus non carni, non ut secundum carnem vivamus, sed spiritui: si ergo spiritu vivimus spiritu & ambulemus: qui enim secundum carnem vixerit, morietur.

Hinc est quòd jejunium unit hominem cum Deo: nam & Deus spiritus est, & qui adhæret Deo unus spiritus efficitur cũ Deo: jejunium autem quo quispiam Deo unitur, unum esse oportet, non divisum, sed omnibus ex suis partibus compositũ, cujus integritatem nulla divisio quassaverit, ut scilicet sicut corpus jejunat ab escis, ita anima à peccatis: sic totus homo ab omnibus concupiscentiis suis inordinatis jejunet: capillus à superfluo cultu jejunet, oculus ab inani visu, & aures à pravorum verborum auditu, à voluptuosis olfactibus nares, & lingua non ab escis solùm & saporum delectamentis, sed & ab omni sermone inani & verbo otioso jejunet. Excedat à corde omne impium fomentum, invidia, & avaritia, & omnis mala libido, hoc enim cordis est jejuniũ: non tangat manus illicita, non proficiscantur pedes in scandalum, sic enim & manus, & pedes jejunabunt, hæc enim omnia collectione & integritate sua jejunii constituunt unitatem atque perfectionem.

Quæ itaque ad jejunii requiruntur perfectionem, si unum eorundem fecerit, non dicitur rectè esse jejunatum, quod paucis verbis Esaias significat inquiens: Non est hoc jejunium cõtorquere quasi in circulo caput, sed solve colligationes impietatis, restitue injusta, misericordiam fac in pauperes, &c Solum enim quod perfectum est, hoc Deo gratum est, quoniam ipse perfectus: unde illud Matthæi secundo: Perfecti estote, &c. &

Leutici

Levitici 19. Sancti estote, quoniam ego sanctus sum, & alibi: Non offeretis mihi morbidum, nec mutilatum, &c.

Omnibus itaq; amplectendum est jejunium, tanquam cœleste ac spirituale bonum. Sed non dicitur jejunium bonum, nisi bene fiat. Quid enim bonitas nisi communicatio: bene itaque jejunat, qui escas quas sibimet abstrahit, pauperibus largitur, non qui velut exactor, tunc quando jejunat, pauperes affligit, debitoribus suis tunc maximè est infestus, quod apud Esaiam legimus: die jejunii apparet voluntas in molestandis debitoribus vestris, tum adjicit: est hoc jejunium quod elegi, frange famelico panem tuum, vagos & inopes recipe in domũ tuam, &c. Quæ bonitas nisi jejunio accesserit, non erit jejunium bonum, si autem jejunium non sit bonum, non erit Deo gratum, qui nihil præcipit nec acceptum habet, nisi bonum, quoniam ab eo omne bonum manat, & eo genere gratias sibi refundi jubet.

Magnum est jejunium abstinere ab iniquitatibus, quia magna est iniquitatum multitudo, magna etiam adversus hominem ipsarum pugna atque militia: ut eò major sit in jejunio laus, constrepentibus undique tot hostibus, his quidem palàm, illis per insidias, ut apud prophetam legimus: Domine quid multiplicati sunt inimici mei. & alibi: Circumdederunt me sicut apes: & ex hoc jejunium illud majus est, quoniam ad animam pertinet: aliud verò ad corpus, & ad escas, anima autem plus est quàm corpus, & peccatum plus quàm esca, imò multò pretiosior est anima corpore.

In jejunio etiam oportet esse perseverantiã, juxta sacrum illud proverbium: Qui perseverârit usque in finem, hic salvus erit: & qui legitimè certaverit, hic coronabitur. Hinc Moyses accepturus præcepta, quadraginta dierum jejunium continuavit, non manducans panem, neque vinum bibens. Multa alia afferre perseverantiæ jejunii exempla possem, quæ missa facio. Hæc igitur perseverantia si desit à jejunio, ut in aliis virtutibus, laudem evacuat, minuitque meritum, & perdit præmium.

Facit autem jejunium possessorem suum potentem, ad dominandum imperandumque suis concupiscentiis illicitis: sic & econtrario dimissio jejunii impotentem hominem facit, hinc Salvator ait: Hoc genus dæmoniorum non ejicitur nisi jejunio & oratione. & Apostolus præcipit: Abstinete à vino in quo est luxuria. & Ieremias: Venter mero æstuans, spumat in libidinem. Hoc in Loth ostensum est, qui propter ebrietatem

commisit incestum, hoc in Holoferne, qui exarsit in amorem Iudith, caputque & vitam amisit.

Tribuit jejunium sapientiam, & divinam & humanam, aut certè disponit ad illam: unde illud Proverbium: Pinguis venter: macer intellectus: Hoc patet primò de Moyse, qui jejunando divinam scientiam & artes complexus est: Iejunando Helias curru igneo evectus est: Item Daniel & cæteri tres pueri jejunantes scientiam adepti sunt: & Apostoli jejunantes receperunt Spiritum sanctum: Ioannes jejunando in insula Pathmos, revelationes accepit secretissimas.

Iejunium oportebit esse voluntarium: ipsa enim cibi abstinentia, nisi animæ electione fiat, nullam in se habet virtutem: hinc legitur, dominum Iesum Spiritu sancto intrasse desertum.

Iejunium virtuosum est, si ab homine virili fortiter sustineatur: hinc ad Hebræos 11. legimus, quomodo sancti in cavernis terræ, nuditatem, miseriam, & jejunium viriliter sustinuerunt.

In veritate autem jejunare oportet, non in simulatione, unde Dominus in Evangelio: Nolite fieri, cum jejunatis, sicut hypocritæ tristes, &c. & ergo jejunii præmium non habebunt, & cætera, unde: væ vobis scribis & pharisæis.

Gloriam nullam præstat jejunium, nisi honestæ rei causa suscipiatur, ut si pro criminum ignominia: non enim est pro superstitione jejunandum, nec pro inani gloria, unde illud: tu autem, cùm jejunas, unge caput tuum, & faciem tuam lava.

Per figuram T. deinceps hoc modo jejunium deducatur.

Iejunium differt inter se, nam aliud spirituale, aliud corporale: quæ utraque in unitate & perfectione jejunii requiruntur, ut unum alterius utatur suffragio, nam corporale sine spirituali vacuum est, spirituale sine corporali sæpè difficilius observatur. Facit etiam jejunium homines differre à bestiis, quæ suo appetitu ducuntur, ut neque in cibo, neque in potu sibi temperamentum ponant, neque ab alia ulla voluptate, cùm delectabilia præsentia objecta habent. Neque potest homo rectè homo dici, si tunc solùm jejunet, cùm istis caret, & non potiùs in ipsâ abundantia modum sibi ponat: ut de David opulento rege, legimus, qui inter epulas regias sibi positas, cinerem, tanquam panem manducabat, & poculum cum fletu miscebat.

Sicut homo per jejunium discernitur à bestiis, ita conjungitur

gitur angelis, & aliquid majus in se habens quàm angeli: quoniam cibi potusque abstinentia angelis per naturam inest, quod nullo corpore induti, nullo fomento corporali utuntur, homo autem qui incorruptibili corpore spiritalem vitam meditationemque suscipit, potest angelus vel similis esse, vel major, angelicam in eo imitatus puritatem, actione virtuosa.

Sicut angelis bonis jejunium concordare facit jejunantem, ita malos dæmones expugnat & fugat, quos crapula libidoq; improbi janitores in atrium mortale hominis admiserunt. Vnde Salvator ait: Hoc genus dæmoniorum non ejicitur nisi in jejunio, & oratione. Sic de Iuda legimus, quod post buccellam intravit in eum Satanas, videlicet quasi crapulæ sequax.

Iejunio autem multiplex constituere possumus principiū: nam in lege justitiæ, ante peccatum, institutum est, ut esset prohibitione lex, observantia meritum: præcipit enim dominus, ne de ligno scientiæ boni & mali comederent. Institutum est post peccatum in pœnam dicente domino: in sudore vultus tui vescēris pane tuo, quo sæpè fraudaberis, &c. similiter quadragesimale jejunium invenimus in Moyse, in Helia, in Esdra, in Iudaica observantia, item in Christo, in Apostolis, in Pontificibus, in sanctis patribus institutum.

Iejunium est medium, conjungens in homine ea, quæ inter se frequenti pugna certant, animam scilicet & corpus, ut inquit Apostolus: Caro concupiscit adversus spiritum, &c. quare nisi jejunio compescatur, sub spiritus imperio difficilè continebitur: quod Sapiens in Parabolis innuit, dicens: Qui delicatè nutrit servum suum, inveniet eum contumacem.

Finis jejunii est, ut corporis affectus supprimi possint, ut animus non impeditus delectatione crapulæ, liberior sit ad suum officium exercendum.

Similiter hic aliqua invenienda de ultimo triangulo.

Per figuram autem Q. deducimus jejunium, quærendo de eo per diversas quæstiones & diversimodè: utrum jejunium est bonum, utrum bonum sit jejunare, quid est jejunium, quid est in jejunio, & in quibus est, quid operatur jejunium in homine, quis tenetur jejunare, quis non, de quo est jejunandum, quare institutum jejunium, quale debet esse jejunium, quantum debet esse, quando jejunandum, ubi jejunandum, ubi fuis

BAYERISCHE STAATSBIBLIOTHEK MÜNCHEN

institutum jejunium, à quo fuit institutum, quomodo jejunandum, cui jejunandum, quotuplex est jejunium, quoties est jejunandum: & sic de similibus, accipiendo solutiones quæstionum ejusmodi secundum regulas suas miscendo figuram A & T, ut suprà docuimus.

Alterum nunc exemplum esto, quod ponit ipse Raymundus in sua Rhetorica.

Socrates ille philosophorum princeps facilè, & pater omnium, adolescentem quendam ingenua & liberali forma præditum intuens, cùm is quidem tacitus diutulè astaret: quin, inquit, loquere age ut te videam ô adolescens: scilicet super animo & oratione magis, quàm specie exteriori judicandum ratus. Arque equidem nunc quoque haud aliter censeo excellentiam tuam doctor egregie, seu potiùs omnes vos qui adestis, unus enim pro omnibus locutus est: velle animi ingeniolique mei ex oratione periculum facere. Et equidem tametsi nunc vereor, ut expectationi vestræ parum satisfaciam tamen quia non possum hoc onus dicendi honestè aversari, in eum enim ultrò dicendi campum, ut Gorgiano more, quacunque de re velletis, dicturum sponsonderim, nec mihi nunc pedem retrò licet referre, quippe galeatum serò duelli pœnitet. Esto igitur, quòd mihi excellentia tua proposuit, dictionis hujus thema, ex media philosophorum ac dialecticorum schola depromptum: Accidentia conferunt magnam partem, in eo, quod quid est. Et quoniam non brevitate dialectica, quin oratorio syrmate propositionem hanc tractare cõtendimus: primum omnium dispiciamus, sintne accidentia, & quid sint: deinde quid sibi velit hoc, quod quid est: ac postremò, quomodo magnam partem accidentia in eo quod quid est, conferant. Esse accidentia, quodammodo, sed non similiter tradunt philosophi, id quod accidentis pervulgata dictio declarat: quippe accidens est, quod potest adesse vel abesse præter subjecti corruptionem. Nimirum igitur, esse accidentium à subjecto dependet, ita sanè, ut absque subjecto omninò quidem non sint: cujus ratio est, quia sunt in alio, & non quidem ut pars. Impossibile est tamen ipsa esse absque eo, in quo sunt: commensurantur igitur subjecto, & subjecti numerositate numerantur. Sic nempe hæc albedo & hæc triangularitas sunt, quatenus hoc aut hoc, cui insunt, subjectum permanet: simulque cum eo, ut ita dixerim, adolescunt & senescunt, & intereunt, & locum mutant, & circumscribuntur, & peregrinantur, & sedent, & complicantur. Atque ad hunc quoq;

quoq; modum sæpenumero invicem cedunt: scilicet calore pulso frigus admittitur: & calamitosam paternitatem orbitas excipit: & dulce olim conjugium, tristi viduitate mutatur. Iam verò ex his quæ de accidente dicta sunt, in quod quid est, quid aut cujusmodi sit, patére arbitor: non semel enim subjecti mentionem fecimus, cui, quantum, &, ut ita loquar, entitatis ratio propriè convenit, ut quod suæ entitatis robore accidentia sustinet & fulcit atq; sustentat: quippe à substando haud dubiũ substantiæ nomẽ deductum est: & prima quidem substantia, quæ principaliter & maximè substare dicitur. Hoc itaq; quod substat, ex his quæ ei accidunt, persæpè cognoscitur: siquidem substantia intelligibilis est, accidentia ferè sensibilia, quæ sensibus interioribus exterioribusque percipiuntur. Vt autem sensus nostri sunt intellectus: sic ea quoque, quæ sensibus percipiuntur, ministerio quodam ad ejus cognitionem, quod intelligibile est, quasi manu ducunt. Enimverò ut multiplex est accidentium varietas, sic multiplex quoque ad cognitionem ejus, quod quid est, insinuatio. Hanc autem accidentium varietatem novem philosophi distinxère capitibus, quæ principia seu prædicamenta appellant: mirumque illud est in tanta ipsorum varietate, summam ad hoc esse concordiam, & asperrimas rursum inimicitias: nam ut verbi gratia dicamus, calor & frigus conveniunt quidem maximè, nam sub eodem sunt genere qualitatis: & maximè quoque discrepant, nam mutuò se expellunt, neque invicem se compatiuntur, capitaliusque omninò est inter accidentia principalia seu extrema dissidium: nam media quanquam utrumque non participant, tamen atrociter invicem confligunt. Omninò verò ut in præliando, quod efficacius est, alterum vincit atque expugnat, inque ejus locum succedit: at ubi æquo Marte pugnatur, longius est certamen: Sic sanè in iis quæ ex contrariis composita sunt, assidua est belligeratio, & lis illa Platonica, donec mistum solvatur, & compositio ea labefactetur. Sunt autem hæc quæ diximus hactenus vulgò quoq; philosophantiũ notoria, & quæ scholarum omnium (si quidem sentiant) parietes & tabulata percallent. At (si quidem libet altius audire, & dignitatibus vestris accõmodatius) alia ratione hanc ipsam propositionem pertractemus. Accidentia nunc itaque libet appellare, omnia quæ extra Deum sunt, & quę Deus non sunt: solum autem Deum id quod quid est. Atque ne id novè aut affectatè nimium dicere videamur, Dei ad Moysen loquentis unum afferatur verbum: Interrogavit Moyses Dominum,

quinam esset, & quod haberet nomen. Ille autem, ego, inquit, sum qui sum: sic loquere filiis Israël, qui est, misit me, propterea quod quid est, bonum hoc esse necesse est. solus autem Deus bonus, solus igitur Deus est, qui ergo non sunt Deus, haud inepte hac consideratione accidentia dicemus. Sed bonitas creata est illius increatæ bonitatis velut umbra quædam. Nempe illa immensa est atq; æterna: hæc autem finibus certis circumscripta, & temporis angustiis inclusa. Potest illa divina quidem bonitas absque mundana subsistere, mundana autem absque divina nequaquam. Atque hæc testatur Simonides ille noster, cùm ait: Aperiente te manum tuam, omnia implebuntur bonitate. Iam verò cognitio & industria, quæ omnibus quidem rebus aliqua quodammodo inest, his siquidem clarius, illis autem obscurius: Similiterq; ardor & studium sui, aut rerum similium, etsi conveniētium omnia hæc sunt ex cognitione amoreque divino expressa, sed adeò sanè longè, ut respectu lucis illius, quæ solem vincit, & amoris flagrantis tenebræ cimeriæ, & gelu glaciale, possunt appellari. Quid dicam de virtute, quæcunque ea rebus inest, nisi divina sit virtute fulcita, nonne omnis fragilis est & caduca? Fallaces verò rerum cōditiones, & instabiles (ut ita loquar) status, quis non videt, nisi qui sciens ac volens, quocunque se vertat, corporis oculos claudit? O vanas hominum spes, ò desideria cæca, qui inter tantam tamque insignem rerum omnium fragilitatem gloriæ student, qui in his, quæ dixi, accidentibus firmamenti aliquid collocant, & non potius in eo qui est. Adstruit ille ædes marmore Pario, & summo auro lacunaria obducit: excavat alius montes, & abdita inde eruit metalla: alius agris atque hortis colendis studet: & frequentius alius cogit armenta, multò verò magis plerique hominibus sub potestatem suam redigendis incumbunt, & nec suo, nec alieno, dum id efficiant, sanguini parcunt. quod si quis est animo paulò erectiore, sidera contemplatur, aut intelligentias quas appellant, investigat. Sed non est studiorum fructus, si quis in eo subsistit: quin majus fuerit operæpretium, in ejus, qui est, cognitionem pergere, ex accidentium horum contemplatione: magnam quippe partem conferunt in eo quod quid est, hoc est, ad ejus quod est cognitionem. Insensibilia enim Dei (ut ait Paulus ad Romanos) à creatura mundi, per ea quæ facta sunt, intellecta conspiciuntur: scilicet domorum atque turrium præsidia, quibus civitates privatim publicèque firmantur, Deum rerum omnium ostendunt præsidem esse, monstrantque

strantque tutorem: quippe si quid in his præsidii est, quæ manus fabrefecit humana, quanto magis in eo qui ipsas hominum fabricatus est manus. Rectè igitur Propheta ille Psalmographus: Nisi, inquit, Dominus ædificaverit domum, in vanum laboraverunt, &c. Quòd si ab iis, quæ artificio constant, ad naturam magis libet accedere, per omnes gradus offendemus, aliqua eorum quæ nos in ejus, qui est, cognitionem adducant, scilicet (ut verbi gratia aliqua attingamus) inexhaustæ fontium scaturigines indeficientem nos credere monent Dei bonitatem, quæ assidua largitione nihil minuitur, aut evacuatur: ceu fontes perpetua aquarum emanatione non deficiunt unquam, neque siccantur. Terræ verò ipsius Latitudo, seu amplissima dixerim cœli capacitas, immensam Dei imaginem testatur. Iam verò perpetua hæc elementorum inventa, minimè senescentem Dei indicat æternitatem. Quid innumeræ arborum & plantarum vires, vimne Dei omnipotentem approbant? Mirum herclè si Medici ex harum contemplatione, impositione divinæ admirationis non rapiuntur. Alia verò multò luculentius, cum qui est nobis ostendunt, nempe formicæ, apes, feles, canes, milleque hujus generis, industria sibi ingenita, creatoris sapientiam, quanquam muta, prædicare videntur. Hinc Salomon: Nunquid non sapientia clamitat in summis excelsisque verticibus? Rursus alia quoque affectibus, divini animi quasdam exhibent notas, pugnant quippe pro catulis, & conjugia sua particularia defendunt. virtutes autem divinas nullum animal tam clarè exprimit, quàm homo: in eo enim justitia, misericordia, prudentia: ita quidem, ut si semet homo sedulò contempletur, possit bonam, magnamque partem cognitionis ejus qui est, ex sui ipsius consideratione venari. Nec mirum: est enim ad imaginem & similitudinem Dei factus, sive enim inferiora se, sive semetipsum homo miretur, abundè inveniet, quibus in ejus, qui est, cognitionem aliquam adducatur. Quod si suspiciat, & in ea quæ supra se sunt, oculorum, mentisque aciem dirigat, papæ quantò insignius eum qui est cognoscet: Cœli enim enarrant gloriam Dei. Et certè veritatis divinæ, haud usquam alibi tam clara sunt, quàm in cœlo documenta: ubi stellæ etiam quæ errones appellantur, minimè errant, sed lege certissima oriuntur & occidunt. Igitur, is qui mihi sæpè vocandus ad partes, David Propheta ait: Sol cognovit occasum suum. Denique si daretur nobis angelos penitus cognoscere, ubi omni perspicacitate Dei gloriam intueremur, sunt

enim ceu speculæ certissima, nulli obnoxia corruptioni, quæ divinitatis assidua sui contemplatione nitidissimè expolivit. Sed jam quidem diutius ac propositum fuit, in accidentium serie immoratus sum, & multò tamen minus quàm res ipsa postulat: nullus enim dicendi finis esset, si quis velit, quæ in rebus sunt, divinitatis imagines singulas prosequi. Et omnino auctore Dionysio, de rebus sacris perfectissimè loquendum est. Ergò postquam accidentia magnam partem conferre in eo quod quid est, monstravimus, idemq; & mathematicè & theologicè fieri admonuimus, nunc quæ in eandem sententiam ex medicis atque jurisconsultis dici possent, consultò omittimus, tum quòd ex his, quæ dicta sunt, plæraque horum trahuntur, tum ne ad clepsydram, quod ajunt, declamantes, novum ab integro sermonem ordiamur.

Vno autem longiori exemplo hanc artem planiorem faciemus.

Sit itaq, hoc pro themate: Spiritus Domini replevit orbem terrarum. Pro deductione hujus aliorumq; similium sequens processus advertatur, incipiendo per regulam entitatis, ac quæstionem Vtrum, ostendendo primò spiritum ipsum esse, hoc modo, ut sequitur, exordiendo:

Summus & omnium opifex Deus, æternitatis Dominus, fons & origo justitiæ, qui omnia fecit & creavit, non in tempore, neque ex tempore, sed ex opere suo, simul etiam temporis dedit initium: quod quidem opus extra suam naturam & substantiam non est, quoniam non est mundus Deus, neq; aliquid Dei. Deus enim ante mundi hujus opificium credi aut intelligi non potest, aut otiosus fuisse, aut solus, quasi per hoc æternitatis tempus, à tot æternis sæculis ab ipsa æternitate, commentatus sit, quid se facere oporteret. Est ergo in Deo actio quædam intrinseca, naturæ & substantiæ consors, quam rectè Spiritum Domini nominamus. Neque enim sine spiritu Deum esse fieri potest, si Deus ipse est, & si aliqua suarum dignitatum in ipso verè esse, dici possit: esse enim divinum cùm sit natura bonum, & ipsamet bonitas, incommunicabilis esse non potest: est enim bonitas, ratione cujus, bonum est bonum, & bonum agit bonum, quod nisi in communicatione esse non potest: itaq; quomodo ab æterno Deum bonum esse dicemus, qui nullum bonum agat, nullum spiret bonum spiritum, sicut ipse est bonus? nam & Deus spiritus est, & ex seipso spiritum spirat, non separatum, quia ex sua substantia est, quæ indivisibilis est, sed sibi conjunctum, atque ejusdem secum immēsitatis & æternitatis.

Nam

Nam si infinitus est Deus, infinitum aliquod esse producit: hoc autem non est mundus, qui certos suos habet terminos, certa sua latitudine ac longitudine descriptos: similiter non terra, nō ignis, non aliquid horum, quæ conspicimus, siderum, hæc enim omnia finita sunt: sed Deus ipse, æquè infinitum, æquè immensum, incomprehensibilemque spiritum ex se spirat, spiratione veniente ex illa immensitate, & tamen ab illa immensitate non egrediente: quoniam & ille immensitatis capax. Etiam cùm æternus sit Deus, & otiosus vel solus esse non possit, bonitas facit æqualem sibi ac coæternum producere, immensitas ipsa, æternitasque concedunt, ab æterno autem mundus non fuit: spiritum ergo habet Deus, qui ut est immensitate coæqualis, ita duratione coæternus.

Sed posset quis opponere istis, si Deus est immensus & infinitus: ergo nihil producit à se ab æterno realiter distinctum, sed ab æterno solus Deus. Item cùm nullum æternum sit principiatum, spiritus verò principiatus: igitur non æternus. Probatur hoc: nā quidquid aliud producit, prius est eo quod producitur: sive fiat necessitate aut voluntate, vel natura, sive etiā sit extra naturam, etiam si productum sit idem cum producente in substantia, ut rivus cum fonte, tamen ille natura prior est: similiter in productione voluntatis, electio præcedit actum: ergo coæternus Deo spiritus esse non potest.

Sed hujusmodi oppositionem dissolvit ipsa differentia seu diversitas actionum Dei, aliarumq; rerum agentium: nam omnes operationes divinæ, secundum modum operationum divinarum, simul sunt cum ipso esse divino: quidquid enim per suam formam agit, & quod ipsum pura forma est, neque prius est & agit, neq; prius agit hoc quàm illud, cùm simul omne suum esse complectitur propter immensitatem omnem durationem suam propter æternitatem, omnem etiam actum suum propter omnipotentiam: spiritus aliquis divinus est, & divina spiratione ac substantia coessentialis, ipse idemque & unus cum Deo, ut non possit ab eo sejungi, præterquam per eū modum qui relationis est: sic enim à Deo differt ipse Deus. Possibile itaque est cum Deo spiritum esse, qui sit sua sapientia, aut certè suæ sapientiæ amor, idem ipse Deus, virtus Dei manans ex potentia, veritas ex sapientia, gloria ex bonitate, ut sicut in ipso Deo sit simplicitas extra omnem summam cōmixtionem, & unitas omni multiplicitate repugnans, similitudo sine similium diversitate, æqualitas sine æqualium disjunctione, sic etiā in ipso Deo summa distinctio est, nam otiosum Deum

ac nihil agentem (velut Epicurus dicebat) esse non potest: agit ergo aliquid & actus quidem alius ab agente, quanquam non aliquid aliud secundum substantiam. sic & cogitat Deus & cogitatio non est cogitans, & diligit Deus, & dilectio non est diligens, ergo spiritus Dei à Deo est, alius quidem personaliter ab eo distinctus, spirando aliud secundum personam, spirando idem secundum essentiam. Referunt enim ad idem, spirans & spiratum, & id oppositionis genus, quod secundum relationem est, solum in Deo considerare licet, omni alia oppositione remota.

Ostensum est per regulam Vtrum, & figuram A, spiritum ipsum esse. Idem modo ostendere possumus, per eandem regulam & figuram S. hoc modo:

Denique divinum spiritum esse, tota mundi series ab ipso suo ducta principio apertissime monstrat: nam cùm Deus ipse est æternus, & ipse aut solus, aut otiosus esse non potest, creatum verò nullum est æternum, est ergo spiritus aliquid Dei, & ipsi Deo coæternus: non enim potest bonitas Dei esse bona, nisi spiret: neque immensa, si non ex maximo & infinito illo bono, immensa atque infinita actio procedat, coæterna & coæqualis suo principio. Quid enim Deum posse dicimus, qui nihil agat? quid cognoscere, qui nihil cogitet? quid velle, qui nihil amet, hoc autem totum spiritus est, sive diligere, sive cognoscere, sive agere.

Angelus etiam à Deo creatus, cæteris creaturis superior, & spiritalis naturæ, ostendit Deum spiritum esse, & spiritum spirare: nihil enim est creatum, cujus non sit in creatore idea. Angelus spiritus est, igitur in Deo exemplar suum habet, ut divinum spiritum esse oporteat: quid enim in angelo spiritalis bonitas, nisi ex Deo bonitas in ipso spirata? quid spiritalis magnitudo in angelo, nisi magnificus spiritus magnificè spiritus à Deo? quidque in angelo duratio, si non in Deo sit æterna & perpetua spiratio?

Cœlum ipsum spiritu movetur, sive ille angelicus sit, sive ipsi cœlo intellectus insitus, quem nonnulli cœli animam vocant, semper hic à Deo est, & divinum spiritum ostendit: nam quo pacto tanta cœli magnitudo perpetuis legibus consistere posset, si non maximus ille Deus etiam huic machinæ præsideret, hoc vero ita per medium spiritum fieri oportet, actus enim omnis est in fluxu, sive manenti, sive egredienti.

Videmus etiam hominem spiritu vivere, & diversos in homine spiritus esse, alium alio majorem, atq; unum alteri præesse:

esse: quare ad verum supremum spiritum, qui divinus est, pervenire oportet, ut in omnibus magnis ad aliquod maximum quod sit infinitum, & in omnibus durabilibus ad aliquod æternum. In ipsis ergo spiritibus etiam quos subordinatos in homine videmus, ad unum summum & immensum spiritum, à quo fluxus omnium derivatur, pervenire oportet.

Sic etiam in aliis viventibus considerare licet, sive perfecta sive imperfecta sint, imaginativa aut sensitiva: nam sine spiritu neque vivunt neque moventur.

Vegetabilia etiam ipsa quod extenduntur & crescunt, & suo modo vivunt, spiritu quodam hoc aguntur, per humores descendente.

Elementa etiam ipsa, quamvis inter se separata sunt, & aliud terra sit, aliud aqua, & c. sic tamen ipsis spiritus immistus est, ut sine illo esse non possint.

Sequitur itaque, Deum habere spiritum sibi intimum, quo se moveat sine mutatione, operetur sine passione: quo mediante etiam fieri id intrinsecum spiritus habet in Deo, quo agat, faciat, regat spiritus omne opus suum, & quidquid in universo suo opere administrat. Manifestum est ergo spiritum esse divinum, ubi tot alii spiritus spirituumque operationes compleuntur.

Satis nunc ostensum est, spiritum ipsum esse: sed quid sit hic spiritus, modò videndum est. Priusquam ad ejus definitionem adeamus, divisione uti oportebit, quoniam diversimode hoc nomen spiritus in sacris literis positum reperitur.

Est itaque ex spiritibus creatis, spiritus angelicus corpori non conjunctus, qui quoniam non materialis, non corporeus est, suum esse nullo vocabulo aptius explicari potest, quam quod dicatur spiritus: hinc apud prophetam legimus: Qui facit angelos suos spiritus. & inter hos spiritus multæ varietates sunt, tum ordinis & officiorum, tum morum & qualitatum, quæ hoc loco prætereunda sunt.

Est alius spiritus humanus, & ille est corpori conjunctus, non tamen corporeus: immortalis, incorruptibilis, materialis, quoniam forma est homini, cui corpus materia est: & hunc spiritum, animum appellamus, qui est principium vitæ, sensus, motus, intellectus, in homine imaginem divinam maxima sollicitudine præ se ferens, non ductus de potentia materiæ, ut cæteræ formæ, sed in ipsa incorruptibilis, inextinguibilis, separabilis tamen, & aliquando etiam corpus suum quod dereliquit reassumpturus. Et de hoc spiritu inquit Apostolus, si

spiritu

HAV OBLIBIOTHECA ORIENTALIS MUSEUM

ſpiritu vivimus, ſpiritu & ambulemus, & alibi: Caro concupiſcit adverſus ſpiritum. & Iacobus: Corpus ſine ſpiritu mortuũ eſt. & Geneſ. legitur: Fecit Deus hominem de limo terræ, & inſpiravit in faciem ejus ſpiraculum vitæ.

Eſt præterea ſpiritus animalis, qui omni animali poſt hominem ineſt, etiam ipſi homini, & in hoc ſpiritu conſervantur virtutes corporis, itaque à ſuis fontibus per totum corpus manant, ſive ſint animales, qui ſenſum & motum miniſtrant, quibus à cerebro dicitur eſſe principium: ſive vitales ſint, quibus à corde prima ſedes: ſive naturales, à quibus nutritio digeſtio, & generatio derivantur, inter quem ſpiritum & animam quid interſit, per Auguſtinum de ſpiritu & anima pluribus diſputatur.

Eſt præterea ſpiritus ille, quem ore & naribus trahimus quamvis eo carere non poſſumus, refocillatur enim cor, neq; tamen eſt ſpiritus naturalis, quamdiu converſus non eſt per nutritionem. De hoc ſpiritu legimus apud Iob: Spiritus meus attenuabitur. & Sapientiæ ſic: Cave tibi ab homine cum ſpiritus eſt in naribus ejus.

Eſt præterea alius ſpiritus elementalis, ut eſt aër, maximè ſi moveatur, ut apud prophetam flabit ſpiritus eius, & fluent aquæ.

Omnes quidem hi ſpiritus divini ſunt, ſed ille maximè ſpiritus domini eſt qui eſt divinus & ipſe Deus, de hoc nunc ſermo eſt, cujus deſcriptio niſi relativè dari non poteſt ſpiritus enim refertur ad ſpirantem, & ejus quidem duplex eſt reſpectus, unus principalis & ille intrinſecus in ſpirantem: alius accidentalis, & ſecundarius, qui progreditur in exterius. Spiritus igitur domini duplex eſt, alius intrinſecus, alius extrinſecus. Intrinſecus eſt ille, qui ipſi divinæ ſubſtantiæ & naturæ conſors, idem ipſe Deus, divina intuitivaque in Deo ſpiratur, & quoniam ille ſpiritus eſt Deus, & ſpiritus Dei dicitur: ſpiratur enim à Deo, & tamen à Deo non egreditur neque exit, ſed in ipſo manet.

Extrinſecus verò ſpiritus Dei eſt, non diverſus quidem à priori per eſſentiam, ſed ſolùm ſecundùm rationem, & de hoc ſpiritu præſens ſermo eſt, quando dicitur, ſpiritus domini replevit orbem terrarum. & alibi de eodem dicitur: verbo domini cæli firmati ſunt, & ſpiritu oris ejus omnis ornatus eorum. agit enim Deus per eſſentiam ſuam, & agere ſuum eſt ſuum eſſe & poſſe, quod in nulla alia re inveniri poteſt: neque enim quum loquitur Deus, ita loquitur, quòd ſuum loqui non etiam Deus ſit, quamvis hoc ipſum quod ſermone efficitur extrinſecus

trinſecis operationibus non ſit Deus, ergo ille idem ſpiritus extrinſecus divinus eſt, qui eſt intrinſecus, ſed diverſo reſpectu.

Eſt itaque ſpiritus Dei intrinſecus, ignis amorque ex mente verboq; divino procedens in ipſam mentem divinam, cùm eſt Spiritus domini, & Spiritus ſanctus: nihil enim eſt in Deo quod non idem Deus ſit: nullum in eo accidens niſi prædicationis, realis autem inhæſionis nullum, quia eſt forma ſimplex & actus purus.

Sed ſpiritus domini ſecundum relationem extrinſecam, eſt divina operatio, immediatè ex divina eſſentia, & virtute procedens, ad producendum aliquid ideatum. neque enim ullo modo eſt medium inter Deum & ſpiritum ſuum eſſentialem, neque inter ſpiritum Dei & proprias operationes divinas mediũ intercidit, quoniam in Deo eſt virtus diſpoſitiva operativa & omnia illa quæ ad perfectionem operationis requiruntur. Nã cùm actio ſit a majori ad paſſionem ſibi proportionatam, & Deus ipſe omnibus rebus major eſt, & omnis res minor Deo, non poteſt aliqua res eſſe reſiſtens operationi divinæ, aut non capax operationis ejus, ergo neque aliena diſpoſitione vel adminiſtratione utitur in actibus ſuis.

De hoc itaque ſpiritu, eò quòd modò ſpirato, miſſo, replente & operante, diverſis in locis ſacrarum literarum legimus, ut illud: Spiritus Domini replevit orbem terrarum. & alibi: Spiritus domini ferebatur ſuper aquas. & alibi: ingreſſus Ieſus ſpiritu ſancto in deſertum. & alibi: Effundam de ſpiritu meo ſuper omnem carnem. Et de Antichriſto legitur in Apocalypſi: Quoniam interficiet illum Deus Spiritu oris ſui: quæ omnia loca oſtendunt ſpiritum ita verè deſcribi poſſe, ut deſcriptus eſt intrinſecè & extrinſecè. Vnde illud Ioannis de ſpiritu intrinſeco: Tres ſunt qui dant teſtimonium in cœlo, pater, verbum & Spiritus ſanctus, & hi tres unum ſunt. De ſpiritu extrinſeco ſic: Et tres ſunt qui dant teſtimonium in terra, ſpiritus, aqua, & ſanguis: & hi tres unum ſunt.

Sed ut apertius quid iſte divinus ſpiritus ſit intelligamus, quia totus, & planè explicari nec verè definiri poteſt, multiplici circuitione naturam ipſius ambiamus.

Eſt itaque ſpiritus Dei, prima divinæ bonitatis enarratio, communicata cum eſſentia divina & operatione. Eſt Spiritus Dei magnitudo amplitudinis divinæ, per quam neque ſpirando magnificatur Deus, neque ex ſeipſo producendo diminuitur, quoniam non eſt illa immenſitas diminutionis capax, aut

unitas

unitas multitudinis, aut sublimitas inæqualitatis, cujus virtus in Deo sita est quæ in spiritu ipsa inspiratione ostenditur, ut idem sit spiritus cum Deo, atque eidem Deo æqualis, atq; illius etiam unitatis & æqualitatis nexus, perpetua firmitate eos conjungens. Est itaq; hic spiritus divinæ potestatis exemplum & actus ipse, quo divina potestas ostenditur, actus videlicet extrinsecæ operationis. Ergo spiritus sanctus sicut actus est divinæ potestatis, ita est immemoratio divinæ sapientiæ, dilectio divinæ voluntatis, divinæ virtutis operatio, exemplar veritatis, quies gloriæ, pulchritudo distinctionis, concordantia unionis sine oppositione, medium conjunctionis inter principium paternitatis & finem filiationis, summaque æqualitas omni majoritate & minoritate remota: & ita fit, cùm sit majoritas Deo ad creaturam, minoritas vero creaturæ ad Deum, æqualitas quædam inveniatur non extra sed intra deum, & ea est Spiritus sanctus.

Est itaque Spiritus sanctus, portio quædam divinæ substantiæ & naturæ, non partita neque divisa à Deo, sed sola relatione distincta, procedens interius, missa & replens exterius, operata interius, operans exterius, in omne id quod operatum est: & hic spiritus replet orbem terrarum, repletione operativa & conservativa. Satis nunc de spiritu locuti sumus, quamvis adhuc plura dici possent. Sed residuum nobis est, ut quomodo hic spiritus repleverit orbem terrarum, videamus. Priusquam verò id aggrediamur, quid per orbem terrarum significetur, ostendemus: Esse nanque orbem terrarum, primùm ostendit bonitas operantis, qui non solùm aliquid facit intrinsecum, sed & extrinsecum: & quoniam id extrinsecum, ideo magnum quidem fecit, sed non infinitum: ita etiam durabile, sed non æternum: ita etiam agens, influens & operativum, ut suæ potestatis vim ostenderet: ita cum aliquid fecit ex nihilo, suæ sapientiæ considerationem ita dilectionem suam in tantæ tam confusæ machinæ conservatione, virtutem in agendo, veritatem in existendo, gloriam in quiescendo demonstrans. Nihil enim aliud orbis terrarum hoc loco nobis insinuat, quã aliquod materiale, confusum, vacuum formis chaos. Nam cùm manifestè videamus esse aliquod commune materiale possibile, in hoc orbe terrarum per diversas species communicatum, facilè ex hoc intelligimus, communem quandam & confusam materiã fuisse principio, quæ postea formarum diversitate distincta est: Nam cœlum & cætera omnia quæ sub cœlo sunt, omnia habent aliquod corporale, sensibile, mobile, mutabile, quibusdã tamen

tamen gradibus. Hæc autem omnia secundum materiam, non secundum formam proveniunt. Apparet itaque materiam aliquam his omnibus inesse communem, quæ essent aliqua bonitate bonificanda, magnitudine magnificanda, distinctione distinguenda, replenda formis, quæ omnia suapte natura esse nec fieri possunt, sed per spiritum domini fieri necesse est. nihil enim suapte natura confusum, per se distingui potest: impugnant enim se mutuo distinctio & confusio, ne unum alteri principium esse possit: confusio enim materiam habet proximè distinctio verò formam seu efficientem. Posita itaque est in orbe terrarum, scilicet opere creato & partium suarum distinctio, quæ separet compositum à simplici, materiale à puro formali, commixtum à commixto, similiter omnium illorum inter se unio, videlicet materiæ & formæ, atque concordantia in contrarietate. Sic etiam ipsa terra ut pura materia, principium habet ad formam ratione aptitudinis, quæ medium est, qua pervenitur ad perfectionem & finem operis: atque per hunc modum adhuc in confuso terrarum orbe est æqualitas confusorum, & mixtorum, majoritate & minoritate secundum distinctionem, dispositа pro nobilitate formarum, quibus orbis terrarum repletur, per spiritum domini, repletione videlicet operativa & conservativa.

Ipse enim spiritus divinus simplex forma est, orbis verò terrarum informis materia: rectè itaque considerare possumus, in spiritu, divinam bonitatem diffusam: in orbe verò terrarum, malitiam, indigentem: in spiritu magnitudinem infinitam, in terris corruptibilitatem & mutationem: in spiritu potestatẽ agendi, in terris possibilitatem patiendi: in spiritu potentiam rectricem, in terris imperfectionem errantem, in spiritu libertatem, in terris necessitatem: in spiritu virtutem, in terris vitiũ: in spiritu veritatem immutabilem, in terris figmentum corruptibile. Spiritus in se orbem terrarum & in ipso existens, semper unus atq; idem manet, ab operans in orbe terrarum, ab illo nunquam immutatus, sed illum immutans, faciens illum ex malo bonum, ex parvo magno, ex mutabili durabilem, ex confuso distinctum. Hoc est suum replere, quò rectè dicimus, spiritus Domini replevit orbem terrarum.

Vnde evenit, ut sicut divinum quendam spiritum esse oportet, qui ut procedit intrinsecus, ita operatur extrinsecus: sic & orbe terrarum esse dicimus, ut in illum operetur, illum repleat ut scilicet ipsum orbem terræ qui de se bonus est, sua repletione bonificet, immensitate sua extendat ac multiplicet, æternitate sua con-

BIBLIOTECA CENTRALE

sua confirmet, potestate contineat, sapientia regat, amore diligat, virtute operandi vim tribuat, veritatem certa lege conscribat, gloria in fine suo conquiescere faciat, distinctione quæ confusa sunt separet, concordia distincta oppositaque connectet, principium sit influens, medium perfluens, finis affluens & refluens: quam repletionem si ab orbe terrarum sustuleris maturitas ipsius tendet ad minoritatem, omni æqualitate semota.

Iam verò divinum esse spiritum, orbemque terrarum, tota mundi series ab ipso suo ducta principio apertissimè monstrat. & eundem spiritum ipsum orbem terrarum replere, consequitur ut ipsum bonificet: omne enim bonum natura sua diffusivum est, suum enim & esse & posse natura participant & quo plus habet de essentia boni, eo amplius habet de potestate bonificandi. Cùm itaque spiritus domini bonus sit, opus suum est bonitatem communicare. Itaque spiritus domini bonus, ab ipso bono participatus, atq; eidem semper conjunctus, principians in orbem terrarum bonitatem, potenter ac sapienter replet illum, secus terrarum potentia & essentia tenderet ad corruptionem. Et quanquam spiritus iste distinctus sit à terris, tãquam infinitus ab infinitis, æternus à mutabilibus perfectus ab imperfectis, mira tamen continuitate ipsi orbi terrarum intimus est penetrans sua bonitate omnes punctos essendi. in toto illo orbe transfusus, penetrans omnia, & tamen non comprehensus.

Sed opponet fortè aliquis, spiritum æternum esse, orbem verò terrarum non extempore sed in tempore creatum: sic spiritus æternam bonitatem esse, temporalem verò eam quæ est orbis terrarum: item spiritum ipsum otiosum dici nõ posse, quoniam neque Deus ipse otiosus est cujus est ipse spiritus, terram autem repleri non potuisse, quando orbis terrarum nec dum erat. Porro etiam, cum opus illud distinctionis & separationis in orbe terrarum operatus est spiritus, neq; habet quod amplius agat, nunquid ad otium rediisse dicetur spiritus præsertim qui actus & forma est, qui est bonitas semper bonificans, magnitudo semper magnificans, potestas semper agens, sapientia semper regens, voluntas semper diligens, & tamen legimus deinde, spiritus domini replevit orbem terrarum, scilicet æternaliter.

Sed ut hanc oppositionem evitemus, distinctione opus est considerandaq; varietas respectuum ipsius spiritus ad orbem terrarum, qui quidem respectus alius est idealis, alius operativus: &

vus: & ille quidem alius creationis, alius sanctificationis, alius conservationis, alius conformitatis, de quibus singulis tractare pro nunc nimis longum esset. Ergo dicamus, quoniam secundum idealem respectum spiritus deinde replevit orbem terrarum æternaliter, ipsa mente divina, in ipso unico spiritu qui à mente illa effluit. sic enim æternum est orbis terrarum exemplar, ad cujus similitudinem, exterior orbis terrarũ formatus est, non per similitudinem imperfectionum, sed perfectionum, non conversionis, non malitiæ, non defectꝰ ejus qui in exteriori est, exemplar aliquod in Deo est, atq; hunc ab æterno replevit spiritus domini: sed quicquid perfectionis in eo est quod exterius, productum est, perpetua idea in Deo servatur & manet. Et hoc est quod propheta commemorat dicens: Meæ sunt omnes feræ sylvarum, & pulchritudo agri mecum est. Et sic spiritus domini replevit orbem terrarum ab æterno, interius in ipsa mente divina. Replevit autem tunc exterius, cum novum aliquid faceret, ut in creatione, in distinctione, in conservatione, in quibus replet quotidie orbem terrarum, qui in ipso est, & ipse in illo nunquam otiosus, & cum illo intimus illi, ferendum esse, agere, subsistere & cætera similia. Replet autem nõ occupative, quia non corporeus, nec impulsive ut aër, neq; successivè per motum, neq; ut spiritus angelicus, qui licet immaterialis & incircumscriptibilis sit, diversis tamen locis simul esse non potest: sed pro immensitate sua & cum illa idem ipse omnia replens: & sic oportet intelligere: Spiritus domini replevit orbem terrarum. Hinc propheta psal. 50. Triplici nobilissima denominatione spiritum ipsum qualificat & describit, vocans cum rectum, sanctum & principalem: Rectum, quia nulla commixtione incurvatur à naturæ suæ dignitate: Sanctum, quia absolutus ab omni compositione: principalem, quia omnis bonitatis, virtutis, perfectionis principium est. Sed ut ad nos ipsos sermonem hunc trahamus, quoniam orbis terrarum nobis gentes ac populum atque ipsum hominem, qui *minor* mundus dicitur, ac ipsam animam lapsam ac peccatis confusam significat: iccircò spiritum implorantes divinum, ostendendo terrarum nostrarum tenebras, infirmitates, defectus, deformitates, supplices supplicemus, ab ipso spiritu repleti gratia & misericordia, ut nostra mala bonificet, depressa exaltet, mutata stabiliat, debilia confirmet, diligat errata, ligataque resolvat.

SEQVVNTVR TABELLAE SEV FIGVRÆ artis Lullianæ, quarum mentio fit:

I. pagina 335.



II. pagina 339.



III.

III. pagina 341.

IV. pagina 347.

Ee 2

НАУКОВА БІБЛІОТЕКА ОНУ ім. І.І. МЕЧНИКОВА

V. pagina 366.

HENRI

HENRICI CORNELII AGRIPPÆ, AB NETTESHEYM, Armatæ militiæ, Equitis aurati, ac Utriusque Juris Doctoris, Cæsareæ majestatis à consiliis, & Archivis, Indiciarii, Querela super Calumnia, obeditam Declamationem, de Vanitate scientiarum, atq; excellentia verbi Dei, sibi per aliquos sceleratissimos sycophantas, apud Cæsaream majest. nefariè ac proditoriè intentata.

Ad ornatissimum virum Eustochium Soapusium, Cæsareæ majest. apud Angliæ regem Oratorem.

Justas parit querimonias, justus dolor.

Si non ad tribunal hostium, sed tuto in loco apud æquos judices, literarum negotium ageretur (Eustochi vir clarissime) dico apud viros candidos, qui aliorum conatus non sint perosi, qui aliorum scripta, juxta eorum vires, conditionesque venerarentur, ferrentque æquanimiter, aliorum ingenia, non altioribus invidentes, non paribus importuni, non disparibus & inferioribus infensi, sed quorumvis labores, in aliquam laudis partem admitterent. Quicquid sano & recto judicio prodierit, suis meritis non defraudarent, errata si qua tolerabilia sunt, in optimam partem interpretarentur, quæ verò citra pertinaciam exorbitant, etiam citra morositatem castigarent, & meliora substituerent, corrigentes simul & emendantes, in omnibus boni consulentes, melioraq; docentes, malintque parcere errori, quàm invidere virtuti, ac non tam culpā punire, quàm virtutem colere velint, leviter erratis ignoscerent, nec pœnam infligerent, nisi correctio culpam nequeat avertere. Talibus inquam sub judicibus, atq; censoribus, quis non gauderet pertinaci studio inhærere literis, edere libros, scribere carmina, disputare problemata, declamare placita, confingere argumēta, atq; aliquid semper aliorum æmulatione, aut invidia dignū agere. Quandoquidem, qui vicerit certamen, æquis judicibus, meritus illi decerneretur gloriæ triumphus, qui verù victus esset, is seipso melior atq; doctior factus, pro gloria lucrū repor-

НАУКОВА БІБЛІОТЕКА ОНУ ім. І.І. МЕЧНИКОВА

taret, verum non sic nobiscum agitur (Eustochi) longè aliter se res habet. Quisquis hodie studiorum suorū aliquod specimē, licet cōmuni cum fructu, in publicum edere, audet, & jacta semel alea, calchographorum typis excudendum cōmiserit statim quicquid, id est a Sycophantis aliquod, bonarum literarū prorsus imperitis, qui nihilominus tamen scholasticis titulis turgidi, se omnium hominum primos haberi volunt, & exactè omnia nosse, etiam arcana quæq; & maximè recondita. Sese non ignorare prædicant, rapitur in judicium, qui illud quod prodierit (invidioli pariter & mordaces, & ad singula quæque carpenda prompti & ingeniosi) evolvunt, ut inveniant quod calumnientur, scitantur q; & scrutantur ubi dentes suos infigere queant, si forte scriptori huic, aliquid alicubi, odiosa veritate liberius dictum exciderit, si alicubi hallucinatus fuerit, si vel inconsideratiore sermone, aut jocis, aut salibus, alibi exorbitaverit, si mordaciore aceto, alicujus eorum aures contigerit, si quid (improviso lapsus errore) minus rectè protulerit, mox inflammatis animis, & ad calumniandi pertinaciam obfirmatis, articulos colligunt, & quæcunq; odiosissima excerpere queunt, ea seponunt, ea sola producunt, & in modum classicæ cantilenæ detonant, tum intellectum diversum coacto caninæ contentionis, jurgiosis cōtumeliis flagellāt, exigua quæq; errata exaggerant, syncere & benedicta depravant, merasq; calumnias, ingenti vociferatione, adversus auctorem illum connectunt, & quæcunq; in scriptis illius, insignia & præclara extiterint, pallenti livore tegunt, nulla benedictorū ratione habita, quin multa eorum, tunc etiam in contrarium sensum, nō ratione, sed violentia torquent. Singula bona, & optima quæque, in quibus scriptor ille prævaluerit, vel ob unius dicti levissimum errorem rejiciunt, atq; ob lapsus aliquos humanos, damnant etiam quæ recta sunt, publicamq; utilitatem, & quācunq; amplissimam rerum cognitionem, ob privatam offensam simul tollunt. Nam facetiarum sales, curiosè admodum rimantur, & si qua, sive ludicra, sive per jocum in eos dicta, sibi videantur, ea velut acerrimæ factionis incitamenta crispis naribus suspendunt, audentq; ceu errores, & hæreses objicere, leviissima quæq; (& non tam auctoris hallucinatione quā amanuensium incuria commissa) erratorum momenta, tum non tam scrupulosa, quam maligna conscientia, veluti quodam violentissimo turbine, per præcipitia philautiæ suæ, à cursu rectæ rationis abstracti, in concitatissimum judicium, de illo auctore ruunt, & quicquid eorum auribus displicuerit, dignum judi-

judicant incendio, & palinodias exigūt, aut scriptorem illum, scholasticæ majestatis reum, gravi censura condemnant, magnisque sigillis proscribunt. Speret ergo pro benevolentia invidiam, pro laude calumniam, pro præmio persequutionem, quicunque bonarum literarum negotium agens, aliquid docuerit, scripserit, ediderit, necesse est. Neque verò est hæc sola præsentium temporum malitia, ab antiquo ævo semper ita fuit, ut quasi natura ita comparatum videatur: licet hæc crudelitas, aliquando plus, aliquando grassetur minus, pro temporum, locorum, hominumq; varietate. Quippe apud Laërtium Diogenem legimus, interrogatum à familiaribus quendam philosophum, quidnam studio suo promeruisset, respondisse calumniam. Et divus ille Plato, quod ipse in epistolis ad Dionysium fatetur, ut invidiæ cederet, fere omnia scripta sua, non suo, sed Socratis nomine invulgavit. Apud Romanos etiā aliquando tam viluit eruditio, ut indignum habitum sit juris Principibus scire literas, ipsumque docendi munus, velut illiberale & sordidum, non nisi libertinis, & servis delegatum est, quod idcirco Neronis mater Agrippina, ipsi Senecæ, viro consulari, velut probrum objecit, tantum erat eruditionis odium, ut qui non occultasset, qui non dissimulasset, veluti perfidus, & publicus grassator haberetur. Hinc M. Antonius orator, improbabilem populo orationem suam fore verebatur, si illum unquam literas didicisse putassent. Sapiebant ergo admodū, stolidi illi Galli, qui (quod sexto commentariorum suorū narrat Cæsar) ut invidiam præverterent, animum ab omni literarum eruditione procul submoverunt. Quis enim nō malit de ignorantia & silentio gaudere, quam semper de scientia & doctrina dolere? Quod tam excellens ingenium si se contemptui & odio videat futurum, quod literas sciat, nō effugiat, & aversetur illas, detestetur que. Quis nō melius esse putet, sine scientiis, sine literis, secura & otiosa quietè, porrectis pedib⁹, in utrāvis aurē dormire, quā continuis literarū studiis, & edendis libris, pro alienis utilitatib⁹ excubando, & vigilando, grave on⁹ invidiæ subire, & sese ultro in ærumnosum negotiū detrudere, magnisq; insidiis & periculorū discriminib⁹ implicari, unde quum velit sese nequeat sese extricare? Neminē unquam inter mortales tā præclara eruditio extulit. Nemini unquā tam admirabile ingeniū fuit, cujus gloriæ malignitas non obstrepuerit, cujus laudem invidia nō suggillaverit. Quotus quisq; fuit unquā insigniter doct⁹, qui caruerit invidia, quiedēdis studiis suis nō sit periclitatus, & multorū odiis & clādestinis detrecta-

HATHI TRUST DIGITAL LIBRARY

tionibus, non fuerit expositus, & incertorum hostium præda factus, nonnunquam iniquissimorum judicum præmordacibus censuris flagellatus? Nonne tutius fuisset illis literas ignorasse, aut eruditione dissimulasse, aut auriū voluptati studuisse, aut forensibus lucris indulsisse, aut mercenariis laboribus hominum officia demeruisse, nullos scribendi licentia irritasse, nullos odiosa veritate offendisse? Quis ista secum animo reputans, non de relinquendis & repudiandis literis concilium ineat? Certe removit hic scholasticæ tyrannidis meus, à bonarum literarum studiis, non paucos, multosque jam ultra primos limites progressus retraxit, plerosque studiorum licet amantissimos, perseverantesq; ita deterruit, ut ingenii sui cultum dissimularent, & studiorum suorum labores, sine posteritatis lucro, secum emori sinerent. Alios denique licet præstantes in proposito aliquid edendi, sic tamen in angustum contraxit, ut quum sibi statuerent, tum aliis consulerent, nihil in vita edendum, sed post mortem scripta invulganda, ea potissimum ratione ducti, quia si licet tunt (ajunt) odiosa scriptura, sit funesta, sit capitalis, sit malevolorum quorumcunque jaculis stimulis, aculeis, flagellis, sagittis obnoxia, sæviant tūc cucullati hypocritæ, & scholastici sycophantæ, qui judiciorum & censurarum metu terribiles videntur, & fœnum in cornu gerunt, irascantur, damnēt, execrentur, fulminent & fulgurent, avicularum cædibus formidolosi inquisitores: quid hoc ad mortuum, qui jam terribilia omnia transgressus, in tuto est, omniumque viventium calumnias, minas, morsusque facile spernit? Neque adeo tutum est tunc vivis illis, de mortuo illo loqui, quin longe tutissimum sit, huic mortuo, loqui de vivis, quum illic potest superesse qui vindicet, hic in quem vindicetur, jam non est, tum qui extinctos invitant ad prælium, & defunctos dimicare cogunt, sæpe superantur à mortuis quos viventes oppressissent. Sunt tamen istis cordatiores quidam homines, quibus aut tantus est veri amor, aut tantum mali odium, tantave gloriæ cupiditas, ut invidiæ pericula contemnentes, nil magis quærant, quam aliquid invidia dignum agere, ipsamque invidiam impense desiderare videantur, odium, invidentiam, calumniam, cæterasque malignantium tempestates, fortiter constanterq; perferentes, quousq; studiorum suorum iter dimensi, profligatis publica eruditione calumniis, superatisque periculis, etiam malum malorum omnium expugnatu difficillimū, livorem vicerint. Quos tūc ingens manet gloriæ triumphus, qui in hac vita datur pauciſſimis. Neque magnus ille Erasmus Roterodamus, vir omni eruditione

eruditione major, hunc hactenus consequi potuit, tot indies illi suppullulant sycophantæ, qui Lernæi draconis instar tot calumniarum capita progerminant, & scripta illius in peius rapiunt, integerrimique viri, invincibilem eruditionem, tanquā scelus & flagitium, obscœna verborum petulantia impugnant, neq; quicquam ab illo tam recte, tam sane, tam sancte, scriptū est, quod illorum non vellicet iniquitas, ut quoties ipse sibi videtur, tranquillis undis, in tuto portum adnavigare toties novis distrahatur tempestatibus. Tam ægre devictorum sophistarum ingeniis, quiescere solitum est, & in victores semper subactorum obluctatur improbitas. Quid hic agendum censes (mi Eustochi) quid adsers consilii? Certe mea sententia, aut perpetuo in silentio & tenebris delitescere oportebit, aut stare necessium est, & fortiter hostilia omnia excipere, aut quæcunque edenda sunt, in plurium linguarum voces transfusa, universo hominum vulgo exponere, si forte clementiam & æquitatem, quam in scholasticis illis censoribus non referimus, apud indoctam plebem, & inculta Barbarorum ingenia consequamur, ac judice Deo, & mundo teste, confundatur calumniantium malignitas, aut certe, quod plærisque consultius videtur, nihil in vita edere oportebit, sed post mortem innotescere, qui nolit se, aut periculo exponere, & mala cuncta perferre, aut cum dedecore profugere. Multi enim infœlici audacia, hoc invidiæ pelagus plenis velis ingressi, quum procul à portu, sævientibus undis, adversis ventis luctantur, & sophisticis flatibus, quibus nequeunt se eximere, ad Syrtes aut Charybdes urgeantur, perterrefacti: pœnitet tunc illos, male credidi & sero probati, illius consilii instituto non paruisse: atque tunc, ut ingressu maris illius intrepidi fortesque fuerunt: sic intus quum sunt, modica tempestate fracti, cedunt undis, & conversis velis, proximum portum adnavigant, & tuta petunt, victoriamque simul cum gloria amittunt, & veluti transfugæ & desertores, è jurata malitia, ausi nihil pugnare contra fortiter. Ignotos locorum recessus quærere, & solitudinum inaccessa petere perpetuaq; ignominia in obscuro latere coguntur, nec ulli unquam post ea se prælio offerre, non arma, non expeditione parare queunt, nisi concitatorum Rabinorum furorem experiri, & crudelitatem inquisitorum (quorum carnifex animus est) subire, & bellum cum fasciculis & flammis gerere velint, qui tunc vel remotis, vel etiam profligatis logodedalis, victoriam carnifici, tanquam doctori omnium literatissimo daturi sunt. Certe ipse mecum animo sæpe hæsito, cogitabundus, regrediar ne à di-

sertis literis, ad olim non prudenter desertam militiam, unde mihi insignes honores, & grandia lucra blandiens fortuna largiebatur. Nihil mihi tunc deerat, totus sericatus, auratus, nummatus, fortitudo, honor, dignitas, divitiæ, omnia ex voto contingebant, at quoties deserta militia, ad literas regressus sum, haud unquam feliciter egi, semperque calumnias, insidias, contemptum, inopiam, omnemq; adversam fortunam expertus sum. Vtrobique fateor, & militia & literis pugnare, grande periculum est, at militia, non solum vicisse, sed & strenue periisse gloriosum est, suasque non minus insignes laudes habet fortis occasus, atque insignis victoria. Hic vero, quantumcunque strenue quis perierit, ob iniquitatem judicum, dedecoris plurimum sit laturus, quantumcunque strenue vicerit, perparum gloriæ, nihilque præter ignobilem prædam, & sordida spolia sit occupaturus. At forte vincere nemo poterit nisi mortuus, atq; vix tunc etiam, adeo calumniandi dementia, ad inferas sedes usque, manes & larvas, à quibus rerum natura sua fulminas sustulit, persequente quę nec potest, sine mortuorum calamitate, esse contenta. Hæc ego si vera esse (mi Eustochi) ut jam olim ex multa lectione & exemplis didici, ita nunc etiam proprio periculo deprehendi, potissime in ea declamatione, quam nuper, de Vanitate scientiarum, atque excellentia verbi Dei edidi, quæ ubi prodiit, proh Iupiter, quantum & crucibus, & ignibus, expiandum scelus, hic mihi objicitur, tum per aliquos improbos superstitiososque monachos, & fratres, vulpina sanctitate insignes, & forma monstrifica spectabiles, tum per aliquos scholasticos sycophantas, bonarum literarum osores, sed magnificis titulis doctrinæ umbram, nusquam non ostentantes. Hi clamant, repente terris ingruere cœlum, sylvas, camposque subsidere, montes descendere, miscerí omnia, antiquum rediisse chaos, divina pariter & humana tumultuosa tempestate confundi, renasci hæreses, surgere antichristos, fidei catholicæ ruinam minari, cunctaque simul in perniciem rapi, atque hæc omnia non aliam ob causam, nisi quod orationis libertate, alicubi tacti sunt, quasi mihi, indicta illis cucullomachia, cum illis solis suscepta sit pugna, aut de industria adversus eos solos, in arenam descenderim, qui communiter adversus omne hominum genus, declamavi: atque sic declamavi, ut illis ipsis, ad declamandum suas populares conciones, egregia argumenta contulerim, quam perceptam munificentiam, ingrato æstimantes animo, quod in eorum utilitatem contuli, in meam perniciem vertere conantur, & inde molium-

moliuntur vindictam, unde decuit gratias agere. Oderuntque me propterea nec dignantur agnoscere benefactorem suum, ac si ego ea declamandi æmulatione, eorum quæstui officere velim, qui ipsi non modicum quæstum faciunt oblatrando etiam melioribus. Mirandum profecto, atque admodum mirandum, qua fronte declamationem ad omnes communiter pertinentem, scholastici aliquot sophistæ & larvati hypocritæ, cum reliquis quorum interest, nihil communicantes, soli judicare, atque damnare præsumunt, privatis suffragiis usurpantes, quod universorum sententiis est decernendum, mihique aut declamare, aut satyras scribere, interdicere contendunt, qui sibiipsis maledicendi, & in quosvis scurrilibus convitiis, & insanis debacchationibus, linguam & calamum vibrandi, libertatem indulgent, quasi soli hoc privilegio fruantur, majorque illis præ cæteris mortalium, maledicendi libertas concessa sit, & cui non liceat reluctari, aut eadem tragula referire. Quomodo ista quadrarent, quæve esset hæc æquitas, si ipsi ob cahinam hanc facundiam, pro doctis, piis, & perfectis christianis haberi volunt, me contra ob eandem, tam inclementer in crimen vocant, quod tamen, si crimen est mihi cum omnibus ipsis commune est, & à quo nec seipsos quidem, immunes, & alienos esse deprehendunt, per omnem vitam nihil aliud agentes, quam quod omnium actus, insidiosa explorationis arte venantur, atque à pulpitis, à suggestis, veluti impudentiæ suæ arcibus, omnium hominum vitas & mores, in reprehensionem rapiunt. Nemini innocentiam tribuunt, cunctis accusationis injuriam irrogant. Omnes conviciis & contumeliis flagellant omnia commissorum secreta evomunt, nihil ob metum, neque ob fidem reticentes: eaque flagitiorum mysteria, & multis incognita crimina produnt, ut non iniq; credamus, cuculliones illos, in circis suis, veluti in quadam sentina flagitiorum, nihil aliud discere quam scelera, quos quum secessio monastica, meliores deberet facere, peiores evadunt hominibus prophanis. O quoties nova nupta, rei Venereæ redit instructior à confessione fraterculi, quam ab amplexu mariti? Quomodo enim boni, pii, simplices, casti, pacifici, humiles esse poterint, qui continuo scelera inquirunt, flagitia examinant, crimina cantillant, suntque asperitate, immodestia, rabie, cunctis intolerabiles. Qui nullum hominum genus, sive sacrum, sive prophanum, non lacerant calumnia, proscindunt maledicentia, onerant invidia, gravant detrectationibus, & venenatis linguis sauciunt, nullis a satyris eorum secure vivere

licet, nec est qui possit loquacitatis eorum retia devitare, ne mortui quidem ab illis satis tuti sunt, quin veluti Caspii canes, sive sepulchrales in Hircana, etiam sepultos arrodendo affligunt, nihilà se actum putantes, si sævitiam suam, ab umbris & cineribus continuerint. Proinde quantum ad audaciam, impudentiam, iracundiam, furorem, mordacitatem, subsannationē, gesticulationem, rictum, hiatum, cachinnos, saltus, ferinosque clamores, tum ad ingerenda convicia, & proloquenda mendacia, terrificasque comminationes attinet, iam inde populus illos, relligioni pariter & horrori habere cœpit, nec est, qui non malit, illos extra viam declinando fugere, quam illis obviam fieri, ut jam etiam apud vulgus, communi proverbio receptissimum sit, infaustissimi auspicii esse, obviare monacho, idque haud secus atque lupo, qui quem prius viderit, illius vocem præcludit, & obmutescere facit. Sic & isti, quantacunque insolenti dicacitate declament, semper mutis auditoribus uti solent, eamque imperitæ plebis taciturnitatem, sibi usurpant pro sanctitatis & innocentiæ testimonio, ac si non habeat mūdus, quod de malis illis male loquatur. Dico autem hæc omnia de malis, & perversis, non de bonis. Sed in his discernendis, plane opus est mysterio, ut probos, pios, castos, humiles, modestos, simplices, veros monachos, & sanctos viros esse cognoscamus, ac iracundię furiis, & invidētię livore, calumniandiq; rabie præditos, non homines, sed anthropophagos lupos: nō fratres, sed rabiosos canes: non monachos, sed cucullatos diabolos esse intelligamus. Qui quum monachorum & fratrum nomine censeri volunt, titulum moribus abdicant, professionem operibus polluunt, mentiri virtutem ducentes bonarum literarum loco, fraudem amplectentes, relligionem hypocrisi colentes, pietati avaritiam anteferentes, cupiditate laudis & prædæ, alienis virtutibus insidiantes, quorum scelera, & plenos turpitudinis actus, quoniam in declamatione mea alicubi detexi, iccirco fatalis conscientiæ malignitate confusi declamationem illam (quam multi illorum nec legerunt nec intellexerunt, nec cognoverunt, sed tamen ex suspitione, vel audito tantum nomine, quod cum suis institutis non consentiat) exhorrent, damnāt execrantur: atq; odio, invidia, detrectatione, convitiis, sycophātiis, cæterisq; falsæ linguæ apparatibus armati, occultam contra me expeditionem pararunt, non ignari quantum ad nocendum occulta manifestis proniora sunt: itaque, clandestinas amplexati insidias, arcu doli, calumniarum spicula torquent: Atque animos aptant sceleri, fraudique parant se. Disponunt linguas,

linguas, & verba nocentia condunt. Si forte victoriam viam in Erasmi Moria amiserunt, in hac nostra Vanitate recuperare possent, & quum multo facilioris negotii, sit eminus inopinatum, quam cominus providum oppugnare: ideo inexpugnabilem bello declamationem, furtim & per insidias adoriuntur, concerpunt, mutilant, lacerant, ut quod virtute nequeunt promoveant astu, non ignari, plus virum esse, in credita iniquissima calumnia quam in instructissima disputatione, multaque fortia ingenia his artibus ab invalidis sycophantis sæpe prostrata fuisse, plurimumque cessisse virtutem fraudi, odiosam veritatem, placidis opiniombus & multitudinis errore suffultis. Hinc invidia in ultionem versa, nefariis perfidiæ linguis me opprimere studet clanculum, & post terga, perduellionatus, arrogantiæ, ambitionis, stultitiæ, impietatisque traducentes, magum, & hæreticum vocantes, idque non modo apud populum & plebem, sed apud reverendissimos Cardinales, apud honorandos pontifices, apud venerabiles abbates, apud metuendos Cæsares, apud terribiles reges, timendosque principes, quorum moderationem (supra quam majestati eorum debetur) exasperant, ac pacatissimæ mentis eorum serenitatem, mēdaciorum nebulis obtenebrant, eorum clementiam obtrectationum sibilis ad iracundiam concitant, scientes obfusum ira Principis animum, salutarem existimationem subire non posse, quo semel in pravam de me opinionem obfirmato, etiam defensionis viam habeam præclusam. O lex Iulia, ô lex Rhemia, ô lex Cassia, sed ubi minister legis Cæsar? At non majestatis reatu peccant, qui tam petulanti impudentia, tam præcipiti audacia, tantorum principum majestati, contra conscientiam suam, mentiri non verentur, & scripta nostra, maligna interpretatione, eorum auribus, modo quo non debent, inculcant, suamque contumeliam, in majestatis opprobrium transferunt, & innocuos operum meorum labores, & speciosissimas doctrinarum sententias, nugaci mendaciorum obtrectatione, ad odium trahunt, tum nullis æquitatis rationibus instructi, sed calumniādi præsidio armati, formidolosam Cæsaris iram, adversum me extorquere nisi sunt, quo ille me, à proavis, & attavis, de sua, & præcessorum suorum majestate, bene meritum, perinde ac vilissimum mancipium releget, & fidele meum obsequium, contemptu compenset, pro gratia, pœnam decernat, & quem operum meorum gratissimum pensatorem, & qui beneficentiam pro meritis referat, sperare debeam, illius experiar iram & indignationem, servitiorum mercedem habeam, virtutisq; punitorem

HAVCKA BIBLIOTEKA OBYWATELSKA

nitorem inveniam. Haccine in spe relictis omnibus, secuti sumus Cæsarem, hæccine præmia pro laboribus referuntur, hæccine venerandæ literaturæ, & gesti muneris, præstitique obsequii, stipendia accepturus sim, atque obstrepentibus nebulonum illorum calumniis, etiam supplicandi copia, defensionisque potestate careant? Nam eousque illorum apud Cæsarem promovit calumnia, tantumque apud credulam Cæsaris severitatem, insidiosa obtrectatorum ratio valuit, ut nuper ille mihi præter morem suum (nescio qua inclementia) & aures suas occluserit, & oculos suos à supplicatione mea averterit, quum tamen alioqui mitissimus, etiam non ignoret, quod in eo fastigio collocatus, difficiles accusatoribus aures præbere, aut tuëtium sese voces respuere non debeat, nec infensis auribus alteram partem recipere, qui antea illas accusatoribus tam proclive patulas præbuerit: nec deceat Principum gravitatem, quicquam ex primo impetu, & inconsulta persuasione, more imperitæ plebis judicare, æstimareve. Sed etiam veri ac clemëtissimi Principes, & quibus placabile ingenium est, rerumque peritia, sycophantarum istorum artibus pelliciuntur in errorem & nonnunquam usque ad virulentiam iracundiæ impelluntur. Hic hic velim, sedeat medius & judicet, quicunque vir probus & integer, & cujus aures sunt deceptu difficiles. An non æque Cæsareæ majestatis, atque mei capitis hostes sunt, qui tam insidios consiliis, tam vafris commentis, tam impudentissimis mendaciis, & compositis calumniis, generosi & clementissimi animi æquitatem subruere conantur, & in æquo ponunt, justum ne judicium illius, an iniquum existat, modo sententiam extorqueant sibi faventem. Quis judex unquam ausus est pronuntiare altera parte inaudita? Olim ne à tyrannis quidem id tolerari solitum est. Quis enim pateretur pro judice, illum qui non dignabitur cognoscere causam. Adrianus Cæsar, quum olim negasset sibi ocium audiendi mulierculam, audivit, ergo ne velis imperare, si nolis cognoscere. Nonne (quod Nicodemus de Christo ait ad Pharisæos) lex judicat hominem, priusquam interrogaverit ab illo & cognoverit quid faciat? nonne inaudita hæc tyrannis esset? atq; tamen ad hanc tyrannidem, odiose provocant Cæsarem improbi aliquot sophistæ, & superstitiosi monachi. Verum ego totam hanc insimulationis vim abs nebulonum illorum invidia profectam, non Cæsaris inconsideratæ credulitati, sed illorum malignitati, imputãdum existimo, atque illius adversum me indignationem, non judicii, non deliberationis, non temerariæ opinionis, sed suspitionis

tionis impetum fuisse duco, cujus animi temperantia, seditiosis calumniantium consiliis, æquitatis judicium superantibus, quasi sinistro rationis ductu, transversum acta, ad alias sibi alienissimam iracundiam provecta fuerit, ut quum mihi opẽ ferre debeat, cladẽ irrogaturus fuisset, nisi integerrimus pater Laur. Campegius, apostolicæ sedis legatus, ac illustris princeps Leodien. duo reverendissimi cardinales, & æquioris judicii principes, illum retinuissent. Atque ego nunc, pater quod onustum mihi valde est, etiam famæ meæ crudelis, & honoris mei prodigus, & innocentiæ meæ desertor habendus sim, culpamque sceleris alicujus fateri, & grandis flagitii conscius mihi esse videbor, si injurioso nomine (apud Cæsarem potissime) me censeri sustineam, quamobrem unum hoc volo sciat Cæsar, me hominem esse apertum, & sine fuco, & extra omnem doli suspitionem, qui in fronte gero animum, qui nec fumum nec oleum venale habeam.

Cuique amor & studium recti, & vetus illa priorum Simplicitas, cui chara fides, pectusque deorum Præsidio innitens. Qui integer vitæ, criminisq; purus, non feci unquam quod fateri erubescam, ea præditus vitæ & morum integritate, ut in me nihil culpari possit præter fortunã, quodq; aulam nactus malorum fertilem semper fere sei vire cõtigerit ingratis principibus, quia adulationem & mendacem obtrectationem (publicas aularum pestes) sic semper exhorrui, ut nullius gratiam, aut benevolentiam, blandiendo & adulando contrahere maluerim, quam vera dicendo, & quod æquũ & honestum est suadendo, etiam si non neiciam, simque expertus, quam odii, sæpe pertinax error, veris monitionibus refere soleat. Hinc me quum varia sors, in divitias & inopiam, in gratiam & indignationem, in auctoritatem, & exilium, alternis vicibus sæpe trajecit, tum probitas, & servata Cæsari fides jam prope funditus subvertit, atq; hic non desunt qui protinus me propterea insipiẽtem, improvidum, profusorem, stultumq; subsannant, ipsi non tã sapientes quam senes, neq; tam providi quam auri, qui canicie ornantur extrinsecus, intrinsecus autem intellectum habent puerilem, quorum omnis sapientia est, explere scrinia sanguine pauperum, & assidua augendarum divitiarum cura, omnia venalia habere, ac non secus quam prostitutæ mulierculæ, omnes pauperes contemnere, solis divitibus applaudere, & corruptissimos devovere animos, hinc non probata causa, indemnes condemnare, & noxiis reis, pœnam cum injuria remittere, dare veniam corvis, vexare censura columbas, & fraudulentis

lentis rapinis, & subdolis colluſionibus, ſuæ argentanginæ egregie mederi. Hanc ipſi providentiam, hanc ſapientiam vocant: probitatem, integritatem, eruditionem, ſtultitiam dicũt. Cum hoc hominum genere nunquam mihi bene convenit, his nunquam ſapiens, nunquam prudens fui, qui ejuſce artibus rem augere neſciam, his impius & ſtultus ſum, vere filii gehennæ, qui dicunt fratri ſuo Raccha, & fatue, dolore pariter & ludibrio ferientes, nec minus iniqua, quam ridicula calumnia laceſſentes, eruditionem & doctrinam ſi qua mihi gloriæ cedere deberet, ob contemptã Scholaſtici cultus latifundia, iniquiſſima æſtimatione, & perverſo judicio extenuantes, & peritas cum iniqua fortuna, tum obſervatam fidem, opes, in vituperium vocantes, ſcientes, quoniam apud indoctos ſatrapas & ignavos proceres, plurimum humilium prudentia ſordeſcit, & pro ſtultitia reputatur, ut qui valorem hominis, ex veſte metiuntur cultum, non animum æſtimantes, opesque virtutum meritis anteferentes, ac ſi vulpina veſtis præbeat aſtum, aut cuculla conferat pietatem, & leoninæ exuviæ. Cumanis aſinis dare poſſint fortitudinem. Attamen tam ſtultum de me ſapientes interea conqueruntur, abs me tali ſtulto, ſapientiſſimos viros fuiſſe deceptos, neque verentur, prudentiſſimo Cæſareæ Majeſtatis privato conſilio, ubi nihil non agi, ſumma cum prudẽtia & deliberatione cenſendum eſt, hanc turpitudinis notam inurere. Nam ſi ſcandaloſus & impius eſt liber declamationis meæ, non ſolum ad me pertinebit hoc crimen, verum etiam ad eos, qui examinarunt, qui ſubſcripſerunt, qui ratum habuerunt, qui comprobarunt. Quomodo enim decorum fuerit illius cõſilii ſapientibus approbaſſe, quod mihi ſtultum, & impium fuerit ſcripſiſſe? Certe ego ſi impius ſum, in hoc potiſſime damnandus ſum, quod toties iam, contra ſcripturæ monita confiſus ſum in principibus, in quibus non eſt ſalus, quodque inter eos aulicos philoſophari voluerim, ubi nullus bonos artibus, nec ulla præmia propoſita ſunt literatis literis. Si inſipiens ſum, in hoc certe ſtultiſſimus ſum, quod fœlicitatem meam poſui in aliena poteſtate, & ſollicitus incertusque meiipſius, illis me concredidi, quorum diſparem promiſſis fidem experior, puderque me inſipientiæ meæ, quod hactenus non cognoverim, cujusmodi eſſent homines illi: quis cum agerem: quodq; errabundus, illos aliquando laudarim, qui voce populi (quæ vox Dei dicitur) habentur omnium illaudatiſſimi. Quod vero ad objectam mihi arrogantiam, & ambitionem attinet, quia adverſus omnes, omnium ſcientias, & artes declamare præſumpſerim,

pſerim, certè non ſum tam arrogans, ut omnia me ſcire præſumam, neque tam ambitioſus, ut diſputẽ de omnino incognitis, ſed illud fateantur oportet, neminem poſſe de his rebꝰ, aut ſcribere, aut diſſerere quæ penitus ignorat, quantumcunque etiam in aliis ſit eruditus, atq; unum hoc de me citra jactantiã dicere auſim, comediſſe me de ligno ſcientiæ boni & mali, etiã uſq; ad nauſeam, eaſq; diſciplinarum partes luſtraſſe, quas nec illis, nec majoribus ſuis, aſpicere unquam contigit, atq; hoc eſt illud, in quo ſcandalizantur, ſicut ſcandalizabantur Phariſæi in Chriſto, dicentes: Vnde huic hæc omnia? Quomodo poteſt hic homo ſcire literas quas non didicit? Samaritanus eſt, dæmonium habet, & in nomine Belzebuth ejicit dæmonia. Nonne ſimiles illis ſunt, qui gloriam illius, quod eſt in me donum Spiritus ſancti, auferentes, attribuunt diabolo, dicentes, quod majus ſim, & dæmonium habeam, quod me doceat omnia, quibus reſpondeo verbis magiſtri mei Chriſti: Ego dæmoniũ nõ habeo, ſed eſt, qui habet & judicet. Et jam multi calumniatorum meorum dæmones, & diaboli facti ſunt, hoc eſt, cruenti & falſi criminatores. De Magia verò quid ſentiam multi jugis ſcriptis aperuit. At objiciunt mihi miracula, quæ principes & populi obſtupuerunt, & ſupra naturæ vires dæmonum opera falſi ſunt. Fateor operatum miranda multa, ſed citra Dei offenſam, citra fidei & religionis injuriam, & obſtupuerunt ea multi, ſed homines indocti, & quibus datum non eſt rerũ cognoſcere cauſas. Atq; motus omneis & inexorabile fatum. At quis ſecretorum naturæ curioſus explorator ignorat, herbarũ potentia & lapidum virtutibus non omnibus perinde manifeſtis, multa perfici poſſe, quæ rudis populus, per inſcitiam aut malitiam, accepta referat dæmonibus, potius quàm naturæ atq; Deo. Sed ut non ſapiunt aromata ſuibus & aſinis, & offenduntur ſplendidiore luce noctuæ, ita neq; amator veterũ ſordium populus, docilem inuſitatis rebus & literis animum prębere ſuſtinet, nec oculos denſiſſimis ignorantiæ tenebris obfuſos, lucis radiis admovere poteſt. Qui enim ſunt omni politiore literatura, omnisq; arcanæ doctrinæ vacui & inanes, nec niſi umbram illius complexi, quomodo obfuſo ignorantia animo, alienæ doctrinæ ſplendorem rectè diſcernere ac dijudicare poſſent? Quod ſi ſyllogiſmorum ſpineta plantaſſem, ſi carduos & tribulos ſcripſiſſem, & ſimiles habuiſſent ſua labra lactucas, inveniſſent fortè aſini illi guſtu, & magna voluptate totum librum devoraſſent. Nunc verò, quia ea proſecutus ſum, quæ ipſi non attigerunt, amaricati ſunt, venter & lingua

eorum ad calumnias. O deplorati ingenii homines, & immedicabili malevolentiæ morbo consopiti, adversus eam declamationem obstrepentes, cujus vocem & vocabulum nedum intelligunt, nec satis noverunt, quid declamatio, cujus qualitates non cognoscunt, non declamationis conditiones sciunt, non quo quid animo joco an serio, falsè an severe, dictum sit perpendūt, non animadvertunt declamationis licentiam esse, liberioribus verbis & absimilioribus argumentis, rem promiscuo sermone tractare, nullum periculum veri statuendi sibi facere, eorum quæ in declamatione sive argumentando, sive persuadendo, sive demonstrando dicuntur, philosophi enim hoc est non declamatoris, sermonem suum veritati adstringere. Declamationis autem proprium est, sæpè & plurimum in ficto argumento, aut falsitatis defensione, aut veri repugnantia, aut vitii laude, aut virtutis oppugnatione, ad ingeniorum exercitationem ad exercitationem studiosorum laborare, non ad dissolvendum aut statuendum veritatem: sed citra pertinaciam proponere quamlibet disputandi materiam, ad utilitatē legentiū, sicut ait Apost. Omnia quæ scripta sunt ad nostram utilitatem scripta sunt, non dicit omnia quæ scripta sunt, vera sunt, siquidem non minimam partē eruditionis, fabulæ, Apologi, declamationes, disputationes, problemata, opiniones, parabolæ, cæteraq; admodum proficuæ nugæ, quibus etiamne sacræ quidem carent literæ, citra veritatis regulam sibi vendicant: quæ qui damnare velit & submovere, is literaturam omnem simul tollat, necessum est, sed in his discernendis, profecto Critico quodam, excussoq; judicio, menteq; acuta & solerti, intelligētia insuper summa, & acri animadversione opus est, ut cognoscatur qua authoritate, qua forma, author quisq; scripserit, quod conetur, quid moliatur, narret an doceat, definiat an disputet, improbet an admoneat, quibus utatur rationibus, joco an serio dicat, sua an aliorum sententia loquatur, quæ vera, quæ falsa, quæ dubia pronunciat, ubi & quo loco sui animi mentem potissimum declaret. Sunt enim hæc omnia spectanda, ac diligenter scrutādi secretiores sensuum recessus, & pœnitiores fibræ orationis accuratius disquirendę, tum singulis separatim, & collectim universis, in medium propositis, multum considerationis illius tribuendum est, ac omnia diligenter & exactè discernantur, gravissimoq; judicio tanquam trutina ponderentur, ut quid in quaque re, verum, syncerum, consentaneum, & consequens sit, perspiciatur, priusquam de illis feratur sententia. Quod in illa declamatione mea, sicut fieri

fieri debuit, ita etiam ab illis clarissimis pariter & doctissimis Cæsarei consilii proceribus, factum fuisse dubium non est, id ipsum Cæsareæ majest. patentes literæ & sigilla testantur, quibus aut fidem non habere, aut insolenter contradicere, non potest non est læsa majestate temere factum. Desinant ergo maledici sycophantæ, calumniari hanc declamationem, vel impio animo, vel alienata religione à me scriptam fuisse, quādo neq; proprio ingenio fisus, neq; sine examine & sapientum censura, hanc ediderim. Ipsi enim censores retulerunt & subscripserunt, senatus decrevit, & assensus est, Cæsar probavit, & sigillum suum appendit: nonne supra hæc judicium sibi vendicare audebunt? Quis istis scholasticis, theosophistis & latebricolis monachastris, in Cæsarem scripta dedit, ut quod ille de consilii sui examine, & signatura publica, authoritate semel probāvit, isti improbare, probare, damnāreq; præsumant? Major certè est declamationis illius pervicacia, quam quod levissimorum aliquot Sophistarum, & perversorum cuculliorum, ingenio attingi queat. Quin verò nequaquā enervi doctrina est illum virum oportebit, quisquis de illa ferre debeat judicium. Sciant illi Scholastici Magistri, concessas illis chorarum cathedras, non credita fori tribunalia, licèat duntaxat Magistris illis de cathedra doctrinaliter disputare: verum judicare, determinare, decidere, approbare, reprobare, admittere, prohibere, damnare, non eorum officii est, sed Pontificium munus est, non ex argumentis Sophistarum, sed ex traditionibus dependens Iurisconsultorum. Neq; verò ipse Rom. summus Pontifex, neq; Imperator (etiam in rebus fidei & religionis) quicquam judicant nec judicare prætendunt, ceu Theologi, aut Dialectici, sed ut Legisperiti & Iurisconsulti, qui iccirco non Dialecticam, non Philosophiam, non Theologiam, sed jura omnia in scrinio pectoris sui habere dicūtur. Habēt, n, etiam Iurisconsulti de divinis rebus suos titulos, de summa trinitate: de fide Catholica, de Sacramentis, de hæreticis & āliis religionem nostram concernentibus, nec opus est ea à theosophistis emendicare, ac hodie (si diis placet) ex conspurcatis scholis, protinus in tribunalia, ad judicandas eruditorum causas, introducentur sordidi ludimagistri, qui nihil norunt, nisi præsse pediculosis pueris, tum funesti quidam cuculliones, seditiosiq; theosophistæ, quib⁹ omnē vim rectè sentiendi, opinionum pravitas abstulit, quiq; ingenuis disciplinis, ob ignaviam infesti sunt, illi præjudicabunt Pontificib⁹ & Cæsaribus, & quod illi probarunt, quod ratum habuerunt, quod fecerunt

HAVING FIBLIOTHEK OF THE METHODIST

isti audebunt improbare, damnare & irritum facere, ac scholastica authoritate indecenter abutentes, disputandi & concluſionandi (si sic dici queat) licentiam, ad judicandi, & determinandi transferent poteſtatem, magnis ſigillis, ſcholaſtico faſtu clamare audentes, promulgamus, definimus, aſſerimus, veridicè affirmamus, conſtanter proferimus, cenſemus, decernimus, determinamus, declaramus, pronunciamus, judicamus, damnamus, condemnamus (ſic enim eorum ampulloſa verba habent) atq; dicere & ſcribere audent, hæc ſe facere tranquilla, & ſecura conſcientia, ſuperna luce illuſtratos, & ſupernaturali lumine fretos, ex invocatione Spiritꝰ ſancti, quod lumen ſæpè in pectoribus illorum, non Spiritus ſanctꝰ, ſed auri ſacra fames accendit, quod ſi illa ſua cenſoria conciliabula, pro fidei integritate agerent, & non pro cenſu. certè creditam de illis hactenus probitatis, ſyncertitatisq; opinionem, fraudibꝰ non maculaſſent, avaritia non corrupiſſent, ſyllogiſmos ſuos in religionis injuriam, venales non expoſuiſſent. Divino timori, humanum favorem non prætuliſſent, verbum Dei perverſis interpretationibus non adulteraſſent, eccleſiæ authoritatem, non violaſſent, Reges Chriſtianos, in reprobi ſenſus veſanos errores non protruſiſſent. Quid multa? Res non eget teſtibus, ipſi ſe in Anglicani divortii determinatione, magnis ſuis ſigillis prodiderunt. O inſignes Theologos, qui in negotiis fidei, & conſcientiæ, feruntur affectibus, flectuntur conviviis, obcæcantur numo aureo, capiuntur lenociniis, opinantur ex proprio commodo, & muneribus abducuntur à vero. O conceſſum ſorbonicum præclarum, ô dignitatem concilii admirandam, cui non paveat mens, coram illis dicere. quum hodie Theologorum ſorbona, facta eſt falſorum commentariorum, & errorum officina, & interpretationum, cenſurarum, determinationum, flagitioſiſſimæ nundinæ. Hic nunc cupio mihi dicite ô magiſtri noſtri, dicite ô Sorbonici, in Theologia quid valet aurum, tam ſancta ne eſt veſtra avaritia, ut illi jura legesque nihil officiant, nec ulla impietatis aut irreligioſitatis notetur labe, nec quicquam turpe ſit, quod vobis lucrum pariat. Quis putaſſet Theologorum pectora, favore, ira, odio, avaritia corrumpi, & eſſe illis etiam contra ſcripturam ſyllogiſmos, ſi habeant cauſam acquirendæ pecuniæ, quis iſta credidiſſet, niſi ipſe ſuis factis fidem feciſſent: O male aſtuti, & imprudentis avaritiæ, qui non potius pro digamia determinaſtis, quam pro divortio, ſiquidem olim in vetere lege, permittebatur regibꝰ, plures habere uxores, neque verò minor eſt authoritas Pontificum

ficum & Regum, in Eccleſia, quam olim fuerit in ſynagoga. Quin ipſe Valentinianus, Chriſtianus Imperator, duas ſimul duxit uxores, etiam lege ſanxit, & publica conſtitutione indulſit, ut quicunque vellet duas ſimul habere poſſet uxores, ita ſi & vos pro rege Anglorum determinaſſetis, Pontificis authoritatem ampliaſſetis; regis libidini obſecunditati eſſetis, Reginæ dignitatem conſervaſſetis, filiam regis (ut ita loquar) non ſpurificaſſetis, atque tam inſigni colluſione, ſingularum partium gratiam iniſſetis, undique pecuniam corradiſſetis, neque minus peſtilenti exemplo, atque nunc, nomen veſtrum poſteritati commendaſſetis. O miſeros, quos in tam profundam cæcitatem, traxit indigna Theologis avaritia, & inſcitiæ comes arrogantia. Quis tam fœdos Magiſtrorum noſtrorum errores aſpiciens, tam turpes illorum fraudes conſiderans, tam pernitioſas & falſiſſimas illorum ſententias videns, quæ omni rationi, & honeſtati repugnant, illis poſthac credere, aut illorum cenſuris amplius ſeſe ſubmittere velit, aut debeat, quando tali ſunt natura, ut nihil eis ſit antiquius, quàm dolis, quàm fraudibus, quàm fallaciis, quàm calumniis, doctos quoſque continenter circumvenire, & in errorum & hæreſium notas velle trahere? Mirum profectò, quum toties jam contra Iohannem Picum Mirandulanum comitem, contra Ioannem Capnionem Iuriſconſultum, cõtra Eraſmum Roterodamum Theologum, contra Iacobum Fabrum Stapulenſem Philoſophum, cõtra alios multos illuſtres viros, tam infeliciter quàm temerè dimicârunt, toties illis ſuis præconcibus cenſuris, contra manifeſtam veritatem, tam turpiter impegerunt, toties de manifeſtariis ſycophantiis, & calumniis convicti ſunt, quod hac vulgatiſſima ſua infamia edocti, in nullo facti ſunt meliores, ſapientioresve. Neq; ad deponendum ſtoliditatem ſuam, tanta ignominiæ macula adduci potuerunt, quin tot infelicibus congreſſibus, toties proſtrati, videntur ſibi (velut de Antheo fabulantur Poetæ) reſurgere robuſtiores, atque (ceu veterani milites, inſtructiores bello facti) poſt unam & alteram inſaniam, adhuc nova moliri facinora, novasq; quotidie excitare tragœdias, & ſponte in pejora prolabentes, ultro ſibi malum accerſire pro bono, dignos ſe præbentes, qui ab omnibus bonis audiant malè, qui in aliorum exemplum Pontificibus dent publicitus pœnas, ac peſtiferum, fraudis, doli, ſycophantiæ, calumniæ, & nefariorum conſiliorum ſuorum ſortiantur exitum. Quod ſi proprii honoris ſervandi, quàm alieni laceſſendi cupidiores exiſterent, amplecterentur etiam ipſi bonas

literas,& aliquid ederent illustrius dignum encomiis, aut si id non possent, saltem admirandos sublimioris doctrinæ viros, dignis laudibus & benevolentia prosequerentur,& linguas ab indigna illorum obtractatione cohiberent, quo vel sic, injustam hactenus ignominiam eluere possent, & à doctissimis quibusque solidam inire gratiam. Sed vilis & indocta multitudo,semper humi repens, nulla habet vestigia quæ sequatur, nisi turpia, nec ulla rerum illustrium cupiditate, ad gloriam excitatur, cujus ignavia, tam altas egit radices, ita mentibus obcæcatis adhæsit, ut ad nullas rationes oculos aperiri patiatur,tantaque est insaniæ suæ obstinata pertinacia, ut semel accensa ne per universi quidem orbis elleborum extingui possit. Non equidem facile propagata malorum sementis eradicatur,quippe quam est bonorum in mala defluxus facilis,tam mali ad bonum transitus difficilis esse consuevit. O crudelis & impia secta hominum, nihil nisi seipsos, & sua amantium, omnia præter se,& sua contemnentium,& damnantium,idque ipsum perverse prorsus & nefarie,quæq; ipsi didicerunt & norunt,ea omnium prima & potissima censeri volunt, & ad illorum normam, omnia omnium dicta & scripta, veluti ad Lydium lapidem examinanda exigunt,quibus,quæ non congruunt,aut quovis modo ab illis discrepant, sive dissentiunt, hæc aut velut insana, & abjectitia, præ suis aversantur, aut velut scandalosa & impia damnant, atque execrantur, nullisque rationibus muniti,sed vanorum titulorum obtentu,tota vi consurgunt in pœnam, adversus eos, qui ab illis,vel unguem latum discesserint. Tunc si qui sunt inter illos, ingenio vafro,feroci,maligno, & ad calumniam planè erecto, qui furente iniqua audacia, scholasticorum titulorum ambitione concitati, suam scabiem illustribus viris adfricare audeant, & eruditorum virorum scripta & dicta, variis dolis, technis, fraudibus, præstigiis, continenter circumvenire, & in hæreseos crimen trahere norint: & in politiores literas,& linguas, procacis cõtumeliæ ledoria è suggesto, veluti è plaustro evomere, & in Poetas, in Rhetores Cynica petulantia petonare sciant. hos tunc subductis supercilijs admirabundi passim extollunt, & divina loqui prædicant, & vice oraculi sermones eorum per aures populi circumlatos spargunt.

Et longum invalidi collum cervicibus æquant,
Herculis Antheum procul à tellure tenentis.

Tum etiam qui doctos viros gravius exagitassent, magistratus, & rectoratus, in odium literatorum illis prorogant, & scho-

scholarum regno præficiunt, qui tunc præ cæteris consophistis,veluti principes summi, altioribus cathedris sedentes, jus in alios,& superbam dominationem possidentes, cunctas bonas artes,& ingenuas disciplinas,scholis funditus ejiciunt,quo rixosis sophismatibus, incrementa concilient, quorum farcimine inflati, de omnibus copiose sese posse disserere putant. Sed ut sunt doctrina vacui, & veluti suos in luto grunientes, inanes eloquio,quicquid proferunt, quicquid scribunt, profundam redolet inertiam. quicquid ratiocinantur, quicquid argumentantur,deliramentis consentanea profundunt,& pro rationibus, pro scripturis,meras technas, & laqueos connectunt. Quod si forte timidiores, antilogiæ suæ obscuritatem, ad auram, ad lucem, in propatulo exponere, & perspicaciori censura permittere vereantur, aut (quod plurimum illis evenit) non habeant quod respondere queant, tunc aliam viam ingressi,quib° bellum inferre nequeunt, odium infligũt, astũ fortitudinem præferunt, syllogismorum suorum vires ad calumniam inæquitiã transferunt, clancularijs susurris apud improbos, aut incautos auditores,contra doctos,& probos viros oblatrant,& per insidias,ab obscuro sagittant, & scholasticorũ titulorum saltum, atque quem vocant impudentiæ clypeum, (cucullam inquam) & hoitile propositum,in quisimumque judicium,in rationis locum transferre,cæcitate turpissima cõtendunt. Quumq; nihil sciunt,nihil scribunt, nihil edũt,quod judicari queat,& veluti bruta & muta animalia vitam silentio prætereant, eo silentio tuti, impudentissima temeritate, de aliorum judicant ingeniis, & supra Aristophanicam loquacitatem in conviviis,in collegiis,in privatis confessionibus, in publicis concionibus,in scholasticis prælectionibus,nullum scriptorum genus non calumniantur,non lacerant,non mordent, non discerpunt,non mutilant,non detruncant,non pervertũt, ac probrosis circumveniunt insidiis, conculcant contumeliis, doctiorumque ingenia perosi, literaturæ meritis insidiantur, eruditissimos quosque persequuntur, virtutiq; ignominiam rependere non erubescunt, quasi idem sit calumniari, quod vincere,contemnere,quod antecellere. Sic illi ex præstantium virorum calumnia, & obtrectatione, fortiores fiunt, & ex reprehensione alienæ scientiæ,ipsi eruditionis & doctrinæ opinionem consequuntur,& quem aliis adimunt, in se dervant honorem. His technis, his artibus, his stratagematibus, apud rude vulgus & imperitam plebem, indoctosque nobiles, & credulos principes, quos nihil negotii est fallere, quos pe-

nes nullum est indoctorum, doctorumque discrimen, authoritatem suam stabiliunt, & eruditorum, sapientumq; nomen, furto & rapina obtinent. Tum etiam divinitatis fastigium, sibi arrogant, & se Magistros & Doctores in divinitate nuncupari sustinent, quo verendo nomine, apud simplicem populum, sanctitatis opinione insignes, etiã apud purpuratos aulicos, & auratos principes, venerandi simul & metuendi, effecti, illos tunc persuasionibus suis allectos, & clandestinis incitamentis instructos, seditiosis armant consiliis, subjiciuntque quiab oratoriis, à cubiculis, à basilica, à mensa, virus in aures eorum continue instillantes, dicta & facta proborum virorum assidue criminantes, quousque optimi cujusque virtutem reddant invisam, mollesque principum animos, nihil tale suspicantes, his delationum & obtrectationum artibus, & exquisitis callide dolis subvertant, & in fas atque nefas contra doctos & probos viros inducant, atque ad crudelitatem usque impellant. Neque enim apud credulos principes, fides mendaciis deest, ubi scurris & proditoribus, aliquando gratia redditur, & pessimis quibusque nebulonibus honos. negatumque virtuti culmen, vitio tribuitur, & repulsa prudentia, ignavia honoribus prosequitur, maliq; sua ex improbitate referunt munera, & qui jam terque quaterque, verso solo, mutato foro, & (ut vocant) rupta banca, fraudatis creditoribus, fraudi & dolo, alieni æris iniquas divitias, sibi pararunt. Creantur comites, asciscuntur in consilia regum, præficiuntur gubernandis provinciis, quasi fideles futuri sint Reipublicæ, qui tam scelestis perfidiæ artibus cumularunt sibi rem privatam, atque quod ab integræ fidelitatis, & doctrinæ, virorum arbitrio, pendere deberet judicium, sæpe in iniquissimi cujuspiam hypocritæ, adulatoris, delatoris, susurronis, sententia consistit. Hi primas atque postremas aulę partes tenent, hi sunt aures & oculi regum. Nulla illis janua clauditur, quo minus ingrediantur, nullum tempus tam importunum, quo minus admittantur, nefasque est principem plus audire, aut videre, aut cognoscere, quam tribus aut quatuor, ejusmodi sycophantis, commodum videtur. Nullus regum tam natura benignus, tam educatione modestus, tam virtutis & æquitatis amans, quem illorum consilia non pervertant, multaque indigna, tanta majestate & dicere & agere, & audere compellant. Hinc totam noctem vigilare, tum potare, aut ludere alea, aut saltare choros aut larvis obambulare convivia, tum medium diem dormire, residuum ludere pila, aut venari,

venari, & cum beluis audacter congredi, aut stulta & furiosa hastiludia suscipere, & illorum pueriles victorias graviter dijudicare, tum supervacaneis impendiis, pomparum, largitionum, conviviorum, ludorum, ac ambitiosarum legationum, improbatorum bellorum (aut latius regnandi libidine, aut cupiditate vindictæ, aut æmulationis dolore) susceptorum totius plebis, civiumque substantiam devorare, hodie regum disciplina est. Verum interesse consiliis, observare prudentes, operam dare præceptis sapientiæ, discere populum bene regere, & provincias quorum tutelam susceperunt, fœliciter gubernare, sedere ad portas civitatis, & audire supplices, sublevare oppressos, reddere jura singulis, hoc paludatis aliquot vulturibus, nonnunquam & Cumanis asinis committitur. His tunc accedunt nobiles isti satrapæ, ipsi etiam literarum hostes, qui cum nullis bonis artibus, nec honestis disciplinis imbuti sint, ob id doctos, & literatos omnes odiosissime, protrudunt, nec sinunt ea regibus suis innotescere, eoque infestius persequũtur, quod veritatem aliquando dicunt, nullo personarum respectu, illorumque ignaviam, & crassitudinem, ad lucem exponunt. Nullus unquam priscis temporibus tyrannus extitit tam barbarus, tam sævus, tam serus, tam truculentus, tam crudelis, quem penes non in honore, veneratione, observantiaque fuissent bonæ literæ. Olim eruditi & literati viri, in aulis Cæsarum & Regum, primas partes tenebant, in horum locum successerunt hodie, quidam podagrici ventricosique publicani, & auri spongiæ (finantiarios vocant) quibus abest omnis veritatis, virtutisq; cognitio. Et ut est in Proverbio: Ignavos ignavis placere. Videmus passim per regum aulas instructos, tot famelicos, pedissequos, tot laceros stipatores, tum circummensales parasitos, tot versipelles histriones, tot noctivagos scortatores, tot epicuræos porcos, tot salaces porcos, tot pictos fictosque nobiles, tot suffitos moscho proceres, tot glorioso thrasones, tot chlamydatos agasones, tot cruciatos caballarios, tot trigaleatos lepores, tot feroces centauros, tot superbos Satrapas, tot paludatos vultures, tot larvatos vespertiliones, tot Purpuratos aleatores, tot hamatos quæstores, tot politiphagos fœneratores, tot dimovoros scribas, tot insolentes duplatores, tot Arcadicos sacrificulos, tot caudatos eleemosynarios, tot sexagenarios pueros pauciſſimos spectamus sapientes, & graves viros. Quod si qui forte emerserunt in aula, viri ingenio præditi, qui consilio, prudentia, rerum usu, experientia, & exercitatione Reipublicæ sœ-

liciter præesse sciunt, aut qui viribus & armis, strenuitateque Reipublicæ plurimum prodesse possunt, hos tunc ne superiores evadant, altiusque in authoritatem conscendant, sub specie benevolentiæ, ad longinquas regiones in oratores ablegant, aut in fortitudinis suæ præmium, gravioribus periculis exponunt, quo sic evacuata aula illorum præsentia, ipsi omnium soli habeantur prudentissimi, si in consortium suum nullum admittant, prudentiorem se. Horum opera fit, quod in principum aulis, bonæ literæ, nec præmiis pascuntur, nec laudibus invitantur, sed velut proscriptæ, & in prostibulum relegatæ videantur. Hinc obscura literatorum sors, & fortuna Doctorum virorum sordida, nec ullis ad rem augendam, in aula locus est, nisi qui valedixerint virtuti, & veritati. Nam qui verax est sermone (ut ait Propheta) quasi perjurus est, & qui justus est opere, quasi de spina sæpe, sic oportet, ut quum satis exeat aula, qui vult esse pius. Sic sordent & vilescunt literæ, ut non solum non faveatur literis, sed illudatur, etiam præstat longe in aulis regum, aut culinarium, aut venatorem, aut tibicinem, aut utricularium, aut cauponarium, aut parasitum, aut histrionem, profiteri, quam doctum, quam literatum, quam eruditum, tam eruditio invisum, ignorantia probabilem facit. Ipsa enim affinis regibus, domestica nobilibus, incola aulis, omni eruditione porenter prælata, ipsa plena divitiis, cumulata honoribus, sublimata potestate, & omni delitiarum genere beata, ut quo quis in aula minus sciat, eo feliciore vita fruatur.

Omnibus in aulis tenet insipientia sceptra,
Illius & sequitur regia turba pedes.

Quis ergo jam (ornatissime Eustochi) non deberet malle renunciare literis, & virtuti, quam eruditus imperitorum calumniis, modestus impudentium conviciis, candidus perditorum sycophantarum insidiis, continuo ex carnificari, & unde venerationem meruisse debuerat, inde pœnam, cladem, & exitium persentire? Nihil igitur mea opinione hodie fœlicius (mi Eustochi) quam nihil scire, nihil tutius quam nihil docere, quando his temporibus, fere nihil scribi potest, quod non offendat aliquos? qui autem nihil docent, aut non nisi minima, & infima sapiunt, ab hoc metu, ab his periculis, procul absunt. Quippe minimarum rerum, magna ruina esse non potest, nec

test, nec unquam cadet ex alto, qui in imo jacet, nam qui quærit alta, is malum videtur quærere. Tam gratæ, sed & securioris voluptatis sunt, paludes ranis, luta suibus, tenebræ vespertilionibus, quam alta tecta columbis, & sereni soles aquilis. Hinc apud Lucianum Pythagoras jam per omnia bipedum, & quadrupedum genera (suæ circulationis metamorphosi) vagatus, se longe suavius vixisse fatetur, quando esset rana, quam quum esset Rex & Philosophus. Quæ persuasio, sic huic ætati mihi congruere videtur, ut nihil neque scire, neque docere, & ceu nihil à bestia differre, hodie fœlicissimum, atque tutissimum sit: simulque, & aulicis istis proceribus, atque Satrapis, qui plurimum improbos, suique similimos beneficiis prosequuntur, eyehuntque acceptissimum.

HEN-

HUNGARIAN ACADEMY OF SCIENCES LIBRARY

HENRICI CORNELII AGRIPPÆ AB NETTESHEYM armatæ militiæ equitis Aurati & V. I. ac Medicinæ Doctoris.

TABULA ABBREVIATA.

Commentariorum in artem brevem Raymundi Lullii.

ORNATISSIMO VIRO LL. DOctori ADOLPHO ROBOREO *Agrippinensi Canonico ad Gradus Mariæ virginis, Henricus Cornelius Agrippa. S. D.*

SCripsi olim commentaria in artem brevem Raymundi Lulli, doctor eximie, hæc tandem in tabulam quandam tanquam fasciculum, contraxi, quæ memoratu facilis, cuncta commentaria subinde animo reduceret: hanc tabulam tuæ humanitati dedicatam, pro xeniolo offerendam decrevi, ratus exiguum hoc munusculum, non ex suo valore, sed ex mittentis animo tibi æstimaturus. Quin & collata hac tabula, cum ipsis commentariis, videbis te pari æstimatione habitum, quo is cui ipsa nostra commentariola olim dedicavimus, quæ una cum hac tabula etiam ad te mittimus.

Vale.

TABU-

TABULA ABBREVIATA COMMENTARIORUM ARTIS inventivæ Henrici Cornelii Agrippæ.

	B	*Deus*
	C	*Angelus*
	D	*Cælum*
	E	*Homo*
Subiecta	F	*Imaginativa*
	G	*Sensitiva*
	H	*Vegetativa*
	I	*Elementativa*
	K	*Instrumentativa*

Deus
Pater
Filius — *non convertuntur*
Spiritus sanctus
Bonus

Angelus
Malus

Cælum
Immobile empyreum agens per attractum
Mobile agens per influxum

Homo
esse
Anima rationalis — *vivere*
habet
Corpus humanum — *sentire*
intelligere.

Imaginativum habens
Esse
Vivere
Sentire extrinsecus & intrinsecus.

Sensitivum, habens
Esse,
Vivere,
Sentire extrinsecum.

Vegetativum, habens
Esse
Vivere.

Elementativum
Simplex. — *habens solum esse substantiale.*
Compositum
Naturale

Instru-

НАУКОВА БІБЛІОТЕКА ОНУ ім. І.І. МЕЧНИКОВА

Instrumentativum sive accidens, — *habens esse in alio.*

Accidens naturale
- *Morale.*
- *Quantitas*
- *Qualitas*
- *Relatio*
- *Actio*
- *Passio*
- *Habitus*
- *Situs*
- *Tempus*
- *Locus.*

Quantitas,
- *Discreta* — *Magnitudinem*
- *Discreta* — *Multitudinem*
- *Continua* — *secundum* — *Diuturnitatem*
- *Continua* — *Operationem.*

Qualitas.
- *Habitus & dispositio.*
- *Naturalis potentia vel impotentia.*
- *Passio vel passibilis qualitas.*
- *Forma & circa eam constans figura.*
- *Contraria & contrarietates.*

Relatio secundum
- *Superlationem* — *ex natura verbi*
- *Suppositionem*
- *Æquiparantiam* — *ex natura rei*
- *Applicationem.*

Actio & passio
- *Intrinseca* — *Intensa.*
- *Extrinseca* — *Extensa*
- *Extrinseca* — *Remissa.*

Tempus
Locus — *Variantur quantitate.*
Situs — *Intrinsecus.*
Habitus
- *Extrinsecus*
- *Virtutes*
- *Vitia.*

Accidens morale

Prædicata absoluta.

B Bonitas
C Magnitudo
D Duratio
E Potestas
F Sapientia
G Appetitus
H Virtus
I Veritas
L Gloria

Perma-

Permanens

Bonitas
- *Fluens*
- *Virtutis*

Magnitudo
- *Molis*
- *Actionis*

Duratio
- *Æterna*
- *Æviterna*
- *Temporalis.*

Essendi & existendi — *Naturalis*

Potestas
- *Agendi & patiendi* — *Voluntaria*
- *Intellectualis* — *Sapientia*
- *Rationalis* — *Scientia*
- *Sensitiva* — *Ars*

Cognitio
- *Intellectus* — *Fides*
- *Natura* — *Opinio.*

Appetitus
- *Rationalis ut voluntas* — *Concupiscibilis*
- *Sensitivus*
  - *Insensibilis.*
  - *Irascibilis.*

Virtus
- *Intellectualis ut sapientia, scientia, prudentia quæ.*
- *Moralis ut iustitia, fortitudo, temperantia*
- *Theologica ut fides, spes, charitas, gratiæ dona*
- *Animalis & sensitiva, motiva, vitalis, vegetalis*
- *Elementalis quæ naturalis dicitur*
- *Cœlestis quæ vocatur occulta*
- *Operationum & potentiarum secundum actionem & passionem.*

Veritas
- *Orationis* — *secundum actum sibi usum*
- *Rei* — *secundum habitum*
- *Consummationis*

Gloria — *in fine*

Quietis

Essentia
- *Simplex Substantialis*
- *Rei* — *Composita. Continuitatis*

Vnitas
- *Rationis* — *Accidentalis*
- *Identitatis.*
- *Simplex*

Perfectio
- *secundum modum essendi*
- *secundum mensuram conditionis.*

Passiones

B *Diffe-*

НАУКОВА БІБЛІОТЕКА ОНУ ім. І. МЕЧНИКОВА

Respectus
- B Differentia
- C Concordantia
- D Oppositio
- E Principium
- F Medium
- G Finis
- H Maioritas
- I Æqualitas
- K Minoritas.

Differentia
- Ex primis intentionibus
  - Essentialis
  - Realis
  - Accidentalis,
- Ex secundis intentionibus
  - Genere
  - Specie
  - Numero:

Per similem modum collige concordantia.

Nominis in plexi.
- Significata.
  - Proprie ut A casu
  - æquivoca secundum assimilationem.
  - Comparative secundum usum dicendi.
    - Analogiam.
    - Similitudinem.
  - translate per Oppositionem.
- Modum significandi
  - Varias suppositiones
  - Varia accidentia grammaticalia.

Incom-

Incom- Divisa
- Totum essentiale, integrale, accidentale in partes secundum esse & modum essendi.
- Genus in species.
- Superius in inferiora.
- Genus in differentias oppositas vel subiectas.

Rei in.
- Totum secundum partes in tempore, modo, quantitate.
- Causa in effectus & econtra.
- Subiectum in accidentia & econtra.
- Virtus in operationes.
- Substantia in suas potentias.
- Absolutum in comparata.
- Per variam attributionem.

Complexi sive orationis.
- Subiectum & prædicatum.
- Patientem & agentem.
- Vltra patientem.
- Modum subiecti & prædicati.
- Modum actionis & passionis.
- Secundum variam attributionem, expositionem & variam applicationem.

Simili modo accipe collectionem.

НАУКОВА БІБЛІОТЕКА ОНУ ім. І.І. МЕЧНИКОВА

Vnionis collectorum
Partium in toto
Mixtorum in mixto
Continuorum in continuo
Discretorum in discreto
Materiæ & formæ in uno supposito
Aliquorum in uno tertio
In medio iungenti, participanti vel dividenti
In termino concurrenti

Concordantia *Æqualium inter se*
Proportionum inter se
Effectuum, in causa, & econtra secundum omne genus causarum
Similitudinis & exempli
Coniunctionis & contingentiæ
Cognatione & agnatione vel affinitate
Vi forma cum subiecto
Vi ars vel instrumentum cum subiecta materia
Vi alicuius essentia vel de essentia eius

Ex his similiter quære differentias suo modo.

Mediata

Contrarietates

Immediata

Contradictio, secundum idem, ad idem, similiter, in eodem tempore.

Privativa

Oppositio *Localis*
Relativa, ut superius de accidente relationis.

Versa-

Versatur præcedens triangulus inter intellectuale & sensuale.

Essentiale

Formalis *Essentialis* / *Accidentalis* / *Exemplaris vel idealis* — *Coessentiale*

Entrinseca

Materialis *Propinqua* — *Obiectiva* / *Subiectiva*
Remota

Per se

Efficiens *Antecedens* — *Substantialis* / *Principalis*
Coniuncta — *Accidentalis* / *Instrumentalis*

Causale *Extrinsece*

Vltimus

Occasio *Finalis* *Subordinat.*

Per accidens *Fortuna* / *Casus* — *Impulsivus*

Genus

Vniversale

Species
Natura

Principium

Tempore — *Mensuræ*
Ordinale *Definitione* — *Determinationis*
Cognitione — *Coniunctionis*
Privativum — *Formæ*
Accidentale sive instrumentale — *Materiæ*
Generati — *Doctrinæ*
Corrupti — *Figuræ*
Motus *Augmenta* — *Motus*
Diminuti — *Continentiæ*
Originale *Alterationis*
Positivum *Localis*
Privativum

Coniunctionis — *Natura* / *Situ* / *Loco*
Mensurationis — *Substantiale* / *Accidentale.*

НАУКОВА БІБЛІОТЕКА ОНУ ім. І.І. МЕЧНИКОВА

Extremitatum
Operationis
Instrumentale
Adhæsionis
Participationis
Comprehensionis

Medium Vnionis
Negationis secundum locum
Transitionis secundum speciem
Positivum secundum quietem
Privativum
Destructivum
Constructivum
Substantialis
Accidentalis
Secundum essentiam

Extremitatum Secundum tempus sive ante sive post
Secundum locum
Qualitatem
Corruptionis Quantitatem,
Defectionis
Esse
Desitionis Operari secundum varias circumstantiae
Pati
Perfectionis quam supra distinximus.
Naturaliter
Privationis Moraliter
Artificialiter

Maioritas
Variantur secundum genera quantitatis
Æqualitas & magnitudinis, de quibus supra, &
iste Triangulus versatur inter substan-
Minoritas tiam & accidens.

FINIS.

Divisio-

Divisiones
Essentialia
Substantialia
Accidentalia secundum se
Genera
Species
Differentias Respectivè
Propria
Accidentia
Proprias passiones Comparativè
Actus

Multiplicantur subiecta, Operationes
Passiones
prædicata, & Virtutes
respectus artis, etiam ter- Potentias Considerando hæc omnia diversimodè Secundum inesse vel non inesse
mini extranei per Partes
Principia
Causas
Effectus
Similia

Convenientia
Oppositа
Priora Secundum se vel aliter se habere.
Posteriora
Exempla
Respectus
Extranea
Complexione varia
Varia prædicatione
Varia separatione & coniunctione.

B Virum
C Quid
D De quo
E Quare
Quæstiones F Quantum
G Quale
H Quando
I Vbi
K Quomodo & cum quo.

НАУКОВА БІБЛІОТЕКА ОНУ ім. І.І. МЕЧНИКОВА

Virum

- Necesse
- Possibile — vel impossibile
- Contingens

Entitas

- Primæ intentionis
- ut si est
- Secundæ intentionis

Essentiale, ut quid est in se, quid est in alio.

QVID.

- Quid rei — Qualitercunque explicas
- Quid nominis
- Quid personale ut quis per omnes casus
  - Essentialiter
  - Accidentaliter
  - Pars in toto & è contra
  - Inferius in superiori & è contra
  - Forma quævis in materia
- Quid contentivum, ut quid habet in se sive,
  - Potentia in virtute
  - Locatum in loco
  - Causa in effectu & è contra
  - & huiusmodi plura.
- Operativum
  - Active.
  - Passive
    - Primitivum ut à quo
    - Materiale
    - Conversive
    - Effective
- De quo
  - Constitutive
  - Compositive
  - Derivative
  - Possessive ut cuius
  - Originaliter
- Quare
  - Formaliter
  - Finaliter ut propter quid

Pos:

Quantum

- Positive
- Illative seu consequutive
- Magnitudinis
- Multitudinis, ut quot
- Ordinis, ut quotus
- Multiplicitatis, ut quotuplex
- Distributionis, ut quotiens
- Rei
- Propositionis
- Accidentis cuiusque intensi, extensi vel remissi

Quale

- Continuum
- Discretum
- Essentialiter
- Coessentialiter
- Accidentaliter
- Convertibiliter
- Proprie
- Appropriate

Quomodo multiplicatur per regulas — C D K

Ubi

- Repletivum
- Diffinitivum
- Occupativum
- Contentivum ut in quo
- Quærens principium motus & unde

Multiplicatur per regulas C D K

Quomodo

- Essendi
- Operandi
  - Essentialiter — Primariè
  - Accidentaliter — Secundariè
- Attributionis

Cum quo

- Instrumentale
- Medij ut per quid
- Convenientiæ ut cui

Quomodo & cum quo.

- Est pars per modum — Differentiæ, Proprij
- Est pars & in parte per modum — Actionis, Passionis.
- Sunt partes in toto & è contra & hoc — Constitutive, Compositive, Perfectionis

НАУКОВА БІБЛІОТЕКА ОНУ ім. І.І. МЕЧНИКОВА

Totum transmittit similitudinem suam & suarum partium extra se secundum modum

Finis.

Termini extranei inveniuntur.
- *Multiplicatione.*
- *Collectione.*
- *Similitudine.*
- *Vicinitate.*
- *Oppositione.*
- *Ex propriis communibusq; principiis rerum.*

Mixtio figurarum.
- *A parte subiecti.*
- *A parte prædicati.*
- *A parte modi aut cuiusq; horum mixtim.*
- *Terminorum artis inter se.*
- *Terminorum artis cum extraneis.*
- *Terminorum extraneorum inter se.*
- *In una figura.*
- *In diversis & pluribus.*

Ex natura prædicati.
- *Vniuoca*
- *Communis.*
- *Denominativa*
- *Naturalis sive nessaria.*
- *Contingens sive accidentalis.*
- *Remota sive impossibilis.*

Simpliciter
Ex hypothesi
Genus
Species
Differentia
Proprium

Secundum attributionem.

Secundum rationem prædicationis.
- *Directa*
- *Indirecta.*
- *Æqualis*
- *Mediata.*
- *Absoluta*
- *Comparativa.*

Secun-

Secundum qualitatem prædicationis.
- *Vera*
- *Falsa*

Secundum convenientiam orationis cum re

Secundum qualitatem.
- *Affirmati.*
- *Negativa.*

Secundum quantitatem.
- *Vniversal.*
- *Particula.*
- *Indefinit.*

Secundum modum prædicationis.
- *Secundum ineſſe.*
- *Secundum modum terminorum.*
- *Secundum modum propositionis dici potest, ut quod de cadici potest.*

Reduplica
Exceptive
Separative
Comparati
Varie exponibiles.

Definitio
- *Ex genere & differentia*
- *Ex genere proprio sive sit*
- *Ex partibus.*
- *A causa secundum quodlibet genus Causæ*
- *Per effectum & operationes*
- *Per potentiam vel obiectum*
- *Per potentiam & actum*
- *Per esse & essentiam*
- *Per respectum & relationem*
- *Ex fine rei*
- *Per distantiam extremorum*
- *Per abnegationem oppositi*
- *Per species reliquarum figuræ*

Proprie proprium.
Accidens proprium.
Actuales
Aptitudinales.
Potentiales.
& è contr.

Q. ex

C
D
E
F
G
H
I
K

Argumentum vel est
- *Syllogismus*
- *Enthymema*
- *Inductio*
- *Exemplum*
- *Argumentatio perfecta.*

Medium argumenti vel est
- *Antecedens*
- *Consequens*
- *Extraneum.*

НАУКОВА БІБЛІОТЕКА ОНУ ім. І. МЕЧНИКОВА

Loca essentialia ad probandum & improbandum.

Intrinseca A.

Divisione & partitione
Definitione & interpretatione.

Coniugatis
Genere
Specie
Similitudine
Differentibus
Contrariis
Coniunctis
Repugnantibus
Antecedentibus & consequentibus.
Causa efficiente
Effectu
Maiori
Minori
Paribus
Attributis personæ
Oracula
Autoritates
Confessata
Vulgi opinio
Sectæ
Pacta

Anterem.
Cumre.
Postrem.

Nomen
Natura
Fortuna & huiusmodi
Studium
Victus
Habitus
Casus
Affectus.

Extrinseca Ab.

Sententiæ
Iudicium
Vsus
Leges
Attributis negotiorum

Quidnam
Cur
Quibus auxiliis
Vbi
Quomodo
Quando

Auto-

Authoritate
Relatione
Facilitate
Dissimilitudine
Consilio
Exaggerando
Non vulgari
Comparatione
Consequentia
Demonstratione
Conversione
Vi fortunæ
Tolerantia
Deploratione
Conversentia
Humanitate
Commentatione
Vtilitate
Confessione
Exclamatione
Admiratione
Aggressione
Intermissione
Promissione.
Attenuatione
Admonitione
Retorsione,
Illusione,
Contemptione,
Suspicione,

Ad exordiendum & movendum animos utiles

Loci accidentales

Ad confutandum servientes

Et eiusmodi.

Solu-

НАУКОВА БІБЛІОТЕКА ОНУ ІМ. І.І. МЕЧНИКОВА

Solutio quæstionum.

Figura A.
Figura T. — *Directe*
Figura duplex
Figura multiplex
Subiecta — *Indirecte*
Regulæ

Applicatio quæstionis ad inveniendum veritatem solutionis consistit in his:

Prima figura
Secunda figura
Tertia figura
Quarta figura
Tabula magna
Evacuatio tertiæ figuræ — *Argumentando per varia media & diversa loca.*
Multiplicatio quartæ fig.
Mixtio Principiorum & regularum
Definitiones principiorum
Species triangulorum
Regulæ quæstionum
Species regularum.
Novem subiecta.
Termini extranei.

Solvendo

Solvendo fallacias & ostendēdo falsitatem.

Verborum
Forma
Materia
Per defectum — *Distinctione* — *Et huiusmodi*
Coniunctione
Sententiarum
Comparatione
Constructione

Dissolutio argumentorum.

Ostendendo diversitatem
Subiectorum
Principiorum
Mediorum — *Et huiusmodi*
Causarum
Secundum aliter inesse
Secundum aliter referri
Falsus
Male dictus
Negatione auctoritatis
Destructione rationis
Per potiorem aliam rationem
Per rationem & autoritatem oppositam

Improbatione argumenti & destructione loci aut quia
Per sequelam inconvenientis
Excipiendo aliquod spirituale
Ratione differentiæ
Similitudinis
Causationis
Effectionis
Respectu, Separatione, Cohærentia
Contraria applicatione & huiusmodi.

Atten-

НАУКОВА БІБЛІОТЕКА ОНУ ім. І. МЕЧНИКОВА

Attentos quia de rebus — Magnis / Novis / Inusitatis

Exordium facit — Cohortatione — Ex ipsa re subiecta / Non vulgari / Non commune / Non minus prolixum / Non superfluum

Benevolos — fit — A nostra / Ab auditorum / Ab adversarii / A re ipsa / A contemplatione

Dociles Divisione brevi

Hæc omnia fiunt occulte per insinuationem.

Nullo cursu

Nullis ambagibus

Sine repetitione

Brevis — Sine reduplicatione

Solis necessariis

Narratio sive rei sive negotii Clara — Propriis & usitatis verbis / Debita accommodata pronuntiatione.

Credibilis — Verisimilis / Debitis circumstantiis

Divi-

Divisio sive enumeratio — Absoluta / Pauca / Subdistribuenda / Ordinata

Sermocinativa — Confirmatio — Plane

Diductio — Divisæ

Argumentativa — Confutatio — Per extraneum.

Positissima aliquatione

Conclusio — Enumeratione brevi

Amplificatione ad diversos fines.

Commentariorum Henrici Cornelii Agrippæ, in artem brevem Raymundi Lullii Finis.

IN LI-

НАУКОВА БІБЛІОТЕКА ОНУ ім. І.І. МЕЧНИКОВА

IN LIBELLUM DE TRIPLI ci ratione cognoscendi Deum.

Si genius inquiras verum mortale potentem
Nosse Deum, cujus diceris effigies.
Hoc lege quod mira struxit Cornelius arte,
Cujus & ingenium nobile cudit opus.
Te prius ut noscas, prudens hortatur, & addit
Noscere tu possis qua ratione Deum.

ILLVSTRISSIMO EXCELLENTISSIMOQUE SACRI Romani imperii Principi, ac vicario Guilelmo Palæologo, Marchioni Montisferrari, Domino suo beneficentissimo, Henricus Cornelius Agrippa beatitudinem perpetuam exoptat.

Epistolam habet inscripta Lib. 1. Epistolarum Epist. LII.

HENRICI CORNELII AGRIPPÆ Liber de triplici ratione cognoscendi Deum.

Cap. I.

Aeternitatis Dominus universorum principium, medium & finis & renovatio, fons pietatis & origo, justitiæ, pater, & bonum, ipse omnipotens Deus, bonissima (ut ita loquar) sua voluntate propter infinitam gloriam suam creavit omnia bona, ut omnia eum glorificent, & sanctè incorrupteq; agant, quę ad illius honorem pertinent, statuitq; omnibus præscriptum certis limitibus finem, pulchrumq; ordinè quem transgredi prohibuit. Hæc erat voluntas Dei in creatis, creavitque Deus angelos, cœlum, stellas, elementa, vegetabilia & animantia quadrupedia,

pedia, reptilia, aquatica simul atq; volantia, & horum omnium principem & finem hominem ad imaginem suam, eique tanquam filio congratulatus est. Tunc in primis angelica natura non contenta sublimitate sua, ambitiosè appetens altiora, ex oppositio se locans contra Deum dixit: In cœlum ascendam, super astra Dei exaltabo solium meum, sedebo in monte testamenti, in lateribus aquilonis, ascendam super altitudinem nubium, & similis ero altissimo. Hujus ambitionis princeps fuit Satan, hic primus transgressor voluntatis divinæ, ob tantam superbiam & injustitiam è cœlo pulsus, & dejectus est in hanc vallem contagiosam, ubi ex hinc miserè degit cum odioso suo exercitu, omnibus infensus, suamq; ipsius justitiam in creatura Dei propagare non cessat, in tanta superbia pertinaciter subsistens, neque vult proprium peccatum agnoscere, sed Deum ipsum non cessat assidue peccato suo criminari. Hinc Græcè diabolus nuncupatur, hoc est, criminator. Ab hoc incœpit omnis injustitia, iniquitas, malitia, mors, deformitas, & ex eo procedit omne malum, & nihil nisi malum. Homo autem creatus in terra, & positus in Paradiso ut divinæ obsequeretur voluntati, ex quo sapientia simul & vita perpetua donatus erat, petitus à diabolo infesta tentatione, quem auscultans, similiter divinæ voluntatis transgressor effectus est. Quare etiam ipse pulsus ex hoc delitiarum horto in hanc vallem miseriæ, ignorantiæ, mortique factus est obnoxius, omni hora moriens, & negligens, cumque neglecta Dei notitia apertus est fons peccatorum, profluxerunt scelera, elapsi sunt socii tenebrarum, homoque Deum ignorans à Deo ignoratus est, Deique notitiam relinquens à Deo relictus est (ut ait Apostolus Paulus) in propria desideria, in passiones ignominiæ, & in reprobum sensum, corruptusque & abominabilis factus est in omnibus studiis suis. Vides modò quoniam ignorantia Dei omnium malorum fons est, & origo omnium peccatorum, & scelerum radix, ac lignum interitus, summaque impietas & injustitia, per quam omnia vitia convalescunt & augentur. Hæc animam ipsam pervertit, corrumpit naturam, subvertit hominem, ipsumq; ignominiosissimis peccatis implicat, corpus ipsum in omnem deformitatem naturę que contumeliam demergit, in quibus & anima simul madens suffocatur, transformanturque homines in naturam ferarum, moresque beluarum, pejora quoque quàm bruta sæpè patiuntur. Vnde præcipitantur in turpes sensuum illecebras, in lethiferas peccatorum sordes, corruunt in omne flagitium, & in naturę per-

Isaia 14.

Genes. 2, 5.

Rom. 1.

versionem, subjiciunturque cupiditatum imperio, ad quarum expletionem (ut inquit Hermes) ardenti quodam impetu perferuntur, rituque ferarum immoderato & irascuntur & cupiunt, quodque deterius est, nec finem imponunt libidini ullum, nec malorum inveniunt passionumque terminum, quæ omnia Paulus in epistola ad Romanos clarè edocet: hinc immundi spiritus, ultores scelerum, in tam nefariam labuntur animam, eamque flagellis verberant peccatorum, & violenta pœna ad omnia peccatorum genera trahunt, raptant, compellunt ad neces, ad rapinas, ad libidines, & ad cuncta per quæ delinquunt homines, vulnerantque eam insanabilibus vitiis, quæ eisdem vitiata tanquam venenis infecta tumescit, quod dolens Hermes exclamat: Fit deorum ab hominibus dolenda secessio, soli nocentes remanent angeli, qui humanitati commixti, ad omnia audaciæ mala miseros manu injecta compellunt, in bella, in rapinas, in fraudes, & in omnia quæ sunt animarum naturæ contraria. Et alibi inquit: Permittitur dæmonis ultoris arbitrio qui ignis acumen incutiens sensus affligit magisque ad patranda scelera armat, ut turpioris culpæ reus acriori supplicio sit obnoxius, eumque sine ulla intermissione ad insanabiles concupiscentias inflammat. Vides modo quod qui Deum ignorant, à Deo ignorantur: & qui Dei notitiam relinquunt, à Deo relinquuntur.

Tim. 12.

Rom. 1, 3.

Æsclep. 9.

Caput II.

OMnium itaque rerum cognoscere & amare principium ipsum omnium creatorem Deum, hæc summa pietas, hæc summa justitia, hæc summa sapientia, summaque hominis felicitas est. Clamat ad nos Deus de cœlo, de monte sancto suo: Contemplamini creaturas, audite angelos, auscultate filium meum, ut pii & justi sitis. Ecce hi sunt tres libri cognitionis Dei, quos misit Deus in hunc mundum hominibus. Primum librum creaturarum propositum gentibus, qui sub lege naturæ vivebant, qui habuerunt philosophos doctos per sensibiles creaturas, cognoveruntq; deum per illas, quemadmodū inquit Paulus: Invisibilia Dei per ea quæ facta sunt intellecta conspiciuntur. Secundò misit Deus librum legis & eloquiorum, quem dedit Iudæis, annuncians verbum suum Iacob, justitias & judicia sua populo Israël. Non fecit taliter omni nationi, & judicia sua non manifestavit eis: Ipsi enim supra philosophos habebant Prophetas edoctos per spiritua-

Roman. 1. Actor. 7. Matth. 17. Marc. 9.

Psal. 147.

les &

les & angelicas creaturas, & cognoverunt Deum per illas. Unde ait illis Stephanus protomartyr: Qui accepistis legem in dispositione angelorum. Et Dionysius ait: propheticam divinamque visionem gloriosos Hebræorum Vates adeptos esse, per medias cœlestes virtutes. Unde tradit universa cabalistarum schola, potiorem legis intentionem solum versari circa angelicum chorum, sublimem vero & ineffabilem essentiæ trinitatem, ad usque Messiæ adventum incognitam fore. Ultimò igitur misit nobis Deus tertium librum scilicet librum Evangelii datum Christianis, qui cognovimus Deum per ipsum Dei filium patri coæternum, factum hominem, Dominum nostrum Iesum Christum. Unde, inquit Paulus, novissimè diebus istis locutus est nobis Deus in filio suo quem constituit hæredem universorum, per quem fecit omnia, habemusque doctores Apostolos doctos à filio Dei Iesu Christo.

Actor. 6.

Dionysius

Cap. III.

NVnc ergo singula pertractemus, & primò videamus quomodo cognoscatur Deus per creaturas: sed non intelligamus, hîc ita nos Deum cognoscere posse, ut qualis ipse sit in extrema ac solitaria sui ipsius à rebus separatione, ac in seipsum retractatione, ac quæ sit ejus substantia, in profundissimo suæ divinitatis recessu, dignoscamus. Hoc enim impossibile est, & super omnem intellectum incomprehensibile. Ideo ait Apostolus, Deum habitare lucem inaccessibilem. Et Propheta inquit, Posuit tenebras latibulum suum. Et Iohannes ait. Deum nemo vidit, nec videre potest. Et Dionysius dicit: Porrò ipsa divina, cujusmodi in suo principio suaque sede sint, nullus sensus attingit, nulla substantia, nullaque scientia penetrat, denique sive supersubstantiale illud occultum, sive Deum aut vitam, sive substantiam, sive lucem seu verbum appellemus, nihil intelligimus aliud, quàm ex eo emanantes in nos participationes atque virtutes, quibus assumantur in Deum, & quæ nobis vel substantiam, vel vnam vel sapientiam largiuntur. Cognoscimus itaque Deum per participationes quasdam ab eo emanantes, in ea quæ creata sunt, quas nos intelligentes per quandam (ut ita dicam) reflexionem, Deum cognoscimus: vel ut inquit Hermes: Contingit nobis hominibus, ut quasi per caliginem ea quæ in cœlo sunt videamus, quantum possibile est per conditionem sensus humani. Hæc autem intensio pervidendi tantis bonis

1. Tim 6. Psal. 17.

Ioan. 1. Ioan. 4. Dion. de divinis nominibus.

Æsclep. 2.

HAVGOBA IEJIOTEKA OHY im. I.I. JEJEWICKOBA

Æsclep. 10. Pim. 2. angustissima est, latissima verò cum videtis felicitate conscientiæ. Itaq; in creaturis propter participationem quandam Dei, Deus ipse susp̃icari & perscrutari potest: Deus enim per singula creata ubique splendet. Et omnibus se libenter ostendit (ut inquit Mercurius) non ubi sit loco, nec qualis sit qualitate, nec quantus quantitate, sed hominem sola intelligentia mentis illuminans. Et alibi inquit: Deus omnia ob eam causam fabrificavit, ut eum per singula cerneres, hæc Dei bonitas, hæc ejus virtus est, illum fulgere per omnia, nihil est vel incorporeis etiam invisibile, mens ipsa intellectione videtur, Deus autem in oratione conspicitur. Vnde alibi inquit Mercurius: Denique cum Deum videre volueris, suspice Solem fili, respice Lunæ cursus, suscipe syderum motus reliquorum, quis perpetuum horum servat ordinem, quis mensuram singulis motionis assignat, quis trahit mundi machinam, quis hoc utitur instrumento, quis mare suis finibus circumscripsit, quis terræ pondus fistit ac librat? in medio certè est aliquis horum author & dominus. Vnde etiam Dionysius ait: fortè id veraciter dicemus, nos Deum non ex ipsius naturâ cognoscere, id quippe ignotum omnemq́ue superat rationem ac sensum, sed ex creaturarum omnium ordinatissima dispositione, ab ipso producta, ut imagines quasdam, ac similitudines divinorum ipsius exemplarium præ se ferente, ad id quod omnia transcendit, via & ordine pro viribus scandimus. Eò usque ascenderunt Philosophi gentium ex sola apprehensione creaturarum, hoc est, intelligentia sua cuncta complexi, quæ creata sunt in terra, in aquis, in elementis, in cœlo, & quæ præterea supra cœlum sunt. Tandem pervenerunt ad primum motorem, & rerum omnium principium, intellectuque viderunt Deum omnipotentem, unum, æternum, creatorem omnium, ac summum bonum, sempiternam quoque ejus virtutem, & divinitatem, bonitatem, sapientiam, veritatem, justitiam, pulchritudinem, &c. quæ vocat Paulus invisibilia Dei: viderunt enim Deum in cœlo & in terra, in igne, in aqua, in spiritu, in animalibus, in arboribus, in omni corpore, & in omnibus creaturis, quemadmodum canit Lucanus:

Pim. 5.

Dion. de divinis nominibus.

Iupiter est quodcunque vides, quodcunque movetur.

Vergilius quoque inter pecora cecinit:

Iovis omnia plena.

Hinc Hermes ait: Homo effectus est divinorum operum contemplator, quæ profectò dum admiraretur, autorem illorum cognovit. Facilè enim & completè (prout humana sustinet promptitudo) Deum noscit, qui mente facili singula ejus opera cernit. Omnis itaque homo potest Deum cognoscere, si velit. Propterea inexcusabilis est homo ignorans Deum, & omnis qui animam suam in corpus demergens, Deum se posse cognoscere diffidit. sed absit hæc impietas, recurre in teipsum, emergas ex corpore, nihil supponas in te impossibile, confidas & intelliges, velis & consequeris: Sic denique Deum cognosces, si non diffidas de teipso. Humanus enim animus (ut ait Hermes) omnia capit, omnia penetrat, elementis velocitate miscetur, acumine mentis in maris profunditatem descendit, omnia illi lucent, non cœlum videtur altissimum, quasi enim ex proximo sagacitate omni intuetur, intentionem animi ejus nulla aëris caligo confundit, non densitas terræ operam ejus impedit, non aquæ altitudo profunda despectum ejus obtundit. Et alibi: Præcipito (inquit) animæ tuæ, quæ citius quàm præcipies, evolabit. Iubeto ut transeat in Oceanum, illa priusquam jusseris, ibi erit, inde ubi nunc est, nequaquam discedens. Iubeto iterum ut in cœlum volet, nullis pennis egebit, nihil ejus obstabit cursui, non Solis incendium, non æthereis amplitudo, non vertigo cœlorum, non siderum reliquorum corpora, quin omnia penetrans ad supremum usq; corpus transcendat, quin etiam si volueris globos omnes transcendere cœlorum, quodque superius est investigare, id quoque tibi licebit: Adverte modò quanta sit animæ potestas, quanta virtus, quanta celeritas. Propterea inexcusabilis est homo ignorans Deum. Magis autem ille qui cognoscens Deum quoquo modo, eundem non colit, neque veneratur. Hæc enim odiosissima est & inexcusabilis impietas, quam Paulus improperans gentib⁹ ait ita: ut sint inexcusabiles, quia cùm cognovissent Deum, non sicut Deum glorificaverunt, aut gratias egerunt. Philosophi namq́; gentium, cognoscentes varias disciplinas, Arithmeticam, Musicam, Geometriam, Astronomiam, Physicam, Metaphysicam, Dialecticam, & cæteras, cognoveruntq́; scientia sua unum solum ac verũ Deum, sed impii & ingrati de tanto beneficio, à pura sanctaq́; cognitione aversi, falsam quandam ejus imaginẽ temeraria cognitione, nulla vera ratione inspecta, sequentes ipsum, non ut unum solum ac verum Deum coluerunt, nec gratias illi, quòd illos divinitatis suæ agnoscendæ illustravit lumine, reddiderunt. Quare omnes illi impietatis injustitiaq́ue & ingracitudinis condemnabuntur, juxta verba Pauli dicentis: Revelatur

Æsclep. 3.

Tim. 1.

Rom. 1.

Rom. 1. & 2. enim ira Dei de cœlo super omnem impietatem & injustitiam hominum. impietas namque peccatum est erga Deum, injustitia erga homines: extrema autem impietas est, non cognoscere Deum. Ex impietate intemperantia, & hæc injustitiæ fundamentum. Intemperantiam verò dicimus depravationem voluntatis ex sopore rationis ortam, affectu sensuali nimium dominante, ubi videlicet sopita ratione, ad imperium sensuum omnia aguntur. Vnde hæc sterilis anima dicitur, nullum fructum bonum producens in tempore suo, & hæc est animæ summa impietas, sterilem esse, de qua ait Mercurius:

Tim. 2. Impietas accidit illi, qui absq; filiis è vita discedit, qua de causa dæmonibus post obitum dat pœnas. Sed frustrà cognoscimus Deum, nisi illum rite colamus, & legitimè cum hominibus vivamus. Vnde inquit Hermes: Certamen religiosæ pietatis

Tim. 2. est recognoscere Deum, injuriam inferre nemini: quod etiam

Matth. 22. Marc. 12. Luc. 12. præcipit Christus, dicens: Dilige Dominum Deum tuum, proximum tuum sicut teipsum. Hæc duo præcepta ad salutem necessaria sunt, fonsq; fons omnis bon: horum primum pietatis, alterum justitiæ est. Econtrario impietas & injustitia omnium malorum radix sunt, super quæ revelatur ira Dei de cœlo super illos, qui veritatem Dei in illis polluunt violantque, & illi sunt qui Deum in cognitione non amant, & in scientia sua non fructificant, qui in sapientia sua non religiosi sunt, & in prudentia sua non prosunt hominibus. Sed nunc consequenter de secundaria cognitione Dei, quæ est per librum legis, dicamus.

De cognoscendo Deo.
CAP. IIII.

SEcundus liber datus est Iudæis, liber Legis, palàm positus, & liber eloquiorum solis sapientibus traditus. Ipsi enim primi fuerunt, quibus cum multivariàm Deus per angelos suos locutus est, & quibus data fuerunt oracula & arcana Dei,

Psal. 147. sicut ait Psalmista: Non fecit taliter omni nationi, & judicia sua non manifestavit illis. Constat autem ex sententiis Hebræorum magistrorum, etiam & Christianorum doctorum, Moysen ipsum magnum Hebræorum legislatorem, præter legem illam, quà Deus dedit illi in monte Syna, quà ille quinq; libris scriptam contentamq; reliquit, revelatam quoq; fuisse eidem Moysi ab ipso Deo veram legis expositionem, cum manifestatione omnium mysteriorum & secretorũ, quæ sub cortice & rudi facie verborum Legis continentur. Vnde legitur

Deus dixisse ad Esdram: Revelans revelatus sum super rubum, 4. Esdr. 14. & locutus sum Moysi, quando populus meus serviebat in Aegypto, & misi eum, & adduxi eum super montem Syna, & detinebam eum apud me diebus multis, & narravi illi mirabilia multa, & ostendi ei temporum secreta & finem, & præcepi ei dicens: Hæc in palàm facies verba, & hæc absconde. Constat itaq; Moysen in monte duplicem legem, videlicet, literalem & spiritualem accepisse, & juxta præceptum Dei utramq; populo Iudaico communicasse, illam videlicet scriptam vulgo palàm statuisse, alteram verò solùm septuaginta sapientib⁹ communicasse, nec scriptis, nec ut ipsi scriberent, sed viva voce, & ut quisq; eorum ordine perpetuo suis successoribus viva voce revelarent, propter quam vivæ vocis successivam traditionem dicta est scientia eloquiorum, quam Hebræi vocant Cabalam, propter receptionem tanquam hæreditario jure unius ab altero. Cui sententiæ correspondet etiam illud Hilarii in expo- Hilarius sitione Psal. Quare fremuerunt gentes. Vbi dicit Hilarius, fuisse à Moyse institutum, in omni synagoga septuaginta esse se- Psal. 2. niores, quibus Moyses præter legem quam literis condidisset, secretiora mysteria intimavit, & juxta hunc sensum expo- Origenes nit splendidissimus Theologus Origenes illud Pauli: Quia Rom. 2. credita sunt illis eloquia Dei, scilicet præter literalem legem Iudæis datam, etiam aliam fuisse spiritualem, quà Paulus vocat eloquia Dei: recentiores Hebræi Cabalam dicunt, quæ omnium divinarum humanarumq; rerum cognitionem in allegorico sensu legis Mosaicæ comprehendit: quod etiam Paulus confirmat, ubi dicit: Iudæos habere formam scientiæ & veritatis in lege. Et Rabi Moyses in secundo tractatu Moræ in- Rab. Mos. Aegypt. quit, totam legis solicitudinem in hoc consistere, ut veridicas sententias de Deo angelicisque choris doceat, quibus edocti homines, etiam ipsum mundum in suo ordine cognoscant. Principalis itaque eruditio Cabalæ prophetica est, & illorum cognoscibilium, quæ de Deo angelisq; intelligi possunt. Hinc multiformia tam Dei quàm angelorum sacra nomina invocanda edocet, variosque corporeos actus enumerat, quibus homines tanquam similes facti diis, conformando se divinis per quosdam gradus, ad æterni patris lumina transcendunt, quibus repleti Dei cognitionem ultra naturæ morem assequuntur, magis enim operantur invocata sacra nomina in mentem nostram illis ritè expositam, quàm corpus quodvis accedès ad aliud corpus operatur in illud ceu ignis in stuppã. Habet præterea lex Hebraica etiam hoc divinitatis, ut præter

HAZ COBA FUE BIBLIOTECA OH.. EL FUEGO

Dei angelicaque nomina, multiformia ibi latitantia, etiam ne elementum ullum transeat, sine prophetico aliquo mysterio, quorum revolutione juxta regulas Cabalistarum sæpè stupenda panduntur oracula. Vnde ait Rabi Moyses secundo Moræ, divina nomina prophetica que verba transposito literarum ordine, aliisque insolitis signaculis sæpè grandia sapientiæ divinæ oracula decernere. Quod etiam alter Moses Gerundinus in exordio Geneseos, & tota Cabalistarum schola confirmat, majores siquidem & propinquiores virtutes Dei sunt in divinis nominibus, propheticisque characteribus, quàm in quovis corpore mundi. Ideo Dionysius nos illorum veneratione & contemplatione facilius ad Deum patrem ascendere, suique splendoris plus quàm ex rerum naturalium & creaturarum intuitu participes effici. Et nos de hac materia latè & profundè scripsimus in libro de Occulta philosophia, eo loco ubi de mysteriis & cæremoniis occultarum operationū tractatur. Sed satis est hîc, nobis scire, Iudæorum cognitionem de Deo, multò fuisse sublimiorem & perfectiorem per legem, quàm gentium per creaturas. Non tamen potuerunt nisi umbratilem quandam de Deo cognitionem habere: veram autem & perfectam Dei cognitionem (ut tota Cabalistarum schola testatur) reservatam fuisse ad adventum Messiæ, qui tandem venit, Dominus noster Iesus Christus, in quo perfecta sunt & perficiuntur omnia. Sed redeamus ad Cabalam, quæ est lex spiritualis, latens sub verbis Legis literalis, quæ sola viva voce tradebatur ab uno ad alterū. Hæc lex spiritualis, post restitutionem Iudæorum à Babylonica captivitate, per Cyrum regem Persarum, & instaurato templo sub Zorobabel pe. Esdram (qui tunc Iudaicæ Ecclesiæ præfectus erat) in Synodo convocatis sapientibus, ut afferret unusquisque in medium, quæ de legis mysteriis memoriter teneret, adhibitis notariis, primùm scriptis mandata est, & in septuaginta volumina (tot enim in Synodo illo erant sapientes) redacta est. De quibus ita loquitur Esdras: Exactis quadraginta diebus, loquutus est altissimus dicens: Priora quæ scripsisti in palàm pone, legant digni & indigni: novissimos autem septuaginta libros conservabis, ut tradas eos sapientibus de populo, quorum corda scis posse capere & servare secreta hæc: in his enim est vena intellectus, sapientiæ fons, & scientiæ flumen. Continet enim lex ipsa ineffabilem de supersubstantiali deitate Theologiam, de intelligibilibus angelicisque formis exactā Metaphysicam, de mundo corporeo, rebusque naturalibus firmissimam Philosophiam. Atque hinc venit in usum, ut apud recen-

Rab. Mos. Ægypt. Rab. Mos. 25.

Dionys. de divin. nom.

Lib. 3. de occult. philos.

4. Esd. 12. & 14.

recentiores Hebræos etiam quæque occultior & abditior, vel quæ circa mirabilium effectuum secretas operationes versatur scientia, Cabala nuncupetur. Vnde factum est, ut etiam illi, qui se creto quodam fœdere, pacto & conventione cum dæmonibus inita, stupenda facta jactitabant, quo improbitatem sui execrandi artificii superstitionisque tegerent, honestiori nomine Cabalistas sese vocitârunt. Hinc randem Cabalæ sanctum nomen in suspicionem venit, quemadmodum & sacrum Magiæ nomen, utrumque suspectum est, utrumque prophanatum est, juxta vetus Proverbium, quo dicitur: sacra prophanantur quoniam à prophanis usurpantur. Habebant itaq; Iudæi legem scriptam ad vulgus publicatam: habebant etiam eloquia Dei, scilicet altissimæ divinitatis arcana mysteria sub cortice verborum scriptæ legis latitantia, solis sapientibus tradita, quæ non licuit in vulgus prodere. Mysteria enim tanta divinitate plenissima stultę plebi communicare, quid aliud esset, quàm sanctum dare canibus, quod etiam Christus ipse in Evāgelio suo vetuit: qui promissus per legem, & desideratus in lege, tandem opportuno tempore venit adimpletor & perfector legis, quemadmodum ipse inquit: non enim veni solvere legē, sed adimplere. Erat enim tota lex in tres partes divisa, vel erant umbratiles figuræ futuræ lucis, vel sermones prophetici futuræ veritatis, vel præcepta vivendi futuræ perfectionis. Quòd si solùm literalem sensum legis apprehendas, absque spiritu futuræ lucis, veritatis & perfectionis, nihil erit lege magis ridiculum, & anilis fabulæ, milesiique sermonis magis similimum. Porrò venit Christus sol justitiæ, vera lux, clarissima veritas, vera vitæ perfectio omnibus hominibus, qui credunt in nomine ejus: ipse adimplevit legem, ut amodò non sit opus lege, nec amodo cognoscimus Deum in caligine creaturarum, neque in umbra Legis Iudaicæ, sed lumine Fidei Iesu Christi, qui est vera cognitio, sapientia patris, intellectus hominis, in quo, ut inquit Paulus, recapitulantur omnia, & quæ in cœlis, & quæ in terris sunt. Ideo nunc consequenter dicamus de ultima & perfecta Dei cognitione, quæ est per Evangelium Christi Iesu Domini nostri.

Matth. 7.

Matth. 5.

Ephes. 1.

Cap. V.

OMne studium amorque sapientiæ ex Spiritu sancto est per Dominum nostrum Iesum Christum, ipsa vera sapientia Dei cognitio est, illustratio mentis, voluntatis correptio, appetitioque rectæ rationis, quædam vitæ certa lex, sanctificans ani-

HISTORIA DE LA MASONERIA

mam hominis, Deo disponens viam, quid agendum, quid omittendum demonstrans; quam nos sapientiam alio vocabulo Theologiam vocamus, hæc sapientia veraq; Dei cognitio, imo contactus quidam Dei essentialis melior quam cognitio, traditur divinitùs in Evangelio. Neque enim Deus ipse sine Evangelio verè cognoscitur, neque Evangelium absque divina gratia verè intelligitur. Manifestum enim est, ea quæ ex Deo traditа sunt, non nisi ex Deo intelligi posse, sicut ait Propheta: *Psal.35.* In lumine tuo videbimus lumen: quam lucem Trismegistus *Pim.1.* Mercurius mentem vocat divinæ essentiæ, lucem ipsam exorientem Deo. Intellectus tamen noster, nisi per mentem illuminetur divinam, ab errore non est immunis, & frustra laborat in divinis. *2.Cor.3.* Vnde Paulus ait: Non sumus sufficientes aliquid cogitare ex nobis, sed sufficientia nostra ex Deo est, quem invocandum, ad quem orandum, in omni rerum principio, maximè tamen in Theologia id fore agendum, sacer precipit Dionysius. *Dionys.de divin. nom.* Dixit etiam ipsa veritas Christus: Petite & dabitur vobis, pulsate & aperietur vobis, quærite & invenietis, videlicet *Matth.7.* quærendo in fide, firmiter credendo: credere enim (ut ait Her- *Luc.2.* mes) ipsum intelligere est. Petendo denique in spe cum firma *Pim.9.* & indubia expectatione, laudando & adorando Iesum Christum, à quo tam divinissima cognitio in animam nostram descendit, ut nos spiritus sui illustret lumine. Pulsantes autem in operatione charitatis cum vigiliis & jejuniis, & ardenti desiderio in omni vita cum imitatione Iesu Christi, quemadmodum inquit Ioannes: qui dicit se manere in Christo, debet, sicut ille ambulavit, & ipse ambulare: quam Paulus vocat fidem, quæ per dilectionem operatur. Idcirco frustrà currunt, quicunque litigiosis quibusque disputationibus divina prosequuntur, & sophismatum muniti ambagibus, ac dialecticis præstigiis sacrarum literarum fores se diffringere posse putant. Semper quærunt magna disputantes, nihil tamen inveniunt, quia semetipsos amittunt (ut ait Paulus) semper discentes, & nunquam ad scientiam veritatis pervenientes. Hinc idem Paulus præcipit Corinthiis, ut obediant & firmiter perstent in fide, & caveant ne decipiantur per dialecticam & Philosophiam, quæ sunt inanes fallaciæ & inventa hominum, & secùdùm elementa hujus mundi corruptibilis: cujus cognitio omnis est à sensibus, ex quibus ratio omnem suam capit cognitionis materiam, discurrendo, componendo, dividendo & colligendo universales propositiones ex experimentis. Deus autem & Iesus Christus supra mundum est, & creator mundi super omnes naturas, qualitates,

tates, figuras, numeros, ordines, actiones, atq; (ut ait Dionysius) supra omnem sermonem, positionem, ablationem, super omnem affirmationem & negationem, supra etiam illos supramundanos angelos, & pennas ventorũ, qui ascendit super Cherubim, & posuit nubem latibulum suum, qui est Rex regum, & dominus dominantium, tum eorum quæ sunt, tum eorũ quæ non sunt, qui inclinavit cœlos, & descendit sicut pluvia in vellus, & in se assumpsit naturam humanam, & in ea inter homines factus est mirificus, & admirabilis in omnibus operib. suis, potentia sua supernaturali & divina. Ad illum igitur verè cognoscendum, dialectica & Philosophia queunt ascendere, impeditæ ratione, quæ est inimica sanctæ fidei. Vnde ait Gregorius Nazianzenus lib. 2. de Theologia: Quid enim tum suspicaberis divinum esse, si omnino logicis credis speculationibus? aut ad quid te ratio inducet violenta, sive examinata, te qui gloriaris circa immensa. Fides ergo omni cognitione præstantior, quatenus non inanibus commentationibus, sed divinæ revelationi tota innititur, à primo lumine immediatè descendens, sola potest ea quæ supra mundum sunt, apprehendere. Ipsa enim mundi exordium intelligit (ut ait Paulus: Fide intelligimus aptata esse secula verbo Dei) & supra statutæ naturæ limites ascendit, spaciaturque in illo latissimo campo, in ipso autore naturæ. In hac fide Paulus dicit se accepisse apostolatum, & prædicare Deum. Et scribens ad Corinthios ait: Prædicatio mea non est in persuasionibus humanæ sapientiæ, sed in ostensionibus spiritus & veritatis fidei Iesu Christi. Sola enim fides instrumentum est & medium, qua sola possumus Deum cognoscere, &, ut ajunt Platonici, qua sola ad Deum accedimus, divinamq; nanciscimur protectionem ac virtutem. Sed videamus quæ anima, quando & quomodo potest liberè uti hoc instrumento. Certè nulla, nisi illa, quæ quando tota rationis intentione ascendendo in mentem, caput suum supremam ejus portionem, tota in eam convertitur: sicut quandoque ob inferiorum & sensibilium rerum amorem tota vertitur in phantasiam (scimus utiq; humanam mentem superni vultus imaginem, nobisq; inscriptum lumen existere, quæ de veritatis fonte migrans, sola veritatem capit & amplectitur, sed phantasmatum turbines eam non quidem in se, sed in nobis adeò obumbrant, distrahunt, dissipant, dispergunt, quò vix veritatis angustissimam portam intrare valeat anima. Itaq; nostra carne inclusa corruptibili, nimioq; ejus demersa commercio, nisi viam carnis superaverit, fueritq; pristinam naturam sortita, evaserit-

que mens

HAYLOBA-BIBLIOTEKA OHS-M.T.-NEUMEOBA

que mens pura, quasi par angelo, frustrà laborat in divinis: Sed quæ anima hæc est, nisi quæ indubia Spe, & superni numinis desiderio phantasiam silere jubet, & quæ veram fidem firmiter amplexa, assuetis rationis naturalis discursionibus amodò non confidit, & quæ ardenti amore adhærens Deo, sola vivit mente, evasit angelus, capit toto pectore Deum? Vnde illud Hieremię: *Hierem. 9.* In hoc glorietur, qui gloriatur, scire me. Hinc Zoroastes vetustissimus Philosophus: Anima (inquit) hominis Deum quodammodo contrahit in seipsam, quoniam nihil retinens mortale, tota divinis haustibus inebriatur. Et tunc quoque talis anima sæpè exulta in corporis harmoniam, quando scilicet post contemplationum rediens ad corporalia officia, producit in his fructus fidei, cibum justitiæ: Ideo hujusmodi animam Io- *1. Ioban. 2. 3.* annes ait nasci iterum ex Deo siquidem Dei summi lumen quemadmodum radius Solis corpus attenuans, sursumq; trahens, & in igneam convertens naturam, per mentes angelicas usque ad animam nostram defluens, instigat quotidie animã carni immersam, ut denudata ab omni carnalitate deponat omnes potentias, operationesque animales, & rationales, ac sola mente vivens, spe decora, fide directa, amore flagrans, tota ad Deum conversa, & in Deo fœcundata Deo regnante, fiat Dei filius, pariatque novum Immanuel. Et talis anima quotiens dimissis actionibus in seipsam regreditur, & ad æternum Deũ contemplandum se flectit: tunc nullo amplius terrenorum impetu torpens, sed Patre luminum fulta, ad sublimem divinæ cognitionis ascendit apicem, ubi propheticis oraculis continuo impletur, sæpè etiam ad miracula perpetranda Dei instrumentum eligitur, cujus orationes etiam circa publicas mundi *Iacob. 3.* ipsius mutationes non fiunt irritæ, quemadmodum Iacobus nos admonet, dicens: Helias homo erat similis nobis, & passibilis, & orans oravit ut non plueret super terram, & non pluit annos tres, menses sex: & rursum oravit, & cœlum dedit pluviã, & terra dedit fructum suum. O magnum miraculum, homo, præcipuè autem Christianus, qui in mundo constitutus, ea quę supra mundum sunt, ipsiusq; mundi autorem cognoscit, tum in eo ipso inferiora quæque cernit & intelligit: non solùm ea quæ sunt, & quæ fuerunt, sed & illa quæ non sunt, & quæ ventura sunt. Magnum certè miraculum est homo Christianus, qui in mundo constitutus, supra mundum dominatur, operationesque similes efficit ipsi Creatori mundi, quæ opera vulgò miracula appellantur, quorum omnium radix & fundamentũ fides est in Iesum Christum. Per hanc solã efficitur homo idem aliquid

aliquid cum Deo, eademq; potestate fruitur, quemadmodum Christus pollicitus est, dicens: Amen dico vobis, qui credit in *Ioban. 14.* me, opera quæ ego facio, ipse faciet, & majora horum faciet: quia ego vado ad Patrem, & quicquid rogaverit Patrem in nomine meo, ego faciam: & quicquid rogaveritis me, ego faciam, ut glorificetur Pater in Filio. Et alibi ait: Si habueritis fidem *Matth. 17.* sicut granum sinapis, & dixeritis huic monti, jacta te ultra ma- *Luc. 17.* re, fiet. Propterea dico vobis, quicquid petentes oraveritis, credite quia accipietis, & fiet vobis. Hinc est, quòd homines verè Christiani, ac Deo devoti, loquuntur linguis, prædicant futura, imperant elementis, pellunt nebulas, citant pluvias, præcipiunt ventis, avertunt tempestates, sanant ægrotos, illuminant cæcos, curant claudos, mundant leprosos, ejiciunt dæmonia, sæpè suscitant mortuos, & hujusmodi: Sic Prophetæ, sic Apostoli, sic multi sancti Pontifices, sacerdotes, doctores, cæteriquè viri Dei maximis claruère clarentque potentiis. Maximè ergo concedens est illa potestas illos qui perfectiores in fide, quibus Paulus solùm se dicit narrare Sapientiam, & segregatim prædi- *1. Cor. 2.* care Evangelium. Habet enim etiam Evangelium, quemadmodum Lex Mosaica, aliud in cortice propositum imbecillioribus, aliud in medulla, quod segregatim revelatum est perfectis, sicut de illis loquitur Paulus ad Hebræos, vocans hæc lac infantium, & elementa exordii sermonum Dei, illa autem nuncupat solidum cibum, sermonem justitiæ, & perfectam Christi doctrinam, inquiens: Si ferri vultis ad perfectam Christi doctrinam, omittendus est sermo inchoationis, in quo videlicet tractatur de principiis & fundamentis divinæ sapientiæ, quæ sunt de pœnitentia ab operibus mortuis, de Baptismate, de Sacramentis, de impositione manuum, & de authoritate absolvẽdi, de resurrectione mortuorum, & judicio æterno, & ejusmodi, quæ omnia habentur in cortice Evangelii, & in scholis tractantur à scholasticis Theologis, & in problemata disputanda & discutienda deducuntur: illa autem pertinentia ad meliorem sapientiam, & perfectam doctrinam, videlicet, quòd sit donum cœleste, & manna absconditum, quod nemo scit, nisi qui accipit, & quòd sit bonum Dei verbum, melius illo quod foris vulgò traditur in parabolis, quodque mysterium regni Dei datum nosse solis secretioribus discipulis: & quæ virtutes seculi futuri, quæ origo & finis animæ, & ministeria angelicorum spirituum, quæ conditio & qualitas illius immensę glorię, & felicitatis, quam expectamus, quam nec oculus vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascendit: hæc omnia continentur in

HYACINTHUS DE LA OHA S.J. 1644 LIMA

tur in medulla & nucleo Evangelii, & non nisi perfectioribus cognita sunt, quibus data est scientia potestatum & virtutum, miraculorum & prophetiæ, & cætera, quæ homines propriis viribus indagare non possunt, nisi qui subjecti fuerint virtuti Spiritus sancti, qui ob hoc ad principatum in Ecclesia gerendum eliguntur & deputantur, ut ipsi illuminati in Fide cognoscentes voluntatem Dei, instructi per Evangelium, juxta verba, *Rom.2.* Pauli, sint duces cæcorum, lumen eorum qui in tenebris sunt, eruditores insipientium, magistri infantium, habentes formam scientiæ & veritatis in Evangelio, cujusmodi sunt in Ecclesia Pontifices, Episcopi, Prælati, Doctores, & quibus cura animarum, & ædificatio Ecclesiæ commissa est, ad quos Paulus scribens, ait: Qui loquitur linguis, non hominibus loquitur, sed *1.Cor.14.* Deo, nemo enim audit: spiritus autem loquitur mysteria: nam qui prophetat, hominibus loquitur ad ædificationem, & exhortationem, & consolationem: qui loquitur lingua seipsum ædificat, qui autem propherat, Ecclesiam Dei ædificat: & sequitur ibidem: Linguæ in signum sunt, non fidelibus, sed infidelibus: Prophetiæ autem non infidelibus, sed fidelibus: Si ergo conveniat universa Ecclesia in unum, & omnes linguis loquantur, intret autem idiota infidelis, nonne dicet, quid insanitis? Si autem omnes prophetent, intret autem quis infidelis vel idiota, convincitur ab omnibus, dijudicatur ab omnibus: occulta enim cordis ejus manifesta sunt, & ita cadens in faciem adorabit Deum, pronuncians, quia verè Deus in vobis sit, & tandem concludit: si quis videtur propheta esse aut spiritualis, cognoscet quæ scribo vobis, quia Domini sunt mandata: si quis autem ignorat, ignorabitur. Ecce Apostolus hæc non ut consilium, sed divinum mandatum ac præceptum proponit. Quare si Pontifices, Prælati & doctores non habuerint & admirandam eorum in Ecclesia professionem alicujus divinæ potestatis effectu non comprobaverint, certè illorum spiritus mentis lumine habet & fide in Christum debilis est, & languet carne supra spiritum nimium dominante. Quam obrem omnes illi tanquam steriles animæ, impietatis & injustitiæ adeò judicabuntur atque condemnabuntur. En habes modo qualem esse oporteat, qui Dei cognitionem assequi cupit, & qui verè dici mereatur Theologus, qui cum Deo loqui desiderat, & in lege ejus meditari die *Dionysius.* ac nocte. Sic namque Ioannes Evangelista à Dionysio theologus cognominatus est, à divina scilicet locutione. Sed sunt quidam alii qui linguis loquuntur, humanis scientiis inflati, imò qui vita

qui vita & lingua de Deo mentiri non erubescunt, qui suo spiritu omnem Scripturam ad sua mendacia impudentissimè torquent, ac mysteria divina ad humanæ rationis methodum exigunt, inventisq; capitibus suis glossis sacrilegis adulterato verbo Dei, sua portenta stabiliunt, ac sanctum Theologiæ nomen furto & rapina sibi temerè usurpant, solisq; operam dant contentionibus, & rixosis disputationibus, de quibus Paulus scribit ad Philippens. dicens: Quidam propter invidiam & con- *Philip.1.* tentionem, quidam autem propter bonam voluntatem Christum prædicant. Et hi contentioli sunt argumentatores isti, qui Dei notitiam argumentis & quæstionibus insequuntur, de quibus ait Psalmista: Corrupti sunt & abominabiles facti *Psal.13.* sunt in studiis suis. Et Iudas Apostolus ait: Hi autem quæcun- *Iudæ cano-* que quidem ignorant, blasphemant, quæcunq; autem naturaliter tanquam muta animalia norunt, in his corrumpuntur: quos iterum alloquitur Esaias dicens: Sapientia tua & scientia *Esai.47.* tua ea ipsa decepit te, defecisti in multitudine cõsiliorum tuorum: carnalis enim est & mundana omnis doctrina ipsorum, gens ambitiosa, arrogans confidens suis ingeniis, arbitrans se suis viribus Deum posse cognoscere, & in omni re veritatem posse invenire, nec posse aliquid in sermonem venire, de quo non in utramq; partem disertissimè possint disputare, & probabilem sententiam proferre, populi astuti, abundantes alienis literis, ac simulartificiosa quadã dialectica freti insolentes, cùm nihil omnino sciant, cupiũt docti videri. Ideo disputant palàm in gymnasiis, sophismatum roborati diverticulis, dicentes & arbitrantes se esse sapientes: sed his deliramentis ac versatilis ingenii versutiis miserabiliter decepti, quod putant sibi esse subsidio, est illis impedimento, & evanescunt in cogitationibus suis, & traduntur à Deo in reprobum sensum, quo putant se maximè videre, & veritatem posse invenire, eo maximè obscuratum est insipiens cor ipsorum, quo valent apud homines, apud Deum impotentes sunt, & dicentes se esse sapientes, stulti facti sunt: qui enim sophisticè loquitur, odibilis est, ait Ecclesiasticus. Non illi data est à domino gratia: omni enim sapientia defraudatus est. Maximam enim stultitiæ argumentum est, seipsum putare sapientem, de qua sapientia dicit Apostolus: Prudentia carnis stultitia est apud Deum. Et Salomon vocat eam mulierem stultam & clamosam, plenam illecebris, nihil omnino scientem, cujus convivæ sunt in infero, & qui applicabitur illis, descendet ad inferos. Ideo dicit Dominus: Perdam sapientiam sapientum, & prudentiam prudentum reprobabo.

Vera

HARVARD LIBRARY OF LAW

Vera enim sapientia non in clamosis disputationibus consistit sed occulitur in silentio & religione per Fidem in Dominum, nostrum Iesum Christum, cujus fructus est vita æterna: quam Paulus vocat scientiam, quæ secundùm pietatem est, cujus ipse Apostolatum accepit secundùm fidem electorum Dei. Aliam verò esse scientiam contentionis, de qua Titum discipulum suum certiorem facit, sic monendo: Stultas autem quæstiones & genealogias, & contentiones, & pugnas leges devita, sunt enim Inutiles & vanæ: Super quo scribens Hieronymus, ita ait: Dialectici & Aristoteles (qui horum princeps est) solent argumentationum retia tendere, & vagam Theologiæ libertatem in syllogismorum spineta cõcludere. Hinc ergo qui in eo totos dies & noctes terunt, ut vel interrogent, vel respondeant, vel dent propositionem, vel accipiant, assumant, confirment atq; concludant, eos quidem contentiosos vocant, qui ut libet non ratione, sed stomacho putant litigandum. Si igitur illi hoc faciunt, quorum propriè ars contentio est, qui debet facere Christianus, nisi omninò fugere contentiones? Hæc ille itaq; & nobis si volumus verè cognoscere Deum postponenda est omnis turbida ratiocinatio, omnis sophistica argumentatio, omnis dialectica inquisitio. Ratio enim & inquisitio nõnullam subolent dispersionem & diffidentiam: Fides autem fixa & tranquilla esse debet. Ideo dicit Ambrosius in libro de trinitate: Auferargumenta ubi fides quæritur, in ipsis gymnasiis sunt ja dialectica taceat, piscatoribus creditur non Dialecticis. Idem ad Gratianum de fide, & Vrbanus Papa scribens ad Carolum ait: Non in Dialectica placuit deo servare populum suum: Regum enim Dei in simplicitate fidei est, non in contentione sermonis. Nulla enim major pestis animæ quam ratiocinatio, quàm altercatio, quam disputatio de divinis, quę evertit rationem, pervertit intellectum, dejicit fidem. Ideo Paulus illam maximè vitandam jubet, & Iacobus appellat eam sapientiam terrenam, animalem & diabolicam: hinc errores, hinc dubia, hinc mendacia, hinc hæreses, hinc primum in humano genere peccatum ortum est. Inventor autem hujus tam pestiferæ facultatis diabolus, primus ille callidus & pernicioſus sophista, quæstiunculas proposuit, disputationes invenit & quasi scholã aliquam instituit. Non contentus quod seipsum perdiderat, invenit artificium quo & alios perderet malumq; suum augeret & propagaret. Iccirco non permittens hominem stare in simplici fide, voluit de præceptis Dei quæstionem proponere commodissimam hanc homines evertendi machinam arbitratus.

Ambros. in lib. de trinitate. Ideam ad Gratianũ de fide Vrbanus & habetur. 37. d c. omnes. Coloss. 2. 1. Cor. 1. 2. 2. Tim. 2.

Hinc

Hinc Sophistæ instar, Evam primò aggreditur, & illam exquisitione & ratione in certamen provocat quærens: Cur præcepit vobis Deus, ut non comedatis ex omni ligno paradisi? Cum quo si Eva non disputasset, decepta nõ fuisset. Quia verò cum diabolo in altercationem descendit unica falsa & sophistica ratione decepta est, nec solum à fide jam decidit, sed & rationem simul amisit: Hinc cœpit primò verba Dei falsò interpretari. Vnde & mendacium commisit, simul ac de eloquiis Dei dubitare dissidereque præsumpsit, ita enim respondit: de fructibus lignorum, quæ sunt in Paradiso vescimur: de fructu verò ligni, quod est in medio Paradisi, præcepit nobis Deus ne comederemus & ne tangeremus illud, ne fortè moriamur. Ecce quàm falsò interpretata est præceptum Dei, dicendo Nobis in plurali, quod Deus soli Adæ in singulari præcepit, antequã Eva crearetur: insuper Ne tangeremus, quo utrobique mentita est: deinde etiam dubitavit, ubi subdit, Ne forte, Vides quomodo callida illa & diabolica ex quæstionibus proposita disceptatio decepit rationem, ratio autem dejecit fidem, hic fructus, hæc utilitas, hic finis disputationum sophisticarum, quæ hoc tempore à recentioribus aliquot theosophistis, ac philopompis exercentur ad omnem vanitatem. qui cum Aristotelem malè conversum, & quædam insuper commentaria, tum Petrum Lombardum, quem magistrum scientiarum vocant, ac neglecto Christi Evangelio Apostolicisque dogmatibus, tanquam totius theologiæ archetypum colunt, & nescio quæ alia illius generis viderunt. Tunc freti sophistica sua insolentia, omnia se posse attentare, aggredi, dissolvere & interpretari putant. Tunc irruentes suis ineptiis, inquinamentis & blateramentis, rixosisque disputationibus, ad quod artificium jam linguas armatas habent. Omnia quæ in fide & religione simplicia, syncera & pura sunt, multiplicia, caliginosa & sordida reddiderunt, omnemque theologiam suis absurdis altercationibus, ac futili verbositate confuderunt, conturbarunt, polluerunt, invenerunt que non divinam nec humanam quidem, sed nescio quam suam, non dico theologiam, sed squalidam, odiosam, cavillatoriam & diabolicam vanitatem, humanarũ opinionum, philosophicarumque nugarum rhapsodiam. Veram autem illam & vetustam theologiam, quæ à primis sanctis & veris Christianis emanavit, in primis à Christo, & ab Apostolis, quos secuti ex Græcis Dionysius, cujus divinissima scripta, sed non omnia extant: item divus Origines consummatissimus theologus, ex cujus innumeris ferè scriptis ob æ-

HARVARD DIVINITY SCHOOL LIBRARY

mulorum depravationem, pauciſſima extant: item Baſilius cognomento Magnus, Athanaſius Alexandrinus Epiſcopus, qui contra Arrianos tanta conſtantia diſputavit, Cyrillus ejuſdem baſilicæ Epiſcopus, qui præfuit concilio Epheſino, cujus egregia commentaria in Ioannem extant: Didimus cognomine Cæcus qui ſcripſit de proceſſu Spiritus ſancti, quod opus Hieronymus in latinum ſermonem tranſtulit: Euſebius Cæſarienſis, qui præparationem in Evangelicam veritatem ſcripſit. Multum quoq; nobis in hiſtoria profuit Ioannes cognomine Chryſoſtomus ob eloquentiam: item Gregorius Nazianzenus, & plures alii. Ex latinis præterea Cyprianus, Lactantius, Tertullianus, Ambroſius, Ruffinus, Hieronymus, Auguſtinus, Leo, Gregorius, Beda, Anſelmus, Bernardus, Caſſaneus, & quos illa priora tempora genuere. Hos tam ſanctos doctores, hanc inquam theologiam penitus poſthabent, repudiant & irrident, ſine quibus tamen nil rectè vel in iuis queunt cognoſcere. Inventor hujus tam pernicioſi magiſterii fuit ſerpens ille antiquus ſophiſta, qui decepit Evam. Hunc imitantes recentiores quidam Theoſophiſtæ, hoc ſeculo tanti flagitii principes, authores & propagatores extiterunt, quos innumerabiles alii ejuſdem generis homines quotidiè miſerè ſequuntur. Hinc exorta eſt illa horrida & implicata ſylva, caliginoſus lucus diſputationum, in quo cum miſero labore & damnabili ſtudio, exiguo fructu aſſiduè laborant, non fide, non ſpe, non charitate Chriſtum imitantes, neq; orationibus, jejuniis, vigiliis, petentes, quærentes, pulſantes, ut aperiatur illis divinæ cognitionis armarium, ſed tanquam Titani contra Deum belligerantes, dædalicis ſophiſmatum machinis ſacrarum literarum oſtium ſe poſſe diſrumpere arbitrantur. Hinc quicquid à philoſopho ſeu theologo aliquo dictum in manus eorum inciderit, id nō reſolvunt ad juſta principia, ſed deducunt longius non ad primos fontes, unde manavit, ſed ſuis ineptiis ac ineptis diſtinctionibus dilacerant, diſſipant, conterunt quaſi mortario in pulverem, ut viribus omnibus præ nimia tenuitate amiſſis, ante lucem & auram poſitum vel leniſſimo vento evaniſcat. Hinc illud apud eos uſurpatum proverbium, quo dicunt, unico flatu argumentum tuum diſſolvam. Rectè ſanè, verè ac ſapienter dictum: nam nihil apud eos argumentatores eſt quàm flatus flatui obvians, illumque diſcutiens. hinc cum paululum à gymnaſiis ſuis abierint, ſedent muti & cogitabundi, tanquam ſtolidi & trunci inanimati, & tanquam ficulnea arida non habent quod loquantur, quod

quod fructificent, quia non ſunt cum ſuis condiſputatoribus. hinc natum illud apud vulgus proverbium: Maximos quoſq; ſcholaſticos maximè ſtultos eſſe ſolere. Accedit ad hæc alia inſolentia, qua recentiores iſti theologi & canoniſtæ homines ſuæ ignorantiæ conſcii, authoritati ſuæ diffidentes, timentes, quia illis non credatur, tam capitulatim tamque articulatim teſtimonia citant, in ſingulis verbis & interpretationibus occupati, neque hoc raro, neque ex remotiore antiquitate, ſed etiam ex noviſſimis, & ſuis ferè contemporaneis ſuique ſimilibus quibuſque ſcriptoribus, & hoc tam continuè & tam aſſiduè jactantes ſe congerie illorum teſtimoniorum, non ut doceant alios, ſed ut ipſi memoriæ laudem aucupentur & multa legiſſe videantur, non conſiderantes quòd ſi ex dictis vel ſcriptis ſuis unicuique quod ſuum eſt diſtribuatur, nihil quod eorum ſit remanſurum. Sed illo errore & proprii ingenii inopia vagantes, quaſi ruſtica quædam ſecta cum ipſi nihil ſciant, nec ex ſe aliquid edere poſſint, omnia ſtudia ſua in excerpendo & compilando conſumunt, quibus contenti, cùm nihil omninò ſciant, quàm aliorum laboribus & exemplis uti, ſapientiæ nomen temerè ſibi arrogant, atq; hoc conſilio mirum quam ſibi placeant, quam egregiè doctos ſe putent. Non ſic fecerunt priſci illi theologi, viri ſapientia graves, authoritate venerabiles, vita ſancti, quales illi quos ſuprà memoravimus, fuerunt. In quorum ſcriptis tam ſimplex, tam rara invenitur ſcripturarum citatio, ubicunque aliquid memorandum eſt, & illa quidem ex veteri Teſtamento, ex Euangeliis, ex Apoſtolis, ex remotiore antiquitate, nihil ſe jactantes, homines ſanè in divina gratia ſolum confidentes, ſuæ ſapientiæ conſcii, & doctores optimi, nullorum judicium timentes, veraces, non reſpicientes in faciem hominum, qui ex ſuis theſauris nobis largiti ſunt munera, imitantes Chriſtum qui tanquam bonus paterfamilias de theſauris ſuis protulit nova & vera, in omnibus verbo & opere fructificantes in hominibus fructum veræ religionis & fidei ad ſalutem æternam. Sed redeamus unde digreſſi ſumus. Quantum namque in divina cognitione peccant, qui exili rationis diſcurſu Deum ſe cognoſcere poſſe præſumunt, innumera ferè in eorum traditionibus diſcrimina oſtendunt. Nulla enim eis quæſtio quantumcunque levis proponitur, quam non litigioſis ratiunculis dædalicisque labyrinthis involvant: ac ſeſe invicem canum more, rabidis latratibus, morſibusque condemnant, quod eorum ſcripta & volumina abundè ſatis oſtendunt.

Quod si juxta Aristotelis sententiam veritatis conditio est, ut undique sibi consonet, estque consonantia opinionum veritatis vestigium, necessariò sequitur ex opposito, id quod ubique sibi dissonat verum esse non posse. Ideo apud istos argumentatores[1], & recentiores theosophistas, nec veritas quidem ulla esse potest, nec ullum quidem veritatis vestigium. necesseque est hanc inconditam atque portentosam, nec nisi humanarum de divinis opinionum coacervationem aliquando mole sua ruituram. Sed heu miseri, ignorantia adhuc late patet in orbe, nemo mente pius Dei cognitionem requirit, omnes ferè sumus ignorantiam professi, theologia nova, novi doctores, doctrina nova, nihil antiquum, nihil sanctum, nihil verè religiosum, & quod deterius est, si qui sunt qui huic pristinæ theologiæ ac religio i. se dedicant, insani, ignari, irreligiosi, interdum etiam hæretici vocantur, atque (ut inquit Hermes) odio habentur, etiam periculum capitale in eos constituitur, contumeliis afficiuntur, sæpè vita privantur. Attamen redite ad primos fontes & puram aquam haurite, ubi est immaculata forma pietatis & justitiæ, licebit semper & disputare & docere, & facere, favente nobis domino Deo nostro, Iesù Christo Nazareno crucifixo, qui magni consilii angelus, vero mentes lumine illustrat, quem verum Deum & verum hominem profitemur, ac futuri patrem sæculi, judicemque expectamus.

Plin. 9. Æsclep. 9.

Cap. VI.

QVoniam igitur nunc gentes ab ipsa creaturarum conditione, Deum primam causam omnium productricem cognoscunt, & ipsa conditio ostendit, qui condidit eam & ipsa factura monstrat qui fecit eam, & mundus manifestum facit, qui se disposuit. Iudæi quoque in primis à protoplasti traditione: deinceps à Moyse & Prophetis eundem Deum fabricatorem cœli & terræ acceperunt, & per legis ministerium cognoverunt: nos autem in Evangelio ab Apostolis: Qui est idem Deus super omnes Deos, & nomen ejus super omne nomen, & hujus verbum naturaliter invisibile caro factum, in visibilem & palpabilem hominem, & usq; ad mortem humilians se, mortem autem crucis, & eos qui in eum credunt, similes sibi, incorruptibiles, & impassibiles futuros, & percepturos regnum cœlorum, accipimus perfectam agnitionē. Propterea inexcusabilis est homo, qui ignorat Deum, maledictus autem qui illum agnoscens non veneratur, impossibile enim est (ut ait

ait Apostolus) ut qui semel sunt illuminati, & gustaverunt donum cœleste, & participes facti sunt Spiritus sancti, gustaveruntque bonum Dei verbum virtutesque seculi venturi, & prolapsi sunt rursum renovari ad pœnitentiam. Nos itaque dictamine creaturarum moniti, & annunciatione Prophetarum edocti, ac prædicatione Apostolorum informati audemus dicere: quod unus solus est verus Deus increatus, immensus, æternus, omnipotens, pater, filius, & spiritus sanctus, tres quidem personæ sibi invicem coæternæ & coæquales, una tamen essentia & substantia naturaque simplex omninò, ut sic unum Deum in trinitate & trinitatem in unitate fateamur, neque confundentes personas, neque substantiam separantes. nam pater ab æterno genuit filium, suamque illi dedit substantiam, ac nihilominus retinuit: filius quoque nascendo patris accepit substantiam, non tamen personam propriam patris assumpsit, neque pater illam in filium transtulit, sunt enim ambo unius & ejusdem substantiæ, sed diversarum personarum: filius quoque hic licet patri coæternus sit ex substantia patris ante secula genitus, tamen nihilominus ex substantia virginis in seculo natus est, & vocatum est nomen ejus Iesus, qui est Christus, perfectus Deus, perfectus homo ex anima rationali & humana carne subsistens, cui nihil humanum defuit præter peccatum: una persona, duæ naturæ, ante secula genitus Deus sine matre, in seculo natus homo sine patre de virgine ante & post partum incorrupta, passus in cruce mortuus est, sed in cruce vitam illustravit, & mortem morte resolvit: sepultus est, & descendit ad inferos, sed animas patrum reduxit ex inferis, & resurrexit tertia die per virtutem propriam, & ascendit in cœlos, & emisit Spiritum sanctum paracletum, & iterum venturus est judicare vivos & mortuos, ad cujus adventum omnes homines resurrecturi sunt in carne sua propria, & reddituri sunt de factis propriis rationem. Hæc est perfecta Dei agnitio in qua oportet nos salvos fieri: quam qui non agnoverit, aut agnoscentibus non crediderit, aut de ea dubitare præsumpserit, à spe vitæ & salutis æternæ alienus est.

IMAGE BIBLIOTEKA CYFROWA U.J. KRAKÓW

REVERENDO PATRI AC DOMINO, DOMINO SYMphoriano Episcopo Vasatensi, Domino suo observandissimo, Henricus Cornelius Agrippa, S. D.

Epistolam quære Lib. 4. Epistolarum Epist. XV.

HENRICI CORNELII AGRIPPÆ DEHORTATIO Gentilis Theologiæ, ad amicos aliquos quondam perorata.

EFflagitastis jam sæpè à me, ut librum ter maximi Mercurii, de sapientia ac potestate Dei (quem ante aliquot annos in Titimensi celebri gymnasio publica prælectione professus sum) per hoc otium vobis exponerem, atque ex eodem vobis Pimandri (videlicet divinæ mentis) lucem ostenderem. Petitionem autem hanc cùm nec utilem vobis esse perspexerim, nec intentionem ipsam rectam quoque dijudicaverim, renui. Tamen quo vos voti compotes fieri, desideriique limitem assequi possetis, obtuli me vobis Paulinas epistolas declaraturum. nunc autem illis refutatis, denuo rursusque instatis eandem cantilenam canentes, miror admodum & stupeo, irascorque, vos qui in Evangelio Christi baptisati estis, qui in Ecclesia Christi sacerdotio fungimini, post sanctum baptismum, post sacrum chrisma, Dei cognitionem ab Ethnicis quærere, quasi Evangelium mancum sit, & in Spiritum sanctum peccare sit venia. quicunq; enim Dei notitiam aliunde quàm ab Evangelio parandam putant, ii verè sunt qui Spiritum sanctum incessunt: quæ blasphemia neq; in hoc neq; in futuro seculo remittitur. Nónne legistis Ochoziam illum magnum Samariæ regem, dum ægrotus moribundusque è lectulo mitteret nuncios qui de vita saluteq; ejus consulerent Beelzebub Deum Accaron, occur-

Increpatio.

Matth. 12.

4. Reg. 1.

occurrisse illis monente angelo Heliam Thesbiten prophetã domini & dixisse ad eos, Nunquid non est Deus in Israel, ut eatis ad consulendum Beelzebub Deum Accaron, propter hoc dicit dominus regi: De lectulo super quem ascendisti non descendes, sed morte morieris. Possem ne ego vos hoc exemplo deterrere, vel saltem admonere ac dicere: nunquid non sunt doctores in Ecclesia, qui vos de Deo abundè probeque erudiant, ut eatis ad consulendum Mercurium Trismegistum, philosophum dæmoniorum Aegypti? An nescitis quia pater vester Deus est, qui vos creavit? mater verò vestra Ecclesia est, quæ vos in baptismo regeneravit? ut quid ergo tanquam filii profugi aliunde quàm à parentibus sapientiæ alimenta mendicatis, & qui in baptismo semel renunciastis Sathanæ, rursus ad sathanam rebellatis à Deo? & qui per Christi sanguinem empti estis in libertatem, rursus prædam vos exponitis hostibus fidei & veritatis? videte & cavete ne quando dum potestatem ac Dei sapientiam aliunde quàm ab ipso Deo quæritis, in eandem ipsam potestatem sapientiamque nefario & inexpiabili scelere committatis, quare derelicti tandem in reprobum sensum, vitam simul cum salute amittatis. Nam si malus dæmon semel vobis salutis verba furatus fuerit de memoria, etiamsi velitis salvari, non poteritis, perdidistis enim viam, per quam pervenitur ad salutem. Ideo vos admonet Apostolus, ut caveatis ne quis deprædetur per philosophiam. Si ergo divinorum vos cupido tenet, non est necesse hæc ex Ethnicis eruere, qui habetis in apertum positum de Deo testimoniũ, & Evãgelium veritatis scientes quia scripturę quidem perfectę sunt, quippe à verbo Dei & spiritu ejꝰ datæ. Sed dicitis hîc, permulta reperiri in Ethnicorum libris, quæ cum Evanglica doctrina consentiunt. Præterea hæc apud illos majori verborũ decore, sententiarum concinnitate ac suavitate dicendi tractata, magnum quoque hæc vobis ad credendum fidei nostræ argumentum præstare, atque calcar incutere. Erratis tota via, si ex philosophorum literis imitari vitæ Christianæ rationes, & posse vos ad virtutem erigi putatis: cavete ne tantum penes vos valeat Ethnicorum philosophia, ut sit vobis ratio doctrinaque Christiana contemptui. Esto quòd pleraque illiorum cum nostris conveniant: at quæ est hæc vestra dementia, quæ fascinatio? Evangelicam doctrinam vobis plus placere apud Hermetem, Platonem, Plotinum, Aemilium, Iamblicum, Proculum, & cæteros hujus farinæ philosophos,

Coloss. 2.

Objectio.

Responsio.

quàm apud Apostolos, apud Evangelistas, apud ipsum Chri-
Lucæ 4. Mar. 13. 5. stum. Nónne jam similes estis his qui Christi verbis ac miracu-
lis diffidentes, ad voces dæmonum atq; obsessorum crediderūt,
plus fidei habentes dæmonibus Christum filium Dei confidē-
tibus, quàm ipsimet Christo. Itáne & vos dubitatis Christo Deo
ea credere, quæ ipse de se docuit, nisi hæc Ethnicis disciplinis
confirmentur, atq; philosophis ea concedere, quasi plus illi in-
venissent à semetipsos, quàm Apostoli didicissent à Christo qui
est Deus, vincantq; potius quam fallant, dum circa divina su-
perbiunt vanis vocibus, ac si non in corde, sed in lingua sapien-
tia collocata sit. Nónne hæc est illa sapientia philosophorum,
Lucæ 16. de qua ait Christus, quia filii hujus seculi prudentiores sunt fi-
liis lucis in generatione hac? hæccine vobis pluris placet quam
Evangelistarum, Apostolorumq; crassula & idiotica dogmata?
sed nescitis quia intellectus ejus est ad mortem, & doctrina ej-
us ad interitum, & qui applicabitur ei, descendet ad inferos,
Prov. 2. 9. qui recesserit ab ea, salvabitur. Hæc est illa mulier aliena & ex-
tranea, stulta & clamosa, plena illecebris, quæ mollit sermones
suos, propinans aquas furtivas & panem absconditum, quæ re-
licto duce pubertatis suæ, pacti Dei sui oblita est, cujus domus
inclinata est ad mortem, & semitæ ejus ad inferos, ubi sunt gi-
gantes, & convivæ ejus in profundo inferni. An ignoratis quid
in Evangelio Abraham respondit diviti sepulto in inferno, &
nuncium ad fratres postulanti, ut assentirent Mosi & prophetis,
Obiectio. quicunq; non vellent descendere in locum illum? Sed absit, di-
citis, ut Ethnicorum dogmatibus fidei victoriam demus, vel
illa tanquam verbum Dei recipiamus, sed tanquam opiniones
& placita philosophorum, hominumq; literatorum, ut illa cū
divinis scripturis conferamus, illasq; per hæc examinemus. Atque
Responsio. idcirco necesse est per hæc vos trahi in reprobum sensum, & ubi
maximè vos videre putatis, ibi ad ipsum veritatis lumen maxi-
mè cæcutire, sicut locutus est Christus se venisse in mundum,
ut non videntes videant, & videntes cæci fiant: nónne erratis
cæcutientes, si per hæc Sacras literas decorare vos creditis, per
2. Cor. 6. quæ magis fædantur, conspurcanturque? Sed & quomodo ar-
bitramini, vos posse hæc cum illis conferre, cum nulla sit con-
ventio Christi cum Belial, lucis cum tenebris, fidelis cum infi-
delibus? nónne similes estis homini ægroto, qui ad sui medelā
medicum pariter & venenarios invitat, cum illi nocere quidem
possunt, curare non possunt, alter venenis illorum sua medica-
mina miscere recusat, ne aut pernicies bonis, aut salus nocenti-
bus adscribatur? An non jam intelligitis dum simul hæc & illa jun-

la jungere vultis, in hoc esse salutis vestræ subversionem? Esto,
gravis autor est Trismegistus, cui si Platonem atq; Plotinum
junxeritis, non dubium est quin multa de Deo ac divinis curio-
sè ornateq; tractaturi sunt: quod autem verum est & certum
atq; firmum, adjacet Deo. Non decet ergo hominem Christia- Ioh. 4.
num hæc ab illis discere, sed ab illo solo qui dixit: Ego sum ve-
ritas in cujus sacra hujusmodi Ethnicos porcos immittere, ne
dicam illis præponere, non potest esse non temerè factum. Di- Obiectio.
citis iterum non idem de Hermete quod de cæteris philosophis
judicium esse, ut qui non tam philosophus fuerit, quam pro-
pheta, quem Lactantius gravis autor inter sybillas & prophetas
commemorat. Ad hæc respondeo vobis Augustini verba con-
tra Manichæum dicentis: Si quid veri de Deo sybillæ vel is Or- Responsio.
pheus, aliive gentium vates aut philosophi dixisse perhibentur,
valet quidem aliquid ad Paganorum vanitatem revincendam,
non tamen ad illorum authoritatem complectendam. quantū
enim distat de Christi adventu inter prædicationē angelorum
& confessionem dæmonum, tantum distat inter authoritatem
prophetarum & curiositatem sacrilegorum. Quod si authori-
tati hominum gravissimorum jam plurimum deferēdum est,
quibus quæso plus deferendum putatis, Hermeti, Platoni, Plo-
tino, & consimilibus philosophis, qui suis excogitatis opinio-
nibus innixi, obtenebrato intellectu, altissima Dei & naturæ
arcana non percipientes, ea de Deo divinisq; tradiderunt, quæ
nec ratione sunt subnixa, nec à Spiritu sancto sunt suggesta, sed
deliramenta quædam, ne prudentibus saltem hominib. digna:
an Mosi, Davidi, Salomoni, Prophetis, Evangelistis, Apostolis,
qui divino spiritu plenissimi, omnimoda sanctitate, oraculis,
miraculis, ac ipsius vitæ discrimine, effusique sanguinis testi-
monio dogmata sua probārūt? quod si illis posthabitis ad phi-
losophos recurritis, & ab Ethnicis errorum magistris discere
laboratis, quæ à Christo & Spiritu sancto suscipere deberitis
nónne insani eritis, ac simul impii futuri sitis? Si ergo nunc
Christiani estis, Christi literas discite. Hanc siquidem suis no-
tam ipse præscripsit: Qui diligit (inquiens) me, sermones meos
audit. Ab illo igitur discendum est quid de deo intelligendum
sit. Dei enim justitia non in traditionibus philosophorum, sed
in Evangelio est. Quod si in illo Deum nō cognoveritis, in aliis
vos cognituros nequaquam speretis, neq; enim alius poterit
enarrare quæ sunt Dei patris, nisi proprium ejus verbum: quis
enim alius cognovit sensum domini, aut quis ejus consiliarius
factus est? Sed modo ad exempla cōfugitis, & dicitis: Licebitne Obiectio

FONDO REGIONAL DE ANDALUCIA

nobis imitari sanctos patres, Hieronymum, Augustinum, Cyprianum, Hilarium, Lactantium, Eusebium, Victorinum, & reliquos multos, quorum libri Gentilium flosculis, philosophorumque placitis pleni sunt, & undique scatent. Atque hæc una malorum causa est (ut ait Seneca) vivere ad exempla, nec ratione componi, sed similitudine abduci. Ego Hieronymum & Augustinum scio, & reliquos doctores novi, vos autem qui estis qui ea in illis imitari cupitis, in quibus illos non parum pœnituit insumptæ operæ, omnesque in hoc conveniunt, has gentium literas pestem esse religionis, legisque Christi: discite ergo nunc illorum monitis hac cavere, atque non illorum prius errantium imitari errorem potius quam ætate deinde plus sapientium pœnitentiam. Quod si exempla penes vos locum habent, habeat & illud, quod Hieronymus, quia Tullium & Platonem nimis avidè legebat, percussus ab angelo, intercedentibus multis sanctorum, vix tandem in hæc sacramenti verba dimissus est: Domine si unquam habuero codice? seculares, si legero, te negavi. Neque verò sanctos illos imitari vos perhibeo, sed id quod in illis extremum & infimum est vobis proponere non laudo, & quin hortor vos & jubeo quod in illis primum ac summum est æmulari, imò ipsos primos ac summos cum suis inoffenso pede ac secura conscientia sequi, illos inquam, qui Deum ipsum Iesum Christum in hac luce & viderunt, & cognoverunt, qui edocti omnem veritatem, non ex carne & sanguine, sed à patre qui in cælis est, qui rapti in cælos, viderunt divina arcana quæ non licet homini loqui quod fuit ab initio audiverunt, & viderunt, & manibus contrectaverunt, & manifestatum est illis verbum vitæ, hi sunt qui vobis de Deo indubiam & irrefragabilem scientiam præstabunt. Quod si tam profundè animis vestris insedit humanæ curiositatis fornicarius amor, ut ea, quæ jam diximus, vos à prophanis gentium dogmatibus non deterreant, saltem hoc vobis consultù velim, quod Hieronymus disputat de muliere captiva, ut videlicet præscisis & derasis pilis, & quicquid idolatriæ, voluptatis erroris que fuerit ex stupro illatum, vernaculos generetis Deo Sabaoth: quemadmodum Osea Propheta de meretrice genuit filium Israël, qui vocatus est semen Dei. Si hæc facere poteritis, & Ethnicorum literas repurgatas ad Christianam eruditionē transtuleritis, & ab Aegyptiis tanquam injustis possessoribus opima spolia vel clanculum surripientes, illorumque opibus ditati, Ecclesiam Dei locupletaveritis, jam non admodum dissuadeo, sed consulo vobis Ethnicam literaturam: sed vereor ne frustrà

Responsio.

Hieron. in Epistola ad Eustia.

Matth.16. 1.Cor.12.

1.Ioan.1.

Hieron. ad magnum urbis oratorem, atq; de filio prodigo ad Damasum.

Deut.21. Oseæ 1. Exod.12.

frustrà id tentetis, ideo vos Augustini consilio uti jubeo, videlicet ut Sacra scriptura prima sit, nè alienæ opiniones imbecillem occupent animum. nam ad divinarum rerum veridicam cognitionem puro animo opus est, & non infecto pravis opinionibus, qui si aliquibus minus rectis opinionibus præventus sit, jam per illas quasi sub specie alicujus scientiæ ignorantiæ error in eo vehementius radicatur, quam ut possit evelli, contingitq; ut quod ignorat, scire se credat, & defendat verum & Catholicum esse quod error est vel hæresis. Igitur in theologico studio nihil vobis prius esse debet, quàm Evangelica doctrina, hac ingrediendum est via, etiamsi ad unguem non omnia intellexeritis mysteria, tum receptorum in Ecclesia sed vetustorum sanctorum Patrum adhibete commentaria, deinde cōsulite neotericos, curiosas autem de Deo divinisq; inquisitiones quæstionumque altercationes & dispositionum pugnas, juxta Apostoli præceptum, omninò vitate. Vbi verò jam animus vester Catholica doctrina firmatus ac corroboratus fuerit, tunc illius lumine per omnes errorum tenebras securè ambulabitis, tunc liberè omnia disciplinarum genera penetrare poteritis, tunc Vlyssis instar si Cyclopum specus ingrediamini, & ad inferos descenderitis, remigrabitis illæsi: si ad Lotophagos, ad Syrtes accesseritis, regrediemini securi: si Cyrces poculum biberitis: non permutabimini: si Scyllam præternavigaveritis, non periclitabimini: si Syrenes audieritis, non obdormietis, sed eritis de omnibus judicantes, ut ait Apostolus, & à nullo judicati. tunc Ethnicorum doctrinę vobis plurimo erunt adjumento, eorumque suffragio tunc facilè ad theologiæ apicem conscenditis. Quod si conversō ordine hoc iter ingressi fueritis, perdetis vos studiaque vestra, ac tanquam effossis oculis cæcutientes, cum rectam viam nequeatis prospicere, huc illucque incerti oberrantes, & ad omnem lapidem cespitantes, cum semel à recta via deflexeritis, in eam amplius ne nasutissimo quidem cane duce dirigi poteritis. Nunc ergo credite mihi, licet juniori, dum adhuc tempus habetis, ad discendum.

2.Thess.2. Tit.3.

Quod si non credideritis, serò tandem credetis: sed & simul deplorabitis.

HEN-

HARVARD LIBRARY OF THE HISTORY OF MEDICINE

HENRICI CORNELII AGRIPPÆ EXPOSTULATIO super expositione sua in librum de verbo Mirifico cum Joanne Catilineti fratrum Franciscanorum per Burgundiam provinciali ministro, sacræ Theologiæ doctori.

CHristiani hominis est operari charitatem, loqui veritatem, quod qui non facit, tam longè, aberrat à Christo, ut Christiano nomine omnino sit indignus. Hæc ad te scribo (bone pater) ea ipsa christiana charitate, veritateq; commotus (in qua nos omnes tanquam ejusdem corporis membra cujus caput Christus est, debemus esse conjuncti) non falsa ulla opinione, non odio, nec invidia: quæ à Christiano homine longe abesse debent. Tu tamē, pace tua dicam, in publicis concionibus tuis, congestis multis mendaciis, non es veritus, imo maximè conatus es, in me odiū, & invidiam concitare, ubi omni culpa carebam. Miror itaque quid jure te commoverit, me, cò tunc in Burgundia peregrinū ignotum, sed & omnib. semper innoxium, nullius aliquid concupiscentem præterquàm honorem ex virtute assequi, sed & absentem per remotissima locorum interstitia, tam indignissima sermonis acerbitate calumniari, qui pro tui nominis professione, quod Paulus docet Romanos, deberes odio habere malum, & hærere bono, fraternam charitatem diligere, & non maledicere, imo etiam persequentibus benedicere, & cum omnibus quoad fieri potest, pacem habere. Verè non feciſti rem dignam professione tua Christianoque doctore, qui populum Christiani nominis exhortari debuisses ad ea quæ Christi sunt, ad opera spiritus, charitatem, & pacem, & cætera, quæ Paulus commemorat Galatis: Qui verò odium, iram, rixam, æmulationem, inimicitiam suadet, non spiritus sed carnis opera suadet, quo nihil magis alienum esse debet ab homine Christiano, nec quicquam Christiano doctore incongruius quàm talia docere & persuadere, Nam Christus author religionis nostræ, & Apostoli, totaque Scriptura sacra, ut tu me melius nosse debes, ad pacem conclamant, & tranquillitatē. Hinc Evangelista Ioannes

Conatus Catilineti.

Rom. 12.

Gal. 5.

Ioannes tradit Christum discipulis dixisse: Pacem meam do vobis, pacem meam relinquo vobis, Et Paulus ad Hebræos inquit: Pacem sequamini cum omnibus, & sanctimoniam, sine qua nemo videbit Deum. Ad hanc pacem non solùm hortari sed etiam orare, officium tuum & etiam meum esse debet. An non Apostolus admonens Ephes. inquit: Sermo malus ex omni ore vestro non procedat. Et paulo post: Omnis amaritudo, ira, indignatio, clamor, blasphemia tollatur à vobis. Et in epistola ad Corinthios ita detestatur maledicentiam, ut cum maledicis ne cibum quidem sumendum esse sentiat. Et in eadem epistola paulo post commemorat maledicos inter eos qui regnum Dei non possidebunt. Et Colossensibus idem præcipit inquiens: Deponite iram, indignationem, malitiam, blasphemiam turpem sermonem. Petrus quoque præcipit, ut qui velit diligere vitam, & videre dies bonos, linguam à malo coerceat. Et Iacobus: Nolite inquit detrahere fratres ad invicem: Sic ab Apostolis undiq; docemur, ut à maledictis & offensione cujusque abstineamus, quæ sunt semina invidiæ, & discordiæ, cujusmodi tu nuperrimè contra me seminasti in populo & Principe, dū paulo ante hęc proximè præterita paschatis festa in Ganda Flādrię, coram illustrissima Principe nostra totiusq; curiæ proceribus, quadragesimales sermones graviter & sapienter declamaturus, oblitus Christianæ modestiæ, inter medias conciones interrupto evangelio Christi, prorupisti in apertam cōtumeliam, atq; mentitam mei calumniā, donec multos in falsam de me opinionem, plerosq; in odium mei induxisses & invidiam, ita ut etiam aliqui, qui ante à nominis mei amici erant, jam animum aversum à me habeant: ita abs tuis falsissimis nugis, & truculētissimis mendaciis edocti, in illis famosis concionibus tuis, in quibus maledictis illis & probrosis contumeliis in me usus es. nam inter cætera vocasti me in tanto conventu semel atq; iterum hæreticum judaisantem, qui in Christianas scholas induxerim scelestissimam, damnatam ac prohibitam cabalę artem, qui contemptis sanctis patribus & catholicis doctoribus præferam rabinos Iudęorum, & contorqueam Sacras literas ad artes hæreticas & thalmuth Iudæorum. Verū ego Christianus sum, nec mors nec vita separabit me à fide Christi, Christianosque doctores omnibus præfero, tamen Iudæorum rabinos non cōtemno, & si, quod possum, erravero, tamen hæreticus esse nolo, nec judaisare intendo, damnatas prohibitasq; artes tantū abest à me ut doceam, ut ne velim quidem discere. Scripturas sacras nusquam contorqueo, sed juxta diversoum doctorum diversas exposi-

Ioan. 4. *Hebr. 12.*

Ephes. 4.

1. Cor. 5.

1. Cor. 6.

1. Petr. 3.

Iacob. 4.

Hypocrisis Catilineti.

Calumnia Catilineti in Agrippam.

Professio Agrippæ.

Digitized by Google

Lectura Agrippæ in Dola Burgundiæ An. 1509.

expositiones, diversimodè in testimonium assumo. Artes hæreticas, Iudæorumq; errores non docui, sed Christiani doctoris Ioannis Reuchlinii Phorcensis Christianũ atq; Catholicum librum de Verbo mirifico inscriptũ, multo labore & vigiliis exposui, nõ clancularie per cubicula, sed in scholis publicis, auditorio publico, publicis prælectionibus, quas ad honorẽ illustrissimæ Principis Margaretæ & unici studii Dolani feci gratis: nec defuerunt auditorio meo viri & gravissimi & doctissimi, tam Dolani parlamenti senatorii ordinis patres venerandi, quàm ejus studii magistri & doctores eruditissimi, ordinariiq; lectores, inter quos reverendus dominus Simon Vernerius, ejus studii vicecancellarius & cõservator, Dolanæ ecclesiæ Decanus, utriusq; Iuris doctor, ne uni quidem lecturæ meæ unquã defuit auditor. At tu cui omnino incognitus sum, qui lecturis meis nunquã interfuisti, nec uspiam alibi me vel privatò dicentem audisti, nec quod sciam, me unquam vidisti, tamen ausus es de me tam iniquum ferre judicium, quod rectius omitti & potuit & debuit, tum quia falsissimum est, tum etiam quòd tales contumelias a c calumnias in sanctissimis & gravissimis christianis concionibus inserere homini religioso non convenit, & prædicandi divino officio indignissimum est. Nam contumelias, maledicta, & odia dispergere non est synceritatis & ex Christo loqui, sed quodammodo (ut Pauli verbis utar) verbum Dei adulterari, quod ille magnus gentium segregatus Apostolus se nũquam fecisse dicit, nec à quovis certè fieri debet, qui Christianus doctor esse velit. Tu nihilominus hæc fecisti, sine causa & sine culpa mea machinatus es contra me malum, rapuisti bonã famam meam, maculasti bonũ nomen meum impuritate hypocrisis tuæ, & in perniciem animæ tuæ contra me locutus es mendacium. Nam Christus ait apud Matthæum: Quicunq; dixerit fratri suo racha, reus erit judicio, & qui dixerit fatue, reus erit gehennæ ignis. Tu verò non incerto aliquo convitio, aut fatuitatis nomine me notasti, sed ob tuam de cabalistico nomine ignorantiam & Hæbraicorum dogmatum insciti am supra modum suspiciosus, nuncupasti me hæreticum, Iudaisantẽ, insuper & igni adjudicasti. Sed gaudeo, quoniam propter dominum nostrum Iesum Christum sustineo hæc opprobria, & existimatus sum sicut ovis occisionis, ac dignus habitus sum pro mirifico illo verbo, pro ipso inquam nomine Iesu contumeliã pati. Ipse enim pentagrammus Iesus Christus apud Matthæum beatitudinem repromittit iis, qui propter nomen suum ab hominibus maledicuntur, & persecutionem patiuntur. Et Petrus

Malitia Catilineti.

2. Cor. 4.

Matth. 5.

Insciti a Catilineti.

Matth. 3.
1. Pet. 4.

Professio Agrippæ.

Beatos appellat propter dominum exprobratos. Quænam pars mea cum Iudæis, qui Christum Iesum confiteor filium Dei, & piissimè colo? Quid ego inter hæreticos, qui Ecclesiæ unitatem, ipsiusq; saluberrima præcepta, ritusq; sacrorum conciliorum & canonum, quibus fides firmatur & ab iniqua hæresi purgatur, pro viribus meis observo & doceo? Possunt illi qui interfuerunt scire, illi inquam integerrimi & doctissimi viri judicare possunt & testari, si quid unquam à me dictum est, quod fidem Christianam Ecclesiámve offendat, ni fortè dicturus sis illos mecum judaisare & hæreticos esse. Neq; verò illis decorũ christianumq; erit publicè audiendo toleralle, tacendo ac non contradicendo consensisse, & quod magis est præmiando approbasse (nam hæc lectura in causa fuit cur me in collegium receperunt, ac lectura ordinata simul & regentia & stipendiis denoverunt) quod mihi turpe judaicum hæreticumq; fuerit publicè prælegisse. Non jam mea sola est hæc injuria, sed potius Parlamentarii Senatus, totiusque universitatis Dolanæ. Vide in quod barathrum te conjecisti, qui dum me calumniæ insectari voluisti, Principi, proceribus, ac omni curiæ nefario fuco illusisti, senatum ac universitatem ludibrio exposuisti, verbum Dei prophanasti. Hoccine fuit coram tanta Principe & curia prædicare Evangelium Christi? Hoccine pii & religiosi fratris officium? siccine corrigis fratrem? Esto nunc ut ego adhuc adolescens, nondum annos natus tres supra viginti, in lecturis meis aliquid imprudentius protulerim, & sim inde reprehendendus (quamvis Iacobus dicat perfectos esse, qui non offenderint in verbo) hoc tamen longè aliter, & modo magis pio & Christiano fieri deberet, quàm tu attentasti, qui cùm maneres in oppido Gray, ac sæpè tibi ad Dolam iter esset, atq; ego tibi quippiam malè locutus vel perversè interpretatus videbar, cur me tunc non convenisti, cur non corripuisti, cur non arguisti de malo, de hæresi, de judaismo? cur non restitisti in faciem, sed me prælegentem in Dola Burgundiæ remotè per ducẽta miliaria, in Ganda Flandriæ coram Principe & Curia, in communem invidiam trahere voluisti? ut ita Principis ac procerũ odio in me concitato, per indirectum (ut dicitur) ex tota Burgundia me propelleres. Quis jam non videat apertum dolum, manifestam calumniam, detectam invidiam? Aliter si peccassem, me corripere decuisset, & ut docet Paulus in epist. ad Gal. his verbis: Si occupatus fuerit homo in aliquo delicto, vos qui spirituales estis hujusmodi instruite in spiritu lenitatis. Et idem ad Thessalonicenses ait: Nolite quasi inimicum existimare, sed corripite ut

Communis lectura.

Qua ætate Agrippa exposuit librum de verbo mirifico Lac. 5.

Thess. 3.

pite ut fratrem. hic fraternus & Evangelicus corripiēdi modus decuisset te virum religiosum, qui fratris nomen geris & fratrū Franciscanorum regulam professus es, nobisque multum profuisset, & gratiam favoremq; Principis, cæterorumq; erga me conservasset. Parce ergo mihi deinceps oro, cessent convitia & obtrectationes, cessent sermones qui odia generant, & charitatem vulnerant, & quos mihi infestos reddidisti, rursus ad mutuam benevolentiam & unitatem exhortare, redde mihi integritatem famæ meæ, redde mihi bonum ac innocens nomen meum, redde publicè quæ publicè detraxisti, redde mihi quæ dolo malo & nequissima injuria abstulisti, ne quando antequā recōciliatus sis mihi fratri tuo in Iesu Christo, contra spiritum sanctum irremissibili peccato missārum divina mysteria celebres, & corpus Christi tibi in æternæ damnationis judicium participes, per hoc sacratissimum Christi corpus te obtestor, redde. sumus enim ambo Christiani & membra Christi, ut inquit Paulus ad Romanos, unum corpus in Christo: separari igitur nos, & dissidium facere, quid aliud est quam Christi corpus scindere? & tu in hoc corpore magnum & præcipuum membrum es, qui es doctor theologiæ, & beati Francisci regulam profiteris. Ego quoque de eodem Christi corpore do operam, ut saltem aliquod vel parvum membrum sim: sum enim ego Christianus, & disco quotidie libenter à magnis magistris, qualis tu es unus, quæ ad nostram religionem pertineant, in quibus procul dubio me multum oblecto, diligamus igitur nos invicem. In hoc, ut ait Apostolus, completio est legis, nihil melius veritate & charitate. Nam ad Galatas scribit Apostolus: Si vos invicem mordetis & comeditis, videte ne invicem consumamini. Hæc pauca ad te scripsi bone pater, non odio, non invidia, non ira commotus, sed conscius mihi innocentiæ meq, bono ac pio animo, studio amoris & charitatis quam absterpetimus, & tibi eandem offerimus, quam aut respuere, aut hæc nostra scripta aspernari, nec ex professione tua, nec ex dignitate tua esse potest: nam qui charitatem respuit, Deum respuit: Deus enim teste Evangelista, charitas est. Quòd si propter thalmudisticas cabalisticasque tibi suspectas disciplinas, sive propter alias quasvis falsas relationes aliquorum homunculorum imperitorum, vel mihi minus amicorum, suspectionem quamvis de me susceperis, ego me tibi sufficientissimè & purgabo, & justificabo. Vale. Ex Londino Angliæ celebri emporio, Anno

M. D. X.

Rom. 12. *Galat.* 5.

1. *Iohan.* 5.

CLA-

CLARISSIMO VIRO
D. MAXIMILIANO TRANSSYLVANO,
CAROLI V. *Cæsaris Imperatoris, à consiliis,*

HENRICUS CORNELIUS AGRIPPA

S. D.

ANNI fermè viginti retrò acti sunt, (splendide Maximiliane) quo tempore in Dola Burgundiæ Gymnasio pulpito donatus, magna admiratione librum Ioannis Capnionis, de Verbo Mirifico ad honorem divæ Margaritæ Principis nostræ interpretabar, habita in prælectione insigni laudum suarum oratione. Instabant per id tempus apud me plerique ejus Civitatis non infimæ sortis viri, inter cæteros, quem nosti Symon Vernerius Dolanæ Ecclesiæ Decanus, & Gymnasii Procancellarius, ut prænominatæ Principi nonnihil operis scripto dedicarem: contendebant omnes improbis precibus urgebantq; epistolis, & ingerebant, me hocipso haud non insignem gratiam apud eādem Principem initurum. Annui, nefas arbitratus tantorum virorum preces rejicere, ac propositam mihi tantæ Principis gratiam contemnere. Et cepi argumentum operis, de nobilitate & præcellentia fœminei sexus, non indignum ratus, quod illi Principi potissimùm devoverem dedicaremque, quæ supra omnes nostri ævi præclaras mulieres fœminei nobilitatis præcellentiæque unicum exemplar visa est, ut se præside ac teste libellus ille non parum authoritatis caperet adversus eos qui in fœmineo sexu vituperando nihil faciunt reliqui, Quod autem ad id temporis

conceptum hoc votum meum apud Celsitudinem suam non liberàrim, non loci distantia, non temporis effluxus, non animi facilitas, non propositi mutatio, non etiam argumenti angustia, ingeniive paupertas, sed Catilineti cujusdam calumnia in causa fuit (quæ cujusmodi fuerit ex ipsa nostra ad eundem expostulatione, quam una cum præsentibus ad te mitto videre licebit) cujus hypocrisi victus, indignabundusq; factus, suppressi librum usque adhuc: nolui tamen hac fidelia alium, quamvis etiam pretiosum parietem dealbare, futurum aliquando confidens, quò liber ille non esset amissurus suam dominam. Nunc itaque reversus in patriam hanc, æquum putavi respondere fidei, nec diutius differendum librum illum Principi nostræ offerre, qui illi ex stipulatione & voto æquissimo jure debetur. Atq; ut cognoscat me interim temporis nec illius oblitum esse, nec devotam fidem unquam deseruisse, nec pluris valuisse apud me alienam nequitiam, quàm proprii animi constantiam virtutibus ac laudibus ejus impensè faventem. Quod si nunc tua prudentia hoc meum consilium non improbaverit, faciam ut libellus iste cum plerisque aliis meis prodeat in publicum etiamsi videam res hæc quàm sit exigua & quàm nulla elegantia dicendi reddita. Sed volo libellum hunc quondam in pueritia mea conscriptum, & nunc non nisi, ut in hoc exemplari vides, tumultuariò alicubi recognitum, ipsi Principi tuæ (sicut apud Canonistas quos vocant dicendi mos est) ex nunc ut à tunc, vel cum æstimationis meæ jactura oblatum iri, dum interim ætate jam grandior graviori ac pleniori argumento, sublimiora & digniora Celsi. suæ paravero. Ne-

ro. Neque verò velim Principem ipsam ab his pueritiæ meæ nugis, ingenium meum metiri, quod si experiri velit, possit sibi etiam in maximis rebus & pace & bello usui fore. Proinde verò ne quis superbior, aut eruditionis jactantior, contemptu mediocritatis meæ in ingenium nostrum ingratus, hanc operam nostram despiciat, calumnietur, mordeat, laceret, tuæ Magnanimitati eandem, unà cum fœmineæ nobilitatis splendore, cum muliebris excellentiæ gloria insuper tuendam defendendamque commendo, speroque futurum me hujus causæ, quòd viris fœminas prætulerim, facilè veniam obventurum, qui tantæ Principi hæc scripserim, ac tua amplitudine hortante tuenteque ediderim. Vale. Ex Antverpia, 16. Kal. Maji. Anno 1529.

Judicium tuum expectabo.

DIVAE MARGARETAE AVGVSTAE AVSTRIACORVM Burgundionumque Principi clementissimæ,

HENRICVS CORNELIVS AGRIPPA S. D.

REM hactenus inauditam, sed à vero haud absimilem, pro viribus audacter quidem, sed non sine pudore aggressus sum, fœminei sexus nobilitatem præcellentiamq; describere. Certavit, fateor, in me sapius audacia cum pudore. Nam ut innumeras mulierum laudes, virtutes, summamq; præstantiam oratione velle complecti, plenum ambitionis & audaciæ putabam, sic fœminas maribus præferre, tanquam evitati ingenij plenum pudoris videbatur: hinc forte causans, cur, quum pauci admodum de mulierum laudibus scribere tentârunt, nullus hactenus, quod certo sciam, earum supra viros eminentiam adferre ausus est. Proinde verò tam dignissimo sexui veras atque debitas sibi laudes tacendo velit invidere, & præripere, eumq; suppressa agnita veritate suis meritis, suaq; fraudari gloria, plenum ingratitudinis arbitrabar atque sacrilegii. Quum itaq; inter has varias dissonasq; sententias anxius mecum ipse hæsitarem, miro hoc ingratitudinis eodemq; sacrilegii metu, victo pudore, audacior effectus sum in scribendo, dum metuo videri audacior si tacerem, bonum omen interpretatus, quasi ejus rei provincia, quam hactenus eruditorum cœtus penitus neglexisse videtur, mihi à superis relicta atque decreta fuerit. Annunciabo

ciabo itaque gloriam mulieris, & honestatem ejus non abscondam, tantumq; abest quod me assumpti argumenti pudeat, quodq; si fœminas viris præferam, obid me vituperandum putem esse, ut vix me excusatum iri fidam, qui rem adeò sublimem humiliori quàm par est, dicendi forma complexus sum, nisi me cum temporis angustia, & rei difficultas, tum causæ æquitas tuerentur, tum quia nullo adulandi assentandive studio hanc operam aggressus sum. Ideoque non tam studium fuit Rhetoricis figmentis officiosisq; mendaciis verba in laudes ornare, quàm rem ipsam ratione, authoritate, exemplis, ipsisq; sacrarum literarum, & utriusque juris testimoniis commonstrare. Tibi autem, Serenissima Margareta (cujus inter hujus ævi præclaras fœminas per universum orbem terrarum Apollo, Diana, Dies, Aurora, Vulcanus, dii quinque non illustrârunt, cùm generis nobilitate, tum virtutum præstantia & rerum gestarum gloria, partem alteram) hanc operam nostram ideo devotam dedicatãq; constituo, ut te (quæ ad id virtutum fastigium ascendisti, quòd cuncta quæ de fœminei sexus laudibus prædicantur, vita & moribus superasti) præsentaneo exemplo ac teste fidissima ejusdem sexus vestri decus & gloria, quasi sole quodam splendidius eluceat. Vale felicissimè nobilissimarum simul ac Principum decus, & ornamentum, & gloria, modis omnibus absoluta.

HENRICI CORNELII AGRIPPÆ DECLAMATIO

De nobilitate & præcellentia fœminei sexus.

DEus Optimus Maximus cunctorum genitor, Pater ac bonorum utriusq; sexus fœcunditate plenissimus, hominem sibi similem creavit, masculum & fœminam creavit illos. Quorum quidem sexuum discretio non nisi situ partium corporis differente constat, in quibus usus generandi diversitatem necessariam requirebat. Eandem vero & masculo & fœminæ, ac omnino indifferentem animæ formam tribuit. Inter quas nulla prorsus sexus est distantia. Eandem ipsa mulier cum viro sortita est mentem, rationem atque sermonem, ad eundem tendit beatitudinis finem, ubi sexus nulla erit exceptio. Nam juxta Evangelicam veritatem : Resurgentes in proprio sexu, sexus non fungentur officio, sed angelorum illis promittitur similitudo. Nulla itaq; est ab essentia animæ inter virum & mulierem, alterius super alterum nobilitatis præeminentia : sed utriusq; par dignitatis innata libertas. Quæ autem præter animæ divinam essentiã in homine reliqua sunt, in iis muliebris inclyta stirps durum virorum genus in infinitum penè excellit, quod tum demum ratum firmumque erit, quum id ipsum (& quod institutum nostrum est) non adulterinis fucatisve sermonibus, neq; etiam logicis tendiculis, quibus multi sophistæ homines illaqueare solent, sed cum optimorum autorum patrociniis, rerumque gestarum veridicis historiis, ac apertis rationibus, tum sacrarum literarum testimoniis, & utriusq; juris sanctionibus ostensum est. Principiò itaque ut rem ipsam ingrediar, Mulier tantò viro excellentior facta est, quantò excellentius præ illo nomen accepit : Nam Adam terra sonet, Eva autem vita interpretatur. At vita ipsa quàm terra est excellentior, tam viro ipso mulier est præferenda. Neq; est quòd dicatur, debile hoc argumentum esse, ex nominibus de rebus ipsis judicium ferre. Scimus enim summum illum rerum ac nominum artificem prius cognovisse res quàm nominasse : qui cùm decipi non potuit, eatenus nomina fabricavit, quatenus rei naturam, proprie-

Luc. 20. Matth. 22. Marc. 12.

Genes. 2.

proprietatem & usus exprimeret. Ea enim est antiquorum nominum veritas, testantibus id quoq; Romanis legibus, ut ipsa sint consona rebus, ac apertè rerum significativa. Ideo à nominibus argumentum apud Theologos ac Iurisconsultos magni est momenti, quemadmodum de Nabal scriptum legimus, secundum nomen suum stultus est, & est stultitia cum eo. Hinc Paulus in Epist. ad Hebræos ostensurus præcellentiam Christi, hoc utitur argumento : Quia tanto melior angelis effectus est (inquiens) quantò differentius præ illis nomen hæreditavit. Et alibi : Dedit illi nomen quod est super omne nomen, ut in nomine Iesu omne genu flectatur, cœlestium, terrestrium, & infernorum. Adde non parvam Iuris utriusque vim in verborum obligationibus, in verborum significationibus, in conditionibus & demonstrationibus, in conditionibus appositis, atque id genus disputationibus, juriumq; apicibus comprehendi, uti in illis ipsis, comparibusque aliis utriusque juris titulis comprehendere licet. Sic enim in jure arguimus à nominis interpretatione : item à vi verbi, atque vocabuli, insuper & ab etymologia nominis, & à nominis ratione, & à verborum ordine. Iura etenim ipsa haud segniter considerant significationes nominum, ut ex illis aliquid interpretentur. Cyprianus etiam adversus Iudæos arguit primum hominem à quatuor mundi cardinibus nomen adeptum esse, quasi ἀνατολή, δύσις, ἄρκτος μεσημβρίος, quod sonat oriens, occidens, septentrio, meridies. Et in eodem libro interpretatur idem nomen Adam, quia terra caro facta est, quam vis talis expositio discrepat à traditione Mosè, quum apud Hebræos non quatuor literis, sed tribus scribatur. Hæc tamen expositio in tam sancto viro non est vituperanda, qui linguam Hebraicam non didicit, quam plures sancti & sacrarum literarum expositores sine multa culpa ignorarunt. Quod si mecum nõ habeatur similis licentiæ patientia, ut liceat mihi ad arbitrium in fœminei sexus laudem nominis Evæ pariformem Etymologiam effingere, saltem hoc unum mihi dicere permittant ex Cabalistarum mysticis symbolis, ipsum nomen mulieris plus affinitatis habere cum nomine ineffabili divinæ omniporentiç τετραγράμματον, quàm nomẽ viri, quod cum divino nomine nec in characteribus, nec in figura, nec in numero convenit. Sed his nunc supersedebimus : sunt enim paucis lecta, paucioribus intellecta, & fusiorem narrationem requirunt, quàm ut hîc adscribi conveniat. Nos interim excellentiam mulieris non à nomine modò, sed à rebus ipsis ac muniis meritisque investigabimus.

Hebr. 1.

Philip. 2.

HATHI TRUST DIGITAL LIBRARY

Scrutemur itaq; Scripturas, ut ajunt, & ab ipso creationis initio sumentes exordium, quid dignitatis mulier ipsa in primo productionis ordine supra virum sortita est, disseramus. Scimus quæcunq; à Deo Optimo Maximo facta sunt, hoc potissimùm differre, ut quędam eorum perpetuò maneant incorruptibilia, quædam corruptioni ac mutationi subjecta sint, atque in his creandis Deum hoc ordine progressum, ut à nobiliori unius incipiens, in nobilissimum alterius desineret. Itaq; creavit primùm incorruptibiles angelos & animas: ita namq; contendit Augustinus animam primi nostri parentis ante corporis productionem unà cum angelis creatam fuisse. Porro creavit incorruptibilia corpora, ut cœlos, ac stellas, ac elementa incorruptibilia quidem, sed variis mutationibus obnoxia, ex quibus cætera omnia, quæ corruptioni subjecta sunt, conflavit ex vilioribus per singulos dignitatis gradus rursus ascendendo ad universi perfectionē procedens. Hinc primùm mineralia prodierunt, pòst vegetabilia, plantæ & arbores, deinde zoophita, demùm animantia bruta per ordinem, reptilia, natantia, volātia, quadrupedia. Postremò creavit sibi similes homines duos, marem inquam primùm, & postremò fœminam, in qua perfecti sunt cæli, & terra, & omnis ornatus eorum: ad mulieris enim creationem veniens creator, quievit in illa, ut nihil honoratius creandum præ manibus habens, in ipsaque concluſa & cōsummata est omnis creatoris sapientia, atque potestas, ultra quam non reperitur creatura alia, nec excogitari potest. Cùm itaque mulier sit ultima creaturarum, ac finis & complementum omnium operum Dei perfectissimum, ipsiusque universi perfectio, quis eam negabit super omnem creaturam prætellentia dignissimam, sine qua mundus ipse jam ad unguem perfectissimus, & numeris omnibus absolutus fuisset imperfectus, qui non aliter quàm in creaturarum omnium longè perfectissima perfici potuit. Dissentaneum enim est & absurdum, opinari, Deum in aliquo imperfecto tātum opus perfecisse. Nam cùm mundus ipse velut integerrimus aliquis perfectissimusq; circulus à Deo creatus sit, oportuit illum in ea particula absolvi, quæ omnium primum cum omnium ultimo unitissimo quodam nexu in sese copularet. Sic mulier dum creatur mundus inter omnia creata tempore fuit ultima, eademq; cum autoritate, tum dignitate in ipso divinæ mentis conceptu omnium fuit prima, sicut de ipsa scriptum est per Prophetam: Antequā cœli crearentur elegit eam Deus, & prælegit eam. Ea siquidē est pervulgata philosophantium (ut illorum verbis utar) sententia,

Augu. sup. Genes. 7.

Genes. 2.

tentia, finem semper priorem esse in intentione, & in executione postremum. Mulier autem fuit postremum Dei opus introducta à Deo in hunc mundum velut ejus regina in regiam sibi jam paratam, ornatam, & omnibus numeris absolutam. Meritò igitur illam omnis creatura amat, veneratur, observat meritoque illi omnis creatura subjicitur, atq; obedit, quæ omnium creaturarum regina est atq; finis, & perfectio & gloria modis omnibus absoluta. Quamobrem de illa Sapiens ait: Generositatem mulieris glorificat, contubernium habens Dei, sed & omnium Dominus dilexit eam. Quantum etiam ratione loci in quo creata est mulier, generis nobilitate virum excedit, sacra nobis eloquia locupletissimè testantur, quando mulier in Paradiso nobilissimo loco pariter & amœnissimo formata est cū angelis, vir autem extra Paradisum in agro rurali cum brutis animalibus, factus est, postea propter creandam mulierem traductus in Paradisum. Ideoque mulier peculiari quadam naturæ dote veluti assueta æditissimo creationis suæ loco, quātumvis ab alto despiciens non patitur vertiginem, neque calignant oculi ejus, ut viris accidere solet. Præterea si contingat mulierem cum viro pariter in aquis periclitari omni externo adjutorio semoto, mulier diutius supernatat, viro citius subsistente fundumq; petente. Quod autem loci dignitas ad hominis nobilitatem faciat, leges civiles sacriq; canones haud obscurè cōfirmant, & omnium gentium consuetudo illud maximè observat non solum in hominibus sed quibusq; animalibus, etiam in inanimatis æstimandis, ut quantò quæque digniore sunt orta loco tanto generosiora censeantur. Quocirca Isaac præcepit filio suo Iacob ne uxorem acciperet de terra Canaan, sed de Mesopotamia Syriæ conditione meliore. Est haud dissimile quod est apud Ioannem dum Philippus diceret: Invenimus Iesum filium Ioseph, à Nazareth. dixit ei Nathanaël, à Nazareth potest esse aliquid boni? Nunc ad alia pergamus: Præcellit mulier virum materia creationis, propterea quòd non ex inanimato quopiam aut vili luto creata, quemadmodum vir, sed ex materia purificata, vivificata & animata, anima inquam rationali mentem participante divinam. Accedit ad hoc quod vir ex terra, quasi suapte natura omnis generis animantia producente, cooperante cœlesti influxu à Deo factus est. Mulier autem supra omnem cœli fluxum, ac naturæ promptitudinem absq; ulla virtute cooperante à solo Deo creata est, in omnibus sibi constans, integra & perfecta, viro interim unius costæ jacturam faciente, ex qua formata est mulier, videlicet Eva de Adam

Ioh. 2.

Gen. 2.

dormiente, atq; tam profundè ut ne costam quidem evelli sentiret, quã Deus abstulit à viro & dedit mulieri. Vir itaq; naturæ opus, mulier opificium Dei. Ideoque mulier divini splendoris plerunq; viro capacior, sæpèq; plena existit, quod etiamnum, ex munditia & pulchritudine ipsius mirifica facilè videre licet. Nam quum pulchritudo ipsa nihil est aliud quam divini vultus, atq; luminis splendor rebus insitus, per corpora formosa relucens: Is certè mulieres præ viris habitare ac replere abundantissimè elegit. Hinc mulieris corpusculum omni aspectu tactuq; delicatissimum, caro tenerrima, color clarus & candidus, cutis nitida, caput decorum, cæsaries venustissima, capilli molles, lucidi & protensi, vultus augustior, prospectusq; hilarior, facies omnium formosissima, cervix lactea, frons expeditus, spatiosus & splendidus, oculos habet vibratiores, micantioresq; amabili hilaritate, & gratia contemperatos, supra hos supercilia in tenuem gyrum composita, eademque cum decora planitie, decenti distantia divisa, è quorum medio descendit nasus, æqualis & intra rectum modum cohibitus, sub quo os rutilum, & tenellis labris conformi compositione venustum, intra quæ tenui risu dentes emicant, minutili & æquo ordine locati, eburneo candore nitentes, illorumq; quam viro paucior numerus quod neque edax neque mordax. Circumsurgunt maxillæ, genæque tenera mollitie roseo fulgore rubentes verecundiæque plenæ, ac mentum orbiculare, decenti concavitate jucundum. Sub hoc collum habet gracile, & longiusculum rotundis ex humeris erectum, gulam delicatam & albicantem, mediocri crassitie fultam, vocem & orationem suaviorem, pectus amplũ, & eminens, æquali carne vestitum cum mamillarum duritie, illarumq; simul ac ventris orbiculari rotonditate, latera mollia, dorsum planum & erectum, brachia extensa, manus teretes digitosq; concinnis junctu ris protesos, tlia coxasq; habitiores, suras carnosiores, extrema manuum pedumq; in orbicularem ductum desinentia, singulaq; membra succi plena. Adhæc incessus gressusq; modestus motus decentior, gestus digniores, totius præterea corporis ordine atq; symmetria, figura, ac habitudine longè latèq; in omnibus speciosissima, nullumque in tota creaturarum serie, neq; spectaculum adeo mirãdum, neq; miraculum perinde spectandum, ut nemo nisi cæcus omnino non videat, Deũ ipsum, quicquid pulchritudinis capax est mũdus universus in mulierem simul congessisse, ut ob id illam omnis creatura stupescat, & multis nominibus amet, ac veneretur, usque adeo ut usu venire videamus, quod incorporei spiritus, dæmonesque mulieres sæpissimè ardentissimis amoribus depereant: quæ non fallax opinio est, sed multis experimentis nota veritas. Atq; ut omittam, ea quæ poetæ nobis de amorib. deorum eorundemq; amasiis tradidere, ut Apollinis, Daphne, Neptuni, Salmonea, Herculis, Hebe, Iole, & Omphale, cæterorumq; deorum amasiis, & ipsius Iovis admodum multis: Hoc tam divinũ pulchritudinis munus diis hominibusq; amabile sacra eloquia in mulieribus præ cæteris gratiarum dotibus in multis locis celebriter commendant. Hinc legitur in Gen. quod videntes filii Dei filias hominum quòd essent pulchræ, delegerunt uxores sibi ex illis quas voluerunt. Legimus etiam de Sara Abrahæ quæ fuit pulchra præ aliis terræ mulieribus imò pulcherrima. Sic servus Abrahæ cũ vidisset Rebeccam eximiæ pulchritudinis puellam, dixit tacitus secum: Hæc est quam præparavit dominus filio Abrahæ Isaac. & Abigail uxor Nabal viri pessimi erat prudens & cordata, perinde atq; speciosa. Ideoque servavit vitam & facultatem viri sui a furore David, & malus vir per pulchram mulierem servatus est. His enim verbis allocutus est eam David: Vade pacificè in domum tuam, ecce audivi vocem tuam & honorificavi faciem tuam. Nam cũ omnis pulchritudo sit vel spiritualis, vel vocalis, vel corporea, Abigail tota pulchra fuit, & prudentia spiritus & facundia sermonis & venustate corporis, quo nomine mortuo viro suo Nabal facta est una uxorum David. Et Bathsaba fuit adeò insigni forma mulier, ut ejus amore captus David illam post mortem viri desponsatam reginali dignitate præ cæteris elevaret. Item Abisaag Sunamitis, quòd esset puella pulcherrima, propterea electa fuit ut accubando David senescentis jam regis calorem instauraret. Quapropter & summis honoribus senex eam rex augere voluit, & post mortem regis potentis reginæ loco habita est. Huc spectant ea quæ de mira pulchritudine reginæ Vasti legimus atque de Hester quæ illi prælata, illaque præstantior fuit, nimis quam pulchra & decora facie. De Iudith etiam legimus cujus auxit dominus pulchritudinem in tantum, ut eam conspicati stupore sint admirando affecti. De Susanna denique quæ fuit oppido quàm delicata, & specie pulchra. Quid quòd legimus etiam post varia tentamenta Iob & ejus ærumnas exantlatas, præter cætera quæ summa patientia meruit, dedisse illi dominum tres filias pulcherrimas, tribus charitibus longè gratiores, quibus mulieres in universa terra speciosiores neutiquam inventæ sunt. Legamus porrò licebit sanctarum virginum historias, nimirum mirabimur quàm imi-

Gen. 6. Gen. 12. Gen. 24.

2. Reg. 25.

3. Reg. 1.

Hester. 1. 2. Iudith. 8.

Daniel. 13.

Iob. ult.

ræ pul-

ræ pulchritudinis & speciosissimæ formæ præ cæteris filiis hominum catholica ecclesia solenniter illas collaudando decantet. Sed omnium longè latèque principem immaculatam Dei genitricē virginem Mariam, cujus pulchritudinem Sol & Luna mirantur, è cujus speciosissimo vultu tanta simul effulsit pulchritudinis castimonia, atq; sanctitudo, ut licet omnium oculos pariter & mentes perstringeret, nemo tamen unquam mortalium suis illecebris, vel minimo cogitatu corruerit. Hæc etiamsi fusius, è sacris Bibliis, ubi toties de pulchritudine facta mentio, idque ipsissimis penè verbis ideò recensui, quo planè intelligamus mulierum pulchritudinem non apud homines

Num.31. solum, sed apud Deum cohonestatam esse & honore cumulatam. Proinde & alibi legimus in sacris literis Deum præcepisse omnem masculum sexum etiam pueros occidi, mulieres verò pulchras servari. Et in Deuteronomio permittitur filiis Israël pulchram mulierem è captivis sibi deligere in conjugem. Præter hanc admirandam pulchritudinem etiam honestatis quadam dignitate mulier dotata est, quod viris non contingit. Nam capilli mulieris intantum promittuntur, ut omnes corporis partes pudentiores operire possint. Adde quod has corporis partes in naturæ operibus mulieri contrectare, id quod viris adsolet usui venire, nunquam est necesse. Ad miram denique decentiam natura ipsa mulieribus inguina ordinavit non prominentia uti viris, sed intus manentia, ac secretiori tutioriq; loco sepositā. Porro natura plus verecundiæ contulit mulieribus, quàm viris. Quamobrem sæpissimè contigit mulierē inguinum periculoso abscessu ægrotantem mortem elegisse, potius quam se chirurgi conspectui ac contrectationi objiceret medendam. Et hanc verecundiæ honestatem etiamnum moribundæ mortuæque retinent, ut in his patet maximè quæ in aquis pereunt. Nam authore Plinio atque experientia teste, mulier prona jacet pudori defunctarum parcente natura, vir autem natat supinus. Accedit ad hæc quod dignissimum in homine membrum, quo maximè a brutis differimus, divinā̄q; indicamus naturam, caput est, & in eo potissimum vultus. Caput quidem in viris caluitie deformatur, muliere contra magno naturæ privilegio non calvescente. Vultus insuper in viris barba illis odiosissima adeò sæpè deturpatur, pilisq; sordidis operitur, ut vix à beluis discerni possint. In mulieribus contrà remanente semper facie pura, atque decora. Hinc lege duodecim tabularum cautum erat ne mulieres genas raderent, ne quando barba excresceret: & pudor occultaretur. Munditiæ etiam

etiam ac puritatis ipsius mulieris omnibus vel hoc evidentissimum argumētum est, quòd mulier semel mundè abluta, quoties aqua pure diluitur, aqua ipsa nullam recipit immunditiæ maculam. Vir autem quantumcunq; ablutus quoties denuò abluit, turbat aquam & inficit. Adhæc naturę ordinatione mulieribus per loca secretiora singulis mensibus superfluitates expelluntur, quæ viris per faciem multò digniorem humani corporis partem continuò emittuntur. Præterea cum inter cętera animantia solis hominibus concessum sit ad cœlum attollere vultus, natura fortunaq; mulieri in hoc mirificè prospexerunt atq; adeò pepercerunt, ut si casu fortuitóve cadendum sit, mulieres ferè semper in tergum decidant, ac vel nunquam vel non temerè in caput vultúmve prosternantur. Quid (quod ne omittamus) nónne in humani generis procreatione videmus naturam viris mulierem prætulisse? quod hoc maximè perspicuum est, quia solum muliebre semen, Galeno & Avicenna testibus, est materia & nutrimentum fœtus, viri autem minimè, quòd illi quodammodo ut accidens substātiæ ingrediatur. Maximum enim, ut ait lex, atq; præcipuum munus est fœminarum concipere, conceptumq; tueri, ob quam causam videmus plurimos matribus similes esse, quia ex earum sanguine procreatos: Idque plurimum in corporis habitu, semper autem in moribus: si enim matres stolidæ sunt & filii stolidi fiūt, si matres prudentes, & filii earum prudentiam redolent. Contra verò in patribus, qui si ipsi sint sapientes, filios ut plurimum generant stolidos, & stolidi patres sapientes producunt filios, modò sapiens mater sit. Nec alia ratio est cur matres plus patribus diligant filios suos, nisi quia multò plus de suo sentiunt habentque in illis matres, quàm patres. Ob eandem quam dixi causam, etiam arbitror nobis inditum esse uti plus in matrem quàm in patrem simus adfecti, usque adeò ut patrem diligere, matrem solam amare videamur. Eademque de causa natura mulieribus tanti vigoris lac contulit, quod non solum infantes nutriat, verùm etiam & ægros restauret, & adultis quibusq; ad vitæ columitatem sufficiat. Cujus experimentum legimus apud Valerium de plebeia quadam juvencula, quæ matrem suā in carcere sic aluit, cum alioqui fame esset peritura. quam ob pietatem salus matri & utrique perpetua alimenta data sunt, carcerque in pietatis templum consecratus est. Constat autem semper ferè mulierem majorem esse pietatis & misericordiæ, quam virum, quod & Aristoteles ipse fœmineo sexui propriū tribuit. Quamobrem arbitror dixisse Salomonem: ubi non est mulier,

Gale. 2. de spermate & 14.

Val. lib. 5. c. 4.

Arist. lib. de animalibus.

Eccl 26.

3. Reg. 1.

mulier, ingemescit æger, vel quod inserviendo & assistendo valetudinariis miræ est dexteritatis, & alacritatis, vel quod lac muliebre potissimum ægris debilibus etiam morti vicinis præsentaneum remedium est, quo ad vitam restituantur. Hinc ferunt medici, calor earundem papillarum virorum nimio senio confectorum pectori applicatus, calorem vitalem in illis excitat, adauget, & conservat, quod ne Davidi quidem latuit, qui Abisaag Sunamitem puellam delegit in senio, illius calefactus amplexibus. Porro etiam hoc promptior est viro mulier ad sacrum illud generandi officium (ut omnibus palàm est) quod hæc quidem decennis & infrà viri potens est, ille verò longè succedat. Prætereaq; nemini id obscurum est, solam fœtificantium mulierem postquam prægnans est & ferre incipit uterũ, nec ita diu etiam postquam partu est soluta, ad recensitum jam opus rursum inclinatam, cujus vasculum (matricem vocant) adeo usque humano conceptu adficitur, ut aliquando mulier absque concubitu concepisse legatur. Sic enim Physicus ille de muliere quadam monumentis tradidit literarum, quæ virile semen in balneo emissum adhauserit. Accedit ad hoc aliud naturæ stupendum miraculum, quòd mulier prægnans si appetitus instigârit, impunè victitat carnibus incoctis, crudisque piscibus, neque rarò carbonibus, luto, lapidibus, metalla quoque & venena cæteraque hujusmodi multa sine noxa concoquit, & in corporis convertit salutiferum nutrimentum. Quanta etiam præter hæc ipsa in mulieribus natura producere gaudeat miracula, nemo mirabitur, qui philosophorum medicorumque volumina perlegerit quorum exemplum, quod unicum duntaxat subjiciam, præsto est & ad manum. In menstruo qui sanguis præterquam quòd à quartanis, ab hydrophorbia, à morbo comitiali, ab elephantiasi, ab impressionibus melancholicis ac mania & multis id genus pernicioßissimis ægritudinibus liberat, aliaque permulta, nec minus admiratu digna efficit, inter cætera miranda etiam incendia extinguit, tempestates sedat, fluctuum pericula arcet, noxia omnia pellit, maleficia solvit, ac cacodæmones fugat. De his verò quæ reliqua sunt, plura ad præsens probare non est consilium. Illud tamen adhuc addam auctarii vice. in mulieribus esse juxta philosophorum & medicorum comprobatas experientia traditiones, divinum donum omnibus admirandum, quo ipsæmet suis propriis dotibus in omni morborũ genere sibi ex seipsis mederi possunt, nullo etiam exotico aut aliunde accersito adminiculo accedente. Sed quod omnia superat mirabilia, mirabilissimum illud ipsum

Averrois 2. collig.

ipsum est, quod sola sine viro mulier humanam potuit producere naturam, quod viro haudquaquam datum est. Quod equidem apud Turcas seu Mahumetistas in confesso est, apud quos plures concepti creduntur sine virili semine, quos illi sua lingua nefetolgi vocant: & narrantur insulæ ubi fœminæ ventus afflatu concipiunt, quod tamen nos verum esse non concedimus. Sola siquidem virgo Maria, sola inquam hæc sine viro Christum concepit, ac peperit filium ex sua propria substantia, & naturali fœcunditate. Est enim beatissima virgo Maria vera & naturalis Christi mater, ipsique Christus verus & naturalis virginis Mariæ filius: dico autem naturalis, quia homo, & iterum naturalis virginis filius, quatenus ipsa virgo non fuit corruptæ naturæ obnoxia. Quocirca neque etiam in dolore peperit, neque sub potestate viri fuit, tanta fuit ejus ex præveniente benedictione fœcunditas, ut ad concipiendum viri non indigeret opera. Inter bruta autem animantia constat fœminea nonnulla nunquam is expertia fœcunda esse, ut vulturum fœminas, ex historia memoriæ proditum esse contra Faustum tradidit Origenes. Sed & equas quasdam Zephyro flante concipere comperit antiquitas, de quibus hæc canuntur:

Origen. in primo contra Faustum

Vergil. 3. Georgi. Pinand. 12.

Or omnes versa in zephyrum stant rupibus altis,
Exceptæ spirant, leve auras, & sæpè sine ullis
Conjugiis vento gravidæ.

Iam quid de sermone dicam divino munere, quo uno beluis maxime præstamus, quem Trismegistus Mercurius ejusdem ac immortalitatem pretii existimat, & Hesiodus optimum hominis thesaurum nominat. Nonne sermone mulier viro facundior, magisq; diserta & abundans? Nonne quotquot sumus homines, non nisi aut à matribus aut à nutricibus primum loqui didicimus? sane natura ipsa rerum architectrix in hoc humano generi sagaciter prospiciens, hoc muliebre genus donavit, ut vix uspiam mulier muta reperiatur. Pulchrum profecto & laudabile viros præcellere, quo cæteris animantibus homines potissimum præstant.

Sed à prophanis ad sacras literas ceu postliminio redeamus, atque ab ipsis usque religionis fontibus rem auspicemur. Scimus in primis haud dubiè propter mulierem viro Deum benedixisse, quam benedictionem vir utpote indignus habere non meruerat priusquam mulier esset creata. Cui consonat illud Salomonis proverbium: Qui invenerit mulierem bonam invenit bonum, & haurit benedictionem à domino. Et illud Ecclesiastici: Mulieris bonæ beatus vir, numerus annorum illorum

Prov. 18. Eccle. 26.

lorum duplex. Et nullus homo potest in dignitate comparari illi qui dignus fuerit habere mulierem bonam. nam ut ait Ecclesiasticus: Mulier bona est gratia super omnem gratiam. Id-
Eccle.26. eoque Salomon in proverbiis vocat illam coronã viri. Et Paulus gloriam viri: definitur autem gloria, consummatio & per-
Pro.12. fectio rei quiescentis & delectantis in suo fine, quando videli-
1.Cor.11. cet rei amplius nil addi potest ut crescat ejus perfectio. Mulier
August. itaque consummatio perfectio, felicitas, benedictio & gloria viri existit, atque ut ait Augustinus, prima humani generis in
Gen.17. hac mortaliate societas. Idcirco illam omnis homo amet ne-
Gen.12.28. cesse est, quam qui non amaverit, qui odio habuerit, ab omnib. virtutibus & gratiis alienus est, nedum humanitate. Referenda fortè isti: essent cabalistica illa mysteria, quomodo Abraham benedictus à Deo per mulierem Sarah decerpta à nomine mulieris litera H. & addita nomini viri, & vocatus est Abraham,
Gen.2. quomodo etiam benedictio Iacob illi sit per mulierem, matrẽ videlicet acquisita. Sunt hujus generis plura in sacris literis, sed hoc loco non explicanda. Benedictio itaque data est propter mulierem, lex autem propter virum, lex inquam iræ & maledictionis, viro namq; interdictus erat fructus ligni, mulieri non
Gen.17. item, quæ neque dum creata erat: illam enim Deus ab initio liberam esse voluit, vir itaque comedendo peccavit, non mulier, vir mortem dedit, non mulier. Et nos omnes peccavimus in Adam non in Eva, ipsumque originale peccatum non à matre fœmina, sed à patre masculo contrahimus. Ideoque vetus
Gen.3. lex omne masculinum circuncidi jussit, fœminas autem incircuncisas manere, peccatum videlicet originis in eo sexu qui peccasset solummodo puniendum statuens. Neque præterea increpavit Deus mulierem, quia comederat, sed quia mali occasionem dedisset viro atque id quidem imprudens, eò quòd
Bernard. per diabolum tentaretur. Vir itaque ex certa scientia peccavit, mulier erravit ignorans & decepta. Nam & à diabolo primo tentata est, quippe quam cognovit creaturarum omnium excellentissimam, & ut inquit Bernardus: Videns diabolus admirandam ejus pulchritudinem, sciens eam talem qualem anteà in divino lumine cognoverat, quæ super omnes angelos gauderet colloquio Dei, invidiam jecit in solam mulierem, propter suam excellentiam. Quocirca Christus natus huic mundo humilimus, quo sua humilitate superbiam expiaret peccati primi parentis, sexum assumpsit virilem, ut humiliorem, non sexum
Gen 3. fœmineum sublimiorem & nobiliorem Præterea quia condemnati fuimus propter peccatum viri non mulieris, voluit Deus

Deus ut in quo sexu fuerat peccatum in eo fieret & peccati expiatio, & qui sexus ignorans deceptus erat, per eundem etiã fieret vindicta. Ideoque ad serpentem dictum est, quia mulier, vel quod verius legitur, quia semen mulieris caput ejus conteret, non vir neque semen viri. Atque hinc est fortè quare ordo sacerdotalis ab ecclesia commissus est potius viro quàm mulieri, quia sacerdos omnis Christum representat, Christus autem primum hominem peccatorem ipsum videlicet Adamũ. Ex hoc jam intelligitur Canonille qui incipit: Hæc imago, dicens mulierem non esse factam ad imaginem Dei, scilicet ad corpoream Christi similitudinem. Noluit tamen Deus, ipse inquam Christus filius esse viri, sed mulieris, quam eo usque honoravit, ut ex muliere sola carnem indueret. Propter mulierem namq; Christus dictus est filius hominis, non propter virum. Hoc est illud ingens miraculum, quod admodum prophetа stupescit, quia mulier circundedit virum, quando videlicet sexus devoratur à virgine, & Christum portat in corpore. Etiam resurgens Christus à morte, mulieribus primum apparuit, non viris. Nec ignotum est post Christi obitum viros à fide discessisse, mulieres autem nusquam constat à fide & religione Christiana defecisse. Porrò nulla unquam fidei persecutio, nulla hæresis, nullus in fide error à mulieribus unquam emersit, secus constat de viris. Christus traditus, venundatus, emptus, accusatus, damnatus, passus, crucifixus, tandem morti traditus, non nisi per viros. Imò etiam à Petro suo negatus, à cæteris discipulis relictus, à solis mulieribus ad crucem usque & sepulchrum comitatus. Atque etiam ipsa Pilati uxor ethnica plus conabatur salvare Iesum, quàm quisquam virorum etiam illorum qui crediderant. Accedit huc quod tota fermè theologorum schola asserit, ecclesiam tunc non nisi apud solã mulierem puta virginem Mariam mansisse, atq; ob id & meritò religiosus ac sacer fœmineus sexus appellatur. Quod si etiam quispiam cum Aristotele dicat, inter omnia animalia masculos esse fortiores, prudentiores, & nobiliores: huic respondet excellentior doctor Paulus dicens: Quæ stulta sunt mundi, elegit Deus, ut confundat sapientes, & infirma mundi elegit Deus, ut confundat fortia, & ignobilia mundi, & contẽptibilia elegit Deus, & ea quæ non sunt, ut quæ sunt destrueret. Nam quis inter viros in cunctis naturæ gratiarum dotibus Adamo sublimior extitit? at mulier illum humiliavit: quis Samsone fortior? mulier ejus fortitudinem superavit: quis castior Loth? mulier illum ad incestum provocavit: quis Da-

33. q. hæc imago.
Hiere.31.
Ioan.20.
Marc.16.
Luc.24.
Matth.27.
Aristot. lib. de animal.
1.Cor.1.
Genes.2.
Iudic.14. & 16.
Gen.19.
2.Reg.11.
3.Reg.11.

vid religiosior? mulier ejus sanctimoniam turbavit. quis sapientior Salomone? mulier eum decepit. quis patientior Iob? quem diabolus fortunis omnibus exuit, familiam & filios occidit, ipsumq; ulceribus sanie dolore toto corpore opplevit, tamen à pristina animi simplicitate patientiaque ad iracundiam provocare non potuit, provocavit autē mulier, in hoc diabolo superior confidentiorq; quē ad maledicēdum irritavit. Quod si modo fas est vel Christum ipsum in hanc comparatione vocare, quo nihil potentius, nihil sapientius, cum sit æterna Dei sapientia, atq; potestas, nónne à Chananea illa muliercula sese superari passus est, dicente ipso: Non est bonum tollere panem filiorum, & mittere canibus. Illa cōtrà respondente: utiq; Domine, nam & catelli edunt de micis quæ cadunt de mensa dominorum suorum. cumque jam vidisset Christus, quia illam hoc argumento superare non posset, benedixit illi dicens: Fiat tibi sicut vis. Quis Petro Apostolorum primo in fide ferventior? mulier illum non minimum ecclesiæ pastorem ad negādum Christum seduxit. Dicant quicquid velint canonistæ ecclesiam suam non posse errare, Papa mulier illam egregia impostura delusit? Cæterum dicet quis hæc magis in opprobriū mulierum vergere quàm ad laudem accedere: cui mulieres ad hunc modum respondebunt. si alterum nostrum necesse est aut boni alicujus, aut etiam vitæ jacturam facere, malo ego te perdere quàm me perditum iri. Idq; exemplo Innocentii tertii, in quadam sua decretali epistola ad quendam Cardinalem à Romana sede legatum scriptum reliquit: Si te vel me confundi oporteat, potius te confundi eligam. Præterea civilibus legibus etiam mulieribus indultum est ut liceat sibi consulere damno alieno. Atque in ipsis sacris literis nónne sæpè benedicitur, & extollitur iniquitas mulieris, plus quàm vir benefaciens? Nónne laudatur Rachel quæ patrem suum idola quærentem, pulchra adinventione delusit? Nónne etiam Rebecca, quia per fraudem obtinuit Iacob benedictionē patris, & postea cautius fecit declinare fratris iram. Rahab meretrix decepit eos qui quærebant exploratores Iosue, & reputatur ei ad justitiam. Egressa est Iahel in occursum Sisaræ, dixitque ad eum, intra ad me domine mi, ac petenti aquam dedit illi bibere de utre lactis, & operuit illum jacentem, dormiente autem Sisara ingressa est abscondere, percussitque clavum in caput ejus, & interfecit illum, qui se fidei ejus crediderat servandum, atque pro hac insigni proditione, benedicta, inquit scriptura, inter mulieres Iahel benedicatur in tabernaculo suo. Legito

Iob.

Matth. 15.

Ioan. 18. Matth 20. Marc 14. Luc 22.

Plu. de Ioan. 8.

Genes 31.

Gen. 27.

Iosue 2.

Iudith. 13.

historiam Iudith, & notate verba ejus ad Olofernem: Sume, inquit, verba ancillæ tuæ, quoniam si ea secutus fueris, perfectum te faciet Dominus, veniens, nunciabo tibi omnia, ita ut adducam te per mediam Hierusalem, & habebis omnem populum Israël, sicut oves, quarum non est pastor, & non latrabit vel unus canis contra te, quoniam hæc mihi dicta sunt per providentiam Dei: sopitumque blanditiis Olofernem percussit in cervicem, & abscidit caput ejus. Quod quæso iniquius consilium, quæ crudeliores insidiæ, quæ captiosior proditio excogitari posset? & hanc ideirco benedicit, laudat & extollit scriptura, & lōgè melior reputata est iniquitas mulieris, quàm vir benefaciens. Nónne bonum operatus est Cain offerens in sacrificium optimarum frugum primitias, & eo ipso reprobatus est à Deo? Esau nónne benefecit dum pia obedientia venatur decrepito parenti cibum, & interea defraudatur benedictione, & odio habitus est Deo: Oza, dum zelo religionis inclinatam, & jam prope labantem arcam sustinet, morte subitâ percussus est: Rex Saul dum Amalechitarū pinguiores hostias in sacrificium parat Domino, dejectus regno etiā spirituī nequam traditus est. Excusantur ab incestu patris filiæ Loth, & non excusatur temulentus pater, & successio ejus ejicitur ab ecclesia Dei. Excusatur incestuosa Thamar & dicitur justior patriarcha Iuda, & fraudulento incestu meretur propagare lineam salvatoris. Ite nunc viri, fortes & robusti, & vos prægnantia Pallade, ligata tot fasciis scholastica capita & totidem exemplis contrariam illam probate sententiam, quod melior sit iniquitas viri, quàm mulier benefaciens. Certè non poteritis illam tueri ni recurretis ad allegorias, ubi tunc æqualis cum viro mulieris erit autoritas. sed modò revertamur. Præcellentiæ tam feliciſſimi sexus omnibus hoc vel evidentissimum argumentum esse potest, quòd dignissima omnium creaturarum, qua nec unquam dignior fuit, nec futura est, mulier fuerit, ipsa inquam beatissima virgo Maria, qua siquidem præter originale peccatum concepta sit, ne Christus quidem quod ad ejus humanitatē attinet major erit. Est etenim Aristotelis validum hoc argumentum: cujus generis optimū est nobilius optimo alterius generis, hoc genus esse altero nobilius: in fœmineo genere optima est virgo Maria: in masculino non surrexit major Ioanne Baptista, atque hinc quantum excellat virgo diva, quæ exaltata est super omnes choros angelorum, nemo catholicus ignorat. Similiter argumentari licebit, cujus generis pessimum pejus est pessimo alterius, ie

genus esse illo quoq; inferius. Iam verò scimus quia vitiosissima ac pessima creaturarum omnium vir est, sive ille fuerit Iudas qui Christum tradidit, de quo ait Christus, Bonum esset homini illi si natus non fuisset: sive illo pejor futurus sit Antichristus aliquis, in quo omnis potestas Sathanæ inhabitabit. Multos præterea viros æternis cruciatibus damnatos prodit Scriptura, cùm nulla uspiam mulier damnata legatur. Accedit ad id testimonii etiam brutalis naturæ quædam prærogativa. quippe avis omnium regina, atq; nobilissima quæ aquila est, semper fœminea, nunquam masculini sexus reperietur. Phœnicem etiam avem unicam Aegyptii non nisi fœmellam prodiderunt. Econtrario autem regulus serpens quem basiliscum dicunt, omnium venenatorum pestilentissimus non nisi masculus est, quem insuper impossibile est nasci fœmellam. Præterea sexus hujus excellentia probitasq;, ac innocentia, vel his argumentis satis abundè ostendi potest, quoniam malorũ omnium ortus à viris sit, à mulieribus minimè. Primus quippe protoplastes Adam ille legem domini transgredi ausus, portas cœli obseravit & omnes nos peccato mortiq; reddidit obnoxios. Omnes enim peccavimus & morimur in Adam, nõ in Eva. Hujus perinde primogenitus inferorum portas reseravit, ille primus invidus, primus homicida, primus parricida, primus desperans de misericordia Dei, primus digamus Lamech, primus ebrius Noë, primus turpitudinem patris sui denudans ille filius Noë Chamus, primus tyrannus simul ac idolatra Nemroth, primus adulter viri, primus incestuosus vir, viri insuper primi cum dæmonibus fœdera inierunt, ac prophanas artes invenerunt. Viri filii Iacob primi vendiderunt fratrem. Pharao Aegyptius necavit primus pueros, viri primi contra naturam luxuriati sunt, testibus Sodoma & Gomorra, quæ ob virorum scelera perierunt, celebres olim urbes viros legimus ubique temeraria voluptate digamos, multinubos, multicubos, adulteros, fornicatores, sic plurimi uxorum concubinarumque viri fuerunt Lamech, Abraham, Iacob, Esau, Ioseph, Moses, Samson, Helcana, Saul, David, Salomon, Assur, Roboam, Abia, Caleph, Assuerus, & innumeri alii, qui singuli plures uxores insuper & pellices & concubinas habuerunt. Nec illarum conjugio contenti ad explendam suam libidinem etiam cum earum ancillis se commiscuerunt. Mulierem verò excepta una sola Batsabea nullam usque reperimus, nisi uno solo viro semper fuisse contentam, nec digamam insuper reperies ullam, si ex primo marito prolem susceperat. Sunt enim

Marc. 14.

Genes. 3.

Gen. 4.

Gen. 9.
Ibidem.
Gen. 10.

Gen. 37.
Exod. 1.
Gen. 18.

nim mulieres pudicitia ac castitate viris ipsis multò continentiores, quas quod infœcundæ essent, à virorum concubitu sæpè abstinuisse legimus, & alienam viro introduxisse uxorem, sicut Sara, Rachel, Lia, & aliæ multæ infœcundiores, quæ ancillas suas introduxerunt, ut suscitarent viris suis posteritatem. Sed quis obsecro virorum, quantumcunque senex, frigidus, sterilis, ac rei uxoriæ ineptus, tantæ unquam aut pietatis aut clementiæ extitit in uxorem, ut aliquem suo loco substitueret qui feracem uxoris uterum fœcundo semine irroraret? quamvis hujusmodi leges Lycurgum, atque Solonem olim tulisse legamus, ut si quis ætate provectior, & nuptiis intempestivior, altérve in Venerem ignavior puellam despondisset, ut liceret uxori ex adolescentibus & necessariis unum aliquẽ robore moribusque conspicuum deligere, qui cum illa dulciter colluderet & luctaretur, modò partus editus mariti adsereretur, nec idcirco alienum aut adulterinum dici quod nasceretur. leges quidem illas latas legimus, servatas autem non legimus, non tam virorum duritia, quàm mulierum continentia illas recusante. Innumeræ sunt adhuc præclarissimæ fœminæ, quæ cùm insigni pudicitia etiam conjugali charitate viros omnes longè vicerint, cujusmodi Abigail uxor Nabal, Arthemisia Mausoli, Argia Pollinicis Thebani conjunx, Iuliæ Pompei, Portia Catonis, Cornelia Gracchi, Messalina Sulpitii, Alceste Admeti, Hypsicratea Mithridatis Pontici regis conjunx, Dido quoque Carthaginis conditrix, Romanaque Lucretia, atque Sulpitia Lentuli. Sunt infinitæ aliæ quarum virginitatis & pudicitiæ fides ne morte quidem potuit immutari, quarum exempla sese offerunt: Atlanta Calidonia, Camilla Volsca, Iphigenia Græca, Cassandra & Crise. Accedunt his Lacedæmoniæ, Spartiatæ, Milesiæ, atque Thebanæ virgines, & innumeræ aliæ, quas nobis numerant Hebræorum, Græcorum, Barbarorumque historiæ, quæ virginitatem pluris quàm regna, quàm denique vitam ipsam fecerunt. Quod si etiam pietatis exempla requirantur, inter cætera sese offerunt, Claudia Vestalis erga patrem, & plebeja illa juvencula, de qua supra locuti sumus in matrem. Sed objiciet istis Zoilus aliquis Samsonis, Iasonis, Deiphobi, Agamemnonis exitialia conjuga, ac hujusmodi tragœdias, quas si quis lynceis oculis (ut ajunt) introspexerit, comperit falsò uxores accusari, quarum nulla unquam contigit viro bono improba. Non enim nisi malis maritis malæ uxores sunt, quibus licet bonæ aliquando eveniant, sæpè eorundem vitio corrumpuntur.

Genes. 16. & 30.

Lycurgus. Solon.

Putásne si licuisset mulieribus leges condere, historias scribere, quantas tragœdias scribere potuissent de virorum inæstimabili malitia, inter quos plurimi reperiuntur homicidæ, fures, raptores, sacrarii, incendiarii, proditores, qui etiam tempore Iosuæ ac David regis, tanta multitudine latrocinabantur, ut suorum agminum principes constituerent, sed & hodie adhuc infinitus est illorum numerus. Hinc omnes carceres viris repleti, undique omnia virorum cadaveribus onusta. At contrà, mulieres omnium artium liberalium, omnisque virtutis ac beneficii inventrices extiterunt, quod & ipsa artium virtutumque fœminina nomina præcipuè ostendunt. Cui & illud notabile accedit, quod ipse quoque terrarum orbis à fœminarum nominibus nuncupatur, videlicet ab Asia nympha, ab Europa Agenoris filia, à Lybia filia Epaphi, quæ & Aphrica dicitur. Denique si per singula virtutum genera iter sit, mulier ubique principem locum obtinebit. Mulier enim fuit, quæ primò virginitatem Deo devovit ipsa virgo Maria, quæ & hinc meruit esse mater Dei. Mulieres prophetæ, semper divinore spiritu afflatæ sunt quam viri: quod testibus Lactantio, Eusebio, & Augustino de Sybillis notum est. Sic Maria Mosi soror erat prophetes, & captivo Hieremia uxor avunculi ejus nomine Olda, perituro populo Israel supra viri vires prophetes suscitatur. Scrutemur sacras scripturas, & videbimus mulierum in fide cæterisque virtutibus constantiam supra viros longè commendatam, ut in Iudith, Ruth, Hester, quæ tanta gloria celebratæ sunt, ut sacris quoque voluminibus nomina indiderint. Abraham ille, quem licet ob fidei firmitatem scriptura justum vocaverit, quoniam credidit Deo, subjicitur tamen uxori suæ Saræ, & domini voce præcipitur ei: Omnia quæcunque dicit tibi Sara, audi vocem ejus. Sic Rebecca firmiter credens, pergit ad interrogandum Deum, & ejus responsione condigna, audit miraculum: Duæ gentes in utero tuo, & duo populi de ventre tuo dividentur. Et Vidua Sareptana credidit Heliæ licet rem difficilem sibi diceret. Sic Zacharias ab angelo de incredulitate redargutus obmutuit: Et Elizabeth uxor sua, utero & voce prophetat ac commendatur, quia fideliter credidit, quæ deinceps commendat beatissimam virginem, dicens: Beata quæ credidisti, quæ dicta sunt tibi à domino. Sic Anna prophetes, post Simeonis revelationem confitebatur Deum, & loquebatur de eo omnibus volentibus audire, qui expectabant redemptionem Israel. Et erant

Iosue 7.
2. Reg. 19.
3. Reg. 4.

Lactant. lib. instit.
Euseb. de præparat. Evangel.
August. de civit. Dei.
Exod. 15.
4. Reg. 22.
2. Paral. 34.

rant Philippo quatuor filiæ virgines prophetantes. Quid dicam de Samaritana illa, cum qua Christus loquebatur ad puteum, & saturatus fide credentis, cibos respuit Apostolorum. Accedit adhæc fides Chananeæ, ac mulieris illius quæ fluxum sanguinis patiebatur. Nonne etiam fides & confessio Marthæ similis erat confessioni Petri? Et in Maria Magdalena quanta fuerit fidei constantia, ex Evangeliis nobis notum est. Ipsa namque, dum sacerdotes & Iudæi Christum crucifigunt, plorat ad crucem, unguenta portans, quærit in tumulo, hortulanum interrogat, Deum recognoscit, pergit ad Apostolos, resurrexisse nunciat. Illi dubitant, ista confidit. Quid rursus de Priscilla sanctissima fœmina, quæ Apollo virum, apostolicum, & in lege doctissimum Corinthiorum episcopum erudivit. Nec turpe fuit Apostolo discere à muliere, quæ doceret in ecclesia. Adde insuper quæ martyrii patientia & mortis contemptu, fidei suæ constantiam testatæ sunt, non esse virorum numero pauciores. Neque hic silentio prætereunda est mater illa mirabilis, & bonorum memoria digna, quæ in conspectu filio pereuntes crudeli martyrio septem filios non solum bono animo ferebat, sed fortiter hortabatur ad mortem, atque ipsa per omnia in Deo confidens, post filios pro patriis legibus consumpta est. Nonne etiam Theodelina Bavarorum regis filia Longobardos, ac Greisilla Henrici I. Imperatoris soror Vngaros, & Clotildis Burgundionum regis filia Francos, & Apostola quædam infimæ sortis fœmina Hiberos, singulæ innumeros populos ad Christi fidem converterunt? Denique hic religiosissimus sexus solus vel maximè is est, in quo in hunc diem usque Fides Catholica, & pietatis continuata opera refulgent. Ac ne cui dubium sit, mulieres omnia ea posse quæ viri: exemplis rem ipsam agamus, & comperiemus nullum unquam egregium facinus in ullo virtutum genere à viris perpetratum, quod à mulieribus non sit æquè præclarè factitatum. Claruerunt in sacerdotio olim apud gentes Melissa Cybeles, à cujus nomine cæteræ deæ sacerdotes Melissæ postea dictæ sunt. Item Hypeccaustria sacerdos Minervę, Mera Veneris, Iphigenia Dianæ fuerūt, & fœminę Bacchi sacerdotes, multis nominib⁹ clarę, ut Thyades, Mænades, Bacchę, Eliades, Mimallonides, Aedonides, Euthyades, Bassarides, Triaterides. Apud Iudæos quoq; Maria, Mosę soror unà cū Aaron sanctuariū ingrediebatur, & tanquà sacerdos habita est. In nostra aut religione, licèt mulierib⁹ sacerdotii functione interdictum sit, sci-

Matth. 27. & 28.
Marc. 15. & 16.
Luc. 23. & 24.
Actor. 18.
2. Macc. 7.

mus tamen hiſtoriis proditum, mulierem aliquando mentito ſexu, ad ſummi Pontificatus apicem conſcendiſſe. Non obſcuræ ſunt ex noſtris tot ſanctiſſimæ Abbates. & moniales, quas antiquitas non dedignatur vocare ſacerdotes. Claruerunt in prophetia apud omnis regionis gentes, Caſſandra, Sibyllæ, Maria Moſi ſoror, Debora, Holda, Anna, Elizabeth, quatuor Philippi filiæ, & multæ aliæ recentiores ſanctæ fœminæ, qualis Brigida & Hildegardis. Præterea in magica ſive bonorum, ſive malorum dæmonũ inexpugnabili diſciplinæ præ cæteris Circes, atque Medea longè mirabiliora effecerunt, quàm vel ipſe Zoroaſtes, licèt hujus artis inventor à pluribus credatur. Inſuper in Philoſophia præclaræ extiterunt Theano uxor Pythagoræ, ejus denique filia Dama in exponendis paternis ſententiarum involucris clara. Item Aſpaſia & Diotima Socratis diſcipulæ, & Mantinea ac Phileſia Axiochia, ambæ diſcipulæ Platonis. Extollit denique Plotinus Geminam, atque Amphicleam laudat, Lactantius Themiſten. Exultat Chriſtiana Eccleſia in diva Catharina, quæ ſola puella omnem illius ævi ſapientum doctrinam longè ſuperavit. Nec nobis hoc loci Zenobia regina Longini Philoſophi diſcipula, memoria excidat, quæ ob effuſam & candidam literarum peritiam Ephiniſſæ accepit appellationem, cujus opera ſacro ſancta Nicomachus Græca reddidit. Ad Oratoriam & Poeſin vadamus. Eñ ſe nobis offerunt Armeſia cognomento Androgenea, Hortenſia, Lucrea, Valeria, Capiola, Sappho, Corinna, Cornificia Romana, & Erinna Telia ſeu Tesbia, quæ epigrammiſta cognominata fuit. Et apud Saluſtium Sempronia, apud juriſconſultos Calphurnia, & niſi vetitum eſſet hodie mulieribus literas diſcere, jamjam adhuc haberentur clariſſimæ doctrinæ excellentiores ingenio mulieres quàm viri. Quid de hoc dicendum eſt, quòd ſola natura ipſa mulieres facile omnium diſciplinarum artifices ſuperare videntur? Nonne grammatici ſe bene dicendi magiſtros jactãt? atque id nos longè melius diſcimus à nutricibus & matribus, quàm à Grammaticis? Nonne Gracchorum eloquentiſſimam linguam mater Cornelia formavit, & Sylem Aripithi Scythiæ Regis filium, Iſtrineï mater Græcam linguam docuit? Nonne ſemper in introductis apud exteras gentes coloniis nati pueri matrum ſermonem tenuerunt? non aliam ob cauſam Plato & Quintilianus de deligenda pueris nutrice idonea tam ſollicitè ſtatuerunt, ut pueri lingua ſermo rectè diſcreteque formaretur. Iam verò nonne & poetæ in ſuis nugis & fabulis, ac dialectici in ſua contentioſa garrulitate à mulierib. vincuntur? Orator nuſpiam adeò tam bonus, aut tam felix, ut ſuadela vel meretricula ſuperior ſit. Quis Arithmeticus, falſum ſupputando, mulierem ſolvendo debito decipere poteſt? quisve Muſicus hanc cantu & vocis amœnitate æquat? Philoſophi, Mathematici, Aſtrologi, nonne in ſuis divinationibus & præcognitionibus non raro ruſticis mulieribus inferiores ſunt, & ſæpiſſimè anicula Medicum vincit? Ipſe Socrates vir omnium ſapientiſſimus, ſi Pythio teſtimonio fides habenda eſt, jam natu grãdior, à muliere Aſpaſia adhuc quiddam diſcere non dedignatus eſt, ſicut nec Apollo Theologus à Priſcilla erudiri veritus eſt. Quòd ſi etiam prudentia requiratur exemplo ſunt Opis inter deas relata, Plotina Traiani uxor, Amalaſuntha Oſtrogotthorum regina, Aemilia Scipionis uxor, quibus accedit Delbora mulier prudentiſſima, uxor Labidoth, quæ ipſa, ut legitur in libris Iudicum, aliquandiu ſuper populum Iſraël judicavit, aſcendebantque ad eam filii Iſraël in omne judicium. Quæ etiam recuſante Barach, hoſtilem pugnam ipſa dux Iſraelitici exercitus electa, hoſtibus cæſis fugatisque victoriam reportavit. Legitur præterea in Regum hiſtoria, Attaliam reginam regnaſſe, & judicaſſe per ſeptem annos in Hieruſalem. Atque Semiramis poſt mortem Nini regis judicabat populos quadraginta annis. Et omnes reginæ Candaces Aethiopiæ prudentiſſimæ potentiſſimæq; regnârunt, de quibus mentio eſt in Actis Apoſtolorum. Mira autem de illis narrat fidus ille antiquitatis ſcriptor Ioſephus. Huc etiam accedit Nicaula Regina Saba, quæ veniens à finibus terræ audire ſapientiam Salomonis, & teſtimonio Domini contemnatura eſt omnes viros Hieruſalem. Fuit & Technites quædam ſapientiſſima mulier, quæ David regem interrogatione concludit, ænigmate docet, exemplo Dei mitigat. Nec hîc præterecundæ ſunt Abigail & Bathſaba, quarum illa virum ſuum liberavit ab ira David, & poſt mortem viri ſui facta eſt regina & uxor David: altera autem Salomonis mater filio ſuo regnum prudenter impetravit. Porrò in rerum inventionibus exemplo ſunt Iſis, Minerva, Nycoſtrata: in condendo imperio & urbibus, Semiramis univerſi orbis monarchiam tenẽs, Dido, Amazones: In bellorum certaminibus Thomiris Maſſagetarum regina, quæ Cyrum Perſarum Monarcham devicit. Item Camilla de gente Volſcorum, Valiſca Bohemiæ, ambæ potentes reginæ: Item Indorum Pande, Amazones, Candaces, Lemnenſes, Phocenſium, Chiarum, Perſidæq; mulieres. Legimus de aliis multis illuſtriſſimis mulieribus, quæ mira virtute univerſæ nationi ſuæ, in ſumma rerum deſperatione ſalutem

Iudic. 4.

3. Reg. 10.
2. Paral. 9.
Matth. 12.
Luc. 11.
2. Reg. 14.
1. Reg. 25.
3. Reg. 1.

restituerunt. Inter quas est Iudith, quam beatus Hieronymus his verbis extollit, inquiens: Accipite Iudith viduam, castitatis exemplum, triumphali laude, perpetuis eam præconiis declarate. Hanc enim non solùm fœminis, sed & viris inimitabilem dedit, quia castitatis remunerator, virtutem talem tribuit, ut invictum omnibus vinceret, & insuperabilem superaret. Legimus adhuc quia mulier quædam sapiens vocavit Ioab, & dedit in manus suas caput Sibæ inimici David, ut conservaret Abelam civitatem, quæ erat mater civitatum in Israël. Et mulier quædam iaciens fragmentum molæ, allisit caput Abimelech, & confregit cerebrum ejus, executrix vindictæ Dei super Abimelech, quia fecerat malum coram Domino contra patrem suum, interfectis per eum septuaginta fratribus super uno lapide. Sic Hester Assueri regis uxor non solùm liberavit populum suum à morte turpissima, sed insuper summo honore decoravit. Obsessaque à Volscis urbe Roma, Cn. Martio Coriolano duce, quam armis viri urbem defendere non poterant, Veturia magno natu mulier ac Coriolani mater, filii objurgatione servavit. Arthemisia irruentes sibi Rhodios & classe exuit, & insulam domuit, erecta in urbe Rhodia statua, quæ perpetuum illi stigma inureret. Iam quis satis laudare poterit puellam illam nobilissimam, (licèt humili genere ortam) quæ anno Christianorum 1428. occupato per Anglos Franciæ regno, Amazonis more sumptis armis primamq; aciem ducens, tam strenuè feliciterque pugnavit, ut pluribus præliis superatis Anglis, Francorum regi jam amissum regnum restitueret. In cujus rei perpetuam memoriam apud Genabum oppidum, quod Aurelianum vocant, in ponte qui est super Ligurim fluvium sacra statua puellæ erecta est. Possem innumeras adhuc ex Græcorum, Latinorum, Barbarorumq; tam veteribus quàm recentioribus historiis præstantissimas mulieres recensere, quod ne in grande nimium opus turgesceret, brevitati studere volui. Nam scripserunt de illis Plutarchus, Valerius, Bocatius, & plures alii. Hinc est quare non tam multa de mulierum laudibus dixerim, quàm plurima reticuerim, quippe qui non sum tam ambitiosæ cervicis, ut mulierum infinitas præstantias atq; virtutes tam pauculo sermone me posse complecti præsumam. Quis enim ad percensendas infinitas mulierū laudes sufficiat, à quibus omne nostrum esse, omnisque humani generis conservatio, quod aliàs in brevi periturum esset, omnisq; familia & respublica dependet? Quod nec Romanæ urbis conditorem latuit, qui tum mulieribus careret, cum Sabinis, raptis eorum filiabus,

Hieron. in prolog sup. Iudith.

Iud. 9.

Hest. 7. 8. 9.

filiabus, bellum asperrimum inire non dubitavit: cognovit nāque ejusmodi imperium, si mulieres non adessent, brevi perieturum. Tādem capto à Sabinis capitolio, cùm medio foro collatis signis cruentissimè pugnaretur, in recursu mulierum inter ambas acies prælium cessavit, factaque tandem pace, & percusso fœdere, perpetuam amicitiam inierunt. Quamobrem earum nomina Curiis imposuit Romulus, volentibusque Romanis, in publicis tabulis exceptum est, mulierem nec molere, nec coquinariam facere, uxorem à viro, virum ab uxore aliquid dono accipere vetitum, quò bona omnia communia esse scirent. Hinc tandem consuetudo emersit, ut sponsam introducentes, dicere juberent, ubi tu ego, denotantes ubi tu dominus, ego domina: ubi tu herus, ego hera. Deinde cùm regibus exactis Coriolano Martio duce, Volscorum legiones ad quintum lapidem castrametatæ essent, per mulieres aversæ sunt, pro quo beneficio insigne templum Fortunæ muliebri dedicatum est. Magnum insuper honoris dignitatisque insignia Senatusconsulto illis collata. Cujusmodi sunt, quòd in via superiori loco incedant, viris insuper quibusque illis in pedes assurgentibus, locumque cedentibus. Præterea vestes purpureæ cum fimbriis inauratis, gemmarum etiam ornatus, & inaures, annulique & torques illis concessa: posteriorumque Imperatorum lege cautum, ut quoties alicubi statutum fiat, prohibens deferri certas vestes aut ornamenta, mulieres sub illo non comprehendi. Hæreditatum quoque & bonorum successionibus donatæ sunt, legibus etiam permissum est, mulierum fuenera quemadmodum illustrium virorum, publicis laudib. celebrari. Siquidem cùm mittendum ad Delphicum Apollinem munus esset ex Camilli voto, nec foret auri tantum, mulieres sponte corporis ornamenta contulêre. Porrò in eo bello quod Cyrus contra Astyagen gessit, in fugam conversa Persarū acie, mulierum castigatione reprehensa est, ac denuò instaurata, insignemque illis victoriam dedit. Ob quod facinus lege cautum est à Cyro ut Persarum reges urbem ingressuri, singulis mulieribus singulos auri nummos persolverent. Quod etiam Macedo bis eam urbem ingressus, toties erogavit. Insuper & prægnātibus munus duplicari jussit. Sic à priscis illis Persarum regibus atq; Romanis, ab ipsis, inquam, Romanæ urbis imperiique incunabulis mulieres omni semper honoris genere donatæ sunt. Porrò ab ipsis Imperatoribus non minus honoratæ. Hinc Iustinianus Imperator etiam in legibus condendis, uxorē consulendam adhibendamq; censuit. Et alibi dicit lex, quòd uxor coruscat

UNIVERSITÄTS- UND LANDESBIBLIOTHEK DÜSSELDORF

coruscat mariti in honore, ut sentiat ejus fulgorem, ut in quantum vir in altum tollitur, tantum & conjunx ejus. Sic uxor Imperatoris dicitur Imperatrix, & uxor regis regina, & uxor Principis princeps & illustris, undecunque sit nata. Et Vlpianus ait: Princeps, hoc est, Imperator legibus est solutus: Augusta autē, quæ est uxor Imperatoris, licèt legibus soluta non est, princeps tamen eadem illi privilegia contulit, quæ ipse habet. Hinc est quòd illustribus mulieribus judicare permittitur, & arbitrari, atque ut possint feudum investire & investiri, & inter Vasallos quid juris decernere. Ad idem facit quòd fœmina potest habere servos particulares, sicut & vir, potestque mulier judicare etiam inter extraneos: potest etiam nomen indere familiæ, sic quòd filii denominentur à matre, non à patre. Habent & circa dotes grandia privilegia, hinc inde in diversis locis in corpore juris expressa: ubi etiam cavetur, quòd mulier honestæ vitæ & famæ pro debitis civilibus incarcerari non debeat, imò judex pœna capitis punitur, qui ipsam carceri emancipaverit. quod si sit suspecta de delicto, in monasterium detrudatur, aut mulieribus incarceranda tradatur. quia teste lege, mulier melioris est conditionis quàm vir, tum quia in eodem genere delicti, plus peccat vir quàm mulier. Hinc vir in adulterio deprehensus, capite punitur: sed mulier adultera in monasterium retruditur. Plura privilegia colligit Azo in summa sua super titulū ad Senatusconsultum Velleianum, & Speculator de renunciationibus. Illi etiam veteres legumlatores, ac Reipublicæ artifices viri sapientia graves, scientia prudentissimi, Lycurgus, inquam, & Plato, cùm scirent ex Philosophiæ penetralibus, mulieres, nec animi excellentia, nec corporis robore, nec dignitate naturæ viris inferiores, sed ad omnia æquè habiles, statuerunt mulieres cum viris in luctationibus & gymnasticis exerceri, etiam in omnibus quæ ad bellicam pertinent disciplinam, in arcu, in funda, jactu lapidum, in sagittando, in armorum dimicatione tam equestri quàm pedestri, in castrorum positione, ac in acierum ordinatione, in ducendo exercitu, & (ut breviter dicam) omnia eademque mulieribus quæ viris exercitia communia tribuerunt. Legamus antiquitatum fide dignos scriptores, comperiemus in Getulia, Bactris, Galletia, morem fuisse, viros mollitie deditos, mulieres autem agros colere, ædificare, negotiari, equitare, præliari, & cætera facere, quæ modò apud nos viri factitāt. Apud Cantabros viri mulieribus dotem dabant, fratres à sororibus nuptui dabantur, filiæ hæredes designabantur. Apud Scythas, Thraces & Gallos mulieribus virisque

risque communia erant officia: & de bello paceque agentes, mulieres judicio consultationibusque adhibebantur, quod percussum cum Hannibale Celtarum fœdus in hæc verba demonstrat: Si quis Celtarum injuria à Carthaginensium aliquo affectum se conqueritur, ejus rei Carthaginensium magistratus aut imperatores qui in Hispania fuerint, judices sunto. Si quis Carthaginensium ab vilo Celtarum injustè quippiam passus fuerit, Celtarum de ea re mulieres judicium faciunto. Sed virorum, omnia tyrannide contra divinum jus naturæque leges prævalente, data mulieribus libertas, jam inquis, legibus interdicitur, consuetudine usuque aboletur, educatione extinguitur. Mulier namque mox ut nata est, à primis annis domi detinetur in desidia, ac velut alterius provinciæ incapax, nihil præter acus & filum concipere permittitur. Vbi exinde pubertatis annos attigerit, in mariti traditur zelotypum imperium, aut vestilum ergastulo perpetuo recluditur. Publica quoque officia legibus sibi interdicta sunt. Postulare in judicio licèt prudentissimæ non permittitur. Repelluntur præterea in jurisdictione, in arbitrio, in adoptione, in intercessione, in procuratione, in tutela, in cura, in testamentaria & criminali causa. Item repelluntur in verbi Dei prædicatione, contra expressam Scripturam, qua promisit illis Spiritus sanctus per Iohelem inquiens: Et prophetabunt filiæ vestræ: quemadmodum & Apostolorum ætate publicè docebant, sicut de Anna Simeonis, & filiabus Philippi, atque Priscilla Aquilæ notum est. Sed tanta est recentium legislatorum improbitas, qui irritum fecerunt mandatum Dei propter traditiones suas, quòd mulieres alias naturæ eminentia, & dignitate nobilissimas, pronunciārunt cunctis viris conditione viliores. His itaque legibus mulieres viris tanquam bello victæ victoribus cedere coguntur, non naturali, non divina aliqua necessitate aut ratione, sed consuetudine, educatione, fortuna, & tyrannica quadam occasione id agente. Sunt præterea, qui ex religione authoritatem sibi arrogant in mulieres, & ex sacris literis suam probant tyrannidem, quibus illud Evæ maledictum continuò in ore est: Sub potestate viri eris, & ipse dominabitur tui. Quòd si illis respondeatur, Christum abstulisse maledictum, objicient rursus idem ex dictis Petri, cui accedit & Paulus: Mulieres viris subditæ sint: Mulieres in Ecclesia taceant. Sed qui noverit varios Scripturæ tropos, ejusdemque affectus, facilè cernet hæc non, nisi in cortice, repugnare. Est enim is ordo in Ecclesia, ut viri præponantur in ministerio mulieribus, sicut Iudæi Græcis in promissione. Non

Genes. 3.

1. Pet. 3.
Coloss. 3.
Ephes. 5.

Rom 2. act. 10.

ne. Non tamen est acceptor personarum Deus : in Christo enim nec mas, nec fœmina, sed nova creatura. Quin & plæraque viris propter duritiem cordis eorum in mulieres permissa sunt, sicut Iudæis quondam concessa repudia, quæ tamen mulierum dignitati nihil officiunt: quin & deficientibus errantibusque viris, mulieres in virorum opprobrium potestatem habent judicii. Et ipsa regina Saba judicatura est viros Hierusalem. Qui ergo justificati per Fidem, effecti sunt filii Abrahæ, filii inquam promissionis, subjiciuntur mulieri, & obnoxii

Gen. 21.

sunt præcepto Dei, ad Abraham inquientis: Omnia quæcunque dicit tibi Sara, audi vocem ejus. Nunc tandem, ut me quàm brevissimè recolligam, ostendimus præcellentiam muliebris sexus, à nomine, ab ordine, à loco, à materia, & quid dignitatis mulier supra virum sortita sit à Deo, deinde à religione, à natura, ab humanis legibus, à varia authoritate, ratione & exemplis promiscuè demonstravimus. Tamen non tam multa diximus, quin plurima adhuc dicenda reliquerimus, quia non ambitione commotus, aut meæ commendationis causa veni ad scribendum, sed officio & veritate, ne tanquam sacrilegus, tam devoto sexui debitas sibi laudes (ut talentum mihi creditum suffodiendo) impia quadam taciturnitate surripere videar, si silerem. Quòd si quis me curiosior à nobis præteritum aliquod argumentum repererit, quod huic operi nostro adstruendum putet, ab illo me non argui, sed adjuvari credam, quatenus bonam hanc operam nostram, suo ingenio doctrinaque meliorem reddiderit. Ne ergo opus ipsum in nimis magnum volumen exeat, hic illius finis esto.

DE

DE FOEMINEI SEXUS PRAECELLENTIA, L. Bliaquetus.

Desine vaniloquax sexum laudare virilem
Plus æquo, laudum ne sit acervus iners.
Desine (si sapias) sexum damnare malignis
Fœmineum verbis, quæ ratione carent.
Si bene lance tua sexum perpendis utrumq;,
Fœmineo cedet quisq; virilis erit.
Credere si dubites, & res tibi dura videtur,
Haud aliàs visus nunc mihi testis adest.
Quem nuper vigilans extruxit AGRIPPA *libellum*
Ante viros laudans fœmineumq; genus.

ILLVSTRISSIMAE PRINCIPI AC DOMINÆ, DOMINÆ MARGARITÆ è Christianissimorum Franciæ Regum sanguine, Alenconiæ ac Bituricensis Provinciarum Duci, Armeniacorumq; Comiti,

HENRICVS CORNELIVS AGRIPPA ab Nettesheym, salutem felicitatemque perpetuam exoptat.

Epistolam hanc dedicatoriam quære infrà Lib. Epistolarum IV. Epist. 1.

HENRICI CORNELII AGRIPPAE, DE SACRAMENTO MATRIMONII,

DECLAMATIO.

SAcramentum Matrimonii antiquissimum, & creato quondam homine primùm à primo rerum initio à Deo institutum, atque præceptum, & apud omnis nationis gentes, summa semper veneratione cele-

НАУКОВА БІБЛІОТЕКА ОНУ ім. І. МЕЧНИКОВА

ne celebratum, religione sacratum, legibus sancitum, miraculis atque prodigiis illustratum. Quod cæteris quidem mysteriis, ac legibus eò dignius est, quò præillis prius institutum est. Institutum, inquam, non ex opinione hominum, sed ex omnium principe Deo, à prima origine mundi, ante peccatum, in tempore innocentiæ, ad officium legitimum propagationis humanæ speciei: Cùm cætera omnia præcepta mysteriaque post lapsum hominum ad reparationem & custodiam, in remedium & emendationem pœnámve novissimè prodierunt: vix à paucis admissa: cùm illud per omnes secessus orbis terrarum ab omnibus omnium consensu receptum est. Nec insuper minore potentia à Deo munitum, quàm ipsius bonitate ac sapientia institutum est. Voluit namque parens omnium Deus sanctissimum hoc vinculum sic esse indissolubili glutino connexum, & perseverans, ut maritus in uxore, uxor in marito semper & viveret, & subsisteret: ut os ex ossibus, & caro de carne. Illud namque primum Dei instituentis matrimonium præceptum fuit: Dimittet homo patrem suum & matrem suam, & adhærebit uxori suæ, & erunt duo in carnem unam. Quod non solùm in veteri Testamento legimus, sed idipsum & in Evangelio cõfirmatum est, ut non ulla diversitate morum, non ulla societate vel tædio, non senio, non sterilitate, non ægritudine, non pestilentico, non elephantico, nec alio quovis contagioso morbo, denique non ullo hæreseos crimine, nec ulla humana vi id aliquando dissolvi liceat, præcipiente Christo, ut quos Dei omnipotentia conjunxerit, nulla vis separare præsumpserit. Nec ullam ob causam liceat uxorem à viro, virum ab uxore discedere, quia nemini licet discedere à seipso, nemini seipsum relinquere. Nam quæ ex viri costa, ex carne eadem caro, idem os ex ossibus in adjutorium viro facta, eam Deus nunquam à viro separari voluit, nisi ob fornicationem, quam unicam causam Deus excepit. quòd si quamvis aliam ob causam dissolvatur confœderatio unitasque matrimonii, separati nihilominus sibi conjuges sunt atque manent, nec excusari possunt ab adulterio, cum quibus fuerint post sum repudium copulati. Ideoq; addit Christus, dicens: qui aliam superduxerit, mœchatur, & qui dimissam duxerit, mœchatur.

32. q. 2. quicquid.

Genes. 2.

Nunc in quos fines ususque hoc venerabile dignissimumq; sacramentum præceptum est, narrabimus, nam ob adjutorium, ob propagationem, ob evitandam fornicationem. Prior habetur, ubi Deus instituit hoc sacrum mysterium sub his verbis: non est bonum hominem esse solum, faciamus ei adjutorium simile

simile sibi. Homo enim (cùm ipse maximè sit animal sociabile) tunc demùm verè & rectè fungetur humanitatis officio, fidamque parabit vitæ suæ, rerumq; suarum tutelam, quando matrimonii stabilem, indissolubilemque inierit societatem. Ideoque & sensibus, & decrepitis, & in quibus nulla generandi potentia, nulla propaginis spes relicta est: nihilominus nubere licitum est, atq; si fas dicere, sæpe necessarium, quo ipsam vitæ suæ senectam in uxoris dilectæ consortio ducant jucundiorem atque securiorem, tutioremque: quod in Davide jam sene cum Susamitide puella exemplo est. Quæ enim evenire posset sanctior, & jucundior inter homines societas, quæ tutior, quæ securior, quæ castior, quàm viri & uxoris? quando quilibet illorum idem est quod alter, in uno conformi animo duo corpora, in duobus corporibus unus animus, unusq; consensus. Soli conjuges sibi invicem non invident, soli infinitè se amant: quando quisque illorum totus ex altero dependet, & in altero quiescit: una caro, mens una, una concordia, eadem illis tristia, eadem jucunda, eadem utriq; & par voluntas, communis adscessio lucri, eædem divitiæ, eadem paupertas, par dignitas, semper unius cubiculi atque convictus, nocturni diurnique comites: nec in somno, nec in vigilia à se discedentes, sed vita illis in omnibus actionibus, laboribus, periculis, atq; in omni fortuna conjuncta, inserviunt sibi invicem quamdiu vivunt: comitantur se usque ad vitæ exitum: nunquam discedunt nisi mortui, ac mortuo uno, vix alter superesse potest. Tanta est charitas conjugalis, ut quos vita conjunxit, vix mors ipsa divellere possit: ea est matrimonii perseverantia, ea vanitas, ut unius uxoris unus sit vir, unius viri unica uxor, nam una costa à principio in unam uxorem versa est: & erunt (inquit Deus) duo in carnem unam, non dicit tres, neque plures: & in Arca Noe non plures mulieres quàm viros jussit Deus reservari: ut uni non esset nisi una sola conjunx. Nam ubi pluralitas est conjugum, ibi unitas matrimonii desinit. Ergo quã unicam quisque uxorem duxerit, eandem inviolato amore ad ultimum vitæ terminum constanti dilectione, continuaque memoria conservet: cedat pater, cedat mater, cedant liberi, cedant fratres & sorores, cedat omnis amicorum cumulus viri atq; uxoris benevolentiæ, & jure quidem: nam pater, mater, liberi, fratres, sorores, affines, amici, naturæ fortunæque operæ sunt: vir & uxor Dei mysterium sunt, habuitq; prius vir uxorem, uxorque virum, quàm patrem, quàm matrem, quàm fratrem, quàm liberos. Ideoq; jussum est homini relinquere pa-

1. Reg. 12.

trem & matrem,& sorores,& fratres, & liberos,& hærere uxori: ut quod primum omnium illi datum est,præ cæteris omnibus servet ad ultimum,nec unquã esset sine altera alter: quorum sine altero altera creata non est. Itaque liberos à parentibus,parentes à liberis discedere nulla lex prohibet, interdum necessitas cogit,utilitas suadet, judicium impellit, sæpè liberi emancipantur,sæpè religione libertatem sibi vendicant, sæpè peregrini sine ipsis vivunt,alibi domicilium querunt. Vxorem autem à viro, & virum ab uxore nulla lex, nulla necessitas, nulla utilitas,nullum judicium,nullum repudium, nulla religio,nulla licentia, nulla absentia discedere permittit: à quo altero qui decesserit,vel sociari neglexerit, hic tanquam desertus,solitarius, omni lætitia auxilioque destitutus, vitam infelicissimam agat necesse est, quia concreatum sibi à Deo auxilium, & datam lætitiæ consortem negligendo contempserit ducere,vel contemnendo ausus fuerit dimittere.

A terum finem matrimonii diximus, liberorum propaginem,sicuti legitur, ubi benedixit Deus ad Adam & Evam dicens, Gen.2.& 8. Crescite & multiplicamini,& replete terram: quæ benedictio post diluvium rursus ex integro iisdem verbis instaurata est, cujus is effectus est,ut reddat homo naturæ, quod mutuo à natura accepit, ac ad imaginem Dei similes sibi filios producat & nutriat, & publicam ipsam generis humani societatem quadam successione reddat servetque perpetuam, quã benedictionem qui in vetere lege neglexerat, maledictus ab omnibus & infelicissimus habebatur,sicut scriptum est: Maledicta sterilis quæ non habet semen in Israel, & beatus cujus Matth. in hist. Annæ. est semen in Syon. Hinc Abraham ob fidei meritum benedictionem in generatione accepit, & Sara vetula (cui jam defecerunt muliebria) maledictionem sterilitatis generandi benedictione expiavit. Neque enim in hoc sacramento naturæ meritum est suscipere liberos, sed omnipotentis Dei benedictio & mysterium,quo naturæ merita longè superantur: quod Gen. 30. Iacob Patriarcham non latuit, qui Rachel uxore sua existimante,quòd viri congressu esset dare liberos, ac dicente: Da mihi liberos,si non,moriar: respondit, nunquid pro Deo ego sum qui te concluserit. Et Iacob deprecatus est dominum pro uxore sua,eò quòd esset sterilis, qui exaudivit eum, & dedit illi conceptum. sciebant enim fructus matrimonii esse Dei, non naturæ. Hinc filii fornicari vocantur naturales: sed qui ex matrimonio sunt, hi soli legitimi sunt. Ideoq; ad sacrum divinorum ministerium initiari non admittitur,cujus matrẽ pater dignissimo

simo hoc sacramento matrimonii,ad fœdus perpetuæ societatis legitima copula nõ devinxit. Quia nõ ingredietur mamzer in ecclesiam Dei. quem ne temporalium bonorum posse hæredem esse, humanis legibus sapientumq; decretis arctissimè sancitum est: quia legitimum non habent hæredem, qui neglecto contemptove matrimonio, ad promiscuam carnis libidinem sine lege congrediuntur. Vulgataque legislatorum sententia est,incertum illi patrem, pessimamque matrem esse, qui ex matrimonio non est: vulgo enim nascitur, populiq; filius est,imò nullus filius, qui innuptæ matris filius est. Ille autem verus hæres, verus filius est, cujus mater sine peccati infamia, sine contumelia propinquorum, sine offensione Dei,certo atq; explorato patri,cum dignitate matrimonii, certo cum fructu nupta est, ac nulla infamia perpetuò adhæret. Solum itaque matrimonium certos liberos facit,& indubios largitur hæredes,conventum naturæ honestat, ac pro peccato meritorium facit,auget progeniem,conciliat affines,Deum placat & revertur.

Tertium matrimonii usum dixi,propter evitandam fornicationem, præcipiente Paulo Apostolo, ut qui non continet, nubat. Nam matrimonium excusat hominem incontinentem à peccato,à fornicatione & adulterio,& quavis illegitima libidine. Ob quam innocentiæ evitandæ causam præcipit etiã viduis repetitas nuptias, inquiens: Iuniores viduas volo nubere,matresfamilias esse, filios procreare, nullam occasionem dare adversario maledicti causa. Neq; tamen minor vis dignitasque est matrimonii incontinentium, licet minus dignè ingrediantur, sine culpa enim conjunguntur, sine p eccato redditur debitum,quamvis immoderata sit exactio,& præter causam procreandæ sobolis conjuges sibi misceantur. Quia jam non solum ob societatem, & liberorum procreandorum causam institutum est, verum etiam causa infirmitatis invicem sustinendæ, ad supervacaneos concubitus tolerandos, & illicitos evitandos, ad mutuam servitutem præceptum est,dicente Apostolo: quia melius est nubere,quàm uri. Et alibi de viduis ait: ne propter incontinentiam abeant retrò post tentationem satanæ. Atque ita præceptum,ut (juxta verba Pauli) nisi ex consensu alterius conjugum, alter sine crimine orationi vacare non possit,si alterum ex hoc contingat carnali debito defraudari: quia(ut ait Apostolus)mulier sui corporis potestatẽ non habet,sed vir: similiter autem & vir sui corporis potestatem non habet, sed mulier. Tantus est hujus vinculi nexus,

ut si propter incontinentiam duntaxat susceptum est, tamen altero conjugum postea perpetuò continere volent (nisi ex alterius consensu) fieri omninò non liceat, & si uterque consenserit, matrimonium tamen minimè intelligatur dissolutũ. Ita & qui causa procreandorum liberorum ipsum susceperit, non possit sine peccato sterilem conjugem dimittere, & aliam superducere, unde filios habeat. Quod etiam, testibus Valerio Maximo, Plutarcho, ac Dionysio Halicarnasseo, apud Romanos post urbem conditam, plus quingentis viginti annis usq; ad Spurii Carbili tempora observatum est, qui primus liberorum cupiditatem conjugali fidei præferens, non sine magna reprehensione uxorem sterilitatis causa dimisit. Sed modo revertar. Tam indissolubile hoc sanctissimum vinculum voluit omnium parens Deus, ut, quacunque de causa semel initum, nulla vi aliquando sit dissolvendum, tam generale esse voluit, & per omnem orbem terrarum, omniumque hominum mentibus inditum, ut nemo hoc sacratissimũ mysterium sine gravissimo delicto effugere debeat, nisi ipsam humanitatem fugiat. Nam ipse matrimonii primus autor, & ante omne matrimonium (cum humanam naturam assumpturus esset) matrem prius nubere voluit: & licet sine virili semine ex virgine nasci voluerit, tamen sine matrimonio nasci non voluit, sed ex matre nupta, licet viro non contaminanda. Voluit enim matrem matrimonio non carere, ut matris exemplo ad illud ipsum nos hortaretur. Quicunque igitur hoc antiquissimum sacratissimum institutum neglexerint, divinarum humanarumque legum contemptores tanquam siccæ sterilesque arbores igni perpetuo adjudicabuntur. Ideoque in vetere lege, qui tam ætate matura uxorem non ducebant, ejiciebantur è templis, respuebantur eorum oblationes, hæreditatumque & legatorum incapaces habebantur, divino atque humano auxilio indigni, qui divinas humanasque leges contemnentes, concreatum sibi à Deo auxilium, humanisque legibus sanctum accipere respuerunt.

Matth. 1. Luc. 1. & 2.

Matth. in hist. Annæ.

Duo tamen hominum genera à contrahendo matrimonio excipi possunt, qui scilicet ob naturæ imbecillitatem ad hoc penitus inepti sunt utputa frigidi, maleficiati, furiosi, pueri, impotentes, & eunuchi, atque qui acti spiritu Dei perpetuam castitatem delegerunt. hos namq; religio immunes reddit illos impedita natura excusat. Quicunq, verò ex alterutro hoc hominum genere non sunt, sciant se contrahendo matrimonio ita obligatos esse, ut illo relicto neglectóve (nisi pœnitue-

rint)

rint) indigni sint regno Dei. Nemo tamen ad contrahendum matrimonium vi aliqua cogendus est. Nam cùm hoc vinculũ solo amoris consensu contrahitur, maximè liberum esse oportet, quia amor ipse nullius subjicitur imperio. Non enim divitum munera emunt amorem, non ulla dignitas, non etiam nobilitas amorem æquiparant, non ullæ potentum regumq; minæ & violentiæ amorem cogere possunt, quem neq; Deus ipse cogit, sed ab initio liberum creavit. Nullus autem amor tam vehemens, tam sanctus, quam inter virum & uxorem est: nulla vis uxoria charitate major, quæ nulla perfidia corrumpitur, nulla adversa fortuna labefactatur, nulla aliena consuetudine distrahitur, nullo temporis ævo nec usu consumitur. Ideoque divina præcepta sunt, ut uxoris amor parentibus, liberis, fratribus, sororibus, cognatis, rebusque omnibus anteponatur. Gravissimè igitur peccant, quicunque parentes, propinqui, tutores, curatores, qui (non ad perpetuam vitæ benevolentiam, non ad liberorum productionem, non ad castimoniam, sed per avaritiam & ambitionem ad terrenam dignitatem, nobilitatem, potentiam, divitias, & similia respicientes) ultra debitam divino præcepto parentibus obedientiam (tyrannide quadam) captivant (qui huic sacramento debetur) liberum consensum filiorum ac filiarum suarum, coguntque odiosas subire nuptias, nulla ratione habita ætatis, charitatis, conditionis, morum, benevolentiæ, ac divini insuper præcepti. Hinc tandem nascuntur inter conjuges fornicationes, adulteria, dissidia, contumeliæ, continuæ iræ, perpetuæ lites, discordiæ, odia, repudia, aliaq; infinita mala. Quandoque etiam veneficia, cædes, mortesque violentæ sequuntur, ut ejusmodi conjuges non Deus, sed Satanas ipsa copulasse videatur. Accedit ad hoc quod in plerisque locis nonnulli terreni principes & domini sub Christiano nomine, hostes & inimici Dei, blasphemi Iesu Christi, eversores ecclesiæ, contaminatores sacrorum, arrogantes sibi quæ Dei sunt, suę tyrannidis arbitratu interdum etiam mandato subditorum nuptias compellunt, insuper dotium decimas non sine nefandissimo sacrilegio ærario suo applicantes: ac ita dimissis tandem adulteris, puniunt nubentes, quos tandem justus judex malè perdet. Est insuper & alia non minus damnabilis consuetudo: quæ apud multas nationes inolevit, quod secundas nuptias nescio quibus contumeliis vicatim prosequuntur. Insuper & certa pecunia mulctant secundo nubentes: eamq; sodalitio quodam suo devorandam congerunt, hujusq; tam nefariæ in divinum mysteriũ

Gen. 2. Matth. 19.

Exod. 20. Iudith. 14. Gen. 24.

Rom. 1. contumeliæ Ioseph beatissimæ Mariæ virginis virum faciunt parronum. Invenit autem hæc sodalitia seu fraternitates diabolus: & ira Dei tradidit illos in reprobum sensum, ut applaudentes ad adulteria, concubitus & fornicationes, infectentur secundas nuptias, ac si gratia Dei in illis sit evacuata, illudentes sacramento, cui omnis debetur honor, reverentia, atq; libertas. Ad te autem Princeps illustrissima hoc attinet, ut hic execrabilis mos primum è tuo dominio, demum è toto Franciæ Christianissimo regno tollatur, atque extirpetur: in nullo siquidem magis servire poteris Deo, ac prodesse Reipublicæ Christianæ, quàm si hoc agas, ut bona præcipiantur ac mala exulent: non solum quæ pertinent ad societatem humanam, sed & quæ ad religionem divinam.

August. Lib. 4. ad Chrysostomum.

Tu igitur quicunque vis uxorem ducere, sit amor in causa non census: uxorem eligas, non vestem: tibi nubat uxor, non dos. Hoc animo invocato omnipotenti Deo, qui solus veram dat uxorem, requisito etiam parentum consensu, exhibitaque illis debita obedientia, remota omni avaritia, ambitione, invidia & metu: matura in ipso deliberatione, libero consensu, ferventi sed rationabili castoque amore, sic uxorem accipito, Dei manu tibi perpetuò commendatam, ad perpetuam societatem tuam, non ad servitutem: cui sapientia tua præsis, cum omni gratia & reverentia. Illa tibi non subsit sed adsit fide & consilio: sitque in domo tua non ut mancipium, sed domina domus: in familia tua non ut famula, sed mater familias, gentrixque eorum quos tu in ea generabis liberos: qui rebus tuis dominabuntur, nomenq; tuũ referent ad posteros. Sic namq; non nisi optimam uxorem sortieris (non enim solet nisi malis maritis mala uxor contingere) similesq; liberos. Neq; enim sine uxore extendi nomen, nec perpetuari progenies, nec augeri stirps, nec esse familia, nec dici paterfamilias, nec appellari domus, nec stare Respub. nec imperiũ ullum durare possunt. Quod nec Romani quidem imperii conditorẽ latuit, qui cùm uxoribus careret, cum Sabinis filias suas negantibus, bellum sævissimum susceptit. sciebat enim imperium hoc si uxores deessent minimè duraturum. Nam cùm civitas constat ex domibus, & Respubl. ex rebus privatis, & rei domesticæ familiaris Reipub. gubernandæ disciplina constituitur: quomodo reget civitatem qui domum regere non didicit? quomodo gubernabit Rempubl. qui rem privatam & familiarem nunquam cognovit? Hinc Socrates testatus est, se moralem philosophiã magis ab uxoribus, quàm naturalem ab Anaxagora & Archelao

l. 2. q. ult. si dictum.

lao didicisse. Magnam profectò ad moralem philosophiã matrimonium præbet exercitationem. Habet enim domesticam quandam Rempub. annexam, in qua regenda homo prudentiam, temperantiam, pietatem, omnesq; cæteras virtutes facilè discere & experiri potest: quibus in diligenda uxore, educãdis liberis, regenda familia, tuendis rebus, gubernando domicilio, propaganda progenie, vitam ducat omnium felicissimã. Porro uxorem dilectam in oculis aspicere, ac per liberos successionesque & familiæ & nominis extendi, summa lætitia est, atq; fœlicitas, dulceq; laborum consolamen. Qui uxore caret, domum non habet, quia domum non figit: & si habet, moratur in ea tanquam peregrinus in diversorio. Qui uxorem non habet (etiamsi ditissimus sit) nil ferè habet quod suum est: quia nihil habet tutum ab insidiis, nec habet cui possit relinquere, nec cui confidere. Qui uxorem non habet, caret familia, caret propinquis, & sine posteritatis spe, semper desertus & destitutus est: furantur illum servi, defraudant socii, contemnunt vicini, negligunt amici, propinqui insidiantur, filios si quos habet naturales, sunt sibi ignominiæ ac contestes iniquitatis suæ, nec potest illis opes suas, nec nomen familiæ relinquere, sed ut manet in vita sine nuptiis, ita mortuus periit sine nomine, nec ullam in hac vita, quæ maximè mortalibus solatio est, benevolentiam percipere meretur: sed tanquam humanæ naturæ desertor, omni calamitate dignus & infelicissimus ab omnibus est, & meritò derelinquendus. Hinc Lycurgus legem tulit, ut qui opportuno tempore uxorem ducere neglexissent: hi æstate à ludis ac spectaculis, ac omni solatio, jucundoque conspectu arceantur: hyeme verò nudi forum circumducantur, contumeliis afficiantur, ab hominibus detestentur, seseque justa pati confiteantur: quia religionem contempserunt, legibus non paruerunt, naturam non prævaricârunt, & quantum in se esset, nec Respublica staret, nec imperium, nec religio, quia quibus tuenda & propaganda hæc essent, eos ipsi non studuissent procreare. Plato in legibus suis statuit, qui uxorem non duxerit eum procul ab omnib⁹ publicis muneribus, & honoribus segregandum publicis aũt oneribus gravius, quàm cæteros cives esse premendum. Tulit & Augustus Cæsar legem, ut adolescentes uxores ducerent, populũ Romanum amplificarent, quam & alii multi postea confirmârunt. Annum insuper ad immunitatem concesserunt, præmium è publico statuerunt ei qui uxorem de novo duxisset.

Adulteri ubiq; priſcis temporib. ſemper ſæviſſimis legib. graviter puniti ſunt, quia non homini ſolum, ſed & ipſi Deo, violato matrimonio, injuria fit. Hinc in veteri lege quicunq; violato matrimonio mœchatus fuerat, morti adjudicatus obruebatur lapidibus: qui autem aliena ſurripiens bona furtum fecerat, in quadruplo & quintuplo plectebatur. Nam h.c humana & terrena illicitè abſtulit, ille præter offenſam proximi, etiam Deo injurius divina contaminavit. Romanæ etiam leges adulteros ſecuri percutiunt, marito etiam deprehenſum adulterum ſine judicio impunè perimere permittunt, quæ licentia nec in patricidio eſt. uxoricidia etiam acerbiore morte, quàm patricidia vindicantur: & meritò, nam parentes natura facit, uxor Dei myſterium eſt. Neq; eum ſatis condigna pœna affici poſſe arbitror, qui datum ſibi à Deo auxilium, & præbitam vitæ conſortem auſus fuerit interimere: quippe crudelis in donum Dei, & impius in ſacra, contaminator naturæ, Deo injurius. Ideoque etiam canonicæ leges interdicunt illi commercio ac convivio hominum, excludunt ſacris è locis, auferunt ſecundas nuptias, negant Euchariſtiam, indignum judicantes viatico Dei, qui Deum tam immaniſſimo ſcelere non erubuit offendere: ſed neſcio qua juſtitiæ, Deiq; negligentia uxoricidæ atq; adulteri nunc ferè omnem pœnam evadunt, fures vel ob leve crimen fune ſuſpenſi necantur, niſi quia traditi ſunt judices noſtri in reprobum ſenſum: ut irritum faciant mandatum Dei propter traditiones hominum. Sed modo concludamus.

Levit. 20. Deut. 22. Exod. 22.

Rom. 1. Matth. 13.

Tu itaque quicunque ſi homo eſſe vis, ſi hominem exuere non vis, ſi præ cæteris humanitatis officio fungi vis, ſi legitimus Dei filius eſſe vis, ſi pius in patriam, in familiã, in rempublicã: ſi vis poſſidere terram, & promereri cœlum, legitimum matrimonii vinculum ineas neceſſe eſt, indiſſolubilem vitæ conſortem perpetuo diligas, genus hominum adaugeas, & tanquam Dei filius & imago, tibi ſimiles filios proceres, & ad columen Reipublicæ, patriæque ſpecimen, ac Dei reverentiam qui eos tibi largitus eſt, prudenter, & religioſè enutrias, educes, & gubernes: Hæc qui facit, hic homo eſt: qui homo eſt, hęc illum facere neceſſe eſt: niſi illum aliquid minus homine natura impedita produxerit, vel aliquid majus homine humanas vires trãſcendendo angelicam caſtitatem perpetuò ſervare delegerit. Quicunq; vero ex altero illorum nõ eſt, matrimonium ipſum negligens contempſerit, vel ſuperinducta fornicatione violaverit, aut vitæ conſortem pepulerit vel extinxerit, ne commiſceamini cum illo, ut confundatur tanquam reprobatus à Deo, & à fidelium conſortio alienus.

REVE-

REVERENDO IN CHRISTO PATRI, AC DOMINO Sacræ Theologiæ doctori, Domino Theodorico Epiſcopo Cirenenſi, Archipræſulatusque Colonienſis à ſuffragiis, in ſacris adminiſtratori digniſſimo, Henricus Cornelius Agrippa ſeſe commendat.

Epiſtolam hanc dedicat. quære Lib. 2. Epiſtolarum Epiſt. XVI.

HENRICI CORNELII AGRIPPÆ DE ORIGINALI peccato, diſputabilis opinionis declamatio.

IN principio libri Geneſeos ſcriptum eſt, dixiſſe Deum, faciamus hominem ad imaginem & ſimilitudinem noſtram: & fecit Deus hominem, ad imaginem & ſimilitudinem ſuam perfecit illum. Quod de homine interiori dictum putamus, qui eſt anima rationalis ad divinæ trinitatis ſimul ac unitatis ſimilitudinẽ creata, quo homine interiore ſic divinitus conſtituto, idoneũ Deus illi largitus eſt indumentum ac domicilium, corpus ſcilicet humanum: quod & ſequens litera reſpondit, quando dicit: Formavit Deus hominem de limo terræ: Rurſusque ſubjungit ſcriptura: & inſpiravit in faciem ejus ſpiraculum vitæ, quæ virtus quædam eſt, qua intellectualis anima & terrenum corpus conjunguntur, atque in unum integrum hominem uniuntur. Ex anima itaque divina & corpore terreno ſpirituque cœleſti homo conſtitutus eſt, in corpore ſuo immortalis, donec ſua ſponte divini contemptu præcepti, in corpus mortale deciderit. Hic autem caſus, cujusmodi in utroque vel interiore vel exteriore homine fuerit, ordine declarabimus. Creato itaque in

Gen. 1.

Gen. 2.

BIBLIOTECA OH. im. I.I. MEDIKORA

primis homine (ut jam diximus) posuit illum Deus in medio Paradisi. Paradisus nobis hortum delitiarum significat, delitiæ omnes ex ornatu sunt, mūdus autem ab ornatu dictus est græcè cosmos. medium mundi centrumq; terra est, hanc dedit Deus filiis hominum. Medium minoris mūdi (puta hominis) spiritus est, ille scilicet, quem paulò ante diximus, in quo utrque homo & intellectualis & corporalis uniuntur. Erant in Paradiso varia ligna fructifera, præ cæteris lignum vitæ, vel lignum scientiæ boni & mali, quod erat in medio Paradisi. Lignum vitæ, cognitio Dei est, ejusq; assidua contemplatio, in omni pietate & justitia: fructus ejus sapientia & castitas, ex quo vita æterna. Vnde ait Salomon: Sapientia lignum vitæ est his qui apprehenderunt eam. Lignum scientiæ boni & mali, est affectus carnis, & prudentia terrenorum, cujus fructus est negligentia, vel ignorantia Dei. ex quo mors corporis & animæ. Id erat in medio Paradiso: in medio quidem, hoc est in centro mundi situm, in terra scilicet, ubi est generationis & corruptionis habitaculum, sive in medio minoris mundi, ipsius videlicet hominis, hoc est, in spiritu illo quem diximus, in quo vigent potentiæ animæ in corpore organisatæ, quæ mediant inter materiale corpus, & immaterialem mentem: sive iterum dixerimus in medio mundi interioris hominis hoc erit in ipsā ratione discurrente, quæ mediat inter purum intellectum & sensibilem animam, utriusq; boni & mali, veritatis & erroris capax: sive deniq; in medio corporei hominis, mundi dicamus, hoc erit ubi corruptibilis generationis membra delitescunt. Sed ad ulteriora procedamus. Erant in Paradiso Adam & Eva, erat in eo etiam serpens callidior cunctis animantibus terræ. Adam quidem fides est stabilita in Deo, fundamentum rationis. ideo ex costa Adæ creata est Eva ratio libera. Serpens autē est ipsa sensualitas, quæ serpit in terrenis, caducis, infimis & carnalibus. Hinc itaq; serpens, per concupiscentiam sensibilium, tentavit Evam rationem scilicet, quæ aquiescens serpenti, ipsis puta sensuum illecebris, decepta est; quæ deinde per discursum argumentationum in sensibilibus, decepit virum Adam, dejiciens fidem, quæ delapsā in sensibilia, nihil plus veri credens, quam ex sensibilibus per rationem demonstrari potest, defecit à Deo, divinaque cognitione & contemplatione, ad quam creata est à Deo. Per quam ignorantiam & negligentiam Dei, quem vetiti ligni fructum suprà diximus, privatus homo divino lumine, tum minimè vitam nanciscebatur, perpetuum incurrit timorem. Lignum itaque scientiæ boni & mali, prohibitum fuit Adæ,

Adæ, scilicet fidei, ne homo fiduciam & spem ponat in creatis. Non legitur prohibitum Evæ, quæ post præceptum creata fuit: ratio enim posterior est fide: & fides natura prior ratione. Licet itaque rationi (quæ à præcepto libera est) omnia quæ creata sunt investigare, & de illis argumentari, syllogisare, quærere, invenire, demonstrare, concludere, scientiam facere. Ideo non peccavit Eva, comedendo de ligno scientiæ boni & mali, nec obfuit humano generi, nec propter esum ligni corripuit illam DEUS, sed quia obtulit viro suo ADAE, cui vetitum erat de illo gustare. Neque enim licet rationi turbare fidem, sed subjecta debet esse fidei, nec fides debet rationi succumbere, sed firmiter sperare in Deo, ideoque condemnavit Deus Adam, quia credidit mulieri. Neque verò debemus disputare de divinis, sed firmiter credere & sperare. De his verò, quæ creata sunt, licet nobis rationis ministerio philosophari, disputare, concludere: non autem fidem & spem in illis ponere. Ex hoc nunc insuper videre licet, quam desipiant, qui revolutiones annorum mundi, nativitatum, quæstionum, electionum, & si quod simile artificium est imaginum, intentionum, divinationum, & similia prosequuntur, in hujusmodi vanitates credentes, & exinde, futura sperantes confidentesque in virtutibus creaturarum, sive naturalium, sive cælestium, sive spiritualium: ut Physici, Alchimici, Mathematici, Astrologi, Magi: quæ licèt per discursum rationis, vel multimodam sensuum experientiam, comprobatæ sint scientiæ, tamen quia sæpissime hominum mentes præstigiant, conscientiæ judicium pervertunt, animam ipsam præcipitant: non debet fides, spesque hominum in illis coinquinari. Quod Esaias ipse improperat Babiloniis, dicens: Sapientia tua & scientia tua ipsa decepit te: Salvent te Astrologi cælorum (ita enim rectius legitur, quam aruspices cæli) à quibus veniant tibi quæ ventura sunt, defecisti in multitudine consiliorum tuorum. Hæc de ligno vitæ, vel de ligno scientiæ boni & mali, ac interioris hominis lapsu, ita ad mortalem sensum prius exponere visum est. Restat ut ostendamus, quidnam effectivè in re ipsa fuerit originale peccatum, propter quod homo ipse ex Paradiso pulsus, morti corporis & animæ cæterisque malis factus est obnoxius. Multi & veteres, & recentiores Theologi, super hac re multa opinati sunt. & unusquisque eorum in suo sensu abundat: quibus cum nescio an planè vera dignum sit meam quoq; opinionē conferre: opinionem dico non fidē, non scientiā, ut si erronea fuerit opinio mea, ab errore vere fidei ac incontaminatæ Christianę sapientiæ

Esa. 47.

Rom. 14.

sapientiæ prævaricatione, sim alienus. Atque hac conditione nunc liberè opinari licebit, & si (ut enim homo sum immaturæ ætatis, ingenii ac literaturæ minoris) in sensu meo non tantis scripturarum testimoniis abūdem, ut res ipsa requirit, forsitan sequentur me doctores quidam, quibus hęc nostra opinio non displicebit: ab his me non modicum adjuvari posse confido, quatenus validioribus rationibus ac argumentis suis opinionem nostram robustiorem effecerint. Ipsa autem opinio nostra talis est, non aliud fuisse originale peccatum, quam carnalem copulam viri & mulieris, quod ita esse in quodam dialogo nostro de homine paucis quibusdam sacrarum literarum conjecturis persuasimus, sed nunc idipsum paulo diffusius (succincte tamen) ostendemus. Nam Moyses ipse, per parabolam contemplatioribus amicam, exponens lapsum primorum parentum, nequam quendam dæmonem, callidum atque versutum, saluti humanæ invidum, homini inhærere docet, quem serpentem appellat, cujus fraude primi parentes, & omnes qui ex his geniti sunt immortalitatis beatitudinem amiserunt: hunc serpentem non alium arbitramur, quàm sensibilem carnalemq; affectum, imò quem rectè dixerimus, ipsum carnalis concupiscentiæ genitale viri membrum, membrum reptile, membrū serpens, membrum lubricum, variisque anfractibus tortuosum, quod Evam tentavit atque decepit. Cui rectè serpentis nomen similitudoque congruit. Nullum itaque alium dæmonem Evam tentasse arbitramur, quàm illum, de quo ait Iob: Cujus virtus est in lumbis, & potestas in umbilico, quem Paulus vocat stimulum carnis & angelum Satanæ. Hic est ille Satan, qui persuasit lignum scientiæ boni & mali de quo vesci erat prohibitum, non quòd invideret Deus homini scientiam boni, sed mali scientiam prohibuit: non vetuit homini sapere, sed plus sapere quàm oportet. nulla autem alia est illa scientia mali, scientia superfluitatis, nisi scientia carnis, scientia impudicitiæ, quod ita nos docet Paulus, non plus sapere quam oportet, sed sapere ad castitatem (non ad sobrietatem, ut teste Hier. malè in Latinis codicibus legitur traductum.) Quæ ergo præter castitatem, in pollutione carnis est, hæc scientia mala & superflua est: quam carnis scientiam cum homo passus esset indignatus est omnipotens, & pœnituit se fecisse hominem, pœnituit Deum, quia virgo Israël cecidit, & non est qui resuscitet eam, pœnituit, quia cum omnia possit Deus virginem post ruinam suscitare non potest. Indignata itaque & recedente divina luce, castitatisq; spiritu, invaluit scientia carnis, in qua aperti sunt

Opinio Aug. i. pæ.

Gen. 3.

Iob. 40.
1. Cor. 12.

Rom. 12.
Hieron. contra Iovianum.

Gen. 6.
Amos. 5.

sunt oculi amborum, & cognoverunt malum. Quidnam cognoverunt? quid viderunt? Cognoverunt quidem malum suum, peccatum suum, mortem suam propter impudicitiam suam, & viderunt se esse nudos, & erubuerunt, & absconderunt se à facie domini, & absconderunt membra, in quibus peccavērūt per impudicitiam, propter commissam libidinem erubuerunt, & pudendis contectis puduit nuditatis, & revelatis oculis cognoverunt fructum quem genuerunt malum fructum corruptionis, atq; mortis, quos Paulus his verbis alloquitur: Quē ergo fructum habuistis in illis, in quibus usque nunc erubescitis, nam finis illorum est mors. pudet enim usq; in hunc diē libidinis hujus humanam sine ulla dubitatione naturam, quæ nec in uxoribus quidem sine pudore est, nec tam justum licitumve est, quod ob fragilitatē carnis nostræ concessum est nobis cum uxore, quin palàm non pudeat id agere. Quod si aliquis juxta Diogenis Cynici dogma, id palam etiam vel cum uxore ausus sit tentare, credo illum non tam lapidantium telis, quam stercorum sordibus, conspuentiumque saliviis obrutum iri. Ob hanc itaque carnis pudendam libidinem ejectus est homo de Paradiso Dei, mortique traditus est. quia caro & sanguis (ut ait Paulus) regnum Dei possidere non possunt, neque corruptio in corruptionem. Præmia cum pudicitiæ, corruptio carnis possidere non potest. Corruptio autem coitus est, & ad coitum pertinet, cujus præmium mors: præmium autem castitatis, vita æterna, regnum Dei, & habitatio Paradisi. Cibus hominis in Paradiso, fructus terræ, cibus virgineus nullo coitu propagatus. Extra Paradisum lapso per coitum, animalia coëuntia in cibum concessa sunt. Scimus enim Adam & Evam, quamdiu virgines erant, Paradisum inhabitasse, ejectos autem de Paradiso, quando nuptiæ per carnem consummatæ sunt: utque Paradisum virginitas dedit, sic terram nuptiæ. in Paradiso, nuptiæ virginitatis, consumandæ in verbo ac spiritu Dei: extra verò Paradisum, nuptiæ carnis, consummatæ in coitu corruptibili, de quo omnes qui nati sunt, corrumpūtur juxta scripturam: Quodcunq; seminaverit homo & metet, qui seminat in carne sua, de carne metet corruptionem, qui seminat in spiritu castitatis, metet vitam æternam. Homo autem cum in honore esset virginitatis, noluit intelligere ut castè viveret, sed per carnis libidinem factus est similis jumentis non habentibus rationem, & per mortem comparatus est illis. Dixit Deus hominibus: Nolite fieri sicut equus & mulus in quibus non est intellectus. Ipsi autem (juxta verbum prophetæ) equi insanientes in femi-

Gen 3.

Psal. 31.
Hier. 5.

HAVCHA ESTIS LIBRARY OF MEDICINE

in fœminas facti sunt, unusquisque in uxorem proximi sui
Pet.2. hinniebat. de quibus loquitur epistola canonica, quia post carnem in desideriis pollutionis ambulant vel quasi irrationabilia jumenta in ventrem & libidinem proni sunt, ideo in corru-
Gen.6. ptione sua corrumpentur. Homo itaque dum brutorum more ex voluptate carnis generare cœperat, divinæ intuitivæque intelligentiæ spirituale semen amisit, dicente Deo: Non permanebit spiritus meus cum homine quia caro est, apertique sunt oculi ejus in tenebris sensuum: ex quibus ratio omnem suam capit cognitionis materiam, & caligârunt in lumine puri intellectus, sicut accidere solet coëuntibus in tenebris, emisso carnali semine, omnia suspiciunt quæ prius occulebantur, reversi autem ad clarum lumen, acies eorum præstringitur. Quod ergo ex carne natum est, caro erat corruptibilis & mortalis, nihil intellectus participans à generante, sed solam carnalem sensibilitatem. Sola namque sensibilis carnalisque anima est à generante, in quam ita per carnem infectam creatus à Deo intellectus simul madens suffocatur. Hinc omnes qui ex carne geniti sunt, & generant per carnis & sensus propaginem, originalem culpam, corruptionemque contrahere necesse est, quod & Hermes in Pimandro, longa satis oratione os-
Pim.1. tendit, hominum videlicet à divina contemplatione lapsum in naturam generationis animantium mundi mortalium ac ratione carentium, unde & ipse formam ratione carentem progenuit, mortis mala sensu percipiens. Sed hæc quæ jam dicta sunt, fortasse nimis violenter contortis scripturis, ad hanc opinionem nostram corroborandam exposuisse videbimur, nisi alia adhuc testimonia adferamus quibus perspicacius videre liceat, commixtionem carnis displicuisse Deo. Hoc nunc
Gen.3. primum ex maledictione partus ostenditur, ut quem mater
Psal.7. in voluptate carnis conceperit, in dolore pariat, ac si dicatur: Ecce concepit injustitiam, parturiit dolorem, peperit iniquitatem, lacum aperuit & effodit eum, & incidit in foveam quam fecit, convertatur dolor ejus in caput ipsius & in verticem ejus iniquitas ipsius descendat. Accedat ad hæc naturæ quædam indignatio, cum nec opprimitur virgo, nec parit mulier sine san-
Gen.4. guine. Sed videamus quid secutum est. Duos filios genuit Adam, primum Cain, qui per transgressionem conceptus est, filius peccati, filius sanguinis, invidus, homicida, desperans de misericordia Dei, neque enim nasci poterat bonus, qui cum tanto malo conceptus erat. Alter verò filius natus est Abel, conceptus est pœnitentiam transgressionis, filius misericordiæ, &

diæ, & justus. Hic virgo occiditur, prima hostia accepta Deo, Gen.4.5.
in expiationem carnis, qui sordes nuptiarum carnis abluit cruore martyrii. Sequitur hunc tertius filius Seth, cujus no- Gen.5.
men resurrectionem sonat, ex eo enim nasciturus erat Jesus Christus per quem à tanto lapsu aliquando resurrecturi eramus. Circa quod notandum est, quod cum Seth multos genuisse filios & filias legatur, scripturam nullam fœminam genitam nominatim exprimere. In generationibus autem Cain Gen.4.
filii iræ, novissimè fœmina Noëma genita nominatur. Per quod eleganter significatur generationem Cain (quæ per carnalem marium, ac fœminarum copulam describitur) generationem esse peccati ad mortem, de qua nascuntur peccatores diluvio perituri: generatio autem Seth, generatio est castitatis, & resurrectionis ad vitam, qui genuit Enos, quod interpretatur homo verus, tunc enim cœpit invocari nomen Domini, & hæc generatio salvatur à diluvio aquarum, & à morte peccatorum. Generatio itaque Cain ab Adam in undenario personarum numero finitur sub diluvio, qui numerus peccati est, & transgressionis, nam denarius numerus est legis, & justitiæ, in quo natus est Noë justus, decimus ab Adam per Seth: à denario itaque undenarius recedens transgressionem legis & præceptorum significat, in quo numero periit generatio Cain. Hinc notandum, quod sicut per mulierem incœpit transgressio, diluviumque peccatorum, ita & in muliere consummatum est diluvium aquarum, videlicet in Noëma ultima filia Lamech digami, quod nomen Noëma voluptatem sonat. Hinc non absurdè conjectare possumus in voluptate carnis fuisse transgressionem, ortumque diluvium peccatorum. Accedit ad id, quia successio Cain ab Adam in octava generatione diluitur, qui numerus ita transgreditur septenarium, sicut denarium undenarius. Numerum autem septenarium, numerum virginitatis sacri doctores appellant, quia primus est qui neque generatur, neque generat: non enim potest in duas partes æquales dividi, ita ut gignatur ex aliquo numero repetito, nec ullum etiam ex se numerum parit duplicatus, qui intra denarii limites claudatur, quem primum limitem constat esse numerorum. Facilè itaque hinc cernimus, virginitatis transgressum per carnis voluptatem, peccatum fuisse primi parentis. Quod per diluvium jam primò quidem punitum est, sed aboleri non potuit. nam qui in diluvio salvi facti sunt, Noha & filii ejus, ipsi quidem per carnem geniti sunt & genuerunt: attamen Noha, & filii ejus quamdiu incolunt

lunt arcam salutis (quæ Paradisi terrestris figuram, Ecclesiæq; typum præfert) ab uxoribus seiungantur. Hinc innotescit nobis, in Paradiso vetitum fuisse primis parentibus carnaliter commisceri, quod & Paulus Christianæ religionis præco in cælestia proclamat: Bonum est, inquiens, mulierem non tangere, non dicit non habere, sed non tangere: quia in tactu periculum est, non in tactu manuum, sed serpentis, cujus virtus est in lumbis & potestas in umbilico. De nubentibus autem propter tribulationem carnis, dicit indulgendo: si nupserit virgo, non peccat. non dicit quia benè facit, sed indulget, quòd non peccet: aliud autem est non peccare, aliud benefacere, de quo alibi dicit: Qui servat virginem suam, benè facit. Et si dixerit quis, qui jungit matrimonio virginem suam, benè facit: Respondet Apostolus: qui non junxerit, melius facit. Nuptiis tandem dicit: superest ut qui habent uxores, sic sint, quasi non habeant. Et alibi exponens illud: Erunt duo in carnem unam, subjungit, sacramentum hoc magnum est. Ego autem dico, in Christo & Ecclesia: nam in carne quomodo magnum erit sacramentū, quod immundum est? Ad munditiam enim corporis Christi, cujus nos membra effecti sumus, in quo nos renati sumus, non ex coitu corruptibili, sed per verbum viventis Dei & permanentis, qui (ut inquit Iacobus in Epistola) volens genuit nos verbo veritatis. Ad hujus itaque sacramenti, ad hujus inquam concubitus, ad hujus generationis munditiam, omnis coitus immundus est Ideo dicit Apostolus: Viri diligite uxores vestras, sicut Christus Ecclesiam, scilicet in sanctificatione & castitate. De quo legitur alibi: Sciat unusquisque vas suum possidere, in sanctificatione & honore: non in immunditia & passione desiderii carnis, sicut gentes quæ ignorant Deum. De his verò, qui prævaricantes castitatem, liberos genuerunt, ait Paulus: Mulier seducta in prævaricationem facta est, salva autem fiet per filiorum generationem, si permanserit in fide, & charitate, & sanctificatione, cum castitate (sic vera habet traductio) tunc enim salvabitur, quando eos genuerit qui virgines permansuri sunt. Et si, quod ipsa perdidit, acquirat in liberis, tunc sint bonæ nuptiæ, quando de illis propagatur virginitas. Sed redeamus ad superiora. Successit post diluvium circumcisionis signaculum, ad Abraham Deo dilectum, pœna simul ac medicina peccati originalis, quæ facta est in præputio, in eo quidem membro, in quo primus parens peccaverat, ut videlicet peccatum originis & naturæ in ipso quoq; naturæ & originis membro obtruncaretur, imprimereturque in ipso libidinis membro transgressæ conti-

Ephes 5.

1 Thess. 4.

1. Tim. 2.

Gen. 17.

continentiæ castitatisque memoria. verùm quia peccatum hoc à patre masculo, non à matre fœmina contrahitur, eò quòd mulieres nascituræ proli nullam vitæ formam addere, sed corporis materiam duntaxat ministrare arbitrantur, ideoque mulieres incircunciſæ manserunt, sed datum est illis præceptum purificationis post partum. Antequam circumcideretur Abraham, genuit Ismaelem ex ancilla secundum carnis voluptatem, post circumcisionem verò, vetulus ac frigidus, supra carnis affectus, ac naturæ vires, ex Sara sterili, ac decrepita fœmina genuit Isaac filium promissionis, in quo jubente Domino vocatum est illi semen, ejecto filio ancillæ, filio carnis. Iste Isaac tandem ex sterili uxore genuit Iacob, ex cujus fœmore, duodecim tribus populi promissionis prodierunt. Tandem Iacob, postquam luctantem secum Dominum viceratfœmur ejus emarcuit, & generare cessavit, & tunc vocatus est Israel, hoc est videns Deum, juxta verbum ejus dicentis: Vidi Dominum facie ad faciem, nam per coitum aperiuntur oculi, ut videamus mortem, per continentiam autem meremur videre regnum Dei. Longum esset omnia recensere, quæ exemplo esse possent, & quomodo Isaac, Iacob, Samuel, Samson, Ioannes Baptista, Maria mater Christi; & plures alii, per quos nobis salutis amissæ restitutio promissa est, omnes ex senibus & sterilibus parentibus, supra naturæ vires, carnisque concupiscentias, geniti sunt, ut liquidò pateat, carnis libidinem odio fuisse Deo, etiám in uxoribus. Hinc Hieremiæ (qui in utero sanctificatus est) dicitur à Domino: Tu ne accipias uxorem, sanctificatus in utero, Sic Ezechiel, donec uxori jungebatur, non habebat Prophetiæ libertatem, mortua autem uxore continuò prophetatus est, prædixerat ei dominus, quod in die illa aperietur os ejus, ut loqueretur, & non taceret amplius. Et Moses cùm vidisset visionem illam magnam, & Dominum loquentem in rubo, nequaquam valuit accedere, donec solvisset corrigiam calceamenti, per quam significatur in sacris literis vinculum nuptiarum. Idem Iesu filio Nave præcipitur in Galgala, atque hic est ille Iesus salvator, typus Iesu Christi, qui secundum Apostolum Iudam, salvavit & eduxit populum Israel de Aegypto, & introduxit in terram promissionis, quam Moses nuptus intrare non poterat, sed mortuus est in terra Moab, sepultus in valle, contra templū Phegor, hoc est, Priapi, quod & ignominia interpretatur. Nuptiæ enim carnis, post mortem finiuntur in ignominiam, virginitas post

Iudas in epistola canonica.

Deut 34.

Iosue 15. mortem incipit coronari. Hinc Iesus Nave virgo moritur in terra promissionis, centum & decem annorum, sepeliturque in Thamnat Sareth, hoc est, perfectissimo principatu. Sed

Exod. 19. modò revertamur. Populus Israel accessurus ad montem Syna, & Dei auditurus eloquium, tribus diebus sanctificari

1. Cor. 8. jussus est, & se ab uxoribus abstinere. Hic est ille mons de quo

Levit. 10. alibi dicitur: in monte salvum esse fac. Mons virginitatis, ad quem qui non potest ascendere, permittitur illi ut maneat in Segor, hoc est, in legitimo matrimonio, quia melius est nubere incontinenti, quam per abrupta fornicationum præcipitari. Insuper in lege ipsa qui pro populo hostias offerebant, non solùm in domibus suis non erant, sed purificabantur ad tempus ab uxoribus separati & vinum & siceram (quæ solent libidinem provocare) non bibebant. Etiam ad David fugientem ab Abimelech sacerdote dictum est: si mundi sunt pue-

1. Reg. 21. ri ab uxoribus, at ille respondit: ab heri & nudiustertius, pa-

Deut. 20. nes enim propositionis de uxorum cubilibus consurgentes edere non licebat. Et in lege, qui uxorem duxerat, & propaginem filiorum velut vineam plantaverat prohibetur ad bellum procedere, quia non potest Domino liberè militare servus uxoris. Et juxta Pauli sententiam, non potest semper &

1. Thess. 1. 1. Cor. 7. sine intermissione & continuò orare, qui conjugi debitum reddere cogitur, nisi ad tempus ex consensu. Rursus qui in le-

Exod. 12. ge Pascha facturus erat, non nisi accinctis, mortificatisq; lum-

Luc. 12. bis facere præcipitur. Et in Evangelio jubentur Apostoli accinctis lumbis Evangelii tenere lucernas: assumpti enim in Apostolos, reliquerunt officium conjugale, juxta verbum salvatoris: qui dimiserit domum, parentes, fratres, uxorem, filios,

Matth. 19. propter regnum Dei, multò plura in seculo isto recipiet, & in seculo futuro vitam æternam. Et ideo Christus extollit præferendo nuptis eunuchos, qui se castigaverunt propter regnum

Esaiæ 56. Dei. De quibus alibi legitur in scriptura: dabo eunuchis meis in domo mea, & in muro meo locum nominatum, meliorem è filiis & filiabus Israel, nomen æternum dabo illis, quod non

Iosue 19. deficiet, sicut factum legimus in Iesu filio Nave, virgine innupto, cui pulcherrima & optima portio in partitione terræ promissionis obtigit. Qui sunt isti eunuchi? nisi de quibus inquit

Apoc. 14. Theologus in Apocalypsi, qui cum mulieribus se non coinquinârunt, qui sequuntur agnum quocunque vadit, & subinfert: virgines enim permanserunt. Virgo erat Ioannes Evan-

Matth. 15. Ioan. 12. gelista, & virgo permansit, & ideo plus amatur Domino, & recum-

recumbit supra pectus ejus. De quo haud frustrà Petro ait Iesus: Si volo eum manere, quid ad te? & exivit sermo inter fratres illum discipulum non moriturum: de quo etiam alibi dixit: Sunt quidam de hîc astantibus, qui non gustabunt mortem, donec videant filium hominis venientem in regno suo. Non enim moritur virgo, sed manet in Christo, & dormitio ejus non mors, sed transitus est: in virginitate namque primi parentes immortales erant, per prævaricationem autem virginitatis: utriusque naturæ mortem sibi posterisque pepererunt: in virginitate fruebantur cognitione ipsius boni, amissâ virginitate, caligante intellectu, apertisque oculis carnis cognoverunt malum, privati ipsius boni lumine, quo intima visione Dei fruebantur virgines. Hic cum Apostoli post resurrectionem Christi piscarentur in lacu Genezareth, stante Iesu in littore, nesciebant Apostoli, quem viderent, solus autem virgo Ioannes recognovit Deum, & dixit Petro: Dominus est. Iam ex his scripturarum mysteriis, satis persuasum esse potest, copulam carnis fuisse originale peccatum, & multi ob jam dicta facilè in hanc opinionem mecum consentient, nisi unus scrupulus illis obsistat. Dicent enim: Si carnis commixtio vetita erat, quomodo primi parentes impleturi erant benedictionem illam: Crescite & multiplicamini? Quomodo nascituri erant homines, ut implerentur sedes angelorum qui lapsi sunt cum Lucifero? Ardua profectò & scrupulosa objectio, cujus quidem eò difficilior est solutio, quò altius indagatur mysterium: Mysterium, inquam, absconditum à seculis & generationibus, manifestatum autem solum sanctis, quibus voluit Deus notas facere divitias gloriæ sacramenti hujus. Hoc est illud mysterium, de quo ait Christus: Habeo adhuc multa vobis dicere, sed non potestis portare modò: & alibi de eodem ait: non omnes capere verbum hoc. Istud est mysterium illud, quod secretò pandit Apostolis, dum vulgo proponuntur parabolæ: quod Paulus segregatim prædicat perfectis, dum vulgo non solidam escam, sed lac potum dat, nec dum enim possunt capere, quam diu carnales sunt, quia qui animalis est, non percipit ea, quæ spiritus Dei sunt, stultitia enim illi est, nec potest intelligere. Elegit autem nos in Christo Deus Pater ante mundi constitutionem, ut essemus sancti & immaculati coram eo. Ambulavimus autem in concupiscentiis carnis, facientes voluntatem ejus & cogitationem ejus, & facti sumus

Matth. 16.

Bibliotheca Universitaria

filii iræ. Atque hæc nos movent, ut credamus cum Damasceno, multisque Græcorum Theologis, conjuges in statu innocentiæ constitutos, in Paradiso, non per hanc carnis pudendam concupiscentiam impleturos fuisse benedictionem Dei. Non enim in carne proles illis seminanda erat ad corruptionem, sed in spiritu ac verbo Dei, ad vitam æternam : de quo spirituali semine Esaias loquitur: Nisi Dominus Zebaoth reliquisset nobis semen, quasi Sodoma essemus, & similes Gomorrhæ fuissemus. Quomodo autem hæc spiritualis generatio perficienda fuisset, in dialogo nostro de homine exponere conati sumus : quem sermonem hic geminare superfluum esset. Sed satis est nobis ad præsens propositum admonuisse, quod in dialogo de homine exposuimus, alio semine homines nasciturос fuisse in statu innocentiæ, quàm quod per carnis corruptionem defluеret, dummodò præsenti sermone, quod fuerat quæsitum, peccatum originale, rectè invenire potuimus, quod si minus rectè assecutus sum, fateor me opinionem scripsisse, non fidem, non scientiam : opinionem autem talem, cui nec ego aliter assentior, nec aliter quenquam assentiri volo, nisi quatenus à sancta Christiana Ecclesia non fuerit reprobata.

HEN-

HENRICI CORNELII AGRIPPÆ SERMO DE VITA Monastica, per Venerabilem Abbaten in Brovviler habitus.

NON sum nescius (colendissimi Patres, cùm vita & moribus, tùm doctrina gravissimi) quàm difficile sit de divinis rebus coram vobis aliquid publicè vel dicere vel disserere, præsertim cùm ad id munus virum optatis & sermone ornatissimum, & Scripturarum eruditione profundissimum, doctorumque citatione (quorum testimoniis uti necesse sit) promptissimum : Nam ut quorundam haud contemnenda sententia, sine eloquentia frigent mysteria, & absque majorum traditionibus proprii ingenii conjecturæ sæpè multum periculi habent, & errori proximæ sunt. Maluissem itaq; hoc munus alteri datum esse, qui Esaico spiritu imperitus ad hoc ipsum se obtulisset, dicens : Ecce ego, mittite me. Verùm ego, quæ in me est, sentio imbecillitatem meam, qui juxta verbum Hieremiæ in his rebus adhuc puer sum, & nescio loqui : peccator sum, & timeo assumere legem Dei per os meum. Vestra tamen autoritas, vestrumq; præceptum, qui mihi præsentes hoc dicendi onus injunxistis, nescio qua seraphica virtute metuentis ora ardenti calculo resolvit, & quam imbecillitatis meæ fragilitas negavit, obedientia præstitit audaciam : iis itaque corroboratis, divinoque fretus auxilio, dabo operam, ne hoc dicendi munus omnino vel sine causa, vel sine fructu suscepisse videar. Idque sic esse docebo, dum mihi publicam audientiam tribuit vestra humanitas. Priusquam tamen hoc aggrediar, primum nobis qua de re, & qua de causa de hac re eadem nunc dicere proposui, aperiam.

De vita activa & contemplativa dicere intentio est. Nam cùm tota monachorum vita nihil aliud esse debeat, quàm cõtinua pœnitentia, cum meditatione in lege Domini die ac nocte, nulla de re utilior sermo haberi posse visus est, quàm de his ipsis : quæ ut nos quàm maximè decent, ita à pluribus fratrum nostrorum maximè ignorantur. Illud etiã haud silentio

НАУКОВА БІБЛІОТЕКА СВЯТОГО МЕФОДІЯ

prætereundum esse arbitror, quod apud Antiquos præceptum legitur, in omni rerum principio orandum esse, maximè verò in sacris divinisq; id exequendum Areopagita docet Dionysius, eo libro quem de Dei nominibus inscripsit. Cùm igitur hic de religiosæ monasticæq; vitæ arcanis nobis dicendum sit, principiò flexis genibus humi procumbentes, sacro hymno sic Deum invocabimus. vos unà mecum concinnite: Veni sancte Spiritus, reple tuorum corda fidelium, & tui amoris in eis ignē accende: qui per diversitatem linguarum cunctarum gentes in unitate fidei congregasti. Iam oratum est: nunc ergo insistemus proposito. De activa contemplativaque vita dicturus, ne videar ab humanis inventis terrenaque sapientia initium sumere, & caduco humanarum opinionum fundamento superstruere. Non aliunde quam ab ipso fonte vitæ, qui est vera vita & lux hominum, ab ipso inquam IESU CHRISTO Nazareno crucifixo rem ipsam auspicabimur. Scimus enim quoniā cùm nulla mortalium doctrina ab errore sit immunis, sola Christi doctrina tota syncera est, tota constans, tota verissima & infallibilis. Esto igitur nostri sermonis thema sive exordium, illud Evangelicum, quod legitur apud Lucā: Ingressus est Iesus in quoddam castellum, & mulier quædam Martha nomine excepit illum in domum suam, & huic erat soror nomine Maria, quæ etiam sedens secus pedes Domini audiebat verbum illius. Martha autem satagebat circa frequens ministerium, quæ stetit & ait: Domine non est tibi curæ, quod soror mea reliquit me solam, dic ergo illi ut me adjuvet. Et respondens dixit illi Dominus: Martha Martha, sollicita es, & turbaris erga plurima: porrò unum est necessarium: Maria optimam partem elegit, quæ non auferetur ab ea. In hoc sacro Evangelio quadruplex hominum vita nobis proponitur, quod ita esse jam facilè mōstrabo, si modò vos prius admonuero, per castellum mundum ipsum figurari: per domum verò Ecclesiam. Quæ igitur extra domum hominum in castello habitantium vita est, hanc vitā mundanam, vitam peccatricem, vitam infidelium rectè nuncupare possumus, quæ per oblequium carnalium, terrenorum mundanorumq; affectuum ducit in exitium. Hæc vita Christum non recipit, non cognoscit, juxta illud Ioan. In mundo erat, & mundus eum non cognovit: in propria venit, & sui eum non receperunt. Quicunque ergo cupit cum Christo esse, non occupetur in castello, sed sequatur vestigia Christi usq; in domum Marthæ: nam qui in castello manet, cum Christo nō manet. De hac vita plura dicere præsentis propositi nō existit. Itaq; omisso

omisso castello domum ipsam scrutemur. Hæc, ut paulò antè dixi, Ecclesia est, in qua non habitant nisi soli fideles in Iesu Christo, Martha videlicet atque Maria: in quibus iterum duplex fidelium vita figuratur. Nam Martha denotat vitam activam, hoc est, vitam pœnitentialem, vitam purgatoriam, quæ per pœnitentiam purgando animam illam dignum efficit Christi hospitiolum, & hæc primo suscipit Christum: Maria verò vitam denotat contemplativam. Hæc est vita disciplinæ, quæ jam in purgato animo audiendo & meditando verbū Dei, in divinæ sapientiæ lumine quiescit. Hanc Christus ipse suscipit, erudit, illuminat, & secum manere facit. Nunc igitur utriusq; & activæ & contemplativæ vitæ conditiones, ex ejusdem Evangelii verbis colligamus. Vita activa suscipit Christū: contemplativa suscipitur à Christo. Activa debitoria est: satagere pro peccatis: omnes enim debitores sumus pœnitentiæ, quia omnes sumus peccatores, continuò orantes: dimitte nobis debita nostra. Contrà vita contemplativa libera est, & liberè eligit quæ sunt optima: neq; enim anxiatur in servitute pœnitentiæ, quòd præteritam vitam egerit malam & peccatricē, sed ob amorem Christi continuò meditatur quomodo futurā agat bonam atq; meliorem, dicens in libertate amoris: Vitam veritatis elegi. Vbi enim spiritus divini amoris, ibi libertas electionis mandatorum Dei, nulla transgressionis pœna, pœnarumve timore, voluntate coacta. Activa itaq; servilis est, in frequenti ministerio præceptorum, coacta in mortificationē carnis, ut inquit Paulus, castigans corpus suum, & in servitutem redigens: Contemplativa autem vita est filialis, ut inquit Paulus, non concipiens spiritum servitutis in timore, sed spiritum adoptionis filiorum Dei. Vita activa contentiosa est, & impatiens stat & increpat, quia solitaria & egena auxilii: contemplativa autem pacifica, tacet, & silentio quieta ac humilis, sedet juxta pedes Domini, cæteris Apostolis discipulisq; sociata, audiens verbum Domini, ejusq; patrocinio juvatur. Rursus activa divisa est, sollicita est, turbata est, multiplex est, cōtinuò occupata circa vitia & concupiscentias carnis, circa tumultum tentationum & insidias immundorum spirituum: contrà contemplativa crucifixa carne, domatis affectib⁹, victrix tentationum & diaboli, quiescit in tranquillitate spiritus, constans, & una, in unitate amoris unientis in Iesu Christo: insuper necessaria, & adeò quidem necessaria, ut sine contemplativa, activa nihil valeat ad salutem. Nam nisi pœnitēs meditetur pulchritudinem ipsius Christianæ justitiæ, donec ejus amore rapia-

tur:& sic odit iniquitatẽ,ut pœniteat peccatorum,frustrà pœnitet & nunquam profutur⁹. Dico autem Christianæ justitiæ, videlicet quæ ex fide Christi est: Nam humana justitia, quantacunq; est,semper peccatum habet. Reliquum adhuc cõtemplativa vita optima est & inauferabilis.Nam ipsa Dei cognitio atq; amor nobiscum perpetuò perseverabunt in secula seculorum: cùm activa duntaxat circa minora bona & transitoria versatur,simul cum morte desitura: neq; enim post mortem locus datur pœnitẽdi.En venerandi fratres,audistis jã utriusq; vitæ,activæ & contemplativæ evangelicam comparationẽ,sub quadam contrarietatis specie,quæ licet hac mutua contrarietate sese impetere videantur,conveniunt tamen, & in unã vitã coëunt,in uno Iesu Christo, quemadmodum duo illi Mosaici Cherubim,qui cùm contrariis vultibus sese respiciunt,conveniunt tamen versis prospectibus in propitiatorium.Hinc itaq; resultat illa quarta vita (nam primam notavimus vitam peccatricem, deinde duas reliquas, activam & contemplativam) vita inquam perfecta,vita exemplaris,vita Iesu Christi, quæ in se unit utramque, activam & contemplativam, vita in morte, mors in vita, agens contemplatione, contemplans in actione, libera in debito, debitoria in libertate, quieta in labore, laborans in quiete, sollicita in tranquillitate, tranquilla in sollicitudine,multiplex & una,circa unum & plurima, circa optima & circa minora bona, auferibilis quantũ ad laborem, permanens & perpetua quoad contemplationẽ,adeò secura,ut si etiã tetigerit picem,nõ inquinetur,sed omnia illi munda sunt. Itaque inter peccatores non polluitur,sed expurgat peccata,inter leprosos nulla contagione maculatur. sed mundat leprã,nulla intentione frangitur, sed calcar super serpentes & scorpiones, & super omnem potestatem inimici,& nihil illi nocere potest. Hæc vita maximè decet nos monachos, qui mortui mundo, ac sacra religione devoti Iesu Christo, ejus imitationem actissimam tam solenniter professi sumus. Nos itaq; decet, ut frequenti pœnitentia puri, & mundi, continua oratione, lectione,meditatione,doctrina, contẽplatione ipsi Iesu Christo corde purgatissimo,amore ferventissimo,strictissimaq; imitatione uniti, totiq; in divini numinis contemplatione sic alienati, rursus descendamus,in actionem inquam exemplarem atque perfectam, fructificantem fructum fidei & justitiæ, in his qui in ignorantiæ valle versantur, exemplum nos præbentes illis, ad imitandum nos in imitatione Iesu Christi. Hæc est vera vita monastica, in qua jam olim in vetere lege, & ante tem-

te tempora David,Samuel Propheta,post sacerdotis Heli mortem,congregavit religiosum Prophetarum conventum, habitu insuper ab illis populum distinctum, quemadmodum de hoc legitur 1.Regum 4. & ibidem apud magistrum historiarũ atque illum antiquitatis scriptorem Iosephum. Similiter Helizæus Propheta, post Heliæ assumptionem, assumptis secum multis filiis prophetarum, impartito illis juxta relictum sibi Heliæ pallium, sacro habitu in monte Carmeli monasticam hanc vitam summa sanctitate observavit, quam exinde multi sancti prophetæ continuarunt, usque ad tempora Ioannis Baptistæ,qui& ipse etiam discipulos religioso quodam conventu sibi sociavit. Neque verò eorum religio usque quaque vera erat, neque perfecta: sed duntaxat veræ ac perfectæ religionis umbratilis quædam figura,seu imago, salutaris tamen per spẽ tunc in futuro Iesu Christo. Porrò ipse Dominus noster Iesus Christus, autor veræ religionis ac monasticæ vitæ, verus institutor Apostolos ac discipulos summæ castitatis & paupertatis, virosque obedientissimos monastico ritu vocavit, qui & ipsi post missionem Spiritus sancti, multas monasticas congregationes fecerunt,omnia possidentes in communi,ut legitur Actor.4.ex quibus ut legitur in Ecclesiastica historia, Marcus Evangelista apud Alexandriam miræ devotionis discipulos tenuit,monastico conventu conjunctos.Ex hac itaque radice,veræ processerunt utriusque sexus religiones monachorum, cœnobitarum,anachoritarum,eunuchorum, & hujusmodi religiosorum hominum, qui secessum captantes ab hoc mundo adhuc nullis secretis regulis astricti, nullis votorum vinculis captivati liberè conspirarunt, non in aliam quam in puram simplicem unitissimamq; imitationem Iesu Christi:postquam verò temporis progressu, refrixit pura illa simplicitas piaque imitatio,& religiosi illi jam degenerare incœperunt ad mores prophanorum,rursus secesserunt aliquot sancti patres, ut Benedictus,Bernardus, Basilius, Augustinus & plerique alii, qui considerantes opus esse revocamento ad veram illam monasticam vitam,documenta quædam posteris tradiderunt,instituerunt que certas vivendi regulas,& salutaria præcepta,circa mores & conversationem,circa victum & vestitum,circa cibum & jejunium,circa otium & negotium, circa orationem & lectionem,circa taciturnitatem & sermonem,circa societatem & solitudinem & hujusmodi,prout unicuique pro sui sensus abundantia,ad utriusque activæ contemplativæque vitæ restitutionem conducere visum est.Deinde successerunt ex patribus qui

HARVARD LIBRARY OF THE HISTORY OF MEDICINE

ipsos suos monachos ad hæc sua instituta servanda, etiam gravi sacramento solemnique voto, ceu vinculis quibusdam astringentes, etiam Romanorum pontificum decreta censurasq; advocarent. Hinc viginti quatuor fermè & paulo plures religionum professiones in Romana Ecclesia receptæ sunt, quæ licet rituum, cæremoniarum, observationumque institutis, inter se multum differant: sunt tamen aliqua priscæ illius Apostolicæ perfectionis potissima, in quibus omnes uniformiter conveniant. Hæc autem haud multa sed tria duntaxat sunt, videlicet paupertas, castitas & obedientia, sine quibus nullus potest esse verus monachus. quæ adeò substantialiter essentialiterque religioni cohærent, ut ne ipsi quidem religionum authores, imo (ut dicitur) ne summus aliquis Pontifex in contrarium dispensare possit, absque totius monachi transsubstantiatione annihilationeque. Qui itaque monachus est, hæc illum jurare, vovere, & perpetuò velle observare necesse est. Nam in illis tribus tota monasticæ vitæ professio, substantia essentiaque consistit, quæ utranque activam pœnitentialem, & contemplativam intellectualem, insuper ipsam perfectam atque exemplarem vitas adeo complectuntur ac promovent, ut sine illis tribus, dico paupertate, castitate & obedientia, ad nullam prænominatarum vitarum pateat accessus. Nam per paupertatem ipsam quatenus monachus omnia abdicat omnibus moritur, de omnibus desperat, omnia odit, etiam seipsum odit, de seipso desperat, veram assequitur peccatorum contritionem veram agit pœnitentiam, & non nisi in sola Christi misericordia gratiaq; confidens, remissionem assequitur peccatorum: nec solũ illud, sed insuper coronatur justitia justificante, propter eandem patiẽtiam & spem misericordiæ per fidem in Iesum Christum, quam justitiam absque paupertate assequi est impossibile, juxta illud Ecclesiastici tricesimo primo: multos perdidit aurum & argentum, qui autem diligit illũd non justificabitur, væ illis qui sectantur illud. Castitas autem ut omnium difficillima, ita omnium maximè necessaria est, nam sine omnia opera sunt imperfecta, ut ex Hieronymo legitur 33. q. 5. c. hæc solum. Ipsa siquidem amorem excitat, & assurgere facit hominem supra corruptibilem naturam, estque in pœnitendo omnium patientissima & constantissima ut quæ omnia mala tollerat potius quam malo consentiat ut 32. q. 5. itane. legitur secundũ Augustinum. Obedientia verò omnium est magistra, sine qua nullum quantulumcunq; bonum opus promovet meritum. Sola siquidem obedientia meritum possidet fidei, sine qua quisquis fide-

fidelis convincitur, infidelis esse judicatur. sicut ex Gregorio habetur. 8. qu. 1. sciendum: cooperantur enim paupertas cum spe, castitas cum amore, obedientia cum fide. Beata igitur paupertas temporalium, propter spem æternorum, quoniam ipsius erunt divitiæ regni cœlorum, beata obedientia in fide Iesu Christi, quia omnia opera ejus bona. Hæc quo ad activam vitam dicta sunt. Quantum autem hæc tria jam dicta conducant ipsi vitæ contemplativæ, modò ostendemus. Ipsa namque paupertas mundi victrix quatenus animum nostrum ab omni multitudine & varietate cupiditatum, affectuum, ab omni denique humanorum negotiorum cura, nudum & vacuum reddit, neque aliud volentem, neque aliud cupientem, neq; aliud sperantem, quàm divina ipsa providentia statuit efficere, proculdubio magnam atque peculiarem vim habet ad minorem contemplationem, quatenus anima nostra per paupertatem spiritualem ab omni contrario & adverso expurgata, divinis influxibus vacans ab illis sapientia divina, sæpè etiam prophetiæ spiritu repletur. Castitas autem Deo devota, mortificata carne, ipsa quidem quatenus humanæ fragilitatis naturam in se ipsa superat, intellectuali sua divina parte, toto divinorum amore in superos conversa, animam nostram sempiternum ac semper pacatum efficit Dei templum, in quo Dei spiritus continuo inhabitantes, quos tunc vitæ socios possidens, & quasi idem aliquid effecta cum angelis, ab illis felicitate, oraculis sapientia que repletur. Obedientiam verò quatenus divinæ contemplationi sese tota veneratione admirationeque exponit, prostratis sensibus, stupefacta ratione, sola fide in intellectum elevata, anima nostra profligato diabolo, super nos divinosque concipit influxus, de quibuscunque jam antea meditata fuerit. Quicunque igitur ad supremum activæ contemplativæque vitæ monasticum culmen ascendere cupiunt, oportet illos constanti fide, spe indubia, amore ferventissimo, obedientes, pauperes, castosque diaboli, mundi carnisque victores accedere, ita quod nulla monasticorum præceptorum impatientia frangantur, nullasque mundanarum curarum cicatrices corde gerant impressas, nullisque carnalium affectuum tentationibus mente inquinata succumbant. Qui hæc faciunt, hi utriusque vitæ monasticum culmen adepti, veri monachi sunt: qui itaq; monachus est, hæc illum facere necesse est, quod qui non facit, hic sciat se, ut periturum, fidefragum, Christo, Ecclesiæ, ac professioni monasticæ injurium, nominis & habitus sui falsarium, & re ipsa monachum non esse, quem se nomine profi-

profitetur, sed æternæ damnationi perpetuò ad judicandum, mancipium diaboli. Hæc sunt reverendi patres, quæ de vita activa & contemplativa ex evangelica veritate, quàm brevissimè dici posse visum est. Insuper quomodo ex hac utraque vita conjuncta nostra constat vita monastica, in qua sancti illi patres nostri multa hinc inde instituerunt, partim ad secessum, partim ad revocationem necessaria salubriaque documenta, quæ tamen omnia ad tria monasticæ vitæ substantialia præcepta redeuntur, per quæ utraque activa & contemplativa vita, victis carne, mundo & diabolo, in vitam quandam perfectam (quàm monasticam vocant) sibi invicem uniuntur, itidem diximus. Diximus autem, non quantum ad illorum doctrinæ integram traditionem necesse est, neque enim id ego proposui, ut vos horum aliquid docere velim, qui me longè melius hæc omnia & profundè intelligitis, & observatis synceriter, absit à me hæc arrogantia. Sed admonere vos volui duntaxat & hortari, quo eo quidem magis succinctè & quasi per superficiem discurrendo, abs me factum est, quo vestra profunda intelligentia ex his paucis quam plurima in memoriam revocare potest. Si itaque hæc quæ diximus rectè dicta sint, & vobis accepta, vestra laus est, qui mihi primò quidem ut dicerem, deinde ut benè dicerem concessistis. Vestrum igitur erit una mecum gratias offerre omnipotenti Deo, à quo tam divinissimi rivi in corda nostra emanant. Quod si pro humana fragilitate nostra, dictorum intelligentiam, eloquentiámve minus assecuti fuerimus, similiter vestrum erit una mecum omnipotentem Deum suppliciter orare, ut tam sublimium profundissimarumque rerum vitam intelligentiam experimendique eloquentiam, omnibus nobis feliciter infundat. DIXI.

HEN-

HENRICI CORNELII AGRIPPAE, SERMO DE INventione reliquiarum Beati Antonii Heremitæ, pro quodam venerabili ejus ordinis religioso.

MAgna mihi & gratissima sors ista dicendi obtigit (Patres colendissimi) ut quæ de beato Antonio Abbate ac patrono nostro præcipuo comparta sunt hodierna narratione in medium enunciem: non quod tantum munus sufficienti orationis splendore verborumque luce à me præstari posse confidam: Scio enim longè majora esse divina mysteria, quam ut humanorum verborum splendore queant illustrari. neque tamen reticendum erit, quin potius pauca dicemus. Verum cum tot ac tanta sunt quæ ad hujus glorioſissimi sancti, sive vitam, sive gesta, sive pœnitentiam, sive contemplationem, sive gratiam, sive præmia, sive doctrinam, sive miracula, sive exitum, sive ad corporis sui sancti inventionem, ac translationem pertineant, ut omnia hæc aggredi res esset nostris viribus impar, & supra temporis inopiam nimis prolixa, præsenti sermone de inventione sancti corporis duntaxat (de aliis autem alias) disseremus, ab illo evangelico verbo quod habetur Matthæi quinto, sumẽtes exordium: Non potest abscondi civitas supra montem posita, neque accendunt lucernam & ponunt eam sub modo, sed super candelabrum, ut luceat omnibus qui in domo sunt. Cũ itaque opportuno tempore placuisset Deo, ut beatus ille Antonius, lucerna ardens atque lucens, diutius recondita non maneret in abscondito, sed reponeretur super candelabrum altũ, in eminentiori loco, ut luceret omnibus existentibus in hoc mundo, & impleretur verbum Dei, quo illi viventi pollicitus erat, quia faceret ipsum in universo orbe nominari: ab ipso orbis capite magno Constantino imperatore tam sanctissimarũ reliquiarum inveniendarum occasionem initiumque prębuit. Nam imperante Constantino eoque ad Christi fidem converso, stabilitaque per ipsum ac munita Catholica Ecclesia in universo imperio, quod ob factum cum multorum beatorum corpo-

НАУКОВА БІБЛІОТЕКА ОНУ ім. І. ФРАНКА

corporum & reliquiarum revelationem impetrasset, voluit illi Dominus noster Iesus Christus, inter cætera enim sancti Antonii confessoris sui (qui in vita & morte habitus est miraculorum gratia plenissimus) absconditum & omnibus ignotum corpusculum non minoribus miraculis ostendere. Cum itaq; Constantinus deficiente sibi hærede multisq, ob hoc precibus Deo effusis tandem unicam filiam suscepisset, contigit ut cum jam majuscula ex fonte quodam hausisset, novem nequissimi spiritus impatientissimique dæmones corpus ejus obsidere ingressi sunt. Quod factum credimus non propter peccatum aliquod innocentis filiæ, nec propter imperatoris ipsius aliquod demeritum: sed ut (juxta verbum Evangelicum) manifestaretur gloria Dei in gloriosissimo confessore suo beato Antonio, qui cum inter cæteros Christi sanctos innumeras insuperabiles à dæmonibus tentationes & afflictiones in vita passus est, illum glorificatum etiam dæmones ipsi in eorum perpetuum cruciatum, in puellę innocentis salutem, in sancti confessoris gloriam palàm confiteri compellerentur. Ideoque clamant in imperatoris filia: solus Antonius Aegyptius heremita hinc nos potest expellere, qui nos continuo cruciat. Insonuit tunc ignotum hactenus Antonii nomen in omnium auribus, nec erant tunc ullæ reliquiæ magis desideratæ. Sed ingens hujus rei difficultas & desperata videbatur provincia, occultum omnibus sancti corpus in ignoto heremo, remotissimoque deserto humanis nisibus posse reperire donec Theophili Episcopi consilio, ac probitate; celebratis plurium dierum vigiliis, jejuniis & orationibus revelante Deo, ad Constantinum & Theophilum, idem beatus Episcopus legationem difficillimam confidenter suscipiens, & in Aegyptum transmigrans, stella duce, innumerisque miraculis divinisque indiciis informatus, gloriosissimi confessoris reliquias meruit invenire. Quibus sublevatis, tanta oborta est virtutum miraculorumque potentia, quibus mirandis dum plus miranda continuò succederent, factisque mirabilibus fidem augerent facta mirabiliora hæcque indies crescentia fama secuta, verè completum est verbum domini ad Antonium, totoque orbi omnibusque nationibus ac gentibus notus factus est. Sed hæc ad historicam narrationem dicta sufficiant, quæ eò brevius exposui, quo scio vos illa minus ignorare. Reliquum est, ut de reliquiarum hujusmodi virtute ac veneratione pauca dicamus. Nam quærere posset aliquis, cur tantam venerationem reliquiis exhibeamus, & mortua sanctorum corpuscula tanto cultu

to cultu honoremus. Item unde stupenda hæc in reliquiis sanctorum, miraculorum virtus atque potestas. Ad hæc modò breviter & promiscuè respondebimus, quod ubi factum erit finem faciemus dicendi. Circa venerationem reliquiarum extitit quondam execranda hæresis Caicia, ab Eunomio, & exinde à Vigilantio hæreticis asserta, qui male exponentes sacras literas, & ad simplicem verborum corticem attendentes animum, Iudæorum ac Samaritanorum more, corpora mortuorum pro immundis habebant, ita ut etiam contactu polluerent tangentes, quemadmodum litera legis de his loquitur. Atque ea opinione seducti, sanctorum reliquiis ut vilissimis ac immundis matrociniis, omnem honorem, venerationem ac cultum denegabant. Reliquos cultores sanctorum devotos homines tanquam sacrilegos condemnantes, perversè in illos contorquendo verbum evangelicum: Væ vobis qui ædificatis sepulchra prophetarum, dicentes de sepulchris sanctorum, quod scriptum legimus de sepulchris pharisæorum, quæ foris dealbata, intus sunt plena spurcitia & fœditate. Verum hæc antiqua antiqui serpentis hæresis, tandem cum suis autoribus mala male perdita est. Nam si non sunt venerandæ reliquiæ sanctorum quomodo legimus: pretiosa in conspectu domini mors sanctorum ejus? Si corporum sanctorum sunt immunda & polluta, quid de Moysis corpusculo tanta Dei cura fuit, ut ab ipso sepultum sit Deo? Quis demum Christi corpus in sepulchro positum audebit dicere immundum, pollutumque cadaver? Si ossa mortuorum sanctorum polluunt tangentes, quomodo Helisæus propheta mortuus mortuorum suscitavit, quod etiam à Beato Antonio patrono nostro factum legimus, cujus corpus cum à Theophilo duceretur per heremum, invenerunt ibi tria corpora mortuorum à feris sylvestribus occisa, quibus cum imposuisset Theophilus corpus beati confessoris, statim surrexerunt & secuti sunt beatum corpus usque ad Constantinopolim, ad cujus præsentiam filia Constantini liberatur, dæmones rugiunt, illiusque vim ac sanctitatem confitentur, quasi præsentem viventemque sanctum adesse sentirent. Vivunt enim sancti omnes, nec mortui sunt qui in Deo moriuntur, sed dormientes dicuntur. Vnde salvator de Lazaro ait: non est mortuus sed dormit. Et Apostolus ad Thessal. vetat de dormientibus contristari. Vivunt enim sancti in corporibus & reliquiis suis, mirandis virtutibus illis divinitate sua assistentes per illas operantes. licet illa naturaliter non informent. Sic Dionysius Areopagita, sic Simphorianus, sic Albanus, sic Felix, sic Regula & plerique alii S. Martyres truncata

MONUMENTA ORDINIS FRATRUM PRAEDICATORUM HISTORICA

capita sua detulerunt ad loca sepulturæ, anima eorum non angelo (ut multi opinantur) eos ducente, ducente autem per assistentiam, non per naturalis informationis actum: non enim sunt animæ sanctorum ita in cœlis ac in sinu Abrahæ cohibitæ tanquam in quodam carcere conclusæ, quin possint de suis tumulis, apud suas reliquis ubicunque velint adesse præsentes, qui sequuntur agnum quocunque vadit, qui certè agnus Iesus Christus cum ubique sit, & ipsi qui cum eo sunt ubiq; esse credendi sunt, ni fortè minoris potentiæ sint sancti quam dæmones qui per hunc inferiorem orbem undique vagantes celeritate nimia ferè ubique sunt præsentes. Vivunt itaq; sancti sicut scriptum est: Deus Abraham, Deus Isaac, Deus Iacob non est Deus mortuorum, sed vivorum, non sunt mortui qui in Christi moriuntur, qui membra sunt & manent Christi vivi, tam in corpore quam in anima, quorum corpora templum sunt Spiritus sancti, quos Christus nunquam reliquit: nam sicut divinitas verbi nunquam reliquit corpus Christi in sepulchro, ita nec ipse Christus relinquit corpora sanctorum suorum in tumulis suis. Venerandæ itaque sunt sanctorum reliquiæ, in quibus veneramur ipsum sanctum, imo ipsum Christum, semper continuoque præsentem. Hæc ergo ratio reddita sit cur venerandæ reliquiæ, unde tanta in illis virtutum potestas. Cur magis apud reliquias suas, quam alibi operentur miracula, qui reliquiis suis pro arbitrio assistentes, ab ipso Christo nec in anima, nec in corporeis reliquiis uspiam derelicti. Nos igitur qui tales habemus reliquias, tam sanctissimi confessoris Antonii heremitæ & Abbatis ac patroni nostri, illas summa castitate ac devotione veneremur ac revereamur, ipsumq; glorioſissimum sanctum, pro viribus fragilitatis nostræ imitemur, qui illustri natus familia, clarissimis ortus parentibus, in amplissimis educatus clientelis, in maximis constitutus divitiis, à juventute sua nobilitatem, parentelam, domum, divitias, famam, cognatos, juventam, delitias mundum omniaque relinquens relinques autem pauperibus tulit crucem domini & secutus est eum imitatione conjunctissima, fide constantissima, sanctitate consummatissima, unde ipse inter cætera fermè infinita præmia, consecutus est hanc divinam & incessantem miraculorum gratiam, cujus effectus quotidiè cernimus, tam incredibiles, tam inauditos, tam insuetos, plenos horroris atque stuporis, ut in omnem orbem terrarum nomen ejus exierit, ac non solùm nobis Christianis, sed etiam cunctis gentibus, ethnicis, & Christianæ religionis hostibus terrori sit, ac religioni habeantur quemadquemadmodum illi Deus ex se pollicitus est, quia faceret eum in toto orbe nominari, sic hodie beatissimus Antonius inter Christi sanctos, ab omnibus gentibus agnoscitur, ab omnibus veneratur: ad omnes Christi crucem nomenque defert, imperium habens in gehennam, hoc est, quod dæmones in Constantini filia præsente sancto corpore confitentur, & confiteri compelluntur. Si ergo nunc præcedentem Beati confessoris sancti Antonii patroni nostri vitam & sanctitatem consideravimus, si pœnitentiæ ejus magnitudinem, si gratiarum plenitudinem, si præmiorum multitudinem, & quomodo corpus suum immaculatum Dei templum continuò sine lapsu servaverit, in vita & morte semper sanctissimus: si insuper consideraverimus miraculorum reliquias suas concomitantium stupendam sublimitatem, si earundem continuam utilitatem, certè dicere possumus, sic eum excellere ut omnibus, qui uspiam sunt sancti Christi confessorrs, non modò æquiparari, sed anteponi mereatur. Ad hunc ergo beatissimum Christi confessorem & patronum nostrum sanctum Antonium Heremitam & Abbatem religioſissimum, tanquam & perfectissimum Christi exemplar tota imitatione confugiamus, hunc ejusque sacras reliquias veneremur, per illius intercessionem gratiam apud Deum postulemus, qui ipse apud Deum potest quàmplurimum.

Dixi.

NOBILI AC STRENVO MILITI, VTRIUSQVE IVRIS Medicinarumque Doctori, Domino Henrico Cornelio AGRIPPÆ, senatus urbis METENSIS à Consiliis primario, filio suo in Christo dilectissimo.

Epistolam quære infra lib. 2. Epistolarū. Epist. XVIII.

REVERENDO IN CHRISTO PATRI, AC DOMINO SACRÆ Theologiæ Doctori, Domino Theodorico Cyrenensi Episcopo, Achipræsulatusq; Colonien-sis à suffragio, in sacris administratori dignissimo, Henricus Cornelius Agrippa sese commendat.

Lege hanc Epistolam infra Lib. 2. Epist. XIX.

HENRICI CORNELII AGRIPPÆ CONTRA PESTEM Antidota securissima.

AD D. THEODORICVM CYRENENSEM Colonien-sis Archipræsulatus à suffragiis, in sacris administratorem.

VOd vivendi regimen pestilentiarum tempore servandum sit multis canonibus medici tradiderunt, è quibus quæ præcipua & magis necessaria sunt, sub compendio tibi dabo, sed brevissimo. Primum itaque necessarium est, abstinere ab omni excessu caloris extrinsecus, ut à sole, ab igne, à vestimentis, ab aëre calido. Intrinsecus autem, ut à nimio esu salis, aromatum, medicaminum,

caminum, herbarum, & ciborum intensæ caliditatis, & à vino potenti & fumoso. Item à forti exercitio, maximè verò à sudore & à coitu, & passionibus animi abstinendum est, ab omni repletione cibi, & potus, quin etiam à fame & siti, & stipticitate ventris, & à longa dormitione, maximè autem diurna. Qui cibi præ cæteris deligendi, quique devitandi sunt, hic transeo. nam etsi facilè sit hæc describere, tamen non omnibus facilè est observare. Illud duntaxat admoneo, ut in ciborum condimentis, maximè verò piscium recentium inter cætera tormentillam, dictamum, gentianam, zedoariam, sandalos, & rosas nō obmittas, utere etiam aceto maximè rosaceo, & succo pomi citri, aut Arantii, aut limonum, & succo acetosæ, atque agrestæ, & vino citomorum granatorum & berberorum, omnia enim sapore agrestia & acetosa pestifero veneno resistunt: nam refrigerant, desiccant, confortant, conservant, è quibus tamen si pectus lædatur, temperanda sunt cum saccaro, si verò stomachus, cum modica portione piperis, nam ipsum putrefactioni humorum resistit, & digestionem confortat, stomachum corroborat, & modò non sit in nimis subtilem pulverem redactum, sed grosso modo contusum, epati non obest. conveniunt præterea inter condimenta cæpe, raphanum, cicorea & cappa-ris, nam & ipsa veneno adversantur. Habitaculum autem tuū, vestimentaque lucida flamma purgabis, maximè verò ex lignis juniperi, pini, cupressi, aut fraxini suscitata, aspersionibusque aquæ rosaceæ, cum aceto, herbisque & floribus, etiam fumigiis odoriferis aërem temperabis, etiamque indumenta tua interulas & linteamina eisdem afficies. Præterea faciem, manus cum his sæpius in die ablues, nec domo egrediare, aut in publico vadas, nisi radice dictami vel zodoariæ aut aromatica aliqua confectione in ore retenta, ac pomo odorifero manibus gestato odoratoque. Atque hic optimum est rutam contusam cum aceto, & expressam super aspergere laminæ ferreæ candenti, & fumum illum, vaporemque in os, & nares, perque omne corpus & indumenta excipere, ante habitaculi tui egressum. De antidotis autem præservativis ex multis pauca eaque securiora tibi nunc describam. Horum primum est, ut capias aquam rosatam, acetum rosatum, aquam acetosam, & vinum album aromaticum sive malvaticum vetus, æquali portione, in quibus infundas pulveres radicis Zodoariæ, corticum citri, & boli armeni, etiam inter se æqua portione commensuratos, addendo parum croci, & si velis potes addere saccarum conservationis ro-

sarium vetus, hæc conjuncta in ampulla vitrea benè obturata servabis, de quo omni mane & sæpius in die modicum aliquid bibe. Hoc namque antidotum sanguinis, & humorum putrefactionem fieri non permittit, venenoque pestifero potenter resistit. Quod si etiam pastam pilolarum ruffi, quæ aliàs communes & pestilentiales vocantur, dissolutam, cum septuplo aquæ chelidoniæ, vel aquæ mellis, quæ melior est post triduanam digestionem distillaveris, in balneo erit hæc aqua mane in modica quantitate potata, ad ea quæ diximus, admirandæ efficaciæ. Est aliud non minus sublime medicamen, ut videlicet accipias de theriaca electa uncias duas myrrhæ electæ tres drachmas, camphoræ puræ drachmas duas, quæ contempera in libra una aquæ rosarum, post biduum vel triduum distillentur in vasis vitreis bene sigillatis, de qua aqua exhibeatur in aurora. Commendatur etiam ab antiquis electuarium de nucibus, quod fit hoc modo: accipe cartacarum pinguium libram mediam, juglandium ab interiore cortice mundatorum quartam libræ partem, foliorum rutæ domesticę unciam mediam, salis marini triti drachmam unam & mediam, omnia in mortario optimè incorporentur cum melle despumato, aut cum syropo acetositatis citri, vel de ribes, & exhibeatur de eo quantitas avellanæ jejuno stomacho, cum modico aceti & aqua rosata, & sunt qui addunt huic electuario alias species & radices, quibus non est admodum opus. Est & aliud efficax medicamen, quod vocant electuarium de ovo, cujus compositio talis est : Ovum recens cum testa ab albumine evacuatum, dimisso vitello completur croco orientali pulverisato, & occluso foramine, apud lentum ignem tamdiu assatur donec deducatur ad nigredinem, ex tunc pulverisatur in mortario, & additur illi quantum est pondus suum de pulvere seminis erucæ, hoc est, synapis albæ, diuturna contritione optimè incorporando, & de hoc electuario exhibetur mane quantitas grani ciceris, cum modico vini & aquæ rosatæ. Verum posteriores non absque salubri experimento addiderunt ad hanc compositionē dictami albi & tormentillæ, de qualibet drachmas duas, nucis vomicæ drachmam unam, singulis primùm ad partem pulverisatis, deinde longa contritione cum ovo incorporatis. Et sunt qui adhuc adjungunt istis radices pimpinellæ, zedoariæ, angelicæ ac camphoram, & cum theriaca quātum pondus omnium, conficiunt electuarium in forma opiatæ, de quo exhibent, ut jam diximus, ad præservandum, sed & etiam ad curandum exhibitum usque ad drachmam unam cum

cum vino albo, si cum frigore morbus invaserit, vel cum aqua rosata, aut scabiosæ, si cum calore. oportet autem ut intra duodecimam horam ab initio morbi exhibeatur, si conferre debeat. Atque hæc sunt quæ utiliora, securiora, plusque cæteris probata antidota, pro nunc comperta habeo, & quibus salubriter uti poteris, modò non negligas etiam de pillolis ruffi accipere, semel vel bis in hebdomada. pondus scrupuli unius in aurora, abstinendo eo die ab alio medicamine. Illudque adverte, si tempus sit intensè calidum, tunc aloës & myrrha, quæ in dictarum pillularum compositionem veniunt, sint cum aqua rosacea diligenter abluta, poterisque addere de purissima camphora quantum est tertia pars myrrhæ : sed temporibus frigidis, & in complexione frigida, ab his præparamentis est abstinendum, sed sunt pillulæ illæ absque camphora, & sine ablutione sumendæ. Præterea quia pillulæ sedem nonnunquam nimium aperiunt, resolvuntque, utile est illis addere portiunculam boli armeni, vel in ejus pulvere involvere, quia autem nonnunquam lædunt stomachum, corrigendum hoc malum est, cum modica mixtione delecti masticis, præterea theriacam veterem, vel metridatum ad pondus duorum vel trium scrupulorum, singulis decem diebus sumere cum haustu aquæ rosatæ, vel acetosæ, observatis ad hæc medicorum consuetis canonibus, optimum est. Si quis autem peste sese percussum sentiat, si ætas virtusque permittat, quamprimùm phleubotometur à vena convenienti, moxque sequens medicamen offeratur, & quantò citius tantò melius, quia malum hoc non præstat inducias, ideoque convenit poculum sequens subitò offerre : & si opus est, etiam sæpè iterare, juxta vires patientis. Potio talis est : accipe cæpas albas numero sex, easque cavatas in superiore parte, & exempto corde, imple de theriaca veteri, mixta cum modico pulvere radicum dictami & tormētillæ, & sic involuta in papyro humida assentur sub cineribus calidis, coctione completa ad mollitiem : deinde pars illarum excipiatur ad partem : nam hanc contusam in modum pultis, superpones absessui, est enim tutissimum antidotum venenum eliciens atque perimens : sed ut ad potionem revertamur, reliquas cæpas, ut diximus, coctas, contusas cum syropo acetositatis citri, in quantitate unciæ unius, & cum modico aceti, exprime per stamen, & de colatura hac tepida exhibeantur ægroto unciæ tres, & ponatur in lectulo bene cooperatus, abstinens à cibo & potu horis sex, omnimodè autem cavendo ne dormiat, ejus namque poculi virtus efficacissima est,

venenum à principalibus membris ad eorum emunctoria propellere, & per sudorem cæterasque creticas expurgationes evacuare. Quod si huic potioni admisceas portiunculam electuarii de ovo superius descripti, erit admirabilis. Illud deni que advertendum est, si patiens sit plectoricus, aut cacochimicus, repletus videlicet malis humoribus, aut fortè non fuerit phleubotomatus, aut sanguinem minuere non convenit, tunc addenda sunt ad potionem illam medicamina solutiva, utpura pro delicatioribus triferæ persicæ uncia media cum drachma una electuarii hamech. Pro robustioribus autem absque trifera detur, cum confectione hamech, totidem electuarii de succo rosarum, totidemque electuarii Indi, atque drachmæ duæ diafericonis, utrobique autem exhibendo potionem calidam cum aqua scabiosæ aut acetosæ, aut rosarum. Debis quod supereſt, transeo, nam hæc & tempus admittunt, & consilium. satis itaque me feciſſe arbitror, si ea duntaxat descripsi, quæ moram non admittunt. Sed illud te adhuc commonitum volo, summum ac ultimum ejus mali remedium esse terram adamam, primam videlicet nostræ creationis materiam: hæc namque sola & unica est, quæ medicinam largitur, cujus non est major, neque parùm fuerit per ignis artificium purgata, & ad simplicitatem suam congrua lotione redacta.

Sed de his aliâs.

SPECTA-

SPECTABILI VIRO
DOMINO JOANNI NYDEPONTANO, *Illustrissimi Lotharingorum Ducis, atque civitatis Metensis Physico & Consiliario, Henricus Cornelius Agrippa, S. D.*

MULTÆ ac magnæ contentiones olim fuerunt mihi cum theologastris atq; monachis ornatissime Doctor, quorum aliquibus modestis expostulationibus, aliis amarulentioribus Apologiis respondi, alios silentio præterii. Et quum essent mihi cum illis privatæ contentiones, nolui aliquid horum unquam in publicum edere, ne fortè paucorum culpa in multitudinis redundaret ignominiam, verum (ut est in proverbio qui veterem fert injuriam invitat novam) illi patientia atq; silentio meo abusi continuò novas contra me parabant insidias, novam hostilitatem, novum bellum, idq; sibi mutuo per manus tradebant accipiebantque. Tandem cum edidissem declamationem illam de Vanitate scientiarum atq; excellentia verbi Dei, quam in hoc ipsum scripsi, cum ut segniora ingenia ad defendenda bonarum literarum studia excitarem, tum ut fraterculis istis concionatoribus arguendorum in omni exercitii genere vitiorum non frigida argumenta conferrem. Illi hoc beneficium meum ingrato pensantes animo secundum morem suum pariter omnes communem hostilitatem mihi in-

НАУКОВА БІБЛІОТЕКА ОНУ ім. І.І. МЕЧНИКОВА

dixerunt, tăq; passim à suggestis, à pulpitis, in privatis & publicis concionibus, apud promiscuam plebem magnis vociferationibus adversum me clamabant, irascebantur, atque nullum impietatis, nullum hæresis, nullum scandali, nullum contumeliæ probrum in me non transferebant. Accedebant illis nonnulli aulici mystæ Burgundiones & Hispani qui me clanculum & post terga magnis criminationibus credulo Cæsari traducebant, & per insidias proditore plusquam lybica perfidia persequebantur, quo hinc quidem Lernæi populi odium, inde vero Aquilini Principis iracundiam incurrere necessum erat. Sed gratia domini liberavit me ab ore bestiæ multorum capitum, & ab unguibus feræ rapacissimæ & eripuit me de inimicis meis fortissimis, ab his qui oderunt me & confortati erant super me in die afflictionis meæ. Nunc igitur cognoscens atque expertus hoc improborum sophistarum & cucullionum genus immortales & inextinguibiles inimicitias gerere, illasque alterum alteri continuandas per manus tradere, nostraque patientia atque silentio insolentiores evadere, insuper etiam in munificentiam nostram contumeliosos beneficium pro injuria reputare, cogitavi consultius esse cum illis apertas gerendas esse inimicitias, quã taciturnitatis patientia impietatis suspitionem una cum ulteriore offensa contrahere. Hinc quicquid hactenus cum his monstris mihi negotii fuit postliminio revocare decrevi, & sub divo omniũ oculis palam exponere, ut videant populi, intelligant nationes, cognoscat mũdus, cujusmodi idola tot seculis pro heroibus atque diis ipsis coluerit. Itaque post editam proxime Apologiam in Lovanienses

vanienses Theologistas & querelam in bonarum literarum sycophantas, statui nunc edere defensionem, quandam invectivam qua olim ante annos quindecim respondi cuidam domini castro Claudio Salini conventus prædicatorum priori in illa urbe vestra Metensi ubi ego illo tempore reipublicæ advoatum à consiliis agebam, qui me ob assertam cum Jacobo Fabro stapulensi beatæ Annæ monogamiam nos in publicis concionibus suis rabiosis latratibus lacessebat, mirisque gesticulationibus, porrectis digitis, jactatis manibus raptimque retractis, & collisis dentibus fremendo, expuendo, calcitrando, saltando, pultando, vicissimque scalpendo caput & rodendo ungues in nos insaniebat, tandem etiam calamum in me cõtorsit. Sed ut lingua maledicentissimus ita manu insulsissimus. Quare acriore invectiva huic lycaoni respondi memor proverbii: Acri cane occupandum esse lupum. Sic namque Hieronymus ille vir pius & sanctus cui tam improbe oblatratum est ab adversariis, illos omnes acriore pensatione contra obruebat, nihil enim maledicorum linguam refrenat magis quam mordatioris alterius linguæ metus. Atq; ea est hypocritarum illorum natura, ut quo quisque se illis mitiorem præbet, eo efferuntur insolentius eoq; arrogantius quosque contemnunt, insectantur & velut tyrannide quadam persequuntur. Si quis vero imperterritus illis atrociore sermone resistat, hunc jam magis metuunt quam oderint. Itaque licet hæc nostra defensio amarulentior forte sit quam tuo palato sapere velis, ea tamen mihi visa est quæ inter delicatiora edulia vel synapis vel raffani vicem apud te obtinere valeat: & quia nuperrime cum

apud te essem scire gestiebas hanc controversiam, idcirco unus a me electus es, cui illam dedicarem, qui pro singulari inter nos amicitia quicquid esse meum noveris æquo judicio sis accepturus. Addidi autem nonnullas epistolas non quod elegantes aut elaboratæ sint, sed quia ad eandem causam pertineant, ex quibus pariter litem quam habui cum fratre Nicolao Savini olim apud nos ficto titulo hæreticorum magistro, percipies. Sed miror cum ille ante paucos annos ob publicum scelus civitate vestra pulsus & per justiciarios publice extrusus & proscriptus fuerit, qua fronte, qua confidentia insanus illa belua rursus ad vos redierit atque impune apud vos degat. Vtinam civitas vestra aliquando hos fucos excutiat suis alvearibus, qui Christi imitatores se profitentes scurras agunt & carnifices. Vale ex Bonna. Anno 1534.

AD

AD LECTOREM.

Verè pium ac Christianum est candide Lector, sanctorum vitas dignis prosequi præconiis sed mendacia illis consuere & incompertas genealogias comminisci, hoc impiorum histriorum opus est. At reperiuntur nunc passim in istis recentioris ætatis martyrologiis atq; sanctorum, ut vocant, legendis tot prodigiosa mendacia & digna risui delira, tot superstitiosa phantasmata & gentium mithologiis non minus fabulosa, quæ si legãt Iudæi & Turcæ, & pagani an non putas rideant nos & religionem suam nostra multo meliorem putent, ut quæ multo minus habeat fabularum? Attamen tales sunt sermones istorum histrionum cathedralium quos plebs imperita & superstitiosæ vetulæ oraculi habent loco, qui deficiente illos antiquitatum notitia suis propriis adinventionibus confisi, nullam fere cujusvis martyris aut confessoris legendam incorruptam reliquerunt, cui non aliquid superstitiose admentiti sint, quasi fas sit etiam fabulis & mendaciis propagare religionem atq; omne id liceat in sacris quicquid humanæ leges tolerant in prophanis: horum dico histrionum opera falsa illa opinio de beatæ Annæ trigamia in animos populi semina est & irrigata quousque sic convaluit, ut difficile eradicetur, ad quam tamen extirpandam post doctissimum illum Iacobum Fabrum Stapulensem hac præsenti disputatione laboravi haud segniter, sed an effecerim an consecutus sim nunc tui sit judicii. Vale.

HEN.

НАУКОВА БІБЛІОТЕКА ОНУ ім. І.І. МЕЧНИКОВА

HENRICI CORNELII AGRIPPAE, DE BEATISSIMÆ Annæ monogamia ac unico puerperio, propositiones abbreviatæ & articulatæ, juxta disceptationem Iacobi Fabri Stapulensis in libro de tribus & una.

QVm nuper mihi privatus quispiam sermo fuisset de beatæ Annæ solinubio ac unico puerperio cũ nobili viro Nicolao Roscio Mediomatricum decurioni, qui tum populari opinione huic meo sermoni adversabatur, eaq; occasione qui de utrius sententiæ victoria pronuntiaturi essent aliquos elegissemus arbitros, evenit ut, me aliquot dies absente, ac reverso alios plusculos domi ægrotante, interim negotium hoc evagarit latius, donec tandem per quæstuarios istos clamatores è suggesto coram populo ac rudi plebecula ventilatum sit, & contra meam sententiam acrius ac insolentius quam christianas concionès deceat oblatratum. Rogatus igitur ab amicis aliqua in hanc rem scriptis designarem, eorum precibus acquiescens, sequentes extemporaneos articulos succincte breviterque congessi. Quibus si quis contrariis rationibus ac auctoritatibus validioribus sese opponere velit, occasionem mihi dabit scripta hæc gravioribus studiis dilatandi, donec ille oppugnans, ego repugnans, ad commodum Christianæ reipublicæ, uterque optatum finem (cujus gratia solum licet Christianis contendere) assequamur: ipsam videlicet quæsitam rei veritatem, eamque cæteris, qui in ignorantiæ caligine versantur, salubriter ostendamus.

I.

QVi dicit fidem nostram vel ecclesiam tenere & asserere, beatissimæ virginis genitricem Annam tres habuisse maritos, ac tres peperisse filios, dicit falsum manifestum, & qui id publica concione pertinaciter prædicare ausus est, seducit populum, & adulteratur verbum Dei, ac in sede veritatis docet notorium

notorium mendacium, nam res hæc fidei non est, nec ecclesia de hac aliquid ulla sanctione vel facto determinavit.

II.

IAcobus Fabri stapulensis Parisiorum gymnosophista, edidit librum de solinubio ac unico puerperio beatæ Annæ, quem detribus & una prætitulavit.

III.

QVi publica coram populo concione dicit hunc librum cõburendum, & omnia ejus exemplaria optat esse exusta, hic præsumptuosus est, & falsi judicii, ac maledicus detractor, ipsi libro, & ejus auctori, universæque literatorum reipublicæ, atrocem inferens injuriam. Et qui offenditur libro illo indoctus est, & obstinatæ insciticæ, quia liber ille innititur auctoritate scripturarum & ratione. Qui autem scandalisatur in auctore, hic nequam est & hypocrita, quoniam ipse auctor mitis est & humilis corde. Sed qui contra hunc librum scripturis & rationibus munitus in arenam condescendere ausus fuerit, hũc ego virum fortem & robustum judicabo, & dignum cui doctus quispiam (pro veritate ipsa elicienda, non pro vana gloria) confligendo congrediatur: qui aliter huic libro detraxerit, calumniator est, & hostis veritatis.

IV.

IN dubiis, & disputabilibus, & in utramque partem probabilibus, si popularium curiositas informanda est, id illis prædicandum est, quod credere magis pium est, hoc est, quod verosimilius est, quod ecclesiasticis probatis scripturis conformius est, quod plus consonum rationi, quod mores hominum plus ædificat in imitationem evangelicam.

V.

DIcere Annam solinubam, unius solæ miraculosæ genituræ puerperam, hoc pium est, & verisimilimum, hoc vetustissimorum probatissimorumque theologorum scriptis conforme, hoc congrua ratione satis insuper munitum, hoc castæ & evangelicæ viduitatis dignissimum incitamen, ac matronalis continentiæ imitabile exemplum.

VI.

DIcere Annam trinubam, triparamque, juxta popularem hãc nullo certo auctore historiam, qua legitur, nã Ioachim

& Cleo-

& Cleophas, Annæ nubunt & Salomas, subsequenti ordine, primus gignit christiferam, Cleophas gignit alteram, & Salomas tertiam, has duxere viri, Ioseph, Alphæus, Zebedæus. Prima parit Christum, Iacobum que secunda minorem: Et Ioseph justum, peperit cum Simone Iudam. Tertia majorem Iacobum, volucremque Ioannem. Hoc ita asserere erroneum est, scandalosum est, impium est.

VII.

ERroneum est, quia contra historicam veritatem, contra rationes temporum, contra naturæ possibilitatem. Neque illi qui hæc loquuntur ullum dicti sui probatum auctorem adducere queunt, sed tanquam rustica quædam secta, in ludibrium ecclesiæ illud prædicant, cujus nullam rationem aut auctoritatem reddere possunt.

VIII.

SCandalosum est, quia detrahit bonis moribus, detrahit cõsuetudini legali & observantiæ illius temporis, detrahit honestati parentum Deiparæ genitricis, & dignitati virginis Mariæ.

IX.

IMpium est, quia detrahit figuræ, detrahit prophetiæ, detrahit miraculo, detrahit evangelicæ lectioni.

X.

QVi dicunt Cleopham fuisse secundum Annæ virum, ex quo peperit secundam Mariam nuptam Alpheo, hi errant corde. Nam Maria Cleophæ, non ita vocatur à patre, sed à marito, quia fuit uxor Cleophæ fratris uterini Ioseph viri beatissimæ virginis, qua ratione ipsa sola dicta est soror ejus, & nulla alia. Attestantur huic Egesippus, & Eusebius, probatissimi in ecclesia doctores & historiographi, testatur idem textus evangelicus, ut ostendam infra.

XI.

CLeophas & Alphæus idem homo est binomius, sicut alii multi in sacris literis leguntur, ut Raguel qui dicitur Ietro, & Gedeon dicitur Hieroboal, & Ozias Azarias, & Iudas dictus est Thadæus, & Ioseph dictus est Barsabas, sic & Cleophas nominatus est Alphæus, & huic sententiæ etiam sacer astipulatur Hieronymus, & Philo, & ex Egesippo & Eusebio id magis clarum est.

XII. Filii

XII.

FIlii Cleophæ erant Christo ætate majores, inter quos Simon Zelotes Christum undecim annis separabat, testantur hoc Egesippus & Eusebius. Hac itaque temporis una & partus ratione perfecta, impossibile reperitur hanc Mariam Cleophæ fuisse Annæ secundam filiam.

XIII.

SImiliter & multo fœdius errant, qui dicunt Salome tertium Annæ maritum, qui in ea genuerit tertiam Mariam, hinc vocatam Maria Salomæ cum Salomæ nomen mulieris est, non viri alicujus, nec ipsa Salomæ unquam cognominata est Maria, nec dicta soror beatæ virginis, sed fuit mater filiorum Zebedæi: & attestantur huic Origenes, & Chrysostomus, & ipsa lectio evangelica. Atque hic turpissimus error ex grammaticæ ignorantia prodiit, & satis notorius est, maxime his qui Græca & Hæbraica didicerunt.

XIV.

IOannes apostolus Salomæ junior filius, anno uno vel paulo minus fuit ætate minor Christo, Iacobus autem Ioannis frater, Christo fuit ætate par vel paulo major, hæc ex Eusebio & Melitone Sardensi ac ex Hieronymo nota sunt. Ex hujus itaque ætatis ratione, impossibile relinquitur apud naturam, Salomæ fuisse tertiam Annæ filiam.

XV.

TOta itaque illa historia de Annæ trigamia ac tripuerperio, legi, honestati, & possibilitati naturæ repugnat, nam Anna sterilis fuit natura, sterilis fuit insuper ob exactam concipiendi ætatem, ut non potuisset post miraculosum supra naturam partum, naturaliter ex carnis voluptate alias proles suscipere, nec etiam miraculo, cui nulla unquam alia annunciatio facta est.

XVI.

QVi prædicant Annam trinubam, nullum alium fructum producunt, nisi quod corrumpunt mores bonos sermone pravo, & subvertentes castitatem matronalem, dant occasionẽ viduis abeundi retro post tentationem Sathanæ, quatenus proponunt sibi Annam incontinentiæ & polygamiæ suæ idolum ac velamen erroris sui, quo oblitæ fidei primi mariti, eam

НАУЧНА БИБЛИОТЕКА ОНУ ЦЕНТРАЛНА

eam irritam faciant novis nuptiis, superinducentes sibi in hoc damnationem, totumque Apostoli dogma de viduis, sub umbra Annæ contemptui exponunt.

XVII.

HIstoria illa de Annæ trigamia, ac tribus Mariis Annæ filiabus, repugnat legali observantiæ illius temporis. nam in tota vetere lege nulla vetula vidua, quæ ex primo marito prolem susceperat, reperitur superinduxisse alias nuptias: nec Iudaicæ legis consuetudo id patiebatur. Similiter legalis consuetudinis observantia erat in eadem familia non imponere idem nomen pluribus fratribus vel sororibus, absurdumque fuisset Annam tres filias habuisse uninomines.

XVIII.

QVi beatæ Annæ hanc trigamiæ notam inurunt, ejus sanctitati simul ac beatæ virginis honori non parũ detrahunt, nam cum omnes ferme & innumeraræ viduæ, quæ passim in scriptura leguntur, uno viro contentæ fuerunt, & post illum residuam vitam cælibi sanctimonia produxerunt, quas propterea veras viduas vocat apostolus, solam Annam Deiparæ virginis parentem vere viduam dicere non poterimus, ipsaque virgo superbeata hac materna incontinentia fuerit infectior, ut quæ ipsa typus sit & summum puellaris virginitatis exemplar, matrem habuerit vidualis incontinentiæ ostentum. Sed absit hæc impietas, & magis pie credamus, quod sicut unica virgo Maria, velut unica est totius virginitatis idea, ita & mater ejus Anna, ceu unicum jubar imitabile irrefragibileque exemplum extiterit viduitatis, super omnes viduas matronali castimonia ornata, simul ac Dei gratia præventa.

Dicere Annam trinubam triparamque detrahit figuræ. Nam sicut ex Adam unica singularis Eva facta est, ita ex Anna unica singularis Maria, quæ est secunda Eva, producta est. Præterea omnes illæ veteris & novæ legis sanctæ fœminæ, quarum partus divinitus per angelum annunciatus est, sola illa prole restiterunt beatæ, nulla alia subsequente, quod identidem etiam de Anna ipsa credendum est, quę per ejusmodi sub umbra legis extitit figurata.

Dicere Annam triparam detrahit prophetiæ, quæ est in canticis Salomonis, quam non absone de beatissima virgine Maria, ejusque genitrice, ac tota triumphantium turba, intelligit ecclesia: Sexaginta sunt reginæ, octogintæ concubinæ, & adulescentularum non est numerus, una est columba mea, perfecta mea, una est matri suæ, electa genitrici suæ. Hæc propheta ostendit, beatam virginem unicam Annæ filiam, nec matrem ejus unquam desiderasse seu elegisse aliam prolem gignendam.

Qui dicit Annam trinubam triparamque detrahit miraculo conceptionis beatissimæ virginis Mariæ, quia ex pluralitate nuptiarum atque partus Annæ, ipse ortus Mariæ virginis fuisse videretur non miraculosus, sed potius ex concupiscentia carnis, si Anna sanctificatum tanto ac tam plus quam beato partu uterum, desiderio novæ prolis præbuisset novo secundum carnis voluptatem concubitu temerandum.

Qui dicit Cleopham ac Salome viros Annæ nuptos, expresse repugnat & contradicit lectioni evangelicæ, nam textus evangelicus expresse innuit Cleopham esse virum Mariæ illius, quæ dicta est soror beatæ virginis, qui adhuc in passione Christi vivebat, ita enim habet Græca veritas apud Ioannem: Stabant autem juxta crucem Iesu mater ejus, & soror matris ejus Maria uxor Cleophæ, & ita præcise transtulit fidus ac irreprehensus interpres Erasmus Roterodamus, similiter ex Evangelica lectione expresse comperitur, Salome mulierem significare, & non virum.

Hæc hactenus, quæ si cui minus satisfaciunt, legat (sed attentè) libellum Iacobi Fabri supra nominatum, & si adhuc obstinatus fuerit, vincat illum priusquam novum exposulet pugilem.

HENRICI CORNELII AGRIPPÆ, DEFENSIO PROPOSITIONUM prænarratarum contra quendam Dominicastrum illarum impugnatorem, qui sanctissimam Deiparæ virginis matrem Annam conatur ostendere polygamam.

QVONIAM procurante satore malorum operum, damnabiliter insurrexit in famosa Mediomatricum civitate vir quadam religiosæ professionis, (qualem hoc seculo aliquot cuculliones sibi soli usurpant) & Theologus scholasticus, ob hunc titulum magno supercilio turgens, apud semetipsum sapiens, apud imperitam plebeculam, crassulos q; magnates nihil nescions, qui cõclusiones quasdam (ut ipse vocat) extirpativas, contra propositiones meas, quas nuper ego de beatissimæ Annæ solinubio ac unipuerperio, juxta disceptationem Iacobi Fab. Stapul. in suo libello de tribus & una prætitulato, brevissimas edidi, coactus ad hoc integritate officii mei, propter nõnullos magniloquos fraterculos, qui apud Mediomatricos sanctissimam Annam multiparam polygamamque diffamârunt, ipsumq; Stapulensem doctissimum integerrimumq; virum, me pariter, & quoscunq; secum sentientes, simul omnes erroris impietatisq; insimulantes. Non possum nunc, neq; debeo illis conclusionibus non respondere, ipsamq; Christiparæ virginis castissimam parentem, à publico proditæ conjugalis fidei crimine, trigamiæque nota, quæ sibi ab hujusmodi Cretensibus præconibus immeritò inuritur, non defendere. Conabor itaq; ipsas oppositarum conclusionum machinas elidere penitusq; disrumpere, atq; Fabrum ipsum, tam veracis sacratissimæq; historiæ reparatorem, meq; una, & cæteros nobiscum probè sentientes, eximere calumniis. Vellem autem quod conclusionarius iste doctor (quod probum disputatorem decet) non sic ex occulto in me sagittaret, ita quod telum ac vulnus sentiens, jaculatorem ignorem, sed illas suas dogmaticas objectiunculas, quas in secreto aliquot mulierculas docet, imperitosque nobiles, proprio suo quo vocatur, nomine prætitulasset, sic namque ipse à calumniandi, tergiversandique crimine (quapropter nomen suum

suum occuluisse haud injuria estimatur) relinqueretur minus suspectus. At ego cognoscerem quî cum mihi negotium hoc suscipitur, haberemque illi condecentem reverentiam, atque pro dignitate tractarem, nunc autem Andabatarum more pugnare compellor, ac hostem non videns directa spicula repellere.

Sed nunc tempus est, ut videamus quàm bellicosus, thrasonicus iste conclusionator assurgat in clypeum, quo turbine torqueat hastam. Itaque quo contextu ipse conclusiones suas contra meas propositiones opponit, eo ordine ad singula (verso ad eum sermone) nunc respondebo.

Primò namque miserrima sermonis balbutie exorditur in hunc modum.

¶ *Cum a. (ut existimamus) non Theologo theologicæ propositæ sint conclusiones quibus responderi expostulat inexigentiales nostræ aliquantulum daturi Responsum*

Præteribo infantissimam sermonis tui barbariem, qua omnes istæ conclusiones tuæ undiq; scatent. Præteribo orthographiæ tuæ innumera vitia. Præteribo ridiculum exordium, quo in ipso portu mox impinguis, & omne quod ad Latinæ linguæ inscitiam, sordidamque structuram attinet, Grammaticorum certamini relinquam. Neque verò de Latina elegantia certandum est cum barbaro, quin potius remittendus est dicendi stylus, tecum disceptaturo. Itaque res ipsas duntaxat examinabo. Primum itaque videris statim in hoc conclusionum tuarum exordio id mihi objicere, quod à Platone aliquando, deinde à Dionysio præceptum legitur, res sacras non nisi à sacris (hoc est, theologicas à theologicis) tractare debere, me verò quem non theologum æstimas, idcirco in prophanorum numero reputas, ac mox sequentibus verbis tuis, inter stultos & insipientes (qui dicunt in corde suo non est Deus) collocas. Ego certè theologi nomen mihi arrogare non ausim, quippe qui non nescio quæ vita, quæ doctrina, quis afflatus theologico nomini debeatur, quod qui verè profiteri debet, aliquid majus homine præstare possit necesse est. Sed ne quis à theologicis tam alienum putet, ut in prophanorum numero reputare meruerim, ipsum unius veri Christi cultus, sacrarumque literarum continua attrectatio excusant. Excusant insuper me, publicæ theologicæ lecturæ meæ, & sacrarum literarum expositiones, & libri editi, variique sermones, & declamationes. Nam anno huma-

næ salutis millesimo quingentesimo nono, ætatis meæ vicesimo secundo primum in dola Burgundiæ publ. lectura sacras literas professus sum, ob quam ab hujus studii doctoribus in collegium receptus, insuper regentia & stipendiis donatus sum, anno autem sequenti, in Britanniam trajiciens apud Iohan. Coletum catholicæ doctrinæ eruditissimum, integerrimæque vitæ virum, in divi Pauli epist. desudavi, & quæ nescivi illo docente multa didici, quamvis apud Britannos longè aliud, & occultissimum quoddam tunc agebam negotium. Ex Britannia autem recedens, apud Colonienses meos coram universo studio, totoque theologico cœtu, theologica placita (quæ vos vocabulo non admodum latino, quodlibeta dicitis) haud non theologicè declamavi. Exinde à Maximiliano Cæsare contra Venetos destinatus, in ipsis castris, hostiles inter turbas plebemque cruentam, à sacris lectionibus non destiti, donec per Reverendissimum Cardinalem sanctæ crucis, in Pisanum concilium receptus, nactusq; si concilio illud prosperasset, egregiam illustrandorum studiorum meorum occasionem, multis scriptis adhuc penes me extantib⁹, sacris quæstionibus operam dedi. Tandem Papiæ Ticinēsi famoso Gymnasio Theologicam cathedram in publicis scholis ascendi. Porrò apud Taurinum gymnasium Theologica lectione in publicis scholis sacras literas publicè interpretatus sum. Reliquum aūt inter diversa scripta mea, extant de sacris literis tractantia opuscula, de triplici ratione cognoscendi Deum, de homine, de peccato originali, de Sacramento matrimonii, cōmentaria in Epistol. ad Rom. commentaria in Trismegistum, placita quædam Theologica & sermones & epistolæ, & pleraq; alia in quibus tamen non inficior multa posse reperiri, sicut & in aliorum Doctorum libris, quæ possint juste culpari, quorū censuram non verebor, sit modo eruditus, & candidi animi, qui ad hoc accesserit, quiq; cognoscere velit, non cupiat calumniari: nec reprehendi verecundabor, siquidem in omnibus non sim assecutus veritatem, humana infirmitate sæpè obstāte. Siquidem in arduis voluisse decorum est: ipsaque veritatis vestigandæ voluntas suam laudem habet. Hæc nunc longiusculè non ad meam jactantiam, sed ideò recitavi, ne quis me ut omnino non Theologum & prophanum judicet, & falcem meam in alienam messem mittere arguat. Si itaq; nunc Theologi sunt, qui (ut Lactantio placet) cum unius veri Dei cultu, veram sapientiam docent, atque meam industriam Deus ipse adjuverit, quod Theologicum aliquid locutus sim, interpretatus

tatus sim, scripserim, disceptārim, declamaverim, jam non ero à Theologico nomine penitus rejiciendus. Quod si illi solummodo Theologi habendi sunt, qui in scholastica palæstra accedente magistrorum nostrorum (sic enim apud eos vocari solent) calculo, magnis contentionibus, amplo fastu, nec immodico symposio, Theologici magistratus coronam ambientes, Scholastici Doctores creati sunt, quemadmodum lignarii, ferrarii, sutores, & cæteri mechanici opifices, artis suæ exercitium, usum ac magisterium, ab artis illius præfectis vel quantumcunq; rudissimis recipere compelluntur. Certè hac lege, neq; Hieron. nec August. nec ullus piscorum illorum sanctorum Doctorum Theologus fuerit: quare nec me inter prophanos numerare necesse erit, nec sacrilegus ero, si absq; scholastico Theologiæ titulo, Theologici studii fructus in alios divisero. Tandem concedas mihi vel invitus oportet, etiam jurisconsultos esse in Ecclesia Christi sacros Catholicosque Doctores, habemus enim & nostros sanctissimos Canones, atque sacros de divinis rebus titulos, de summa trinitate, de fide Catholica, de veneratione Sanctorum, de hæreticis, & aliis fidem nostram concernentibus, quare vel hocipso titulo licebit mihi de hujusmodi dogmatibus commentari. Cæterum nunc quod tuo more ais me proposuisse conclusiones, quibus responderi expostularim, ego articulos nuncupavi, hoc est, propositiones, non conclusiones, proposui autem simpliciter, nullum invitans, nullum expostulans in certamen, sed liberum relinquens, qui eis contradicendo occasionem nobis dederit assequendæ veritatis. Quod cum sic non placeat tibi contentioso Theosophista, qui præter conclusiones & corollaria discernere aliud non novisti, hanc tuam propositionum mearum extirpativam (ut vocas) conclusionem, plenam sceleris & temeritatis, canino stomacho evomuisti, juxta exiguitates tuas (ut ais) aliquantulum daturus responsum, quod non tam simulatæ modestiæ causa, quàm vera abs te dictum est, & eo nomine, quo istæ tuæ conclusiones sunt dignæ.

Sed rursus nunc audiamus te Rhetoricantem, & qua tragica tarantantara in campum istarum conclusionum tuarum descendas, spectemus. Sic namque sermonem connectis.

¶ *Præponere curavimus illud sapientis Proverbiorum 26. dicentis, responde stulto iuxta stultitiam suam, ne sibi sapiens videatur, etsi enim proponenti stultitiæ non ascribam nomen insipientiæ tamen notam non videtur disputaturus aufugere.*

Respondet tibi Græcanicum illud proverbium, Sæpè sanè & stultus vir opportunè dixit. Gloriare tu in sapientia tua, & in scientia tua appone dolorem, & in multo sensu tuo indignationem tuam, libens permitto tibi, ut apud tuos sis vel octavus sapiens, Ego stultissimus sum virorum, & sapientia hominum non est mecum, & juxta Paulum libenter stultus sum, & velut insipientem me accipi volo, ut & sicut insipiens dicam plus ego. Nunc autem oro te (ô sapiens) si tibi malè oleat stultitia mea, cur propositionibus meis, non secundum sapientiam tuam, sed juxta stultitiam meam, & exiguitatem tuam respondes. Dicis fortassis, ne ipsi mihi sapiens videar, si hoc tam magnum piaculum est, cur non veritus es aliud illud sapientis proverbium, ubi ait: Noli respondere stulto secundum stultitiam suam, ne illi similis videaris. Absit ergo à me, ut ego nunc tibi tanquam stulto respondeam juxta stultitiam, sed agam tecum tanquam si sis aliquantulum, licet non nimis sapiens, & juxta illud Salomonis proverbium: Dabo sapienti tibi occasionem, ut addatur tibi sapientia. Quod ut melius efficiam, nescio an modo mihi necessarium sit supercilium, nasusque Theologicus: & obvinctum tot vasciis caput: quodque magistrorum nostrorum (ut vocatis) glossas, postillas, combiblications, resumptiones, reportata, pariter atque pugnantia invicem vocabula, nominalium realium, primarum ac secundarum intentionum, propriarum & impropriarum significationum, implicitorum & explicitorum sensuum, & reliquas scholasticarum nugarum voces scotistarum vel thomistarum spiritu aliquando fuerim edoctus, quodque insuper illorum Doctorum, sanctorum, magnorum, subtilium, seraphicorum, angelicorum, solennium, probatorum, venerabilium, & cætera sexcenta magnifica nomina apud vulgus imperitum, ac aliquot dicaces mulierculas, & harum vocum admirabundos, stupendosque rudes nobiles, jactitare sciam. Sed jamdudum novi hos ingentes montes, non nisi ridiculos mures, vermiculosque parere solitos: Nihil itaque horum hîc mihi necessarium arbitror, nisi tu sis ex illo duræ cervicis hominum genere, qui non nisi ex suis propriis dogmatibus convinci volunt.

Nunc ergo reliquum sermonem tuum discutiamus, quem in hæc verba subnectis.

¶ *Qui antea respondsuros invectivis & denigrativis aggreditur sermonibus quam apparentibus sollicitatus sit argutijs, quod tamen proponentem suis fecisse constas scriptis.*

Et vos

Et vos illi egregii concionatores (ne dicam convitiatores) cur me non sollicitastis apparentibus istis argutiis, priusquam in popularibus concionibus vestris, præter Theologicum decorem, tam amarulentè & sine causa, in Iacobum Fabrum, & in me ut libri sui assertorem, debacchati essetis, nec illud adeò tectis tacitisve nominibus, quin nemo fuerit, qui non intellexerit quos notassetis. Hac injuria provocatus ego, coactusque propositiones illas scripsi, tunc etiam nescius, qui cum de hac re essem disputaturus, quisve illis sese esset oppositurus.

Proinde nunc invectivos illos denigrativosque (ut vocas) sermones subjungens, ais.

¶ *Assiduos enim divini prædicatores numinis quæstuarios clamatores ac insolentiores oblatratores nominas.*

Absit hoc à me, ut divini numinis assiduos prædicatores his coloribus depingam. Ego duntaxat aliquos paucos fraterculos mendicos (tacitis tamen eo loci vestris nominibus modestia mea) qui in templo Dei ab aris è sacro suggesto linguæ telo interficitis animas, quæ non moriuntur, & vestra jejunia venditantes arroditis carnes proximi, illos inquam vos canes nostros, qui in Iacobum Fabrum, & in me oblatrare, mordereque non estis veriti, his titulis expressi. Sed facis tu ut solent mulierculæ, quarum si quam malam quis descripserit, aut laudârit bonam, quicquid hic de una aut altera dictum est, hoc omnium contumeliæ laudive adscribunt. Sic tua sententia omnes ego divini numinis præcones offendi, quia vos ignominiosissimas blacterones notavi, non tamen inquantum divini numinis præcones, sed quatenus inter medias Christianas conciones, semina ingenti zizania, ipsum Iacobum Fabrum Stapulensem, & me pariter, caninis latratibus, voce cantillante, cõmutato vultu, jactatis brachiis, gesticulante toto corpore in histrionum ac circulatorum morem omnia clamorib⁹, miscentes, præter sacerdotalem decorem, postergato Evangelio Christi, contra jus & fas, tam nequiter calumniati estis, ut non auderent similia fecisse Mimi in scenis, non histriones in scortis, non scurræ in castris, quæ fecistis vos fœdissimi Hypocrytæ in Christianis concionibus. Hoccine tu vocas divini numinis præconium, quasi totum hoc sit divini numinis eloquium, quicquid vel absurdissimum nequissimumque cum divino verbo dicam? Ego solos illos divini numinis præcones revereri ac venerari didici, qui nos Christianissimum nõ verbo solum vel clamore, sed opere, facto, & exemplo erudiunt, illos

autem (nos inquam) garrulitatis congestores, quid refert vocare clamatores. Cæterum autem, quod te urget, ipsum est, quia quæstuarios vocavi. Scio ego avaritiam vestram tam tenerem & vel cœlo ipso impassibiliorem, ut quæcunque convitia libentius ferre possetis, præterquam ubi hæc tangitur. Sed audi & hujus vocabuli rationem. Ego vos in Evangelium Christi Ecclesiæque administrationem, segregatos nō esse, non nescio, nisi quod de Pontificum indulto, & prædicandi officio, & confessionis audiendæ. & sepulturarum, ac similium in ecclesia munerum exercitio, vos ingeritis quæstus caussa. Quod si non pecunias, sed paupertatem hujusmodi contiones & ministeria vobis afferrent, jam non tot auxesibus tonaretis in Ecclesiis, populum ipsum tot prodigiosis purgatoriorum fabulis, tot apparationum portentis, tot indulgentiarum nundinis, tot eleemosynarum monopoliis, & quæstuariis legibus, vobis alligantes obnoxium, non vulturum more præsentientes divitum cadavera tanto astu circumveniretis, non secreta illa admissorum confessione plusquam phalaridis tyrannide in rudes populos grassaris, cujus si qui sunt sibi male conscii, hos quo magis arrodendo perplexos redditis, eo major offa, & vel male partorum portiuncula in os objicitur, vel si portentosa aliqua fabula egregie palpati sitis mulierculis, vel alia quavis tragœdia minisve terrueritis, eo plus lucri in sinum effunditur. Nam ubi semel fueritis reatuum ac turpitudinum conscii, ea occasione quis ignorat vos sæpissime extorquere à confessis, quodcunque libet? Sciens illa & expertus loquor, non tamen de omnibus, sed de pluribus, qui cum paupertatem voverunt, vincuntur avaritia & rapacitate, & eleemosynas convertunt in cēsum, ut non aliam ob causam sua semel profudisse videantur, quam ut impudenter mendicent aliena, illud præterea dixerim, non posse cogitare me, viam aliquam faciliorem, fallaciorem, callidiorem, secretiorem, ad quæstum, ad lucrum, ad opes, ad divitias facile comparandas, quam ejusmodi indultis, hanc ociosam mendicitatem vestram adjunctam, si quis velit abuti. Hæc ad præsens me dicere coegisti, quamvis inter edendum propositiones meas non erat hæc mea intentio sed alludens vocabulo, quæstuarios nuncupavi, quo vos de mendicantium sectis denotarem, videlicet qui quæstum facitis spontanea mēdicitate. Quorum tamen ordini sic ego unice bene volo faveoque, ut cuperem vobis longe melius opulentissimeque provisum esse, quam quod cogamini hac humilima mendicitatis sorditie, in omnibus diversoriis, domibus, navibus, littoribus, itineribus,

itineribus, & (ut breviter expediam) quibusvis locis sic hominibus obturbare, & præ foribus magno mugitu panem quærere. Quod quam religiosum, quam Catholicum, quam Evangelicum sit, meum non est ad præsens disputare, vos ejus rei rationem reddideritis, vel æterno judicio.

Tandem nunc ad convitia te convertens ais.

¶ *Eorum forsan invidēs clamoribus quoniam eum dominus clamore tali non fecit dignum, utpote à quo clariorem & si admodum patrono nec sciam abstulit vocem.*

In hoc te egregium Theologum præstare arbitraris, quod sub lingua tua posueris laborem & dolorem, ac me tam subtiliter figuraliterque momorderis. Possem & ego his convitiis convitia rependere. Sed non invideo vobis, sicut nec mihi cupio hanc claram vocem, Rhetoricosque clamores, rem apud vos adeo arcanam preciosamque, ut eam fraterculus fraterculo, non nisi me cabalarum more, tacita voce, ac hieroglyphicis notis, per manus tradat, quam me ut indignum prophanumq; fas non est cognoscere, vel ideo quod hanc vociferandi artem (meo judicio histrionum ac circulatorum rhetorismo haud adeo absimilem, à quibus etiam nec vita nec moribus, sed veste tantum differtis.) Quintilianus & Cicero in suis præceptis non tradiderunt.

Cedunt Grammatici, vincuntur Rhetores, omnis
Turba tacet, nec causidicus, nec preco loquetur.

Tandem valent in clamando (debui dicere declamando) fraterculi, ut ubi semel cœperint partiri digitis causam, & syllogismorum suorum majores, minores, conclusiones, corollaria, & sequelas explicare, ac vocis contentione vel in re frigidissima utrumque ferue scere, vel etiam si opus non est ex semisilentio repente exclamare, gesticulari, saltare: digladiari, ac plureis vultus induere quam Argus habet oculos, non mirum si auditores omnes Niobæ similes fiunt, vel ac si Medusæ caput conspexerint.

Iterum nunc ad oblatrationis vocabulum ecspitando subinfers.

¶ *Oblatratoribus autem detrahens, quia forte timendum ne in suos minus religiosos obiurgati sint mores.*

Homo ego sum peccator & in multis reprehensibilis, esto tu de nonaginta novem justis, qui pœnitentia non indigeas, esto Pharisæo illi similis, qui non est sicut cæteri hominum, si modo hæc Pharisæorum hypocrisis te promoveat ad salutem. Impone onera gravia in humeros populi, corrigere mores, ar-

gue peccata, & carpe etiam minimam festucam in oculo fratris tui. Esto vel tertius Cato è cœlo demissus morum censor, propter omnia hæc non detraham tibi, quod oblatres. Sed oblatrator diceris, quia propria & sanissima Christi doctrina, in Christianis concionibus, impudentissimis convitiis in probos viros oblatrasti, & Evangelium pacis convertisti in scandalum proximi. Quia fraternam charitatem mentiris sub cuculla, intus rabidum occultans canem, & postica sanna Theonino dente genuinum infigere conatus es in noxiis. Quia Theologico titulo te traduci posse confidis, cum ab orthodoxa sapientia longe aberrans, pro veritate ipsa quascunque vel ineptissimas opiniones tibi delegeris, & hoc ipso te verum Theologum agere ratus, si illas magno animo mordicus retinens, pro illarum incolumitate, Christianæ charitatis immemor, irreconciliabile bellum, immortaleis lites, & inimicitias contentionesq; esse velis. Ego vero ut fatear, contentiones inter Doctores intervenire, quandoque necesse est & utile, si modo servata Evangelica modestia pro veritate ipsa invenienda tuendaque, non pro humanis opinionibus confligatur. Ideo in præfationis propositionum mearum fine, hujus sententiæ suis verbis commemini, quæ cum non sapiat tuo palato illam transiliens exordii tui finem facis in hæc verba.

¶ *Missa tamen ista facientes dignum duximus unicam omnium suarum extirpaturam in hæc verba proponere conclusionem.*

Rectius quis illam vocaret turpem confusionem, tam futilibus verbis, frigidissimis sententiis, puerilibus argumentis, illâ eructasti, nullo (juxta propositionum mearum numerum) servato ordine, sed hac illacque turbata mente prosiliens, nusquam tibi cohærens, ut revera nihili fecius facienda sint hæc tua scripta; quam ac si brutum aliquod illa egessisset.

At nunc videamus quo classico edicto, quibus machinis, quibus comilitonibus, qua acie, quibus ducibus, in hanc pugnam descendas. Primum siquidem in hunc modum buccinaris.

Personas, & vastis implet mugitibus auras.

¶ *Asserens beatissimam Annam solinubam impie sentit asserens autem eandem ex tribus maritis tres concepisse Marias manifestam dicit veritatem in publica concione prædicas vere populum instruit verbum divinum ædificat & nullatenus scandalizat.*

Est hoc Theologum agere, an ne sycophantam potius, quod primam illam propositionum mearum, tam nequiter dissimulas? Prædicastis nuper nequissimi hypocritæ fidem Catholicam,

licam, Christianamq; Ecclesiam, constanter affirmare, beatissimam Deiparæ virginis matrem Annam fuisse trium filiarum ex tribus maritis puerperam, hoc ego dixi falsum manifestum, mendacium notorium, seducere populum, adulterari verbum Dei, subjungens quoniam res illa fidei non sit, nec ecclesia circa hanc quidpiam determinarit. Dic tu modo, an non etiam prope hæreticum est, illud quod nondum ab ecclesia definitum est, pro definito prædicare, & totis viribus tutari, illiusque contrarium censere impium & hæreticum, quod ab omni fidei, sacramentorum, ecclesiæque offensa est omnino alienum? Imo quincunq; dicit aliquid esse de fide, quod non est de fide, & qui dicit aliquid esse contra fidem, quod non est contra, is de fide non recte sentit, nec loquitur veritatem, ac hæresi proximus est. Nam in Deuteronomio præcipit Deus, non addetis ad verbum, quod ego loquor vobis, neq; minuetis ab eo. Verum tu hanc invincibilem propositionem meam dolo malo dissimulans opinunculam tuam, (licet falsissimam) dùtaxat mordicus tenes, illam vocans manifestam veritatem, divini verbi institutionem, ædificium populi, & nullius scandali.

Exinde nescio quo spiritu nequam arreptus, contra decimam propositionem meam (cæteras interceptas cæca mente prætereundo) aciem dirigis, & ad illam te paras multis copiis expugnandam.

Nulla tibi similem mortalis protulit ætas
Ordine qui Martis turmas equitemq; locaret.

Primum distributis legionibus, ac distinctis alis, scilicet conclusione tua scholastico more prius frustulatim discerpta, dextro cornu Hieronymum, sed truncum sibique multo dissimilem, his verbis producis.

¶ *Hæc conclusio pro prima sui parte probatur ex beatissimo Hieronymo contra eluidium dicente in forma, restat ut Maria, quæ Iacobi minoris scribitur mater uxor fuerit Alphei quam Mariam Cleophæ Ioannes Evangelista à patre nominat.*

O astutissime sycophanta, quis te docuit sanctos patres falso producere? quis te erudivit hoc subdolum allegandi genus, ita videlicet tria vel quatuor verba decerpere, quæ pro tua opinione firmanda facere videntur, eaq; nuda, cæteris suppressis? Num hoc didicisti ab Aristotele quopiam in fallaciarum cautelis? Num à propria tua malevolentia, an potius à serpente illo, qui docuit primos parentes scire bonum & malum, vel à diabolo illo, qui tentans Christum in deserto, illi quosdam nonagesimi Psalmi detrũcatos versiculos allegavit?

Redda-

Reddamus ergo nunc Hieronymo, quæ Spiritus nequam per te detruncavit, & integram ejus sententiam producamus, moxque palam apparebit, hęc dicta tua non nisi bullatas nugas esse, nec omnino aliud præter verborum strepitum, & ut proverbio dicitur:

Nil intra est oleam, nil extra est in nuce duri.

Verba Hieronymi hæc sunt: Restat conclusio, ut Maria ista, quæ Iacobi minoris scribitur, fuerit uxor Alphæi, & soror Mariæ matris Domini, quam Mariam Cleophæ Ioannes Evangelista cognominat, à patre, sive à gentilitate familiç, aut quacunque alia de caussa nomen imponens, si autem hæc tibi alia atq; alia videtur, quod alia dicatur Maria Iacobi minoris mater, & hæc Maria Cleophæ. Disce scripturæ consuetudinem, eundem hominem diversis nominibus nuncupari. Et paulo infra ait: Verum in hac parte contentiosum funem non traho, alia fuerit Cleophæ, alia Maria Iacobi & Iosephis, dum constat non eandem Mariam Iacobi & Iosephis esse, quam matrem Domini. Hæc cum legisti cur truncatis multis, illum Hieronymi locum in beatissimæ Annæ contumeliam adduxisti, & sanctum virum hocipsum asserere, contra Christianam modestiam tam impudenter mentiris? Quod ipse triplici distinctione tam leviter transit; etiam de hoc, an eadem sit Maria Cleophæ, atque quæ Iacobi & Iosephis mater, adhuc vacillans, utrumque tanquam extra propositum suum sub ambiguo relinquens, dicensque se de his non contendere omnino, nisi illud tantum niti, videlicet ostendere Mariam Iacobi & Iosephis non esse Mariam virginem. Tu vero, qui ex his Hieronymi verbis tuum illud jam superatum mendaciorum aggerem instruxisti satis prodis te hanc conclusionem tuam, non ut probum virum & Theologicum disputatorem decet, amore veritatis investigandæ, sed canino odio, & animo adversandi, mordentique studio, scripsisse. Non tibi proposuisse pro fine honorem sanctissimæ Annæ & virginis Mariæ, sed propriam gloriam, vel ex falsis literis, seu quovis scelere partam. Non veritatem, quæ Deus est, sed creaturam, videlicet humanam victoriam, & illam per fraudem, falsificium & mendacium, ut videlicet apud eos, qui ignorant te falsa allegare, ob Hieronymiani nominis reverentiam, puteris vera defendere: & licet nihil rectum dixeris, ob tantum testem vicisse crederis.

Quod autem annectis dicens:

¶ *Item idem Hieronymus in eodem passu ipsam Dei materteram prædicat, ex quo patet hanc Mariam Cleophe sororem fuisse beatissimæ vir-*

mæ virginis à Cleopha patre, quod si soror sit, & impium sit somniare beatissimam Annam, quando & fornicasse dicendum constat hanc secundo fuisse desponsatam marito, & ex consequenti non solinubam forsan dicent respondens hanc Mariam Cleophæ à beatissimo Hieronymo sororem dicit beatissimæ virginis non uterinam, sed more scripturæ, quæ propinquas sorores appellat hoc manifestè repugnat intentioni eius per hoc nititur ostendere Hieronymus Iacobum non esse filium virginis, si autem hæc nomina soror filius & pater improprie accipierentur nihil ex hoc contra eluidium posset inferri, ideo necessario dicendum est, quod hæc nomina soror filius & pater proprie accipienda sint.

His dictis tuis satis ostendis te librum Iacobi Fabri Stapulensis de tribus & una attente non legisse, eo quod has ratiunculas ibidem jam dudum rejectas, dilutas, ac dissolutas, rursus hic ut novas integras & intactas cæca tua malevolentia reproducis. Lege Hieronymum puris oculis, ac libero animo, tum cognosces, quomodo hæc nomina pater, filius, frater, soror, matertera, sunt intelligenda. Nam ipse ait: Restat ut juxta superiorem expositionę fratres eos intelligas appellatos cognatione non affectu, non gentis privilegio, non natura. Ad quod præmisit, inquiens: Porro cognatione fratres vocantur, qui sunt de una familia, id est, patria, quas Latini paternitates interpretantur, cum ex una radice multa gentis turba diffunditur. Simili ratione exponit Hieronymus hæc nomina filius, pater, ubi ait. Ad calcem venio & te cornuta interrogatione concludo, sicque tecum agam, quasi superius nihil egerim, eodemque modo dictos esse fratres Domini, quo Ioseph dictus est pater. Et paulo infra subnectit: Responde mihi, quomodo Iesus sit filius Ioseph, quem constat de Spiritu sancto procreatum. Vere Ioseph pater fuit, quamvis sic hebes dicere non audebis, an putabatur? eodem modo æstimentur & fratres quo æstimatus est & pater. Hac ergo Hieronymiana exponendi formula corroboratus, respondeo tibi ipsam Mariam Cleophę, sic à Hieronymo dici materteram domini, quemadmodum & beatissimæ virginis soror nuncupata est, videlicet non sanguine, sed affinitate.

Sed longe difficilius negocium nunc mihi incumbit, nam titanas vocas, & magnis gigantum (dico doctorum tuorum in quibus plusquam in Hieronymo tibi sciolus videris) corpus me aggrederis, ac explicatis pilis, & pansis aquilis, illis edicis, signa sequantur.

Aig. animos apcent armis, pugnæq; parent se.

Illosque

Illosque pulchro vinculo Hieronymo connectens ais?

¶ *Iem ne solus videatur contra eum militasse Hieronymus in medium sese offert glossa interliniaris super illo Matth. 13. nonne & mater eius dicitur Maria & fratres eius Iacobus & Ioseph aii enim fratres, id est, cognati more scripturæ, item super illo Marc. 6. nonne hic est faber filius Mariæ frater Iacobi aii super verbo frater, id est cognatus. Nec minus offert sese Hugo Cardinalis S. Sabinæ totius Bibliæ postillator eximius super illo Iohann. 2. ubi dicitur descendit in Capernaum mater eius & fratres eius ait enim fratres, id est cognati. Item & postillator super eodem passu dicens: dicuntur hic fratres eius cognati eius, & ne de cognatis remotioribus hæc dicta existimentur habet in forma postillator præfatus, dicuntur autem fratres Christi, quia cognati eius Germani. Idem sentit in forma postillator ipse super primo Matthæi responsurus impie hæresi eluidij. Quod si propter duos quos allegat Doctores Egesippum & Eusebium, quem alius errasse constat, ut post hæc ostendemus nostrum contemnat Hieronymum glossam interliniarem Hugonem Cardinalem & Postillatorem, qui omnes probatissimi Doctores censentur nec Egesippo aut Eusebio apud Theologos minores alios in medium adducemus secundam probaturi partem, quæ talis est Beatissima Dei genitricis Anna mater Marias tres ex tribus concepit maritis pro cuius probatione multiplices & probati concurrunt Doctores. Primus occurrit Petrus comestor, qui Evangelicam describens historiam beatissimam Annam trinubam asserit in hæc verba Anna mortua Ioachim, de quo susceperat virginem Mariam, data est in uxorem Cleophæ, à quo susceperam filiam vocatamq; Mariam dedit in uxorem Alpheo, de qua nati sunt quatuor consobrini Domini Iacobus & cæteri sequitur mortuo Cleopha Anna nupsit viro tertio, videlicet Salome susceptamque ex eo filiam sicut & cæteras vocavit Mariam, & hanc duxit Zebedæus, habuitque ex ea filios Iacobum minorem & Ioannem, hunc ordinaria subsequitur glossa sub hoc verborum textu sciendum, quod Maria mater Domini Ioachim & Annæ filia fuit, quæ nupsit Ioseph mortuo autem Ioachim Cleophas eandem Annam accepit uxorem, genuitq; ex ea filiam, quam vocavit Mariam, quæ nupsit Alphæo. & genuit ex ea filios, &c. subdit autem mortuo Cleopha quidam Salome eandem Annam duxit, & genuit filiam ex ea nomine Mariam, quæ nupsit Zebedæo. Idem sentit Doctor Angelicus super Epistolas Pauli dicens: Anna mater beatæ virginis primo nupsit Ioachim, ex quo peperit Mariam matrem Domini, quo mortuo nupsit Cleophæ, ex quo peperit Mariam Cleopha & ex hac natus est Iacob. quo mortuo nupsit adhuc tertio, qui dictus est Salome. Idem tenet dominus Anthonius Archiepiscopus Florentinus in forma, cuius textum brevitati studentes omittimus parati, ut libuerit ostendere. Idem & dom. Petrus de natalibus, de Venetiis, Episcopus*

Episcopus Equilinus sub hac forma Anna mater gloriosæ virginis tribus viris successive nupta fuit, primus fuit Ioachim secundus Cleophas tertius Salome ex primo Mariam virginem genuit ex secundo alteram nomine Mariam, quæ nupta Alphæo quatuor filios edidit Iacobum, &c. Ex tertio filiam nomine Mariam, quæ nupta Zebedæo duos filios parturivit.

Mirum quam efferas cristam, quam alte reboas, de tanta Doctorum tuorum multitudine gloriabundus, illorumq; farcimine usq; adeo inflatus, ut periculum sit tibi, ne tanquam Aesopica rana médius disrumpare. At nunc ne tanquam perterritus terga dare videar, illos tuos Doctores, qua decet reverentia hilari fronte excipiam: Dico igitur primum de Hieronymo, illum pro te nihil efficere, quod jam satis ostensum est, & me illum Egesippo, Eusebioq; in mysticis sacrarum literarum expositionibus longe præferre, sed non in recitandis veterum gestis & historiis. De reliquis autem apud conteosophistas tuos probatissimis Doctoribus, quos ex Scholastica Lucana in hanc arenam producis, videlicet glosiatores, postillatores, tua sententia Hieronymo pares, Egesip. & Euseb. non minores? nemini dicto viro dubium, illos in hac re penitus exautoratos esse, nec plus vocis habere, atque βάτραχος στρίφιος, eo quod antiquitatum ignari, & linguarum imperiti, Evangelium sæpe clausis oculis interpretantes, suæ tempestatis protritas vulgi fabulas secuti sunt. Non tamen inficior esse illos probos viros, & Catholicos Ecclesiæ Doctores, sed ob tenuitatem doctrinæ, eruditionisque inopiam longe infirmiori gradu, atque loco sepositos, & in minori precio habendos, quam Egesippum & Eusebium (quos tu ideo non habes in precio, quia non didicisti, nec intelligis) quibus in recensendis historiis plus fidei est, quam illorum tuorum recentiorum sexcentis: quorum musta facile contemnit, qui priscorum illorum vetus vinum cum suavitate bibit. Nihil enim de antiquitatum historiis probant recentiores, & ab illarum temporibus remotissimi Doctores. Itaque facile contemno ac refello, quos tu tam magnis mitris producis. Hugonem Cardinalem, Anthonium Archiepiscopum, Petrum de natalibus Episcopum, insuper & Petrum comestorem. & Doctorem Angelicum, quibus (scio) & alios innumeros addere posses, si omnes neotericorum concionatorculorum sordidos commentarios, sermones, summulas, collectanea, reportata, & dictionarios recensueris. Mirorque non modicum, quod vastum illum coarcervatorem Vincentium cum suo speculo, & illum chronicarum supplemen-

http://rcin.org.pl/bc/Repozytorium Cyfrowe Biblioteki Uniwersytetu Warszawskiego

plementorem, illosque vocabulorum latrunculos Mammatrectum, Græciſtam, Catholiconem, in hunc exercituum tuum non vocaveris. Sed ne ob tantam Doctorum tuorum congeriem glorieris, & petulanter inſolescas, contra vetuſtiſſimas traditiones majorum, ſequentes regulas illis pro vallo ac muro, clypeique opponam. De his quæ ad hiſtoricam veritatem pertinent illis authoribus absque repugnantia credendum eſt, qui narratorum temporibus, locis, geſtis, perſonis, fuerunt præſentes, aut vicini, ſeu memores, vel hiſtoriam ſuam ex antiquioribus probata fide exceperunt. Cum itaque olim ſacerdotes eſſent publici notarii rerum geſtarum, originum, annaliū, & temporum, quorum ſcripta publica fide in Bibliothecis & archivis ſervabantur. Quemadmodum de hoc in Eſdra legitur, quod controverſiæ de templo reparando definiebantur ex annalibus Perſarum ſervatis in Bibliothecis. Idem his maxima fides habenda eſt, qui fuerunt rerum geſtarum præſentes publici notarii, vel qui ex antiquioribus notariis hæc publica fide exceperunt. Sicut & hodie publicum & probatum dicitur inſtrumentum, quod à notario per alium poſteriorem notariū bona fide traducitur. Ita ſemper ab antiquo in monarchiis Perſarum, Medorum, Aſſyriorum, Græcorum & Romanorum, præcipue ſervatum eſt. Et in prima eccleſia, ab ipſis Apoſtolis, eorumque ſucceſſoribus, ſemper aliqui publicæ authoritatis notarii deputati ſunt, qui publica fide Evangelii eccleſiæque texerent hiſtoriam. Hæc imitatus Fabianus Papa ſeptem creavit collaterales, qui exinde vocari cœperunt cardinales, quorum ſinguli præeſſent ſeptem notariis, qui geſta ſanctorum martyrum fideliter ſcriberent: Fecerunt idem Marcellus Papa, & Sylveſter primus, quæ deſcribendarum hiſtoriarum leges, ritus, & mores, ſi adusque hæc tempora perduraſſent, minus haberetur in Eccleſia inanium fabularum & contentionū. Quare in primos fontes, ad vetuſtiſſimos ſcriptores, penes quos eſt inviolata veritatis fides, ſemper recurrendum eſt. Inter quos eſt Euſeb. unus omnium præcipuus, qui omnem hiſtoriam ſuam (ut ipſe fatetur) ex Clementi Alexandrino, ex Egeſippo, ex Irenæo, ex Theophilo, & ex aliis plerisque publicis & Apoſtolorum tempori proximis ſcriptoribus deſumpſit: ideoque ſine controverſia in Eccleſiaſtica hiſtoria ab omnibus recipitur. In Chronographia autem, hoc eſt, de temporibus, quoniam nullus recipitur, niſi quatenus concordat cum monarchiarum annalibus, iterum recipitur Euſebius in temporibus Aſſyriorum, præcipue à Nino usque ad Sardanapalum, in tem-

in temporibus autem Perſarum rejicitur, ut in multis ab illorum annalibus devians, reaſſumitur iterum in temporibus, Græcorum Regumque Aſiæ & Syriæ, in temporibus Romanorum, quorum annales fideliter digeſſit. Contra hunc junioribus ſcriptotibus, quibus hæc ſunt adventitia, nova, & à vetuſtate nimis remota, in quibus non perſeverant priſcæ literæ, & ſcribendi mores, ritus, ſtudia, leges, nili veterum inviolata teſtimonia, validiſſimasve rationes, bona fide produxerint, illorum fidei non ſatis tuto acceditur, & dicta illorum invalida ſunt, ut à quibus neque argumentum, neque auctoritatis ullum ſuffragium ſumi poſſit. Similiter qui non ſecuti doctrinam majorum, ſolo auditu, vel per populares errores, & nullo certo auctore apocryphas, vel privatas opiniones ſcribunt, nullo modo ſunt recipiendi, niſi ubi a publica fide non diſſentiunt. Qui verò adeò indociles ſunt, quod antiquioribus de antiquitate credere nolunt, ſed contra antiquiorum traditiones de rebus geſtis ac hiſtoriis altercando, quæ ſibi videntur placentve utcunque pertinaciter defendunt, hi eadem facilitate contemnendi ſunt qua contendunt. Et ex horum numero ſunt plerique juniores, hiſtoriarum & linguarum ignari, quorum commentaria ſuper Bibliam cum legimus, ipſa ſacra ſcriptura illorum futilibus quæſtiunculis ac impiis litigiis, tam dubia & incerta redditur, ut illorum commentis etiam ipſa (quæ ut ait Paulus ad Hebræos manifeſta eſt) Chriſti genealogia, irriſioni pateat Iudæis. Cujuſmodi inſolentes ſophiſtæ, cum ipſi regiones & loca quæ divinæ literæ commemorant ex Coſmographia non didicerunt, gentiumque ritum, origines, inſtituta, & cultum ex hiſtoriarum ſcriptoribus non cognoſcunt: rerum autem naturalium (quarum maxima copia in prophetis, atque hinc inde in ſacris literis mentio eſt, & ex quarum proprietate ſæpè myſterii intellectus dependet) cognitione penitus careant, ſola dialectica freti ſe ſatis eruditos putant, ſi de quavis re ſyllogiſmum in barbara aut baroco connectere ſciant. Quod ſupereſt linguarum ignari, ſacra vocabula ex ſordido aliquo vocabulario requirunt, hinc cæcutiunt, balbutiunt, impingunt, collabuntur ſæpiſſimè.

Delphinum ſylvis appingunt, fluctibus aprum.

Atque omnibus eruditis viris ſe præbent ridendos atque deſpiciendos. Admirandum tamen eſt, atque vix credibile quantas mendaciorum nebulas ejuſmodi nebulones ſæpè induant, quantas fabulas imperito vulgo creduliſque mulier-

culis persuadeant, si modo illis argutiarum coloribus sic pulchrè adornatis accesserit simulatæ religionis lenocinium, fictæque sanctitatis artificium: quo nos tam sancta specie, tam simplici cultu, tam humili apparatu, deludunt, ac si non possint malefacere. Hypocrytæ, sepulchra dealbata, serpentesque, genimina viperarum, fermentum in massa, vel messis habens colorem, tersi calices, lupi sub vestibus ovium, senes Susannæ, Beli sacerdotes, dummodo in habitu, in forma, in incessu, in voce, in oratione, in lectione, in sermone, in taciturnitate, in gestu, in cæremoniis, se plus quàm sanctos ostentant. Sic enim etiam integri doctores ac timoratæ conscientiæ viri, ab his falsis fratribus, diabolis incarnatis, sub specie angelorum lucis sæpè eluduntur. Quod ita aliquando contigisse constat Augustino sanctissimo veritatis amatori, cui similis quispiam veterator, superstitiosam illam fabulam de duobus spurinis (altero in vitam redeunte altero decedente) tanta cum fiducia persuasit, ut ipse gravissimus pater & acerrimus mendaciorum hostis, hanc fabulam ut rem suo ipsius tempore gestam, pro vera narraret historia. Quam tamen Lucianus ethnicus multis annis antequam Augustinus nasceretur lepidissimo dialogo recitando derisit. Quicunque ergo falso de more suo delirantes fabulas & errores adinveniendo quæstus & lucri causa (peculiari multorum cucullionum morbo) corrumpunt publicam & privatam fidem, certè hi non nisi nequissimi sunt. Ejusmodi namque nebulonibus debemus. Legendas quasdam sanctorum, ut Christophori, Georgii, Bartholomæi, Bernardi, Barbaræ, Annæ, undecim mille virginū, & quorundam aliorum, in quibus longè plus est fabularum quàm Christianismi. Tum hymnos quoldam & cantica & pleraque officiola, quæ nemo pius vir & eruditus legat sine nausea & dolore. Atque utinam tantum otii esset ecclesiæ prælatis de hisce rebus aliquando salubriter disponere. Reliqui autem quicunque (alias venerandi doctores) qui inter exponendum sacras literas historiarum incurioſi, ubi aliquid inciderit, suæ tempestatis secuti sunt fabulas, quas vel tales à pueritia imbiberunt vel apud alios alicubi lectas tanquam pedarii senatores pedaria sententia confirmârunt. Illos ego, sicut in illis nullatenus duxi recipiendos, ita nec in aliis contemnendos censeo. Quia institutum eorum est sapienter interpretari fidei mysteria, & de pietate in Deum proximumq; rationem reddere, non personarum, aut temporum, aut locorum, aut gestorum historiam docere. Non docebit ergo tam rigi-

rigidos in illos esse censores, atque adeo Areopagitas, ut non liceat illis etiam vel septies septem inceptias condonare, modò adit pertinax contentio, libidoque rixandi contra rectius sentientes: sintque parati meliora semper sequi, si quis adferat. Hæc modo tibi reddita sint, pro nostro Egesippo & Eusebio, ad tuos glossatores, postillatores, comestores, cæterosque tuos scholasticos doctores, quos tam magnis calceis ac Herculeis cothurnis indutos conduxisti, nisi forte ex illo pertinaci sophistarum genere sis, qui nullas rationes, nullas leges, nullas regulas, nullosque authores recipiunt, nisi quatenus faciunt pro se.

Sed nunc ad ulteriora procedamus, ipsamque molinariam beluam rursus audiamus sua verba rudentem. Ita namq; subjungis, dicens:

¶ *At ubi tanta allegantis fuerit pertinacia ut horum auctoritati credere noluerit super his probatum Romanæ ecclesiæ ritum in medium adducimus tres marias ad præsens usque tenentis non ab improbis ut præsumptuose facior moia doctoribus sed à viris sanctis scientia & moribus plurimum approbatis.*

Non te pudet sanctissimam Christi ecclesiam, fidei matrē, doctricem veritatis, facere magistram erroris, eo quod plerique scholastici doctores in legendis veterum historiis negligentes, & sacrarum linguarum ignari, contrariæ auctoritatis nescii, aliquid sibi sic esse persuadeant, ut à suis contemporaneis audiverunt declamari, vel cani in ridiculoso aliquo officiolo, ab imperitissimo quovis ludimagistro, futili rithmo composito? Cujusmodi quidem multa tolerat ecclesia, quæ tamen ipsa neque sanxit, neque approbavit, quorum usus etiam quantumcunque illorum doctorum virorum consensu introductus, ac longo tempore toleratus sit, contra majorum scripta nihil habet momenti. Non ergo ritum ecclesiæ, quæ est sine ruga & macula, ego offendi, nec ejus ordinationem impugno, sed tu qui illam clypeum facis erroris: atque id ecclesiæ ritum ordinationemque vocas, quod ecclesia ipsa neque cognovit neque probavit. Dic quæso ô technologe, quis est iste probatus Romanæ ecclesiæ ritus, quem in mediam aciem productum tantopere ostentas? quis illud quod tu ecclesiæ ritum vocas approbavit, tuine scholastici doctores? Certè non quicquid commentatores, glossatores, interlineatores, postillatores, comestores, & ejus generis doctorculi, è suo cerebro congerunt, is protinus ecclesiastica auctoritate

probatus ritus est. Nam ecclesiasticam autoritatem August. (scribens Ianuario) plenaria concilia & universalis ecclesiæ traditiones appellat. Profer ergo nunc, qui sunt isti (quos dicis) viri sancti, scientia & moribus plurimum approbati, num prophetæ? num Apostoli? num Evangelistæ? num vetustissimi aliqui sanctarum historiarum sancti scriptores? num synodus aliqua, aut generale concilium? num ecclesiastico canonicoque decreto aliqui summorum pontificum, qui comprobarint Annam Cleophæ & Salome secundo & tertio nupsisse, atque ex illis maritis duas illas filias beatissimæ virginis (ut ais uterinas sorores) concepisse & peperisse? Non certe, sed glossatores, interlineatores, postillatores, comestores, catholicones, & ejus generis fraterculi, quos qui sequuntur, decipiuntur ab his qui fuerunt decepti. Nam qui vetustarum literarum sacrarumque linguarum sunt ignari, illas opiniones sequuntur, quæ in publicum usum quovis modo irrepserunt, quos cum alii innumeri ejusdem farinæ homines sequuti sunt & quotidie miserè sequuntur, idcirco tu ejusmodi usitatas opiniunculas, ecclesiasticæ tribuis auctoritati. Ad quod tibi facilè respondeo, permultum interesse, inter diuturnam consuetudinem, & usum ecclesiasticæ aliquid tolerantem, & inter ecclesiæ auctoritatem aliquid certa definitione determinantem multumq; interest inter veteres historiarum sanctos scriptores aliquid suorum vel vicinorum temporum narrantes, & inter recentiores scholasticos doctores aliquid suo cerebro opinantes, frigidissimisque conjecturis contendentes. At tu nunc mihi vel unam profer synodum, seu quovis minus synodo pontificium decretum, in quo sit hæc tua opinio approbata. Scio quia objicies mihi ecclesiasticum officiolum, illud scilicet ecclesiæ ritum vocans. Resilio rursus, & illud inefficax neque auctenticum dico. Quoniam ecclesiastica officia de integritate ecclesiæ substantiaque comprobantur non esse, sed pro cujusque temporis, loci, personæ, diocesis, antistitis, & vulgi etiam devotione irrepserunt, quorum insuper plura à mulierculis, multa à laicis, alia à quibusque ludimagistris & cucullionibus, secundum proprium sensum, absque ecclesiastica scientia sunt composita. O quanta canuntur & leguntur in ecclesiæ officiolis, quæ omninò sunt vana, ficta & falsa, ut locustas ex ovibus, saxeum pastorem, ovem in prædonis ventre balantem, redivivum ex mortuis asinum, & alia innumera, ut vix sit ulla martyris aut virginis legenda, cui non piè aliquid admenutum sit, vel à vafris pessimisque nebulonibus, vel à quæstuariis

stuariis fraterculis: quibus studium est, ex incauta simplicium affectione lucrū capere, quoties ab hujusmodi, aut anus quædam delira lachrymatur, aut alius quispiam pavidus inhorrescat. At nunquid hæc omnia approbavit ecclesia? non certè. Quamobrem quas vetustissimi sacri scriptores divinitus corroborati nobis commendāt historias, eis indubitata fides habenda est. Iuniorum verò contraria commenta, non nisi cautè & cum judicio ecclesiæ recipienda sunt. Accedit ad hæc quæ dicta sunt de officiis, quod pleraque leguntur in illis quorum ecclesia tenet credatque oppositum, è quorum numero est illud de assumptione beatissimæ virginis, quia multi nostrorū dubitant utrum assumpta sit simul cum corpore an abierit relicto corpore. & infra: veruntamen quid horum verius censeatur ambiguimus. Hæc in hodiernum diem canuntur, quæ tamen decreto atque determinationi Romanæ ecclesiæ repugnant. Simile huic canitur in divinæ apparitionis celebritate ex quadam Gregorii Homilia. Pastoribus in Iudæa angelus apparuit, quia Iudæis tanquam ratione utentibus, rationale animal, id est, angelus prædicare debuit: tamen ecclesia id neque probat neq; recipit, & omnis schola vestra tenet & asserit hujus Platonici dogmatis oppositum, videlicet angelum animal rationale non esse, juxta illud Evangelium: Spiritus carnē & ossa non habet. Insuper ecclesiasticum officium multa continet incerta & dubia, quale est illud, quot fuerint magi illi qui Christo infantulo obtulerūt munera. Quamvis mea Colonia cum usitato officiolo tres solum nominatim numerat, prædicat, & colit, veruntamen circa hæc & horum similia nihil reprehendo, nisi illa per antiquioris scripturæ testimonia evidentioraque argumenta refellantur. Sed illud dico, apocrypha & incerta, & quæ contra antiquorum scripta, & doctrinam majorum, præter ecclesiæ definitionem introducta sint, sibi ritum ecclesiæ ullo tempore præscribere non posse, nec ecclesia illa tolerando prohibet de illis veritatem inquirere: quin imò licet omnibus citra ullum periculum (modo cum oratione & auctoritate id fiat) aliter sentire, loqui, & scribere, quia non sunt hæc de fide & moribus.

Rursus nunc dicis,

¶ *Adducis inquam sanctissimum & infallibilem Evangelij textum Iohan. 19. dicentis, stabat iuxta crucem Iesu mater eius & soror matris eius Maria Cleophe & Maria Magdalenæ, in quo beatissimus Iohannes Mariam Cleophe sororem beatissimam virginis Mariæ appellat.*

Et cum videres me dicturum sororem ibi dici cognatione non natura, continuò subjungis.

¶ *Nec valet dicere quod soror impropriè accipiatur sicut Genesens accidere videtur quandoque historia dicente Abrahamo Saray dic obsecro quod soror mea sis quoniam si tali glossa cavillandus sit sacratissimi evangelij textus eodem contextu, calumniator similis concludere posset hoc nomen mater in eodem passu eadem ratione impropriè dici, & ex hoc inferre beatissimam Dei genitricem Iohannis nullatenus commendatam, sed alienam, & sic omnes evangelicos æquivoca nominum acceptione prævertere sensus.*

Credo hoc argumentum non nisi à scholastico technologo fieri potuisse, tantum habet acuminis, quinimò adeò suas sapit auriculas, ut ab asino egressum non dubitem. Sed gratias tibi agit immanis ille hæreticus Eluidius, qui ex tuo argumento atque his quæ paulò superius dixisti, corroboratus, assertorem invenit, qui diceret, hæc nomina, soror, filius, pater, frater, mater, propriè, & non impropriè accipi debere: ut fratres, domini propriè & verè intelligantur beatissimæ virginis filii, etiam ipse Ioannes, cui virgo beata matris nomine commendata fuit. Quod ut falsum est & impium, sic & tua expositio in hac dictione soror falsa est & absurda. Non in verbis scripturarum (ut ait Hieronymus super epistolam ad Galatas) est evangelium, sed in sensu: non in superficie, sed in medulla. Et Hilarius ait: intelligentia dictorum ex causis est assumenda dicendi, quia non sermonis res, sed rei est sermo subjectus. Et ideo bene dixit Ocham, in dialogo suo maxime in secunda parte, quod in verbis ambiguis & multiplicibus non est recurrendum ad communem intelligentiam, sed potius ad intentionem loquentium, & ibidem multis rationibus falsificat hanc communem propositionem, qua dicitur? Verba non [illegible] opinionibus singulorum, sed ex communi usu accipienda sunt. Sed dices forsan in diversis locis posse hæc nomina diversimodè accipi, sed juxta se posita, & (ut tu loqueris in eodem passu) eadem significationis forma ac locutionis sensu simul exponenda fore. Ast illud rursus absurdum est argumentum. Nam apud Matthæum legitur uno contextu: Nonne mater ejus dicitur Maria, & fratres ejus Iacobus & Simon & Iudas? aliter tamen ibi dicitur mater, aliter fratres. Et apud Lucam legitur: Et dixit mater ejus ad illum, fili cur fecisti nobis sic, ecce pater tuus & ego dolentes quærebamus te. Et ait ad illos, quid me quærebatis? nesciebatis, quia

quia in his quæ patris mei sunt oportet me esse. En quomodo in illo unico continuo contextu, diversimodè accipiuntur hæ voces, mater, filius, pater. Sed ubi possunt hæc discerni, ubi scriptura his utatur propriè, & ubi impropriè. Tu ne doctor es in Theologia, & hæc ignoras? Sude, stude, & disce jam doctor & senex, quæ jamdudum junior scire debueras discipulus, tum fateare tibi injuriam factam, quod hucusque habitus sis Theologus, atque ea ignores, quæ de divinarum literarum locutionibus à sanctissimis doctoribus memoriæ commendata sunt. Lege Augustinum in libris de doctrina Christiana, & in opere de locutionibus, & docebit te. Disce scripturæ absconditos sensus intelligere, non è scholasticis summulis, cantionibus, postillis, dictionariis, & ex hujus generis Iuridicis collectaneis, aut è sordidis quibusdam & pridie natis auctoribus, sed ex seipsa semetipsam declarante, ubi locum obscurum aliorum collatio elucidat, tum ex veterum commentariis, & priscis illis interpretibus, qui proximè biberunt de fontibus. Horum purissima aqua, tuis fæculentis lacunis obmissis, tibi bibenda est, ut scias discernere sensus scripturarum, nisi palatum & linguam tanta bili habeas infectam, ut bonæ literæ tibi non sapiant id quod non sunt, sed quod vitiatum organum secum circumfert.

Insuper nunc Thomistarum more qui soletis singula quibusque argumentis hæreticum proclamare, contumeliosè subnectis quæ sequuntur, & te victoriæ triumphum reportaturum arbitraris, dicens.

¶ *Non valet inquam dicere illud impium nimis erroneum, falsum, damnabile, & ab omni fideli alienum, Christiano videlicet, quod Maria dicta sit Cleophe non à patre, sed à marito, quia fuit uxor ipsius Cleophe, ut ex Evangelio ostendere se iactat, proponens asserendo Evangelij beatissimi Iohannis emendandum, quin loco huius Maria Cleophe ait uxor Cleophe apponendum cum litera Græca ut ait sic teneat. Sed sanè contra temerariam huius assertionem militant omnes præfati doctores, militat inquam Hieronymus in eodem passu, militant & præfatæ glossæ interlinearis, & Hugonis Cardinalis super passu Iohannis allegato dicentes Maria Cleophe, id est, filia. Sed dic quæso an non ab universali ecclesia approbata est Hieronymiana translatio, nō potes id negare, forsan dices approbata sanè sed vitiata. Quod autem vitiata sit nos negamus, admisso tamen non concesso eam in aliquibus vitiatam in hoc tamen nullatenus cum eam approbet, habet enim*

ipse Hieronymus in epistolis. Quod beatissimus Iohannes hanc Mariam Cleophæ nominat in evangelio à patre nullibi autem eam nominat Mariam Cleophæ in evangelio nisi in præsenti passu igitur ubi Maria Cleophæ non uxor appellatur non est vitiata Hieronymi trãslatio quin imo per eundem approbata de hoc tamen alias quin in fideli prætereundum non venit silentio ex his aperte concluditur quã excecate dixerit proponens negantes Annam solinubam nullam probatum adduxisse testimonium, dic iterum quæro an non probatum tibi videtur evangelium an non probatus indicio tuo censendus est Hieronymus an non probatus Petrus comestor supremum inter historiographos nostros tenens gradum an non probata glossa ordinaria an non probata interliniaris an non probatus doctor angelicus quem apostolica sedes pluquam Salomonem nominat an non probati Hugo cardinalis postillator dominus Antonius Archiepiscopus Florentinus dominus Petrus de Venetiis episcopus equilinus diligentem igitur ori tuo appone custodiam ne temere condemnes quæ hactenus te non vidisse comprobares nec erroneum dixeris quod tanti approbant doctores.

Frange miser calamum vigilataq; prælia dele,
Quid facis in parva sublimia carmina cella.

Non emendo ego evangelium, sed ex suo fonte repetens illud cum eruditissimis doctoribus declaro, nam Ioannes Græce scripsit in hæc verba, Μαρία ἡ τοῦ κλωπᾶ, ubi articulus ἡ, indicat hanc non filiam fuisse, sed uxorem, quo apud illos in usu est mulieres non à parentibus, sed à maritis cognominare. Qui mos etiam apud Latinos observatus est, licet articulo non utãtur, sicut ex illorum scriptis pene innumera nobis patent exempla, ut cum legimus apud Valerium & alios, Ceciliam Metelli, Terẽtiam Ciceronis, Portiam Bruti, Corneliam Pompeii, Cleopatram Ptolomæi, Helenam Menelai, & ejusmodi. Atque ne ultra sit tibi cavillandi locus, audi sacram scripturam seipsam declarantem: optima enim exponendi ratio est, ubi locus obscurus alterius collatione illustratur. Audi inquã ipsum Cleopham hanc Mariam non filiam sed uxorem suam vocantem, ita namque Cleophas ipse ait apud Lucam: Mulieres quędam ex nostris, terruerunt nos, quæ ante lucem fuerunt ad monumentum, & non invento corpore ejus, venerunt dicentes, se etiam visionem angelorum vidisse. Ad quæ præmisit evangelista sic inquiens: Subsecutæ autem mulieres quæ cum eo venerant de Galilæa, viderunt monumentum, & quemadmodũ positum erat corpus ejus. Et paulo infra: Erat autem Maria Magdalenæ, & Iohanna, & Maria mater Iacobi, & cæteræ quæ cum eis erant, & dicebant ad apostolos hæc. Et sequitur. Petrus autem

autem surgens cucurrit ad monumentum. Et mox iterum Et ecce duo ex illis ibant ipso die in castellum. Et quæ sequuntur. Tandem ait: & respondens unus cui nomen Cleophas. & reliqua. En aperi oculos tuos & respice, lege evangelium & contemplare, confer scripturas & pondera narrationis seriem, ipsa tibi hujus rei nodum explicat difficultatis. Comperies namque Mariam matrem Iacobi uxorem Cleophæ scriptura in hunc modum semetipsam exponente. Quod si non potes capere, recurre ad Eusebium, qui in ecclesiastica sua historia libro tertio, hæc tibi ad unguem declarabit, & longe quidem dilucidius & verius, quam Petrus ille comestor (qui ut ais inter historiographos vestros supremum tenet gradum) quem Eusebius ipse ultra omnem comparationem ita superat, ut nulla sit hujus futilis excerptoris, ad hunc sanctum virum ac publicum ecclesiasticum scriptorem vel minima proportio. Qui teste Hieronymo Constantini Augusti auctoritate suffultus, ex ipsis Græcorum & Romanorum archivis, ac veteribus publicisque monumentis, historiam suam martyrologiumque collegit, cujus rei gratia clavis scripturarum, & custos novi testamenti vocari meruit. Rursus tandem redis in idipsum quod supra rejecimus, videlicet, Hieronymum falso inculcans cum reliqua doctorum tuorum caterva, intra quorum hortulos, cum tute sis siculneus theologus, ac per omnem ætatem tuam in ejusmodi sophisticis sterquiliniis computrueris, nullos vis esse illis sublimiores, nedum pares. Porro ad vulgatam illam evangeliorum traductionem, veluti ad sacram ancoram confugis, illic fortiter inhærens, eo mendacio stipatus, quo hanc Hieronymi esse, & ab universali ecclesia approbatam, tam impudenter asseveras, de his tamen alias polliceris.

Nescio quid tecum grave cornicaris inepte.

Verum ego traductionem hanc Hieronymi esse constanter nego, nam ipsæ Hieronymi præfationes testantur hanc suam non esse, multaque hinc inde in epistolis suis reprehendit Hieronymus, & nominatim corrigit, quæ tamen in hac habentur editione. Quæ cujus sit hucusque nemo novit, tu tamen illam non modo Hieronymi esse asseveras, sed & ab universali ecclesia approbatam pertinaciter contendis. At tu mihi vel unum profer ecclesiæ decretum, in quo sit hæc editio comprobata, non poteris ostendere. Sed dicere potes, quod publico usu in Latina ecclesia sit recepta. Fatebor ego, non tamen sic recepta est, ut nihil omnino liceat ex Hebræorum Græcorumque fontibus emendare. Sed facis tu tuo more qui aliud nihil habes in

pretio, nisi quod ipse didiceris, nec ullam illorum Graecæ aut Hebraicæ veritatis auctoritate jacturam fieri velis. Ne quid videaris ignorare, hinc tuos scholasticos doctorculos tanto strepitu attollis, & singulos probatos nominatim enunterando præconisas, quasi non sint probati & in ecclesia recepti doctores Egesippus & Eusebius, & multo magis recepti quam tui. Sed facis tu per quam strenue qui me admones, quanto versier in periculo, ac si fulgur ex vitro immineat, admovendamque custodiam hortaris, reddamque tibi pro hac clementia tua, dum dabitur occasio, multas condignas grates gratias. Neque vero me præterit, quam plenum periculi sit, pugnare cum tanto fratre, cui cuculla pro clypeo est, lingua pro tica, verba sunt jacula, insuper qui habes adapertum mare magnum, ac tot Pyraticas classes contra me producere potes, behemoth, & leviathan, & cete grandia, reptiliaque quorum non est numerus. Præterea cui adsunt ad hanc pugnam, tot subsidiarii milites, tot rostrati stipatores, innumeri loripedes, lignipedes, nudipedes, funigeri, restiferi, saccogeruli, atrati, nigritæ, grisones, albi, chlamydes, multipelles, versicolores, rhetiarii, barbigeri beguardi, lollardi, & ut in carmine dicam,

Totq, feces hominum, quorum vitæ usibus obstat,
Pelcrux, vel flagrum, vel spes frustrata, fames ve, &
Pauperiatis onus, & quos non iusta noverca
Compuleris, & quos genuit natura siniſtros,
Et miseri pueri quorum fraudata inventus,
Et quibus infandum crimen, ocium, voluptas.

Atque id genus aliorum turba satellitum, quorum omniũ agmen jungit simulata sanctitas, cucullataque relligio, atque his longe præstantior valida mendicitas. Neque enim ullum operepretium facere potero, cõtra te hominem ejusmodi vallatum exercitu. Ideoque in sicco manendum mihi persuadeo, & id longe quidem à littore, ne tanti periculi incuriosus tuorum fluctuum lubricitate mersus, vel tot tantorumq; hostium prælio circumventus, corripiar, forte in tui ordinis prædicatorum hæreticorum inquisitores, vel ut Græcis proverbio est, ἐς κόρακας.

Iam ad reliquas ineptias tuas properemus, ais enim.

¶ *At quin diorum solummodo contra tantos quos allegamus non solum in medium adducit auctoritatem sed & grave nobis imponit scandalum utpote dicens quod asserentes Annam trinubam bonis detrahunt moribus, detrahunt legali consuetudini illius temporis detrahunt honestati deiparæ virginis & dignitati virginis Mariæ de-*

triæ detrahunt figuræ detrahunt prophetiæ, detrahunt miraculo, detrahunt evangelicæ lectioni.

Quæ dixit confiteor, & quæ scripsi in propositionibus meis, scio & memini, & tua verba teneo. Ad omnia autem quæ discepto, præsuppono historicam veritatem, his videlicet autoribus corroboratus, quorũ paucitas in infinitum pene superat tuorum pluralitatem. At quoniam occurrebat non satis esse Christiano catholicas historias docere nudas, nisi ad illas simul & vitæ rationes juxta id quod est optimum accommodet, atque componat, idcirco illas ego adjeci. Sed tu in illis scandalizatus es, sicut & multi in Christo scandalizati sunt, & abierunt retro, dicentes, unde huic hæc omnia? Et multi adhuc scandalizantur in novissimo, qui una hora laboravit, & tantum accepit, quantum qui portaverunt pondus diei & æstus. Quod si tu probus vir esses, & candidus disputator, & non ex iis pigris asinis, qui se carpendæ aliorum industriæ natos putant, debuisses propositiones meas suo certo ordine dispositas, servata eadem juxta illarum numerum serie, unam post aliam revincere, & non hic illicque particulas aliquas perperam decerpere, & (ut dicunt camelum saltantem) susque deque prosilire: & quæ bene dicta sunt clausis oculis præterire.

Nunc tandem contradicere paratus, ita subjungis.

¶ *His responsuri dicimus primo dicentes Annam trinubam bonis non detrahunt moribus, qui imo apud intelligentem bonos fovens mores nec adhæc facit invalida quam adducis ratio dicens nos pro omni fracto bonos corrumpere mores sermone pravo castitatem subvertere matronalem dare occasionem viduis abeundi retro posse temptationẽ Sathanæ hæc enim omnia tanquam absurda & à nobis penitus insolita negamus ubi autem allegat se Annam nupsisse & cæteras huius tempestatis viduas nubere possint. Respondemus quod nesciens ipse aut faber sues à quo hæc omnia accepit unde nec gloriari habet divinarum differentiam legem ista proponit.*

Quos vocas tu hic intelligentes, num eos qui tuo more contra historicam veritatem scripturam ipsam tanquam cereum ad quodvislibet persuadẽdum flectere sciunt? tum ita vos magnam rem fecisse putabitis, si perperam interpretatis sacris literis, adulteratis veris historiis, nihilominus his superstitiosis mendaciis vestris, tamẽ bonos (ut ais) foveatis mores, quasi veritas ad id non possit sufficere, nisi vestris fulciretur mendaciis. At quomodo tandem bonos fovebis mores, tu qui lingua blasphema, calamo sacrilego, sanctissimæ Annæ continentiam novis nuptiis violas, sanctificatum ejus uterum polluis, castissimæ

castissimæ viduitatis honestatem tollis sanctissimos historiographos Egesippum & Eusebium disciplinato ore mendacii arguis, sacrarumque scriptutarum fidem calumniaris, evangelium sycophantizando pervertis, beatissimi Hieronymi scripta dolo malo detruncasti, amputasti, abscidisti, surripuisti, abstulisti, celasti occultasti. Viros innocentes ac probos Christianos amarulentis detractionibus, convitiis, injuriis, contumeliis, falsisque insimulationibus, ignominiosis famicidiis, turpissimis proditionibus, pro impiis ac scandalosis populo ac plebi publice detulisti. Hisce exemplis editis, bonos fovetis mores? Sed modo ad rem redeo. Dicere Annam solinubam atque uniparam non est somnium, non absurdum, non invalidum, sed veritas cognita, per sanctissimos scriptores, ut evangelium, tuæ autem opiniones quæcunque quæ in apostolicis literis & in evangelio scriptæ non sunt, possunt somnia esse, absurdæ esse, invalidæ esse: atque illas velle adeo ratas haberi, ac si in evangelio apostolicisque literis scriptæ sint, potest scandalosum esse, impium esse, etiam quandoque hæreticum esse. Hujus generis est hæc (quam tantopere tuendam pertinaciter tenes) tua opinio, quod Anna sterilis vetula, post sanctificatum uterum, & tanto miraculo conceptam sine originali macula deiparam virginem, novis studuerit nuptiis, reique venereæ indulgens alias genuerit in peccato filias. Quia multi hæc non tam stulte quam inepte opinantur. Quod autem ais me omnia hæc a Fabro accepisse. Ego hoc ingenue fateor, debeoque illi pro hoc munere perpetuas gratias, ex sua siquidem doctrina illustrata mihi mens est, quia hanc veritatem cognovi. Atque utinam suus aliquando fuissem, vel etiam nunc esse possem præsentaneus discupulus, non diffiderem me ab illo longe plura majoraque accepturum. Ideoque te in propositionum mearum calce ad illum remisi prius vincendum, ad quem adhuc te iterum remitto, quia in tota hac tua futilium verborum congerie, nedum illum vel in uno scriptorum suorum apice loco movisti. Interim nunc Faber & ego, amabo ut ais nescientes, audiemus te docentem (sicut dicitur, sus Minervam) divinarum differentiam legum, quam tu nunc magna inutilium verborum farragine ita subinfers.

¶ *Apertum est enim Annã subantiquo testamento & sub priori militasse lege in qua quidem lege matrimonium debita conservatã honestate virginali præpollebat castitati & à fortiori viduali, imperfectioris extitit dignitatis & hoc facile est videre ex doctorib. beatissimus enim Hieronymus id in epistola contra eluidium asserit dicens*

uns inter sanctos veteris & novi testamenti cogor facere distantiam quia pro contradictione temporum aliæ eos oportuit subsistere sententiæ & aliæ nos quam diu enim illa lux permansit crescite & multiplicabimini & repiete terram & maledicta sterilis non facit semen in Israel nubebant omnes & nubebantur & derelictis parentibus fiebat una caro quando vero illa vox insonuit tempus breviatum est reliquum est ut & qui uxores habent sic sint quasi non habeant adhærentes Deo unus cum eo efficimur spiritus hæc ille. Idem contra Iovinianum apertius id approbat in hæc verba quomodo Abraham placuit in coniugio sic nunc virgines placent in perpetua castitate servivit ille legi & tempori suo. Et B. Augustinus in libro de bono coniugali dixisse meminit. Non impar meritum continente in Iohanne qui nullas expertus est nuptias & in Abraham qui filios generavit hoc ille hoc etiam manifestis ostenditur exemplis filia etenim lepte iudicis Israel à patre immolanda duobus mensibus suam deflevit virginitatem beatissima etiam genitrix virgo etsi pudicissima esset nullis tamen antea. Si beatissimis Augustino & Thomæ credimus perpetuæ virginitatis emisit votum quam divinam super hoc accepisset revelationem. Ait enim doctor sanctus in 3. parte quia videbatur esse lege prohibitum non dare operam ad relinquendum semen super terram. Ideo non simpliciter vovit virginitatem Dei genitrix sed sub conditione si Deo placeret postquam autem innotuit ei hoc esse Deo acceptum absolute novit hæc ille. Cum autem castissima & tota virginea fuerit Dei genitrix non solum conditionaliter sed absolute castitatem novisset virginalem sicut nunc vovent virgines virginitas in antiqua lege matrimoniali simpliciter præponderasset castitati veluti hoc tempore igitur argumentum nullum, nec ex consequenti beatissimæ Annæ matrimonium incontinentiæ asserendum, venit sicuti insagaciter asserit, sed perfectioni vitæ & obedientiali legis observationi sicuti facile est deducere. Si enim continentia matrimonialis Abrahæ, quæ constat simul habuisse duas uxores, quem etiam constat veterano mortua Sara alteri nupsisse æquiparanda sit virginitati ipsius Ioannis, ut beatissimi Hieronymus, Augustinus & Thomas asserunt nulli dubium, quin & continentia matrimonialis beatissimæ Annæ eidem æquiparanda sit. Quod si æquiparanda fuerit talis eius castitas virginitati ipsius Iohannis à fortiori præferenda viduitati Annæ, de qua meminit Lucas eiusdem 2. ac viduitate ipsius Iudith ex his aperte concludimus Annam legi scriptæ servientem exemplar incontinentiæ viduæ huiusce tempestatis non dedisse, quin legi scriptæ illa in matrimonio serviebat hæc autem legi gratiæ & Evangelicæ in continentia viduali habent subservire, sicuti & virgines in continentia virginali, quod in lege scriptæ alicui non licebat ex his facile est concludere nos in hoc bonis non detrahere moribus, sed potius eos fovere & legalem manus tenere obedientiam castitatem non subvertere matrimo-

rimonialem non dare occasionem viduis huius temporis nec Apostolicum dogma de viduis perverti cum illa & nostræ sub duabus militarint legibus in proposito omnino distinctis, unde allegatum improprie, imo contra legum intentionem trahitur exemplar, quamobrem argumentum penitus nullum.

Ego matrimonium carnis in antiqua lege, præpolluisse castitati virginali constanter nego, idq; nunc multis argumentis contendere possem, nisi apud quoscunque eruditissimos Doctores hæc mea sententia recepta esset. Tamen aliqua tibi veteris legis exempla producam, quibus facile liceat videre virginitatem; castitatemque semper pluris habitam quam nuptias: ad quod primo sese offert Iesus filius Navæ, virgo, innuptus, qui ob inviolatam castitatem, ducatum obtinuit populi Israelitici, ut solus ipse educeret illum de Aegypto, & introduceret in terram promissionis, quam Moses nuptus non meruit intrare. Ipse etiam Helias Propheta, qui igneo curru cœlum ascendit, virgo erat: & Heliseus super quem requievit spiritus Heliæ duplus: virgo permansit, iidemque omnium soli in veteri lege mortuos suscitarunt. Virgines permanserunt multi filii Prophetarum. Sacerdotis etiam soror si moriebatur virgo, ob hoc solum digna habebatur, cujus funus sacerdotali præsentia decoraretur, si vero nupta fuerat, ut aliena habita, legis decreto funus ejus contemnebatur: ipseq; templi aditus, ad quem nulli præterquam sacerdotibus patebat accessus, ipsi Iacobo Adelphoteo Pontificum decreto permittitur, nulla alia de caussa, nisi recepta apud eos ejus castimoniæ & virginitatis fide. Accedit huic Iohannes Baptista insignis castitatis, præcursor Domini, & plusquam Propheta, quo inter natos mulierum major non surrexit. Post hunc est alter Ioannes Apostolus & Evangelista, quorum castitatis meritum tu audaculus, tuorum Doctorum perverso intellectu, audes cum Abraham multicubiis commutare. Disce sanamente Doctores intelligere, non calúniari, quod scriptum est. Disce vel à tuis consophistis, distinguere inter meritum congrui, & meritum condigni, qui scit distinguere inter castitatem habitualem & actualem. Concedam nunc tibi à tuo Petro Lombardo, quod continentiam, quam Iohannes habuit actu, hanc Abraham habere potuerit in solo habitu. Concedam etiam par aliquod & æquale meritũ, sed impariter par, & differenter æquale. Non enim per omnia par meritum habet virtus ociosa in solo habitu cum illa, quæ est in actu proprio & reali, quæ in suo subjecto jam sit non ociosa, non ficta, non imaginaria, sed operas, & vera. Virtus enim cum

eum dicitur mereri, dictum accipitur, quia per actum virtutis meretur actum inquam, non tam interiorem in anima, quam exteriorem, qui per corpus redundat. Quod si tu Doctores illos (Augustinum dico & Hieronymum) quos tu ex quarto sententiarum in hoc album produxisti, nudos in suis propriis voluminibus legisses, videre potueras illos à tuo pollutissimo sensu penitus dissentire. Quinimo ipse Hieronymus in toto illo contra Iovinianum primo volumine, nihil magis nititur ostendere, quam in utroq; testamento castitatem ipsam contientiamq; fuitile nuptiarum operi prælatam, ac falsum esse, quod tu conaris astruere, carnale matrimonium in veteri lege virginalem castitatem præcelluisse. Atque hanc ait Augustinus Iovinianum hæresim fuisse, quod sacrarum virginum meritum æquarit pudicitiæ conjugali. Quod autem adducis cum Joviniano hæretico, exemplum defletæ virginitatis filiæ leptæ, adhuc cum Hieronymo tibi respondeo: Exemplum illud pro te nihil efficere, sed & contra te, atque scripturam id inducere non ut tu, & Iovinianus hæreticus facitis in virginitatis opprobrium, sed ut vel paternum temerarii voti errorem notaret, parentisve fidem, præferret ei, quæ cæsa sit lugens: ostendátve hac sorte virginitatem ipsam electissimum Deo acceptissimumq; sacrificium.

Verum quod ais, beatissimam Dei genitricem castitatem simpliciter non novisse, non minor hoc à Thomisticis, ac prædicatorii ordinis aliquib. fraterculis, ita firmiter teneri. Quippe qui soletis opinionum vestrarum tã pertinaces esse, ut multu vestrum etiam immaculatam divæ virginis conceptionem, jam ab Romana Ecclesia in generali concilio definitam, in hũc usq; diem ausu temerario adhuc pertinaciter impugnent. Verum ego Doctorem sanctum contra me citatum, cum suis opinionibus, in re proposita sicut nec in multis aliis, non cogor recipere, nec propter hoc errare me necesse est, si aliquid secus senserit thomistica Theologia. Scio ego Christum ex virgine nasci voluisse, tamen sine matrimonio nasci non voluisse. Scio Deiparam virginem perpetuam castitatem elegisse, tamen matrimonium Ioseph non respuisse. Sacramentum namque hoc tam magnũ est, ut operatio ejus paucis duntaxat exceptis, quibus voluit Deus notas facere divitias gloriæ Sacramenti hujus, omnes penitus lateat. Dico autem hoc non in occidente litera, non in nuptiis carnis, sed Spiritus CHRISTI & Ecclesiæ, sicut ille revelavit. Sed prope est, ut quadam temporis plenitudine apertius manifestetur, & impleatur; quod ipse dixit:

Habe-

Habeo alias oves, quæ non sunt ex hoc ovili, quas oportet me prius adducere. Sed de his nullū nobis certamen est, nisi quod tu me eo provocasti. Alteram ergo partem nunc discutiamus, ostendendo etiam hanc sequelam tuam falsam esse, quam tu ab antecedente propositione tua talem inferre conatus es, ut (à fortiori locum invocando) ostenderes etiam polygamiam, viduali continentiæ prælatam, fuerintque legis observantiores polygamæ, quam monogamæ, quod à nullo unquam vel semidocto dictum est, sed & à Hieronymo pluribus in locis improbatum, & ab ipso Augustino in libro de bono conjugali, & ab Ambrosio in libro de officiis, multipliciter revictum. Quod si etiam staret illa sententia, quod in veteri lege matrimonium præcelluerit virginitatem, fuerintque nuptæ fœliciores viduis, nunquam tamen ex hoc inferre poteris, polygamas fuisse monogamis viduis laudatiores. Quod si dixeris matrimonium ut lege illa tam inevitabiliter, quasi Diomedea necessitate præceptum fuisse, quæro ego tibi, ad quid ergo Iosuæ, Helias, Helisæus, Hieremias, Daniel, Ioannes Baptista, Iacobus justus, atque Christus, hoc præceptum non adimpleverunt? Esto nunc, ut qualitercunque præceptum, dico ego polygamiam nusquam præceptam reperiri, sed & alicubi in lege prohibitam, sicut & alicubi præceptam castitatem. Nam sacerdotalis vidua jubetur sedere in domo patris sui, nec nosse secundas nuptias, & Hieremiæ sanctificato in utero præcipitur uxorem nunquam accipere. Itaque sicut in hac lege matrimonium asseribi potest observationi legali, sic multinubia, quas nulla excusat necessitas, asscribi possent incontinentiæ, præsertim in mulieribus, quæ jam vetulæ viduæ ex primo marito fœcundatæ prolem peperierunt. Nec me commovent Abrahami repetitæ nuptiæ, vel tota illa Loviniana multicuborum caterva, quandoquidem illis exemplis posses etiam vel meretrices extollere, si modo in ea lege omnia licuerint mulieribus, quæ viris. Sed da mihi vel unum sacerdotem bigamum si potes, vel unam anum viduam in tota sacra scriptura, quæ ex primo marito fœcundata secundas repetierit nuptias. Hanc si dare potes, victum me fatebor, quod si non potes, cur unicæ Annæ sterili vetulæ, & sanctissimæ viduæ, illud contribuis, quod nullo certo authore comprobare potes, ac illi minime videtur convenire? Sed exponis mihi laudatam Abrahami continentiam, etiam licet fuerit polygamus: Sed non vides prælatum illic Isaac monogamum, cujus partus solus Domini revelatio est, qui solus inter Patriarchas Christi typum præferre meretur, cujus unica uxor Rebecca, sola inter

fœminas

fœmineas veteris legis, nec ulla alia dominum per seipsam consuluit, ipsaq; sola dicta est עלמת non בתולת ob nimiam castitatem. Non minus extollitur ipse Iob, qui unica uxore contentus, percusit fœdus cum oculis suis ne cogitaret quidem de virgine, cujus uxor etiam (si apocryphis aliqua fides est) inter insignis pietatis illustres fœminas numeratur, eò quod se capillis suis (magno in fœmina ornamento) privavit, ut in omnium rerum inopia languenti viro panem mercaretur, tuncque illum, quem non fortunæ omnis amissio, non domus incendium, non mors filiorum, non bonorum omnium ruina, non morbi vis, poterant infringere, dilectæ conjugis mœstitia adeò affecit, ut vir ille simplex, rectus, justus, timens Deum, recedens à malo, & alioqui omnium, qui uspiam fuerint patientissimus, diem quo genitus est demum execratus sit. Extollit scriptura continentiam Iudith, & Annæ filiæ Phanuelis, atque viduæ Sareptanæ, nullam uspiam quantumcunque fœcundam continentémve laudat polygamam. Idcirco etsi nulla nos cogeret certæ historiæ fides, pie tamen credendum esset, beatissimam Dei genitricis matrem Annam quotquot unquam uspiam fuerint tuturæque sint viduas continentiæ monogamiæ castitatisque sanctitate præcellere, potius quàm hac tua nusquam laudata polygamiæ fœcunditate. Restat ergo vos bonis detrahere moribus, qui perverso ordine polygamas præfertis monogamis, nec ullam insuper vos manu tenere legalem obedientiam, cùm in tota lege nulla polygamia reperiatur præcepta, nisi fortè ubi ob prolis defectum frater jubetur suscitare semen fratris. I nunc & distingue inter utriusque legis propositum, ut non pervertas dogma Apostoli, non des nostræ tempestatis viduis occasionem incontinentiæ: ut hæc subtiliter disputas apud sciolos: Ita prædices ad populum: & quod audit schola, audiat & Ecclesia: Quod si non expedit populo inculcare subtilitates scholasticas, certè tacere expedit, & (ut ait Hieronymus) nescire viduas bigamiæ indulgentiam. Constat autem ex his sermonibus ac mentita illa Annæ historia, jam multas depravatas esse, & retrò abiisse post sathanam, suosque errores contra Apostolicum dogma tueri, cujus erroris maxima causa estis vos fabularum talium Magistri, qui eas sedulius ac constantius prædicatis quàm Evangelium.

At nunc iterum te paulisper audiamus garrientem.

¶ *Quoniam autem secundo allegat opinionem nostram legali repugnare observantiæ illius temporis dicens, quod nulla vidua quæ ex primo marito prolem susceperat reperitur superinduxisse alias nuptias, nec consuetudo legis id patiebatur, similiter ut asserit legalis observantia erat in eadem familia non imponere nomen. Idem pluribus fratribus, vel sororibus absurdumque fuisset Annam tres filias habuisse uninomines. Respondetur primo præfatum allegantem in hoc se nullatenus ostendisse virum logicum nec ex consequenti Theologum & perfectum & speculativum quin in vita Logica non visum est unam negativam & quæ est de facto nulla vidua quæ ex primo marito prolem susceperat reperiuntur superinduxisse alias nuptias hanc concluderet affirmativam & quæ est de posse, ergo superinducere secundas repugnat legi, dic quæso an ista consequentia sit valida nullus repertus est qui industria sua humana ascenderit campanile huius civitatis, ergo ascendere campanile huius civitatis repugnat industriæ humanæ, certè consequentia invalida & inanis hæc & ideo penitus nulla. At ne logicæ solummodo videamur satisfacere fundamento suo sanè penitus claudicanti. Petatur quod in antiqua lege reperiet mulieres quę castitatem conservarint vidualem æstimamus duas nec ampliores Iudith, videlicet & Annam de qua beatus Lucas 2. meminit, has autem non constat habuisse semen etiã masculinũ, & ideo ubi habuerint, facile est etiam secundum legem cognoscere eas potuisse in viduitate permanssisse. Constat etiam multas etiam sanctissimas iterato nupsisse, ut est Abigael de qua præsumendum est eam ut puta fertilem sobole non caruisse, & ideo argumentum invalidum. Dicimus 3. has Annam videlicet, & Iudith Spiritu sancto movente in viduitate permansisse & in mysterium, beatissimam autem Annam propter fructum secundis & tertijs nuptijs subsecutum convenientissime nupsisse qui quidem fructus præpollet castitati viduarum cæterarum. Metus est enim ecclesiæ habuisse Iohannem Iacobos duos Simonem & Iudam Apostolos quam viduitatem Annæ & cum consiliarij Domini nemo exstiterit ideo contra consilium domini hæc argumenta nulla. Super hæc ostendimus matrimonialem castitatem etiam sine actuali fructus consecutione cæteros præpollere, igitur argumentum invalidum.*

Cum tu in ista tua futili sequela ridendus sis ab omnibus Dialecticis, mihi hoc loci Dialectices ignorantiam objicis, quam adeo vis esse necessariam, ut absque illa neminem dicas perfectum speculativumque Theologum : netasque sit illum de Christianis loqui literis, qui sese Dialecticis nugis prius totum non expleverit. O impudentissime sophista, an non vereris mansuetissimam illam immaculati agni (dico Iesu Christi) doctrinam, quantumvis repugnantem ad Logicum rixandi artificium, & humanæ sapientiæ regulas pertrahere, atque sacratissimæ Theologiæ abyssum logicis tendiculis taliter commensurare, quod nullus possit esse Theologus, qui Logicas præcepti unculas non didicerit? Dic mihi o perditissime hominum, quid commercii Christo & Aristoteli? quid Logicis argutiis cum divinæ sapientiæ mysteriis? Christus illa docet non Aristoteles, gratia non ratiocinatio, afflatus non syllogismus: non à Logicis consequentiis nomen habet Theologus, sed à divinis oraculis. Hinc Ambrosius in Epistolam ad Collossenses : Omnis ratio supernæ scientiæ vel terrenæ creaturæ in eo est, qui est caput earum & author, ut qui hunc novit nihil ultra quærat. Quia hæc est perfecta virtus & sapientia, quicquid alibi quæritur hic perfectè invenitur. Tantum quoque abest à culpa ignorare logicam, ut qui sciverit, nisi illam data opera prius neglexerit, verus Theologus esse non poterit, in quem qui cupit evadere, oportet instructum esse ad pietatem, non ad disputationem : parere scripturis, non obsequi syllogismis, ignorare Aristotelem, & scire Christum. In ipsis Theologiæ gymnasiis taceat Dialectica, sileant syllogismi, mussent sophismata : piscatoribus creditur, non Dialecticis. Omnem vim inventorum suorum in Dialectica hæretici disputantes ponunt. Et infra : Non in Dialectica placuit Deo salvare populum suum, sed in simplicitate fidei, distinctione tricesima septima : Omnẽ Ciniphes & ranas quibus Aegypti sunt perculsi, vanam Dialecticorum & garrulitatem & sophistica argumenta intelligit Origenes 37. distinct. legimus, Dialecticorum tendicula sunt quædam phantasmata & umbrę, quæ citò resolvuntur distinctione tricesima septima, vino. Qui Dialectica arte diebus ac noctibus torquetur, in obscuritate mentis graditur. Ibidem : Nonne Dialectica ars diaboli? Hieronymus in Epistolam ad Ephesios capit. 4. Fides autem est sperandarum substantia rerum argumentum non apparentium. Hebræorum capite nono. Sed quod est istud novum hominum (ne dicam hæreticorum) genus, qui (ut inquit Paulus) non propter bonam voluntatem, sed propter contentionem Christum prædicant, qui evacuantes crucem Christi, sacratissimam Theologiam, quæ nullam sub artem cadere potest, persuasibilibus humanæ sapientiæ verbis ac logicis regulis astringunt. Qui ea quæ nisi sola fide creduntur, suis syllogismis sese invenire ac demonstrare posse præsumunt. Qui monstruosos casus excogitantes, novasque chime-

ras quotidie advenientes, Deo & omni creaturæ illudunt. Qui pudicam matronam rapiunt, in cœnobium meretricum, ac prostibulum hæreticorum. Verè tu ex illis es, sed omnis qui sophisticè loquitur, odibilis est: non illi data est à Domino gratia. Omni enim sapientia defraudatus est. Neque tamen me latet constituendæ bonæ consequentiæ ratio, qui in eo artificio quondam apud Colonienses Sophistas non modico temporis dispendio, ad lauream usque magisteriumque desudavi, longè quidem melius tunc facturus, si pro Scholasticis illis nugis, bonis literis laborem illum tempusque impendissem. Sed tu tanquam oculis glaucomate vitiatis, pectoreque venefico eo colore decimam septimam meam propositionem hoc loco effingis, quo illam non in se, sed in vitiatis oculis tuis aspexisti.

Hinc propositio mea apud te male est, quia oculus tuus nequam est, ideo in innoxia positione mea invenisti venenum, quia pectus tuum sic cogitat, judicans juxta adinventiones suas. Nunc ergo absterge trabem oculorum tuorum collirio candoris, interpone specillos veritatis, purga pectus tuum fumigio ex epate piscis, ne te suffocet dæmonium Asmodeus. Ego in hac propositione mea nullum syllogismum, nullum enthymema, nullam sequelam, & consequentiam, qualem tu mihi imponis formavi, sed copulativè dixi: Quia in tota vetere lege nulla vetula vidua, quæ ex primo marito prolem susceperat, reperitur superinduxisse alias nuptias, nec Iudaicæ legit consuetudo patiebatur. Nulla hic est illatio, nulla consequentia expressa, sed una hypothetica copulativa, à qua valet argumentum, quod Annæ triagamia repugnet legali observantiæ. Sed (ut proverbio dicitur) Balbi non nisi balbos intelligunt, ideo quoniam hæc juxta sophisticam tuam instructionem eisdem expressis vocibus barbaro hiatu dicta non sunt, ideo tibi digna visa sunt, in quæ nasi tui stylum luderes: Sed & ne præter ista benedixisse tibi blandiaris, audi Hieronymum illum irreprehensum Theologum hoc more, quem tu carpis, argumentantem: ita enim inquit: Nos ut hæc quæ scripta sunt non negamus, ita ea, quæ non sunt scripta renuimus. Sic ergo Annam sterilem & vetulam, ex Ioachim sterili & sene viro, Mariam virginem divinitus illis per angelum annunciatam miraculosè concepisse & peperisse credo, quia in Evangelicis literis sic scriptum lego. Annam autem secundis & tertiis nuptiis desponsatam aliis maritis, atque ex illorum copula alias suscepisse filias, hoc quoniam in probatis canonicis

nonicis scripturis non reperio, idcirco nego. Præterea cum tale quid nullam vetulam viduam feciſſe in scriptura uspiam constat, nec illiusmodi aliquod de beatissima Anna temerè præsumere debeo. Sicut enim quodcunque in sacris literis legitur negare non possumus: ita quod in illis non continetur, & ratio naturalis non docet, temerè asserere non debemus. Temerarium enim est, & impium de sacris literis aliquid velle definire, quod in illis non legitur, nec de illis ulla ratione probatur. Sed dic quæso, quid operaturam censes istam distinctiunculam tuam inter esse de facto, & esse posse? Quod si esse possit, quod nunquam fuit, ideo ne inferes beatissimam Annam feciſſe, quod nullam vetulam viduam unquam feciſſe scriptura testatur? idque beatissimæ Annæ imputabis, quod etiam in Ethnicis mulieribus, ab ipsis Ethnicis vituperatum est. Portia illa junior cum laudaretur apud eam quædam benè morata mulier, quæ secundum habebat maritum, respondit, fœlicem ac pudicam matronam nunquam præter semel nubere. Possem te infinitis penè exemplis docere polygamiam etiam apud Ethnicos reprobatam, & monogamas semper habuisse inter matronas summam laudem atque decus, ut Lelia Duelli, Portia Bruti, Valeria Servii, ac innumeratæ aliæ laudatissimæ Monogamæ: Solebant quondam apud Romanos muliebri fortunæ sacra fieri, sed non nisi per solas monogamas licebat. Flaminica etiam non nisi unius mariti eligebatur uxor: sicut & Flamen non nisi unius uxoris vir admittebatur ad sacerdotium. Et in Christi ecclesia Paulus ait: Sit Episcopus unius uxoris vir. Diacones sint unius uxoris viri, 1. Tim. 3. Insuper nunc disce non à pediculosis ac sordidis sophistis, sed à splendidis Iurisperitis, quorum scientia sola vel potissima est scientia discretionis inter verum & falsum, justum & iniquum, quæ omnes alias scientias habet moderare, & illis vel frenum injicere, quæ sola dat authoritatem loquendi, tacendiq; præceptum, quæ sola est scientiarum omnium regina, in qua unius orthodoxæ fidei tutissimus portus, apud quam securissimum in dubiis refugium, certissimumque veritatis præsidium, & ubi incorrupta servatur Christi hereditas, qua sola stat & regitur Christiana Ecclesia, & Evangelica schola. Hinc firmiter præcipit canon, ne aliquod volumen, vel quibuscunque liber (licet etiam maximorum sanctissimorumq; Theologorum fuerit editio) recipiatur, nisi sanctorum conciliorum, canonum & decretorum, summique Pontificis authoritate. Ab hac inquam scientia disce, ab hujusque Doctoribus, etiam

ex non actibus induci consuetudinem, eamque etiam vel à solis mulieribus, quando videlicet populus tolerat, atque ille non actus actum aliquem tacitè includit, sicut non nubere, includit continere, non imponere idem nomen pluribus fratribus vel sororibus, includit nomina indere diversa. Quod tu nunc quæris mihi, quot mulieres vetulæ viduæ ex primo marito fœcundatæ continuerint. Dico ego omnes. facit namque pro me juris præsumptio, nisi tu probes contrarium, ostendasque illas multas etiam sanctissimas vetulas viduas & matres, quas apud te constat iterato nupsisse, quarum si vel unam produxeris, herbam tibi dabo. Sed quoniam hoc non potes, ne exemplo carere videaris, illotis pedibus ac sordidis manibus, cæcisque oculis, scripturam ingressus, unam Abigalem educis bimaritam, de qua licet nõ constat, tamen tua'sententia præsumendum sit. eam ut fertilem sobole non caruisse. Sed aliud est cum tuo erratico cerebro præsumere, aliud certo scripturæ testimonio constare. Nos Abigalem speciosam & facundam mulierem post mortem viri sui Nabal nupsisse David, & illi filium peperisse nomine Danielem legimus, sed prolem habuisse ex Nabal stolido & pessimo viro non legimus, nec credimus, nec insuper vetulam legimus, sed pulchra forma speciosam. Sed quid est, quod tu tam audacter præmis de Iudith, atque Anna filia Phanuelis, dicens: Non constat non habuisse semen etiam masculinum, num idcirco constat tibi habuisse, quia non constat non habuisse? Ego de Anna Phanuelis filia utrum filium habeat nec ne, me apud nullum authorem legisse scio. Commendatur quod vidua fuit usque ad annos octoginta quatuor, Luc. 2. De Iudith autem dicere ausim illum semen masculum non habuisse. Quod ea conjectura sequor, quia puellam suam Abram reliquerit hæredem, ut legitur in historiæ ejus fine, quam si tu aliquando legisses, jam non prætulisses polygamas monogamis. Sic namque legitur ibidem: Benedixerunt eam omnes una voce dicentes: Tu gloria Hierusalem, tu lætitia Israel, tu honorificentia populi nostri. Quia fecisti viriliter & confortatum est cor tuum. Eo quod castitatem amaveris, & post virum tuum alterum nescieris, ideo & manus Domini confortavit te, & ideo eris benedicta in æternum. Hoc canticum de Iudith dici poterit, sed tua sententia de beatissima Anna dici non potest, cum illi omnium maximè conveniat. Verùm quod ais Annam prophetissam atque Iudith Spiritu sancto movente consuluisse, sed Annam divæ virginis matrem convenientissimè nupsisse

nupsisse ob progenitorum ex se Apostolorum excellentiam, certè hoc argumento etiam quosque fornicarios incestuososque & sacrilegos cæterosque sceleratos concubitus tueri posses, si modo plures egregia subsequuta illos excusaret collaudaretque. Siccine monialis illa convenientissimè incestum commisit, quia produxit tria illa lumina vestra, magistrum sententiarum, magistrum historiarum, & compilatorem decretorum? Adeo tu Theologus hoc loci profeciti adjutorio logicæ, quod nihil melioribus argumentis hæresi tuæ patrocinari novisti, præstabat etiam hæc obticuisse. Et cum consiliarius Domini nemo (ut ais) exstiterit, tamen ad veros Theologos pertinet, pia curiositate ex his, quæ in sacris libris scripta sunt, divini consilii voluntatem & mysteria scrutari? ideo dixerim: si Dei consilium fuisset beatissimam Annam (quam absque Spiritus sancti instinctu nihil horum facturam fuisse credendum est) iterato nupturam fuisse, non nesciret hoc Ecclesia, nec opus esset ad hoc persuadendum, istis tuis de Cleopha & Salome notoriis mendaciis, frigidissimisque tuis sophisticis ratiunculis.

Non minus futilia sunt, quæ modo subjungis, dicens.

¶ *Tertiò allegat opinionem nostram ut diximus legali contravenire observantiæ quoniam legalis consuetudinis erat non imponere idem nomen pluribus fratribus aut sororibus, & ideo inconvenienter eas tres beatissima Anna uno appellavit nomine. Ad hoc respondsuri assumptum simpliciter negamus. Quod si forsan dixerit proponens nullum legimus id fecisse 9. consuetudinis est hoc non agere hanc verus negat Theologus speculativus similiter & artista, hæc enim consequentia nullius est roboris, nullum legimus, quem occiderit Barrabas, ergo Barrabas nullum occidit, & ex hoc patet, quod ex argumento suo sibi contingat emolumenti Theologicè nihilominus dicimus, quod & si antea mortalium nullus idem nomen duabus aut tribus imposuisset filiabus, nihil tamen culpæ præsumptionis aut dedecoris Annæ asscribendum esse, si id nomen suis tribus imposuerit. Sicuti nihil culpæ præsumptionis aut dedecoris asscribendum venit Apostolis in hoc, quod præter observationes seniorum non lotis manibus manducabant, ut sacrum docet Evangelium Matth. 15. & ideo hoc argumentum est potius scribarum & Phariseorii Apostolos propterea redarguentium quàm virorii proborum. Nunquid petimus aliquid dedecoris asscribendum est Tobiæ proprium nomen suo imponenti filio. Cum id non egerit Adam, Seth, Noe, Abraham, Isaac, Iacob, David, Salomon, Ezechias, cæteriquo antiqui patres. Nunquid præterea arguendus venit quia legalem & paternam fregerit consuetudinem certè nullatenus, quod si non*

nec Annæ item videmus plures in præsentiarum uterinos fratres eodem vocitatos nomine, quod quæso inconvenientiæ illis, aut eorum parentibus propterea accidit, Certe nihil sic nec Annæ sitres filias appellavit Mariæs propterea nomen hoc Mariæ divinitus est Annæ revelatum denuntiatumq, ab Angelo Deiparam virginem hoc nomine vocitandam hanc obrem nulli dubium, quin hæc divinum amorem præ oculis habens aliquid devotionis ac reverentiæ in hoc divinitus revelato nomine acceperit videmus autem ut plurimum edocet experientia parentes baptistam, Iohannem aut Petrum reverentiores multiplicibus filiis præfatorum nomina imposuisse unde non mirum si beatissimæ Annæ Mariæ nomen reveritura sequentibus id imposuerit filiabus quid quæso ascribendum fideli si gloriosam honoraturus Mariam eius nomen duabus aut tribus imposuerit filiabus nihil sane. Sic nec beatissimæ Annæ unde argumentum hoc puerile admodum est & nullis dignum responsis.

Nullum hic audio Theologum nec aliquid Theologice dicentem, sed pessimum sophistam, tam ridicula & impie tenentia obgannientem: nunc occidentem Barrabam, nunc illotis manibus manducantes Apostolos, nunc Tobiam filio nomen imponentem tum præsentium temporum experientiam inculcantem, & his reliqua te non minus absurde addivinantem, ac si præsens omnia cognovisses. Sed cur ex tot Iudæorum genealogiis & familiis non adducis aliquos fratres vel sorores uninomines. Sed laudo te, quod memineris reprobatos Pharisæos, eo quod redarguerent Apostolos: quia contra seniorum traditiones comederent illotis manibus, dicente Christo: Quod jurat per os non polluere hominem, verum illud recolens. Cur tu cum similibus exigitis à Christiano, ut sæpe non modico valetudinis discrimine abstineat carnibus vel lacticiniis, & illum habes pro hæretico, qui causa quavis compulsus quocunque die quocunque cibo vescens, gratias agit Deo. Ac de interdictis cibis canum more collatrando confligis cum populo, ac Christianos homines ob hujusmodi aliquas præteritas ceremoniolas, seu constitiunculas, in media illa confessionum tyrannide, tanquam asinariæ molæ reos condemnas, atque vel in capitis periculum vocas: Sed erravi hic extra propositum, & tibi bilem movi, nunc rursus demulcebo te. Fateor (non tamen à te compulsus) istud argumentum meum non adeo validum esse, quia non tam ex veris, quam verisimilibus medium sumpsi, ita vel à tuis theosophistis ac concionatoribus edoctus, qui dum sanctorum aliquem laudant, tanta augumenta inducunt, ut omnes reliquos excellere videatur: ac de virtute aliqua loquuti, eam omnibus præponunt.

Si autem

Si autem vel de minimo quovis vitio levissimoque peccatulo dicturi sunt, adeo illud vituperant, ut persuadeant nullum illo scelestius, interim non semper vera, sed quævis etiam verisimilia assumentes. Sic & ego hic feci, atque ista non pro necessario argumento, sed pro conjectura induxi, ut ostenderem non tam argumenta, quam conjecturas omnes sententiæ meæ favere.

Sed nunc rursus confusionem tuam (conclusionem dicere debui) audiamus obstrepentem.

¶ Quare asserit tenentes beatissimam Annam trinubam honori beatissimæ virginis detrahere ac sanctitati beatissimæ Annæ hinc satisfacturi respondemus. Quod sanctitati beatissimæ Annæ propter virorum multiplicitatem propterea non detrahimus, sed eam magis commendamus veluti satis deductum est, quo autem filiarum multiplicitas in dedecus beatissimæ virginis non cadat ostensuri Annoi andum indicamus hoc dedecus quam beatissimam virginem pati asseris, proponens, evenit aut propter matris quam concludere videtur incontinentiam, aut propter eius fœcunditatem non primum quin propterea incontinens dicenda non venit sicut nec Abrahamus, qui simul habuit duas uxores qui inquam mortua Sara & si grandævus alteri nihilominus nupsit. sed potius dicenda venit beatissima Anna ex multinobio antiquæ obediens legi ac subservi ens, ut volunt beatissimi Ieronymus & Augustinus & hoc satis aperte deductum est aut hanc sororum pluralitatem dicit proponens in virginis dedecus cedere propter maternam fœcunditatem, & hoc nimis absurdum ab omnibus esse comprobatur. Quis enim sapientum duxerit virum aut mulierem dedecus pati si duas habuerit sorores legitimis procreatas thoro ac nuptiis debita castitati celebratis sorores dixerim omnium virtute pollentes quales fuere Maria Cleophæ & Maria Salome sane nullus. Quod si minus perfecte fuissent imo & peccatrices quod tamen falsum iudicamus, quid Deiparæ virginis decoris propterea ascribendum foret quid quæro dedecoris Christus patitur qui à turpissimis processit parentibus an supremus eius propterea diminuendus sit honos quia à Iuda incestuoso à David adulteri & homicida à Salomone templorum Idolaticiorum constructore ab Acham Manasse Ezechia & cæteris idolatris & pernitiosis peccatoribus à Thamar incestuosa & in Bivio sedente à Raab & Ruth gentilibus. A Bersabeæ adultera processit certe nullus à fortiori nullum dedecus propterea invadit virginem ab omni alienam contagiosi castas pudicas sanctas humiles habeat sorores quin imo his eius decoratur cognatione ex quo clarissime argumentum contra allegantem potius cedit, quam in nos qui claram eius sustinemus parentelam.

Multa hic inutilium verborum cumulo jactas, & cæca temeritate aerem diverberas, ipsis propositionibus meis octava & decimaoctava, contra quas conaris omnino intactis, dicens satis jam per te diductum esse beatissimæ Annæ ob virorum multitudinem non detrahi. Si id modo satis per te diductum est, abunde satis per me tibi responsum est. Itaque cum tu hoc loci altius non incedis quam in superioribus quo me remittis, nec mihi opus est te supra quam in superioribus revincere, atque hoc loci cum tuis nudis verbis pugnare. Sed heus tu, quam pie dicis te beatissimam Annam magis commendare, cum illam conaris ostendere trigamam. Nec dici vis te illi in aliquo detrahere, cui tam venerandam monogamiæ continentiam niteris auferre. Quod autem honestati sanctissimæ virginis Mariæ detrahatur, qua ratione hoc ego in decimaoctava propositione mea exposui, tu tacendo dissimulas, & ut egregium sycophantam decet, magno futilium verborum strepitu, ac ineptissima quadam distinctiuncula, fingis ratiunculam, ut tibi videtur, impugnare valeas. Ego iterum dico tibi, plus honorant sanctissimam virginem, qui pro matris suæ viduali continentia dimicant, quam qui conficta matris trigama, illi vel omnium sanctissimas sorores nepotes cognatos commentiuntur.

Non sic impie non sic, non ex hoc decoratur divæ virginis cognatio, quo claram illi commentitus sis parentelam, nec multo absimiliorem illa, quadam Elvidius hæreticus olim commentitus est Christo. Non est theologus, ne probus quidem Christianus, qui quantumcunq; officiosis mendatiis ac prodigiosis fabulis sanctorum laudes decorat, sed qui ad sacras & veras historias, etiam vitæ morum ac fidei rationes accommodat. Veritas historica negat Annam illis maritis nupsisse, negat Annam illas filias peperisse. Accedit ad hoc sanctissimæ viduitatis institutio, qua decebat matrem illam cujus filia prænuntiata est castissima virginitatis idea fuisse vidualis continentiæ sanctissimum castissimumque exemplar. Potius igitur audiendi sunt, qui pro beatissimæ Annæ continentia monogamia q; decertant, quam qui secus agunt. Sed quæ dicis tu multinubium esse de obedientia legali, atq; ita velle Hieronymum & Augustinum, idq; per te aperte satis diductum. O miserabilem & cæcam tuam pertinaciam. O sanctorum patrum nequam tuam calumniam. O nefariam tuam insolentiam. Citasti in superioribus verba Hieronymi contra Elvidium & contra Iovinianū, insuper & quædam dicta Augustini, & ais in libro de bono conjugali,

jugali, quorum tamen ipse auctor est in libro de virginibus, ex eo ipso satis monstrans, te illos doctores in suis voluminibus non legisse. Veruntamen quantum ibi profeceris, eo loci satis tibi onustum est. At nunc iterum sed multo fœdius spuis in gloriam sanctorum illorum, suntque posteriora pejora prioribus: nec solum non credis veritati, sed & addis infidelitati blasphemiam. Forte quia inveniet diabolus domum tuam ornatam, vacantem, & securam, ideo ingressus adhuc habitat ibi, & de sepultis cineribus rediviva commovet incendia.

Cæterum nunc multis similitudinibus accinctus, tanquam asinus λεοντῆ amictus, contra decimam nonam propositionem meam insolescis dicens:

¶ *Quinto alleyat dicentes beatissimam Annam trinubam detrahere figuræ quoniam sicut ex Adam unica singularis facta est Eva ita ex Anna una singularis Maria quæ est secunda Eva producta & ad hoc dicendum primo quia hæc est improbanimis est absurda figuræ appropriatio neque puto aliquem probatum doctorem sensisse sed fabrum suum id somniasse dic quæso ubi autentice legisti Adam qui vir est Annam mulierem præfiguraſſe sane figura hæc est præter communem & ordinatam iplarum figurarum seriem an non fœminæ faminarum opera figuratum designare solent & viri subsequentium operationes virorum. An non Iudith gloriosa Olifernis interemptrix virginem diabolum superantem præfigurat non hominem. An non Hester populum reconciliatura Iudaicum virginem designat humanum Deo reconcilians genus. An non fortis ille Samson ordinata figurarum serie Philisteos & vita & morte devincens Christum repræsentare solet non mulierem. An non David Goliam occisurus verum Christum designavit non mulierem. An non magis teste Augustino Adam dormiens in Paradiso à quo processit Eva Salvatorem nostrum in cruce dormientem designat à quo processu ecclesia & ecclesiastica septem sacramenta Absit vera sane figuræ appropriatio & nihil ad allegatum efficiens propositum. Dicimus secundo quod & si Adam in productione Evæ beatissimam figurativæ designasset Annam non tamen ex hoc inferendum putamus quod cæteras non genuerit Marias. Clarum enim est quod Iudith unicum occidit virum utputa Olofernem non tamen iuxta figuræ appropriationem concludendum est beatissimam quam præfiguravit virginem unicum deviciſſe dæmonem aut solos tartareos superasse principes quin etiam malos & obstinatos devicerit blasphematores de Iuliano legimus. Præterea Hester solum Israeliticum qui sub potenti Assueri imperio degebat reconciliavit populum non tamen ex hoc deduci putamus beatissimam virginem solum Israeliticum Deo reconciliasse genus quin infinitam gentium multitudinem suis reconciliavit precibus Samson & David in occasione*

Goliæ

Golyad solos devincere Phylisteos non tamen ex hoc concludendum est Christum solos superasse dæmones quin etiam luce clarius perfidam sacerdotum Pilati mundig, dereceri malitiam sic & Adam Evam producens Annam designasset à qua beatissima processit virgo non tamen ex hoc deducendum est hanc solam genuisse cum figurato figura in omnibus respondere non habeat alias figura non esset sed rei figuratæ veritas:

Heu mihi quam acriter hic dimicas, quam gravissima figurarum talenta contra me exoneras. Hei mihi quo me vortam, quo evadam?

Vltra sauromatas fugere hinc libet & glacialem Oceanum.

Sed ipse tu ab hac perplexitate me liberas cum fatearis, non esse necesse figuram figurato in omnibus respondere. Sed quomodo dicis tu Iudithem prefigurare virginem, non hominem, an tuo sensu virgines non sunt homines? Deinde ubi legisti tu Christum in cruce dormientem: Forte est aliquis sanus intelligendi modus, quem docet illa subtilissima dialectica, sine qua dicis nullum esse theologum perfectum & speculativum. At modo ad rem ipsam redeamus. Apud omnes receptum est, Evam prævaricatricem non modo ecclesiam, sed & ipsam significare Mariam, quæ hinc dicitur secunda Eva, vera mater viventium. Quod ergo inconveniens, si Adam figuret Annam, quandoquidem sicut unica Eva ex Adam manu Dei formata est, sic unica virgo Maria ex Anna divino miraculo nata est. Quid mirum nunc si Adam figuret Annam, si mas fœminam quandoquidem longe absimiliores similitudines scriptura indicat: neque necessarium sit similitudines omnes sibi consentire & respondere pro qualibet sui parte. Nonne lapis angularis, & serpens ille æneus, figurant Christum: Quod remotissime similitudines sunt in canticis, quæ beatissimam virginem figurant & ecclesiam: Figurat Marcum leo, bos Lucam, Ioannem aquila, sic tu & tui similes forte figurati estis in equo Balaam, videlicet asino, sed humana voce loquenti. Sed dices forte apud nullum doctorum tuorum talem figuram reperiri ubi sexus fiat confusio, sed Fabrum hanc de Adam & Anna præter usum doctorum talē excogitasse, quod facere nobis minime liceat. At nunc arrige aures potitor Balaam, & docebo te nihil per nos tentatum, quod itidem non consueverit apud alios. Audi quendam scholasticum doctorem, sed & virum bonis literis eruditum (licet alicubi in quibusdam à Fabro dissentiat) Marcum grandivallem, qui Mariam illam pudicissimam Martæ ac Lazari

Lazari sororem, ad Mosen ipsum figuraliter refert, ac totum illud evangelicum de suscitatione Lazari, lachrymis ac fremitu Christi, precibus Mariæ, refert ad confractas tabulas, iram domini, & preces Mosē. Figuratur alicubi Christus per aquilam, tu nunc si potes da aquilam marem. Opponis mihi Iudithen & Hesterem fœminas fœminam virginem præfigurare, at Hester etiam ecclesiam figurat cujus magna pars mares sunt, quemadmodum regina vasti judaicam notat synagogam, ni forte figura plus debeat consonantiæ vocabulorum quam rerum. Iudithen autem castitatis exemplum, castitatis suæ remunerator, non solum fœminis, sed & viris imitabilem dedit, quare & illius figuratio à masculo sexu si occasio sit non abhorrebit. Nunc ergo dico tibi, sicut ad omnes vitæ actiones convenit theologo figuram aliquam seu exemplum è divinis literis venari: Ita unumquodque exemplum, pro temporum rerum ac personarum diversitate ad quæ accommodatur, aliam atq; aliam conveniet induere figuram. Nam ipsa scripturarum veritas variis in rebus varie relucet. Quod autem conaris dicere, quod stante figura illa qua Adam notat Annam, Evaque Mariam virginē, tamen unitatem Evæ ex Adam, non debere figurare unigenitam. Mariæ virginis ex Anna. Certe hac tua cavilla etiam negare posses unitatem ecclesiæ, quæ hac eadem figura denotatur. Quod cum de ecclesia non poteris, nec de Maria virgine poteris. Ea enim est divæ virginis colligantia cum ecclesia ut quicquid in sacris literis de ecclesia dicatur etiam in ipsa miro modo quadret.

Quod autem his dictis tuis subnectis inquiens.

¶ *Dicimus tertio sese Hieronymo argumentum à mistico sensu acceptum nullius esse roboris aut momenti & nihil ex eo apud doctos aut in schola formaliter concludendum hanc ob rem si id tacuisses doctorem & formaliorem argumentatorem se ostendisset.*

Facis tuo more, quod velis omnia ad tuum nutum exponi, & scripturas ac argumenta non nisi pro tuo libito induci. Nec probas quod assequi nequeas, omniaque illa taceri velis, quæ cum tuo scholastico instituto pugnare videntur. Esto igitur nunc quod Hieronymus sic alicubi dixerit, quod me tamen apud Hieronymum aliquando legisse non recordor. Fatebor hujus argumenti non semper magnam vim esse, nisi ad persuadendum, minimam autem ejus efficaciam esse, in illis argutis sophistis, qui hoc adeo ludunt, ut ad omnem rem quam jam antea præcogitatam secum animo adferunt persuadendam, vel ineptissimam aliquam figuram, vel ridiculosum apologum affingunt:

fingunt: cujusmodi sunt, subtilis ille sermocinator Iordanus, qui deceptus vocabulo pellium, & Midianitarum tentoriis quorum meminit Abacuc, pellem fecit Bartholomæi excoriati. Ei magnus ille scholasticæ historiæ magister, qui ex pullis struthionis vitro inclusis, educit passionem Christi. Sed sunt istis longe subtilioris stulticiæ doctores, ut qui circuli quadraturam (eo quod scientia ejus non existente scibile sit) componunt cum fide Christi: & divinæ tradis mysterium. figurant in verbo activo, passivo, & impersonali. Certe ejusmodi figuræ, & tuorum sophistarum fictiones, nullius roboris sunt aut momenti, sed tam frigidæ & absurdæ ut nedum nihil probare, sed ne leviter aliquid persuadere valeant, nisi alia accesserint testimonia, & nulla sit contradictio. Rursus, valet sæpissime à figura argumentum, quando scilicet ex sacris libris & divinis literis ad piam sanctamque vitam figura elicitur suis circumstantiis, personarum, temporum, locorum, modi, numeri, occasionis, præcedentium, & subsequentium, ipsarumque scripturarum collatione, sibi undique constans, & persimilis, talis revera efficacissimum præstat veritatis argumentum. Nullum enim sic arte componi mendacium potest, ut undiq; sibi constet: neque tamen continuo mendacium est, quod præter singularum circumstantiarum similitudinem exponitur. Nam sæpissime multa cadunt in figuram, non ut significent, sed ut constet historia. Rursus multa sunt in sacris literis, quæ si absque figurato sensu per rudem verborum corticem apprehenderis, non sint nisi noxia, cujusmodi sunt divendita tunica emere gladium, non vesci fermento pharisæorum, lavare in vino stolam suam, & in sanguine uvæ pallium suum. Sunt & pernitiosiores sensus nisi figuræ remedium succurrat, ut illud: qui se castraverunt propter regnum Dei, & illud: carbones igneos congeres super caput ejus, & illud: si oculus tuus scandalizaverit te ejice illum foras, & alia multa, quæ huc adducenda forent, nisi tu cujus stomacho non sapiunt hæc scripturæ arcana mysteria, tanquam res arbitrarias, somniisque similimas, fastidires respueresque, ut in schola tua nihil formaliter, concludentes. Propterea forte, si Origenes, Ambrosius, Hieronymus, Bernardus, ipse etiam Paulus Apostolus, de hoc argumentandi genere tacuissent, ac pro scripturarum allegoriis, syllogismos in datisi vel darapti producerent, doctiores & formaliores essent, & in schola tua magis haberentur in manibus.

Sed rursus nunc ad excetram tuam revertamur, & quam strenue

nue posteriorem propositionis meæ partem redarguis audiamus. Ita namque insurgens inquis.

¶ *Sexto allegat omnes sanctas mulieres quarum partes divinitus annuntiatus est contentas illa prole fuisse nec alteram super adduxisse quod & facere debuit Anna. Ad hoc facile respondere est. Constat enim Samuelem divinitus prænunciatum fuisse nec tamen eo ablactato proba eius desiit concipere mater quin imo post eum tres filios & duas peperit filias ut regalis testatur historia & quoniam tres pro sui fulcimento nobis potest obijcere fœminas Saram Abrahe uxorem Mannue Sansanis genitricem hæc enim postquam domino revelante singulos conceperunt filios post hæc concipere desierunt sic & de Anna dicendum hanc negamus consequentiam & hanc negarent philosophi quoniam in arte deficit negamus iterato propter dissimilitudinem. Constat enim de Sara quod ei vetustate consumpta desierant muliebria ut ex Genesi patet. Apertum est ex evangelio Elizabet & Zachariam processisse in diebus suis Iudicum liber enucleat uxorem Manue natura sterilem esse unde non mirum si post hoc non conceperint & si ex scriptura deducendum non putemus eas dem post hæc continuisse quinimo probabilius magis in contrarium cedat nec enim æstimandus est Abraham genito Isaac Saram non cognovisse qui ea mortua alteram adduxit uxorem unde cum hæc sterilitas in beatissima non concludatur Anna argumentum hoc contra nos nihil efficit.*

Iterum te non pudet in sacris literis tam audacter addivinare, etiam mendacia. Constat ex Regum historia Samuelem nō prænunciatum, sed multiplicibus precibus, lachrymis & votis per matrem suam postulatum, cui sic adoranti benedixit Heli sacerdos. Vade in pace & Deus Israel det tibi petitionem tuam quam rogasti eum. Postquam benedictionem concepit & peperit Samuelem, quo ablactato & oblato in templum domini, iterum benedixit Heli patri & matri ejus, dicens: Reddat tibi dominus semen de muliere hac pro fœnore quod commodasti domino. Postquam benedictionem nec antea iterum concepit adhuc, & peperit tres filios & duas filias. Hæc sunt quæ de Samuelis ortu regalis narrat historia, de prænuntiatione autem nihil, sed est hoc loci per te malitiose conficta & commentita. Quod autem tu negas meam ut vocas consequentiam, quoniam hanc negaturi sint philosophi & artistæ. Certe ego parum facio quid artistæ & philosophi tecum de hac sensuri sint, modo illam non inficiantur veri theologi, cum quibus malim ego in consequentiarum artificio deficere, quam cum tui comparibus scholasticis sophistis (qui vobis plusquam homines videmini) argutissime colligere. Sic enim quoniam nec

Apostoli

Apostoli quidem pacem vobiscum habituri sint, si oporuerit disputare: ut qui ipsi non satis magistraliter, seu parum dialectice fidei mysteria diviserunt, definieruntve. Nam datam à Paulo fidei definitionem carpitis, tum quod spei conveniat, tũ quod tantum loquatur de futuris. Similiter charitatis divisionem ad Corinthios pungitis. quia Thomistico Scortidoq; artificio infusam ab acquisita non secernit, nec distinguit inter creatam & increatam. Ita non pudet vos sacrilegos sophistas, adoranda magis quam explicanda fidei mysteria, tam sordidis formalitatum, quiditatum, ecceitatum, qualitatum, & similium portentorum monstrosis vocabulis, simulat Aristotelis, Averrois, Porphyrii, & hujusmodi impiorum sententiis, conspurcare, omnemq; christianæ theologiæ majestatem, ad prophanas ethnicorum argutias, tanquam ad Critolai regulam adigere. Sed modo ad dicta tua revertamur. Fateris Saraam Abraham sterilem & vetulam cui jam defecerint muliebria, sed spurco ore illam post Isaac genitum ab Abrahamo adhuc cognitam effutiris. Fateris etiam Samsonis matrem fuisse natura sterilem, Elizabet etiam & Zachariam Ioannis parentes processisse in diebus suis, atque ideo non mirum videri debere si post annunciatos partus non conceperint. Dices insuper quod in beatissima Anna talis sterilitas non concludatur, adeo te illuminavit logica ipsa, quod præ nimio fulgore suo oculos tuos in sacris literis penitus caligare fecerit & cæcutire. Quod si tu omissis tuorum scholasticorum putidis commetis, corollariis, & conclusionibus, bonos auctores & necessarios theologo literas aliquando vel invitus introspexisses, didicisses ex Matthæi evangelistæ historia beatissimam Annam dum Mariam virginem conciperet, non modo fuisse natura sterilem, sed etiam exactæ ætatis (ut cui jam muliebria defecerint) vetulam. At cur spretus à pontifice Ioachim? cur oblatio ejus repudiata, nisi quia exactum erat tempus quo Anna juxta naturam parere potuisset? nec solum jam natura, sed etiam ætate inhabilem. Quod etiam ex eo scire deberes, quia Elizabet Annæ neptis, ex Esmeria sorore natu minore, jam senex erat, cum annunciaretur beatissimæ virgini, quod filium Dei conciperet, dicente ad illam angelo (ut est apud Lucam) Ecce cognata tua & ipsa concepit filium in senectute sua.

Nec istis argumentis tuis pluris facienda sunt illa quæ nunc contra Salomonis cantica per me adducta opponis, inquiens:

¶ *Septimo contra nos allegat prophetiam Salomonis canticorum sexto dicentis sexaginta sunt reginæ & octoginta concubinæ & adolescentularum non est numerus, una est columba mea perfecta, una est matris suæ electa una genitricis suæ. Ac dicendum est primò prophetiam hanc secundum litteralem sensum nõ repræsentasse beatissimam Annam, nec eandem unicam habuisse filiam, glossa enim interlinearis eam exponit de fidelibus & super lyra habet interlinearis una simplicitate, & ideo ex hoc non elicitur singularitas. Postillator autem litteraliter exponens ait per unam quæ dicitur columba & sponsa intelligitur tabernaculum in Ierusalem ubi erat Archa, quia præ cæteris civitatibus & locis erat ad cultum Dei electa matris suæ eccl. siæ triumphantis. Hugo autem Cardinalis exponit de ecclesia dicens, una est columba mea, una quidem licet plures personæ. Idem una unitate fidei, & hoc beatissimus corroborat Hieronymus in prologo Bibli. dicens, Salomon pacificus ecclesiam iunxit & Christum, sanctarum, nuptiarum dulce canit epithalamium. Nec aliquem probatum æstimamus doctorem qui hanc somniaverit prophetiæ appropriationem nisi forsan suus Faber nec tamen ut deduximus secundum litteralem sensum qui solus dat pro oppositio efficaciam argumento, & ex his deduximus allegantem prophetiam hanc ad hoc propositũ rudi nimis fabricasse peritia & nihil ad præsens. Secundo dicendum quod & si de Anna intelligenda esset nihil tamen contra nos est dicere quod sit una genitricis suæ, ubi enim una dicitur intelligendum est etiam esse unicam Annæ ex primo eius marito videlicet Ioachim vel una dicenda venit propter virtutis excellentiam & sublimitatis præeminentiam sicuti secundi reguñ vigesimotertio Abiasar frater Ioab nominatus in tribus dicitur.*

Quid hîc dicis quæso, an nulla scriptura possit aut debeat aliter applicari quàm sonat sensus litteralis, & glossa interlinearis, ac postillatores recitant? Quod est illud tuum argumentum? quæ est hæc tua sequela? glossa interlinearis ita exponit, ergo non licet quavis ratione aliter exponere: Postillator quispiam vel Hugo Cardinalis sic applicant, ergo non licebit aliter applicare quàm fecerint illi. Talia ne argumenta formant qui veram didicerunt logicam? Siccine ratiocinantur perfecti & speculativi Theologi? adeo profeciisti in Parisiorum sorbona? O perditissime sophista, evolve cuncta tua parva logicalia, exponibilia, insolubilia, obligatoria, omnesq; sophisticos de modis exponendi & respondendi libellos, si fortè posses aliquo syllogismo in baroco vel paralipton hanc tuam sequelam salvare. Ego possem tibi innumeras fermè sacrarum literarum auctoritates producere, quas sanctissimi doctores longè aliter applicant quam litera habet & communis scholasticorũ usus, non tamen aliter quàm spiritus sanctus intendat. Fecerunt

hoc Apostoli, fecerunt Evangelistæ, facit & ipsa ecclesia. Allegat Paulus Athenienſis aræ inſcriptionem longè aliter quàm eſſet, allegat Matthæus Hieremiam de triginta argenteis longè aliter quàm ille ſcripſerit, allegat ex Zacharia illud: percutiam paſtorem, ſecus quam Propheta intendit, idem & illud propheticum: Nazaræus vocabitur, quod tamen in prophetis nuſquam comperitur. Exorditur Marcus evangelium ſuum, ſicut ſcriptum eſt in Eſaia Propheta: Ecce ego mittam angelum meum, quod tamen Eſaias neque ſcripſit neque intendit. Narrat apud Lucam Stephanus hiſtoriam de deſcenſu Iacob in Aegyptum, ſed longè alius ſenſus eſt aliaque intentio apud Geneſin. Rurſus annon eccleſiaſticus uſus evangelium de Maria ſorore Marthæ applicat beatiſſimæ virgini? nunquid etiam ſanctis confeſſoribus applicat verba eccleſiaſtici de Chriſto: ecce ſacerdos magnus? & quod ſcriptum eſt de Enoch: qui placuit Deo? & quod de Noha, qui inventus eſt juſtus? &, in tempore iracundiæ factus eſt reconciliatio? & quod de Abrahamo: non eſt inventus ſimilis illi qui conſervaret legem excelſi? & quod de Iſaac: benedictionem omnium gentium dedit illi dominus, & teſtamentum ſuum confirmavit ſuper caput Iacob? & quod de Moſe: dilectus Deo & hominibus? Sic & cantica Salomonis multi Chriſto tribuunt & eccleſiæ, quidam alii animæ conjunctioni & verbi Dei, alii beatiſſimæ virgini Mariæ, inter quos eſt non ſpernendus doctor Alanus. Multiplices enim ſenſus exponendi ſacras ſcripturas in eccleſia recepti ſunt, & vetuſtiſſima conſuetudine frequentati, in quibus modo nemo retorqueat ſacræ ſcripturæ expoſitionem ad id quod contrariatur fidei & eccleſiæ. Vnicuiq; in ſuo ſenſu abundare licet, magis autem liberè in his quæ nondum ſunt per eccleſiam determinata, aut quorum nihil intereſt ad fidē utrum ſint vel non ſint, ſic, vel aliter teneantur. In his enim teſte Gregorio Nazianzeno, in libro contra Eunomianos, cui titulus eſt προδιαλέξις. Vt obtinere non eſt inutile, ita peccare ſine periculo. Quamobrem ſi ego cum Iacobo Stapulenſi hoc Salomonis canticum, præter interlinearem gloſſam, & Hugonis aliorumque poſtillas, ad beatiſſimam Mariam virginem retulerim, nihil in hoc feci quod tu juſtè queas reprehendere, qui es omnis bonæ eruditionis expers: nec veros theologos, neque Bibliam ipſam perlegiſſe comprobaris, niſi fortaſſis ut cams è nilo. Sed tantummodo in tuorum conſophiſtarum putidis & marcidis excerptis, ac Bianicis reportatis, uſque in hanc tuam ſenectā inveteratus dierū malorum, tanquā θοῦς κύκλου nutri-

nutritus es. Porrò quam nobis condonare renuis improprietatem in verbo ſoror, tu tibi præſcribere conaris in dictione una, dicens hanc intelligendam eſſe ut dicatur una duntaxat exprimo Annæ marito, vel propter virtutis excellentiam, vel ob ſublimitatis præeminentiam. Hoccine tibi videtur doctum & formalem argumentatorem eſſe, ſic ſcilicet aliqua molli & effœminata impropriitarum formula, & æquivocationis alicujus puerili diſtinctiuncula ſummis labris nata, tortuoſaque argutia aliquo reſilire, & elabi vel in foveam quam feciſti, ut rectè in te luſum ſit proverbium, turdus ipſe ſibi malum cacat.

At nunc iterum ineptias tuas pauliſper audiamus. Ais enim:

¶ *Octavo contra nos allegat miraculum dicens, quod ex pluralitate nuptiarum conceptus Mariæ non videretur miraculoſus, ſed potius ex concupiſcentia carnis. Reſpondemus hoc ſimpliciter negando dicimus enim de beatiſſima Anna ſi poſt hæc vigenti habuiſſet liberos, hoc non attribuendum concupiſcentiæ, ſicuti nec quiſpiam concupiſcentiæ attribuere debet conceptus multiplices & diverſos Annæ Samuelis poſt ablactatum Samuelem. ſi enim quiſpiam mulierem aut prægnantem aut parturientem videat an de iſta indicare poteſt ipſam ex concupiſcentia aut parturiſſe aut concepiſſe & non ex amore filiorum procreandorum ſane nequaquam. Quod ſi fecerit temerarie indicat nec diurnam evitat offenſam temerarium iudicium prohibentem, ſi autem de honeſta qualibet non liceat hanc concupiſcentiam iudicare muliere a fortiori non de Anna pudiciſſima igitur argumentum nullum 2. conceptum beatiſſimæ virginis miraculoſum nedum ex parentum conditione ſed ex angelica denunciatione ac divina nominis impoſitione dicimus 3. quod & miraculoſus fuit ex parentum ſterilitate. Quod ſi arguatur ſi Anna ſecundo concepit igitur non fuit ſterilis. Ad hoc reſpondemus quod ſi Anna ſimpliciter non fuit ſterilis ſtat tamen Ioachim & Annam ſimul coniunctos ſteriles fuiſſe. Nonne videre eſt in præſentiarum hominem ad unam accedere non poſſe qui tamen ad alteram accedens ex ea concepit nedum ipſe ſed & mulier ex altero. Nunquid videre eſt mulierem quæ & ſi cognita à proprio viro non conceperit à ſecundo tamen concepiſſe viſa eſt. Sic & in præſentiarum dicere convenit & ſi Anna ex ſecundo & tertio naturaliter conceperit hoc tamen non derogat miraculo. Quin ſi fœcunditas naturalis ſecundas & tertias decoravit nuptias, nihil tamen obeſt quin primas viſa coniunctorum ſterilitate ſupernaturalis adornaverit fœcunditas.*

Pulchrè certè & magistraliter hic distinguis inter desiderium filiorum procreandorum & concupiscentiam. Sed longe magis magistrale est & ita magistrale, ut intellectum meum penitus effugiat, quod videlicet dicis, hominem ad mulierem accedentem ex ea cõcipere. Certè hoc miraculum jam omnia miracula facilè obfuscaret, quod vir conciperet ex fœmina, si modo etiam pareret. Fortè tamen aliquem partum, qualem apud Horatium ficulneus ille hortorum Deus, magno cum Canidiæ & Saganæ timore fugaque olim emisit. Verè jam impletum est quod in præfatiuncula conclusionis tuæ pollicitus es, te secundum exiguitates tuas aliquantulum daturum responsum, & juxta Sapientis proverbium, stulto juxta stultitiam responsurum. Tam stultè hic respondisti, ut nihil hoc dici posset stultius. Nunc autem iterum dico tibi, nequaquam credibile est Annam postquam legi, voto, & angelico mandato satisfecerat, ipsamq; Deiparam virginem ex utero suo perbeatam sine originalis maculæ inquinatione tam inganti miraculo peperisset, unquam novam desiderasse prolem, quinimò fuisset ingratissima, si tali prole, cujus inter hominum genituras nulla unquam fuit nec futura esset dignior, non fuisset contenta. Quin & Ioachim etiam, vel quicunque alii, verè fuissent præsumptuosissimi & sceleratissimi, si sanctificatum tanto partu uterum, violare ac polluere præsumpsissent. Semel admonuit eam angelus quod conciperet, filiam dicens non filias: nec alias illam admonuisse legitur, nec aliud miraculum pro alia filia gignenda factum legitur. Non credimus ergo Annam gignendam aliam filiam concupivisse, nec aliud unquam attentasse, uterumque suum tantæ virginis sine originalis maculæ partu, nunquam desiderata alia & in originali culpa prole infecta præbuisse temerandum. Nunc ergo dic mihi quæso primum, num beatissima virgo sine originali macula concepta duntaxat vel nata sit? neque enim usque adeo thomistica theologia te captivavit opinor, ut hoc negaveris. Dic rursus num aliæ illæ filiæ, quas tu Annæ contribuis, ab originali culpa fuerint præservatæ? dicere illud non audebis. Nam vos thomasitæ, etiam divæ virgini Mariæ, hunc honorem, quod scilicet sine peccato originali prodierit, non nisi inviti & timore falsiculorum (quibus mea ætate hanc ob rem plures prædicatorii ordinis thomistici doctores tam in Florentia Italiæ, quàm in Berna Helvetiorum Romanorum pontificum sententia absumpti sunt) conceditis. Quomodo ergo nunc affirmabis, quod Anna, quæ concepit peperitve sine peccato filiam,

filiam, jam tentaverit alias filias gignere in peccato, ne fortè id efficere potuerit, illa tua ridenda distinctiuncula, inter desiderium procreandæ prolis & concupiscentiam. Non minus ridendus, imò & contemnendus es in sequentibus, ubi non minus detrahis parturientis Annæ miraculo, dicens Annam sterilem non fuisse simpliciter, sed (ut tuorum scholasticorum more loqui liceat) secundum quid duntaxat, & relativè cum Ioachim conjuncta, cum cæteris autem secundo & tertio maritis, fuisse natura fœcundam. O sceleatissimi sophistæ excidendam candenti ferro linguam, per quam diabolus ipse contra sanctissimam Annam adeo deprehenditur blasphemasse. Quid enim dicere potuisti impudentius? atque interim gloriaris te beatissimæ Annæ non detrahere, sed te illam commendare. Si hæc tua blasphemia divinam evitatura sit offensam, ipsaq; sanctissima Anna pro hac ejus contumelia tibi vel parum propitia futura sit, plus quàm miraculum erit.

Iterum nunc quædam, quæ superius fœtente stomacho eructasti, hic quasi anacephaleose quadam objiciendo resumis, ac pro insana lingua tua eandem cantilenam repetis. Quia loqui nescіens & tacendi impotens, alia contra hunc locum argumenta non habes. Dicis itaque.

¶ *Item nono allegat argumento quia dicentes Cleopham fuisse secundum Annæ virum ex quo peperit Mariam Alpheo iunctam errant corde nam Maria Cleophe ut obloquitur testibus Egesippo & Eusebio non ita vocatur à patre sed à marito quia fuit uxor Cleophe. Ad hoc dicimus sufficienter nos respondisse ubi non solummodo duos sicuti effecit ipse sed multo plures antea adduximus doctores sufficientiores pro infringenda allegatorum ab ipsa phantasia. Non soli contra eos militant doctores, sed & sacer ut prædiximus Evangelij textus Iohannis decimo nono, dicentis: Erant iuxta crucem Iesu mater eius & soror matris eius Maria Cleophe.*

At ego pro meis illis duobus doctoribus, ac evangelica litera, contra tuorum glossemata & postillas, ac contra totam illam tuam, omnemque theosophistarum tuorum, non equestrem sed asininam phalangem dimicando tuis propulsis, illos meos illæsos victoresque reduxi.

Tu autem nunc magna sesquipedalium verborum pompa, tanquam claudiano tonitru exclamas.

¶ *Nec valet dicere illud damnabile & nimis absurdum dictum quod ipse proponens evangelium execrate nimis correcturus asseruit non Mariam Cleophe sed uxorem Cleophæ apponendum in Græco non Maria uxor habetur. Non valet dixerim illud præsumptuo-*

sum asserere quin si sic falsum evangelium nostrum Romanæ similiter & omnes Latinæ errant ecclesiæ iam fidei nostræ fallum subijcitur & sic inanis & falsidica est scriptura nostra sacra & ex consequenti fides nostra nullius roboris ac momenti esse comprobatur. Quis quæro hoc te docuit nisi forsan unicum à somniatoribus propositum verbum Ipsa videlicet Græca quam prædicis asserioque ut asseris habent stabant iuxta crucem Iesu mater eius & soror matris eius uxor Cleopha ex his negare volens Cleopham beatissimæ mariam exitisse Annæ. Dic rogito an potius credendum sit scriptura Græcæ quæ suos in præsentiarum fautores habet hæreticos à Romana divisos ecclesia quæ quidem ut pernitiosam suam foveam hæresim suis vitiare non cessauit doctores. Negantes enim processionem spiritus sancti à patre & filio dicunt Anastasium suum non dixisse in symbolo spiritus sanctus à patre & filio non factus nec genitus sed procedens sed dixisse à patre per filium quod est contra sacrorum approbationem consiliorum & catholice determinationem ecclesiæ. Quin potius credendum sit sacris doctoribus nostris & Hieronymiana translationi ab ecclesia probatis forsan dices translationem hanc viciatam hoc in præsentiarum utpote blasphemum non negare non possumus ubi autem vitiatum in alio ostenderis, quod tamen non credimus non tamen in hoc passu ut præmisimus beatissimus ille Hieronymus hanc pro hac parte in suis corroborat Epistolis. Nec solus contra te in hoc militat Hieronymus. Si enim & Augustinum legeris super Iohannem in lib 3. de consensu Evangelistarum Invenies eundem dixisse in textu Iohannis Mariam Cleophæ non uxorem, nec minus multas glossa interlinearis Hugo Cardinalis & cæteri solennes, quos ostendemus Doctores. Constat igitur tam absurda doctorum solempnium negatio propter unius scilicet Erasmi in præsentiarum viventis assertionem nec auditu dignam his sane potius credendum, quam uni & ex consequenti & allegantis asserta veluti fidei scandalosa neganda, & eodem contextu videtur falsum esse, quod subiungit dicens Cleopham eundem hominem binomium fuisse.

Non erat usque huc satis tot copias tuas fudisse; tot munimenta tua subvertisse, tot sustulisse insidias. Quod nunc restat expugnandum longe horribilius est.

Centauri in foribus stabulant, Scyllæq; biformes
Disponunt enses, & scuia latentia condunt.

Totus hic in rabiem versus vocas nos damnabiles, absurdos, excæcatos, præsumptuosos, blasphemos, scandalosos, somniatores, auditu indignos, fidei Evangelii ac scripturæ falsarios. Nec hoc tibi satis est, nisi ipsum etiam Erasmum Rotorodamum

rodamum (cujus hodie Christiana Ecclesia in sacris literis doctiorem parémve non habet alterum) graphice momorderis, tuæque impuritatis sordibus aspergas, vocans eum unum à somniatoribus, atque assertionem ejus auditu indignam. Denique omnes Græcæ scripturæ fautores thomistico more hæreticorum fautores dicis, & hæreticos. Manhu, quid hîc audio, quàm horrenda criminum nomina in hoc album vocas? quo te rapit pestilens furor, & obsessæ mentis insania?

Ignescunt iræ, & durus dolor ossibus ardet.

Quis te fascinavit spiritus nequam? Vbi Theologici nominis modestiam, ubi sacerdotalis religionis continentiam, ubi fraternum cucullæ titulum reliquisti? Abjecisti omnia retrorsum, & totus jam transformatus es in sacrum porcum, pessimumque monstrum:

Pallor in ore sedet, macies in corpore toto.
Nusquam recta acies, livent rubigine dentes,
Pectora felle virent, lingua est suffusa veneno.

Certe elleboro tibi opus est, ac simul experto quovis medico, qui anticyro aliquo poculo cerebro medeatur, nunc ergo resipisce parumper, & disce quæ olim scire debueras, redi ad auriculas, & audi quæ dicturus sum, ac revoca in mentem, quæ jam superius dicta sunt. Nullus nostrum est, qui corrigat Evangelium, sed id ipsum ex suo fonte, ex illa sua lingua, in qua scriptum est, repetendo declaramus. Dicimus itaq; illud, quod in Latino codice legitur, Maria Cleophę, dici non filiam Cleophæ, sed uxorem, quod ita esse, ex Græco articulo facilè discernitur, ut superius ostendi: Et hanc ob rem Erasmus in sua tractatione addidit uxor, ne quis vulgari hoc errore deceptus, hanc Mariam non uxorem, sed filiam Cleophe arbitrari posset, quod ille insuper firmissimis imbecillibusque rationibus ostendit, quas ego huc libenter adducerem, nisi tu me (sicut facis in istarum conclusionum tuarũ finali clausula) redarguturus sis, quia illæ in meo non creverint capite. Quod autẽ ais me dixisse textum Evangelicum habere non Maria Cleophæ, sed uxor Cleophæ, mentiris in caput tuum vilissime nequam. Textus Evangelicus sic habet Μαρία ἡ τοῦ κλωπᾶ. quod Erasmus ipse, quẽ citavi transtulit, Maria uxor Cleophę. Quod autẽ Græcas literas non probas, facis quidem tuo more & instituto, qui non libenter laudas ea, quæ non didicisti, & tanquam hircus ille Aesopicus, facilè contemnis, quod assequi nõ poteris. At cum tu exarmatũ & elingue pecus, vix semilatinas voces effutire queas, Theologico confides su pcilio Grœcas li-

teras judicare condemnareque præsumis. cum tamen nemo potest esse perfectæ doctrinæ Theologus sine cognitione linguarum, ad minus trium, Hebraicæ, Græcæ, & Latinæ: eo quod his omnis sacra mysticaque scriptura prodita est, In qua etiam Chaldæa lingua suam partem habet, & Arabica. Quare illarum cognitionem ad sacros codices tam intelligendos, quam restituendos, August. ipse in lib. de doctrina Christiana necessarias pronunciat: ipsisque summorum Pontificum decretis, sacrisq; canonibus cautum est, non de sophismatibus ac Logicis reticulis discendis docendisve, sed de traditione linguarum: & ut veteris testam. veritas ab Hebræis, novi fides ex Græcorum literis petatur, sine quarum peritia, si quis veram Theologicarũ rerum cognitionem permittit, tota aberrat via. Ad illas namq; confugiunt Hieronym. August. Ambr. Hilar. & quiq; splendidissimi Latini Doctores. Nec sufficit dicere jam omnia in Latinam linguam traducta esse, eamque traductionem sufficere: nam habet unaquæque lingua sibi peculiare quoddam locutionis idioma, quod integre in aliam linguam sic transfundi non potest ut eandem energiam vimque obtineat. Fatetur hoc Hieronymus plerisque in locis, ut in Prologo super Ecclesiasticum, & in præfatione chronicorum Eusebii, ac in Epistola de optimo genere interpretandi. Fatetur idem August. de vera religione, cujus verba canonisata sunt in decretis 38. distinct. in canone, qui incipit: Ea locutio. Et ut te exemplo aliquo admoneam, unde nam provenit insignis ille lapsus Hilarii & Ambrosii in dictione חשיאבא & Cypriani in nomine אדם, nisi quod Hebraice nesciverunt? Quod manifestariis ac pudendis erratis lapsi sunt, magnus ille Nicolaus de Lyra, & ille diligentissimus Theologus Thomas Aquinas, & simul etiam ipse tuus Hugo quamvis Cardinalis vocatus sit, & alii innumeri, quod suis locis annotavit Erasmus, nisi quia linguas ignorarunt vulgatæ huic traductioni confisi? Quapropter coguntur sic cæcutire & impingere, ac pro Christiana veritate sæpe mera portenta docere. O utinam mihi aliquando ea fuisset loci, temporis, & præceptorum oportunitas, sacras illas linguas perdiscẽdi. Nam Hebræam linguam aliquando leviter agnovi, Græcam parum attigi, postea fortunarum mearum iniquitate ab iis literis distractus, multa rursus amisi: & licet quod supereſt adhuc multum me juvet, tamen non pudebit me (si daretur ocium) rursus Græcum Grammaticulum fieri potius, quam tuæ farinæ vel primi nominis Theologum. Sed quid est, quod ais non esse credendum Græcorum codicibus, utputa à Romana Ecclesia divisis. Quod

sis. Quod si propterea in eorum literis tam ingens periculum est, quia aliqui eorum ab aliquibus Latinæ Ecclesiæ opinionibus vel fide desciverunt, ut de processione spiritus sancti, de vocabulo hypostaseos, de cæremoniis consecrandi, de potestate Papæ, & sacerdotum paupertate, ac spontaneæ mendacitatis quæstu. Certe longe plus periculi est in Ethnicis illis vestris diis, quibus tantum authoritatis tribuitis, Aristoteli, Porphyrio, Averroi, in quorum logomachiis dies noctesque sic occupamini, ut nec veteris, nec novi instrumenti literas interim vacet legere, cum tamen illi uni nihil unquam cum Christo fuerit cõmercii alter pernitiosissimus exstiterit Christi hostis, ac religionem Christianam, quantum in se fuit impius & sacrilegis contra Christum libris conscriptis penitus subvertere conatus sit. Tertius etiam quot hæresium occasionem dederit, nullus literarum scrutator ignorat. Deniq; nunc collige in unum, quotquot sunt, in quibus Græci à Romana Ecclesia dissentiunt, nihil in omnibus reperies, quod ipsi ex vitiatis suorum doctorũ libris, aut ex sacræ Bibliæ adulteratis exemplaribus tueatur: sola est expositionis varietas, quæ illos à nostra sententia separavit. Sunt & aliæ permultæ causæ, quæ illos à Romana ecclesia superarunt quas hic enumerare non est opus, non tamen à fidelium corpore, ut putrida membra resecati sunt, sed tolerantur interim intra ecclesiam, si quando nostris rationibus revicti, vel nos illis in aliquo concedentes, in unam eandem sententiam ritumque uniamur. Sed, ut revertar unde digressus sum, da mihi si potes vel unum probatum autorem qui deprehenderit novi testam. Græcos codices, vel in uno loco fallatos fuisse, aut qui asserat nostros Latinos: illorum codicibus esse emẽdatiores, nullum certe reperies. Vnde ergo tibi Agasoni hæc de Græcorum codicibus censoria virgula? Quis tibi Epicureo porco super illos sceptra commisit? quis dedit tibi subulco illos ex Christianorum Bibliothecis ejicere, & de illis sententiam dicere, quæ nec intelligis, nec unquam didicisti? Sed invenisti tu glossam interlinearem, absque his linguis perfectam, ex qua omnia potes haurire, quæ Eusebium, omnesque reliquos vincat authores, quia à semilatinis recepta est fraterculis. In cæteris autem refugis ad vulgatam illam Evangeliorum editionẽ, quam tu Hieronymianam vocas, sed ipse Hieronymus hanc suam esse negat. Quod autem contra Erasmum Roterodamũ, ut capra cõtra leonem insolescis, illum paulo superius unicum (utaris) à somniatoribus & Græce scripturæ hæreticum fautorem insinuans, nunc illum nominatim appellans, assertionem

traductionis suæ auditu non dignam, & veluti fidei scandalosam proclamando calumniaris, totum hoc jam satis dilurum est: & si opus esset pro Erasmica traductione profuse copioseq; contenderem, nisi phœbeo lumini splendorem addere videret, cum vir ille (quem ut redivivum Hieronymum, sancta Romana sedes, cum toto Cardinalium Pontificumq; cœtu, & recipit & veneratur) defensore alio à seipso non egeat. Cujus nomen, ita nunc est doctrinæ excellentiæq; nomen, ut nihil sit quod ad ejus illustrationem addi possit ipso lucidus. Cave ergo ne tua confutatio magis sit hæretica, & auditu non digna, quam unius, ut ais Erasmi assertio.

Porro quod nunc eodem contextu ais? falsum esse Cleophã hominem binomium fuisse, cur hoc non aliqua saltem argutiuncula persuadere conaris, cum tamen ego sine authorib. non sum locutus? sed te lupi videre priores, ideo vox fugit, nec habes quo buccam adaperias. Itaq; cum tu hanc positionem meã nullo modo enervare studes, nec mihi hic opus est circa illam diutius insistere, sed in declarationibus meis (si occasio erit) illam latius exponendo sufficientissime probabo.

Rursus nunc insania tua paulisper fruamur, qua istis tuis ineptiis subnectis dicens.

Item & quod dictum confirmat ex filiorum Cleophæ ætate assert: omnes ætate Christi maiores inter quos Simon Zeloles Christum undecim annis superabat ut testantur Eusebius & Egesippus. Respondemus imprimis Eusebium diversa imo & contraria sensisse, & in uno passu revocasse, quod in altero dixerat, & ideo allegationem hanc nihil contra nos effecisse imo pro nobis igitur argumentum nullum. Respondemus secundo omnes nostros, quos allegamus Doctores in contrarium sentire imo & Evangelium saltem implicite, & ob hoc oppiniones duorum in hoc parv pendendas.

Hic iterum hæres cornibus tanquam hircus in vepribus, nec habes quod opponas mihi responsum, præter hanc vitiosissimam ac puerilem suatiunculam, dicendo: Eusebium aliquando diversa, aliquando contraria sensisse, aliquando in uno passu (sic enim Latine loqueris) revocasse, quod alicubi dixerit in alio, & ideo nullam esse Eusebio fidem, ideo allegationem hanc nihil contra te, igitur pro te, igitur argumetum nullum. Dic quæso an non Hieron. an non August. & innumeri alii excellentissimi Doctores, sibi sæpe dissimilia, sæpe contraria scripserunt, sæpe ab una opinione sese in aliam revocarunt, sæpe palinodias cecinerunt: num propterea respuendi sunt, & circa reliqua dogmata sua vacillare dicentur? Sic hebes dicere non audebis.

audebis. At cur non eo modo recipis Eusebium quo cæteros? Ipse tuus Thomas Aquinas, periculosam illam opinionem suam, non dico de rerum creatarum necessitate, sed de adoratione crucis, & imaginum veneratione aliquando revocavit, si Capreolo creditur. Ille namque acerrimus Thomæ defensor, cum hanc opinionem tueri excusareve nequiret, asserit Thomam deinde aliter sensisse. An propterea tu nunc sancti Doctoris bene dicta abjecturus es retrorsum? Est insuper Thomas ipse sibi multis in locis mutuo contrarius, & à seipso diversus, & instabilis, ut qui nunc unam nunc aliam sequitur opinionem: nam in primo sententiarum, de modo essendi in loco substantiarum separatarum, diversa sentit ab his, quæ in quarto sentẽtiarum, & in tertia parte summæ tenet, ubi tractat de descensu animæ Christi. Item de genitis ex putrefactione, in primo sententiarum sequitur opinionem commẽtatoris, quam in septimo metaphysicæ te alibi reprobat. Sic de materia cœli, aliter sentit in secundo scientiarum, aliter in secundo cœli, & in summa, item de anima Christi, aliter sentit in Christo, aliter in summa, sic & de multis aliis, quæ nimis prolixum esset recitare. Nũc ergo & istos cespites tuos circumcidamus. Esto quod Eus. alicubi erraverit, aliqua aliter, & aliter diversis in locis recitaverit vel docuerit, aliqua etiam revocaverit, certa illa, quæ ad hoc præsens propositum ex Eusebio per me citata sunt, neq; revocavit unquã, neq; alicubi aliter ea descripsit. Nec est alius quispiam præclarus doctor, qui circa hæc illum corripiat. Et quoniam in superioribus docui te (ut dicitur asinum sub freno currere) videlicet, quibus historiarum scriptoribus fides adhibenda sit, dabo tibi hoc loci aliam quandam regulam qua discas, cui sententiæ, accedendum est, quando excellens aliquis Doctor, eisdem de rebus diversa & contraria scripserit. Ea nunc talis erit, videlicet: Hinc dicto firmius credendum esse, quod cum certi alicujus & antiquioris authoris testimonio, vel cum validiori ratione, & in proprio ac accommodato rei loco dictum est, contra quæ sine certo & antiquo aliquo Doctore, sine valida ratione, præter historiæ intentionem, extra proprium rei locum, seu propositum, ut alicubi inter commentandum ad dictionis aut propositionis alicujus consonantiam, juxta propriam seu vulgarem extemporaneámve opinionem dicta sunt, hæc invalidiora sunt, & aliis longe posthabenda. Quod itaque Simon Cleophæ filius undecim annis major fuerit Christo, ex Egesippo primum, tum ex Eusebio in Ecclesiastica historia, & in Chronico sine contradictione notum, & receptum est: nam

Martyr

Martyr effectus est anno decimo Traiani centum & viginti annorum. Natus itaque est Simon iste circa annum illum, quo virgo beata in templum oblata est, quæ tempore vixit adhuc Annæ maritus Ioachim, ut ex Matthæo manifestum est. Nec me multum commovet, quod illos tuos Scholasticos Doctores, & Aristotelicos Theologos fastu efferens, meos ut ais duos duntaxat parvipendas. Scio enim quoniam te.

Defendit numerus, junctæq; umbone phalanges.
Magna inter molles concordia.

Scio quoniam imperitorum multitudine & barbara turba me superas. veritatem autem ac fide non superas, nedum æquiparas. Scio hunc morem esse apud vos fraterculos, qualem plerumque apud istos reliquiarum institores videmus, qui hac specie ordinati, quod quosdam peculiares vobis faciatis patronos, vel quod vestri ordinis, sive sectæ, sive instituti fuerint; quadam superbia, abusione: & vana gloria, adeo pro illorum laudibus decertatis. Quod cum illos conamini nimium celebres efficere, & cæteris omnibus præferre, non veremini alios quosque Christianissimos simulatque eruditissimos Doctores deprimere, & vel lacessere, interim gloriabundi & jactantes, vos esse vel sanctos Thomistas, vel subtiles Scotistas, vel invictos Albertistas, vel constantes Occanistas, quasi non satis sit esse Catholicæ eruditos Christianos, cum tamen ipsa fidei Catholicæ doctrina, non pendeat ab illorum doctorum tuorum dissonis, & sibi invicem repugnantibus opinionibus, sed à Christo & veritate. Itaque cum jam in superioribus illis tuis scholasticis Doctoribus sufficienter responsum est, nolo hic superfluus esse. Sed quid ais tu Evangelium saltem implicite negare filios Cleophæ Christo ætate majores? Proh impietas. Scriptura sacra manifesta est, testimonium Dei lucidum est, sapientiã præstans parvulis. Non ergo qui implicant, non qui plicant, non qui replicant, ac suis sophisticis involucris ac stultis quæstiunculis animos, simplicium per omnem vitam aberrare compellunt, hi Christiani Doctores sunt, sed qui explicant, & elucidant sacram scripturam, à tenebris humanarum opinionum, & illam à scholasticarum ranuncularum sorditie purgant. Tu igitur si potes explica, ubi nam ego Evangelio in hoc adversatus sim, & victoriam tribue. Sed quid ego tecum, dico te tardo, languido, exarmato, & emasculato pecude de tam manifestis rebus tam prolixè contendam? Quin ad illa, quæ subjungis me convertam vincenda.

Ais in-

Ais insuper:

Decimo allegat nos multo fœdius errare dicentes Salome tertium Annæ maritum, qui in ea tertiam genuit Mariam, & hoc ex duobus ostendit primo quam Salome eo esse nomen est origenis, ut volunt Orig. Chrysost. Hieron. non est autem consuetudinis ut asserit nomina mulierum viris appropriare aut è contra. Ad hoc respondemus concedimus præfatos Doctores dicentes Salome nomen cujusdam mulieris fuisse, sed cum subinfert non esse consuetudinis nomina eadem esse virorum & mulierum hoc simpliciter negamus. In lingua enim ipsa materna vir nomen Petri sortitus vocatur Pietre similiter & mulier in lingua Gallica vir nominatus Claudius appellatur Claude similiter & mulier. Quod si & maternum & Gallicum spernis Ydomia hoc ab Evangelio nullatenus alienum esse ostendemus, in quo Iohanna nomen idem viri & mulieris esse comprobatur. Quod sit nomen viri ostendit Lucas tertio generationem Christi texens cui ait qui fuit Iohanna. Quod etiam sit nomen mulieris manifestat idem Lucas 8. cap. dicens. Erant duodecim cum illo sequitur & mulieres aliquæ, quæ erant curatæ à spiritibus malignis & infirmitatibus Maria quæ vocatur Magdalenæ & Iohanna uxor Cuze procuratoris Herodis. Ex hoc luce clarius patet. Idem nomen Iohanna viri & mulieris esse, quod si itaque se habeat, quare & Salome nomen viri & mulieris esse non poterit. Sane nulla huius videtur esse ratio, sed potius videtur faber suus in vacuum super hac laboraſſe consuetudine dicens consuetudines non esse virorum nomina mulieribus appropriare cum id ex sacro reprobetur Evangelij.

Tam cæcus es simul & perversus, ut cum vel dictorum meorum non memineris, vel illa redarguere impotens sis, nequiter dissimulando fingis hoc loci sermonem, quem impugnes. Sed te fallit opinio: nam ego in decimatertia propositionum mearum dixi, Salome nomen esse mulieris: & quod ita habet Græca veritas, apud Marcum dicentem: καὶ Μαρία Ἰακώβου τῦ μικρῦ ὲ Ἰωσῆ μήτηρ καὶ Σαλώμη. Hæc capite decimoquinto leguntur. Sequenti autem capite apud eundem sic legitur: καὶ διαγενόμενου τῦ σαββάτου, Μαρία ἡ Μαγδαληνὴ, καὶ Μαρία Ἰακώβου, καὶ Σαλώμη ἠγόρασαν ἀρώματα, his namque in scripturis Σαλώμη nomen fœmineum est, & nominativus Græcus, quod vel pueri ipsi in ludo literario non ignorant, nisi tu malis novam fingere Logicam, quam veram sequi Grammaticam. Accedunt ad hoc citati per me Doctores, Origenes, & Chrysostomus, quos cum negare non audeas, tamen non sine sycophantismo admittis. Ais enim illos dicentes, quoniam Salome nomen fuerit cujusdam mulieris, quasi de alia quavis locuti sint muliere, cum eidem

BIBLIOTECA COMUNALE DI TRENTO

dem Doctores ioquantur expresse de illa Evangelica Salome, matre filiorum Zebedei, quod manifeste patet apud Origenem in trigesima quinta, & apud Chrysostomum in vigesima octava homiliis super Matthæum. Verum quia tu hic adjungis Hieronymum, prætereundum non est, nam ego illum in hoc album non vocavi, neq; tu hæc apud Hieronymum legisti. sed apud tuum Petrum de natalibus, qui in suo sanctorum cathalogo, lib. nono cap. nonagesimo primo, sic ait: Salome discipula Christi fuit, quæ tempore dominicæ passionis, cum reliquis sanctis fœminis ad crucem astitit, & circa ejus sepulturam solita fuit, de qua Theophilus & Chrysost. dicunt, quod hæc fuit mater filiorum Zebedæi, quod Origenes simul opinatur. Et circa finem ibidem ait. Et Hieronym. in suo cathalogo tradit eam mulierem fuisse. Quod si nunc tibi aliqua fiducia est in tuo Petro de natalibus, cur illum non recipis in hoc capite, ubi cum authoritate & ratione loquitur, potius quam capitulo de Anna, ubi sine scriptura, sine patribus, sine canonibus, sine authoritate, sine ullis rationibus, nudis verbis incedens, à seipso dissimilis, ac omnino ambiguus, vulgarem fabulam decantat. Sed tu excæcatus malevolentia, ac tuæ hæresis pertinacia obstinatus, cum te videas hac nihil proficere, alia me aggrederis via, fingens, quinimo mentiens, dictum à me, atque Fabro ipso, consuetudinis non esse virorum nomina mulieribus appropriare.

Nec tibi plus cordis, sed minus oris adest.

Quod si tu probus vir esses, non deberes nobis imponere, quæ neque diximus, neque scripsimus. Condescendam tamen etiam ad hanc sententiam, & dicam, apud nullum regulatum idioma, reperiri eadem viris mulieribusque nomina contributa. Ideoque illud futile tuum argumentum, à barbaris linguis, ac illo tuo plusquam barbaro (utputa nullius integritatis, & jam pluries aliarum gentium confuso ac refuso) gallico sermone, nullius esse roboris. Nec minus futile est illud tuum argumentum de illo Hebraico nomine Iohanna, quod tu ejus linguæ ac Grammaticę omnino insciis, sub eadem terminatione, declinationeq;, & viro & mulieri commune dicis, nescius, quod ille filius רשע exprimitur יוחנן in masculo genere, illa vero uxor Cuzæ in fœmineo genere יוחנה: Si viri nomen est, שלמת, quod nos cum Græcis dicimus Salomon, mulieris autē nomen שלמי: vel שלמית: quod dicimus Salome, quæ quoniam ignoras, debueras consuluisse librum illum de nominibus Hebraicis, qui Hieronymo inscribitur, ubi Salomon pacificus, Salome pacifica exponitur. Non ergo in vacuum laboravimus Faber & ego, sed tu sine omni fronte portentosus bijanus, discipulus Behemoth, ac Leviathan, qui tam futili ac subdola argutiuncula, ac nomine Iohanna, quod flectere, & declinare nedum didicisti, hæc effutire non verecundaris.

Non minus inepta sunt, quæ mox sequuntur, dum ait:

Secundo id nititur probare ex ætatis propinquitate asserit enim beatissimum Iohannem uno anno & minus iuniorem Christo Iacobum autem maiore ætate parem & pro probatione in medium affert Eusebium militonem Sardensem & beatissimum Hieronymum relinquens ex eius ætatis argutia impossibile esse apud naturam Salome fuisse filiam tertiam Annæ. Ad hoc respondemus dicentes hoc esse simpliciter falsum imo contra determinationem Doctorum, quos in medium adducit milito etenim Sardensis suo teste fabro notat beatissimum Iohannem à seculo migrasse anno ætatis suæ nonagesimo nono, ex Eusebio autem quem beatissimus interpretatus est Hieronymus colligitur eundem beatissimum Iohannem migrasse anno Christi 102. ex quibus manifestissime inferitur beatissimum Iohannem Christo non anno uno minorem natu, sed tribus & amplius. Idem est concludere ex beatissimo Hieronymo ait enim Hieronymus suo fabro teste beatissimum Iohannem decessisse anno 68. post passionem Christi. Christus autem passus est anno 33. ætatis suæ completo & 34 inchoato, de quo iam fluxerant menses tres, ubi autem annis 34 ut supra numeratis addideris annos 68. quibus supervixit Iohannes annum 102. sicuti enumeravit Eusebius repperies & ideo aperte constat Eusebium & Hieronymum recte convenisse & aperte constat suum fabrum in hac re tortuose nimis fabricantem concludisse, qui ait Iohannem anno Christi 100. migrasse. Quod quidem apud intelligentes est insompniabile imo & sibi ipsi præfatus contradicit faber ait enim ex Hieronymo constat Iohannem decessisse anno 68 post passionem Christi. Ait in quam Iohannem obiisse 99. ætatis suæ anno ait Christum uno anno maiorem natu ipso Iohanna. Rogo hos computa annos super digitis tuis vel da eos computandos etiam reiulæ. Aperte in hac computatione non solum centum, sed centum cum uno annumerabis annos sic & illa. Nonne 32. super 68. efficiunt centum super quo est superaddendus annus veluti faber asserit, quo Christus ætate superavit Iohannem igitur aperte constat quod excæcare sibi ipsi suus contradixerit faber aperte inquam constat quod Christus non uno anno solum, sed pluribus eo natu maior fuerit ex his concluditur nulla ex dicto nostro temporalis impossibilitas, concluditur inquam nulla proponentis ratio, quæ evidenti nititur falso imo qui sibiipsi apud contemplantes contradicit ex his convincitur

quod

quod nulla suis dictis fides est adhibenda, & quod dicentes beatissimam Annam tres genuisse Marias turpi non errant corde, sed probatam à sanctis doctoribus & ecclesiastica assertione manu tenent veritatem fidelem in suis prædicationibus non scandalizant populum sed ædificant.

Tam consonat cum doctorum calculis hæc tua supputatio, quam asinus cum lyra, ut minimum dubium videatur, te illam ab aliqua delyra vetula accepisse, quam idcirco tanti facis, ut & nobis consultum velis, illam sequamur calculandi magistram:

Non audet stygius Pluto tentare, quod audet.
Effrenis monachus, plenaq; fraudis anus.

Scis quam intelligo, cui tu à secretis es, & illa tibi. Sed noli irasci, quinimo (relicta tua hac circea vetula, quæ te Luciani & Apulei instar, in asinum, sed non aureum transformavit) nobis auriculas tuas parumper accommoda, & implebimus illas, non vetulæ alicujus anilibus fabulis, sed dogmate fidei & veritatis ac docebimus te recte calculare, & annos currentes à completis discernere. Præfuit Romanorum monarchiæ Octavianus Augustus Cæsar, annis quatuor de sexaginta, cujus imperii currente anno quadragesimo secundo, prima assessione census, Cirino tunc Siriæ præsidente, natus est Christus. In Bethlehem Iudææ oppido, qui annus hinc dictus est primus currens annorum Christi. Quod si modo de hac annorum summa, quibus Octavianus imperio potitus est, illos quadraginta duos annos detrahas, remanebunt anni Christi completi quatuor & decem, vel currentes decem & quinque, si subtraxeris annos nativitatem ejus præcedentes quadraginta & unum, quibus si nunc addideris annorum Tiberii decem & octo, quo decimo-octavo anno currente passus est Christus, resultant anni ætatis Christi completi triginta duo, intrante eo & jam agente tricesimum tertium. Errasti ergo cum vetula tua, ubi ais, Christum passum anno ætatis suæ tricesimo tertio completo, & tricesimũ quartum jam tribus mensibus ingresso. Poteras hæc rectius didicisse, si pro vetula tua consuluisses illum historiarum Magistrum, cui quidem solertis vos doctorculi permultum fidei habere. Is siquidem ubi loquitur de Christi baptismo, fatetur Christum à Ioanne Baptista baptizatum anno Tiberii currente decimoquinto, ac Christo tunc intrante annum tricesimum tredecim duntaxat diebus. Tandem singulis annalibus Christi digestis, concludit illum vixisse triginta duos annos integros, & tot menses diesque, quot desuper fluxerunt à revolutione diei natalitiæ

natalitiæ ad passionem. His simili supputatione consonant, Beda de temporibus, & Orosius, & illi Chronographus Girlandus, & alii plures, tam sancti veteres, quàm recentiores Scholastici Doctores. His itaq; triginta duobus Christi annis completis, si superaddideris annos octo & sexaginta, quorum ultimo currente assumptus est Ioannes, erunt anni centum, qui est annus Trajani primus. A quibus si rursus subduxeris annos nonaginta novem, qui sunt anni ætatis Ioannis usque ad ejus assumptionem. relinquitur, Christum esse anno uno majorem Ioanne. Quod si rursus à nonaginta novem illis annis dempseris sexaginta octo annos, quibus superfuit Ioannes post passionem Christi, relinquetur similiter Ioannes duntaxat uno anno minor Christo. Non secus comperies ex Eusebio in Ecclesiastica historia, ubi hoc cum rationibus & authoribus confirmat, atque idem in sua Chronographia, si modo diligenter introspexeris. Sed te luscitosum & indoctum Mercurium, decepit mendosa Parisiensis impressio, ubi circa tertium Trajani annorum numerum, de Ioannis assumptione legisti illum adusque Trajani tempora superfuisse, tamen non legitur illum ad hunc usque annum extitisse. Tum vetusta, cæteraque Romana ac Veneta correcta exemplaria, circa primum Trajani annum hæc habent. Ex hoc modico Typographi errore, frigida hac conjectura usus, asserere ausus es, Ioannem migrasse anno Christi centesimo secundo, ad quem deinceps reliquam tuam anilem ac falsam supputationem tanta magniloquentia agglutinasti. O cæcæ & obstinatæ mentis homuncule, quid tandem te arbitraris effecisse, si modo etiam probasses Iohannem Christo vel triennio vel paulo pluris ætate minorem, quem si etiam septennio & ad decennium usque minorem Christo probares, nedum esse poterit beatissimæ Annæ ex tertio marito nepos.

Porro nunc restat videre qua canina facundia tandem hanc conclusionum tuarum chimeram absolvis. Sic namque exspiras.

Et hæc sunt quæ nobis dicenda videntur pro salubri trium sororum honore sustinendo quæ omni cum honore proposita sunt.

Quomodo erit honori Mariæ Cleophæ ac Salome, quod in sanctissimæ Annæ & Deiparæ virginis vergit ignominiam? Absit hoc. Quis dicat illis sanctis fœminis honori esse, quod diabolico mendacio per te, tanquam divæ virginis Mariæ uterinæ sorores, & beatissimæ Annæ carnales filiæ prædicantur, non secus quam olim suadente diabolo Eluidius ille hæreti-

cus, sanctos illos Apostolos, qui Domini fratres dicebantur, pro Ioseph justi & Mariæ propriis filiis, in utrorumque simul ac Christi insignem infamiam collaudavit? At tu illi haud adeo absimilis es pestifer diabologus, qui hasce impias de sanctissima Anna fabulas, populos doces in sede veritatis, ac Christianam plebem, pro qua mortuus est Christus, ludificando seducis in falsas opiniones, verbum Dei offerens dæmonibus, & cum tantæ impietatis doctrinam miseris populis introducis, teipsum pium me impium vocas. Deum testor, non tam iratus ista loquor, quàm commiseratione animarum illarum, quos tu decipere conaris.

Eat nunc Christianus populus, & vos pauperum Christi alat eleemósynis, suisque impinguet patrimoniis, suisq; laboribus vos saginet ociosos, qui pro divino verbo seminatis pestilentes fabulas, innocentes ac probos viros insuper calumnia, convitiis, ac injuria proscinditis. Deberent utique vobis talibus hypocritis, baculis ac lapidibus potius obturbare. Eat iterum dico Christianus populus, & execretur Turcas, quod imagines Christi & sanctorum conspurcare dicuntur, cum interim tu cucullate religionis cato, ac scholasticæ Theologiæ mercenarius Doctor cum tui similibus vitilitigatores cretensesque præcones, Christum ipsum, ejusque matrem, ac aviam, cæteros electissimos sanctos, multo fœdius blasphemando conspurcatis quàm illi. Quin potius in vos concitatis animis, in quos inquam Christianæ sinceritatis conspurcatores, pietatis inversores, novarum hæresium, contentionum, dissentionum, schismatum authores, fasciculos, ignem, gladium convertant, usque post excidium, quemadmodum in triumpho Capnionis non malè cecinit Huttenus:

Ite omnes, conferte struem, componite fasces,
Ferte picem, miscete faces, date sulphura cives:
Dominici fratres morbosam exurite gentem,
Urite qui fuerat, qui sacrum armare veneno
Edocuit Christi corpus, mortisque medelam
Exitij causam facere, & fomenta salutis
Credita perpetuæ, in crudelem vertere cædem,
Num male nota cano? male nota. Sed occidis ille
Septimus Henricus gladio, mixtamque perenni
Cum vita interitum mensis accepit eisdem
E manibus Paulinæ tuis. Non hoc scelus aiunt
Nostrum est, qui multis retro successimus annis.
At vester cocus ille fuit, qui miscuit artis

Condi-

Condimenta novæ. Semel, inquis, fecimus illud,
Berna negat, scelerisque affert monimenta secundis
Tempore iam nostro. Tum vos ustisse sopito
Vulnera lessero, & sanctum voluisse videri,
Franciscí fratres iactent ne sciii es ultra
Autori concessa suo hæc insignia soli,
Fert eadem simulata Deum responsa, locosque
Mentite Mariæ, per vosque infecta veneno
Sacramenta palam monstrat, scelerata Vigandi
Vox habita ad populum, dixoque asserta libello.
Deinde remansa labris, conceptam in crimine matrem
Num vetus historia est? Quod galla Lutetia narrat
Vnius est anni, quoddam de plebe cadaver
Restituisse animas, vestrasque ut crederet arteis
Decepisse rudem populum, pœnasque dedisse,
Vestra hæc sunt, ideo dignas ne effugite flammas.
Non veniæ locus est, non est locus, urite flammæ.
Vrite sophistas, plenos errore cucullos
Dedecora ausuros, penis abolere secundis
Tot scelerum autores, dignos necis, urite flammæ,
Dominici fratres, morbosam exurite gentem.

Et hæc sunt quibus tibi ostendere oportuit quàm nihili meas propositiones læsisti, & quàm frustrà ex tam infirmis & futilibus argumentis, & in hanc rem inanibus auctoribus, totam hanc tuam extirpativam (ut falsò vocas) conclusionem deduxisti, quam ita tandem vocari paterer si modo me vel in uno apice vicisses.

Quod autem subjungis, dicens:

Quia tamen de doctoribus à proponente allegatis nondum planè certi sumus petimus ut proponens iste auctoritates Eusebii & Egesippi in originalibus ostendat denunciantes nos paratos esse doctores à nobis allegatos in originalibus ostendere.

Quod de illis doctorum meorum dictis nedum certus es, non aliunde tibi evenit, nisi quia doctores illos ante hac minimè legisti, & ut proverbio dicitur, vix à limine agnovisti: quorum libros etiam si vel modo tibi coram producerem, adhuc doctorum loca ubi hæc requirenda sunt, nisi alio monstrante, nescio an sciveris discernere. Itaq; ex tua insitia contra me niolescis, quod auctores illos ex suis originalibus tam capitulatim, articulatim & verbatim non citavi, quemadmodū tu & ui similes doctorculi soletis. Qui cū vestræ ignorātiæ mutuo

conſcii eſtis,& ob morum, vitæque, ac citatarum per vos ſcripturarum ſententiæ diſſimilitudinem,auctoritati veſtræ diffiditis,timentes quod iccirco vobis non credatur, tanquam ruſtica quædam ſecta,veſtris infantiſſimis compilatis,ac ſordidis excerptis contenti, cum ipſi nihil ſcitis, quàm aliorum exemplis uti,tam capitulatim, atque articulatim, mearum Bartholiſtarum more in ſingulis verbis & interpunctionibus occupati,teſtimonia citatis, ac proprii ingenii miſeria, hujuſmodi allegationum congerie. Vos jactantes, doctrinæ nomen vobis temerè arrogatis cum interim nec in ſapientia veſtra prodeſtis eccleſiæ,nec in prudentia veſtra conſulitis hominibus, ſed in cognitione veſtra Chriſtum negligitis, & in ſcientia veſtra injuriamini proximo, convertentes veritatem. Deo in mendacium,& hominibus in injuſtitiam, donec revelabitur ſuper vos ira Dei de cœlis, tradens nos in reprobos ſenſus, dignos errore. Qui calumniamini veritatem, ejuſque doctores ſemel perpetuo odio perſequi propoſuiſtis. Fecerunt hoc quondam Celſus contra Chriſtum, Iulianus apoſtata contra evangelii, Diotrephes contra Ioannem Evangel. Apollophanes contra Dionyſium Areopagitam, Iſchyras contra Athanaſium, Ioannes Antiochenus contra Cyrillum Alexandrinum, Franciſcus Marionis ac Guarro Britannus contra beatiſſimum Bernardum. Fecerunt hoc noſtris temporibus,quidam titularis Epiſcopus fraterculus (cujus ineptias aliquando legi nomen ad præſens non occurrit) contra Ioannem Picum comitem Mirandulanum, atque Iacobus Hogſtratus ordinis prædicatorũ hæreticorum inquiſitor Colonienſis contra utriuſque juris eruditiſſimum quondam præceptorem meum Petrum Ravennatem. Idemque fraterculus, cum Arnoldo Tungaro, aliiſque Colonienſibus conjuratis calumniatoribus, contra integerrimum doctiſſimumque virum Capnionem Phorcenſem, maxima & ubique terrarum vulgata, perpetuaque eorum infamia nequiſſimè inſultârunt. Ipſe etiam Wigandus prædicatorum hæreſis apud Bernenſes initium atque ſomes. Idem ipſe prædicatorii ordinis fraterculus ac thomiſticus doctor, contra inſignem utriuſque juris doctorem Sebaſtianũ Brant. nunc Argentoracenſis civitatis cancellarium,& à conſiliis primarium, ſimul ac contra plæroſque alios inſignes doctores, malus male alliſit. Ipſe etiam Sylveſter Prieratis,licet Pontificii Romani palatii magiſter, ejuſdem prædicatorii ordinis fratricellus doctorq; thomiſticus,adverſus pugnatiſſimum theologum Martin. Lutherum Wittenbergenſem Auguſtinianũ non

non ſine inſcitiæ ſuæ nota invectus eſt. At ipſe etiam Ioann. Eckius,licet vir eruditus,ac ſcholaſtice doctus contra eundem Luth. atque contra Andream Carolſtad. archidiaconum,non abſque nigro calculo infœliciter pugnavit. Nec deſunt invidi ac peſtilentes detractores, qui tecum calumnientur Eraſmum Roterodamum, atque Iacobum Fabrum Stapulenſem, quem Pariſienſes quidam theologiſtæ, eò quod ineptam hanc novi Teſtamenti traductionem, quam tu & tui ſimiles homunculi Sophiſtæ Hieronymo intitulatis, ipſe Faber adductis argumentis illam Hieronymi eſſe negaſſet, hæreſeos damnare voluerunt, ſcipios interim non ſine totius Sorbonæ ignominia, imperitiæ ac malignitatis infamia perpetuò & ubique denigrantes. Quid de meipſo dicam, qui in re literaria non ſum dignus ut horum calciamenti corrigiam ſolvam, attamen dum olim junior in dola Burgundiæ exponerem librum Iohan. Capnionis de verbo mirifico, quidam Ioan. Catelineti Franciſcanorum provincialis offenſus vocabulo Cabalæ,cum alias me nec ipſe, nec ſuorum aliquis legentem audiſſet, nec vidiſſet unquam, nec conferre auſus, poſſet me in aliquo redarguere, æſtuante rabie offenſus, longe abinde per centum leucas,uſque in Ganda Flandriæ,coram Illuſtriſſima Principe Margareta Cæſaris Maximiliani filia, totaque curia, in publicis concionibus nequiſſime ac perditiſſime calumniatus eſt, quæ res illi tandem male vortit, atque ut vixit, ita paulo poſt mortuus eſt,vix nomine ſuperſtite. Scripſimus ad eum pauciſſima quædam, quibus cum eo expoſtulavimus, ſed pejus periturus erat,niſi jam malus male periiſſet, pluraque ſcripturus,ſi quis manes ejus revocare voluiſſet. At nunc ſurrexit in me alius diabolicus frater (pene nomen elocutus eram) qui me colaphizet, & hunc hilariter excipio, confiſus in ſpe innocentiæ meæ,quia non confundar. Scio denique morem hunc eſſe ab antiquo, videlicet optimos quoſque & doctiſſimos, à deterioribus pati opprobria, ut probati manifeſti fiant, & vetaces agnoſcantur. Poſtremò nunc ais.

At ne in his quæ propoſuit ſcriptis humanum ſibi captivare velit favorem ſignificamus eum propterea nulla aut tenui laude dignum quoniam quæ propoſuit in ſuo non creverunt capite ſed omnia à quodam Petri Fabri libello accepit ubi autem aliqua ex ſe addiderit memoratu digna nunc virum appreciabimur.

Abſit à me tam impium ſacrilegium, ut mihi aliorum laborum fraude, laudem & favorem quæram. Imitari bonos doctores mihi licere arbitror, furari non eſt animus, ideo ego

me illas meas propositiones, juxta disceptationes Iacobi Fabri Stapul. scripsisse, in ipsarum propositionum mearum principio atque fine ingenue fassus sum. Neque enim ulla ambitione commotus, nec meæ commendationis causa, sed vestris injuriis in publicis popularibus concionibus vestris provocatus & coactus veni ad scribendum propositiones illas, ne tanquam sacrilegus, de ipsius Iacobi Fabri ingenio doctrinaque sterilis & ingratus, optimam suam famam tacendi sibi surripere viderer, si contra calumniatores suos in se innocente & absente defendendo silerem: tum etiam ne tanquam propriæ famæ prodigus indefensa causa mea ex innocente reus judicer, quatenus meo silentio illam tueri neglexero. Sed tu vesanæ mentis caligine cæcatus nec propositionum mearum principii finisque dum hæc scriberes meministi, nec ipsius Fabri libellum unquam vel præ foribus attentè legisti, quod ex eo satis notum est, quod ais me omnia quodam Petri Fabri libello accepisse, cum tamen ego tibi auctorem illius nominatim citaverim, Iacobum Fabrum Stapulensem Parisiacum, quem certè ipsa Parisiaca Sorbona, cæteraque ejus civitatis scholastica theatra non adeo ignorant vel supprimunt. Quin & tu nuper inde reversus mercenarius doctorculus, illum etiam saltem nominetenus novisse debeas. Nunc autem si quid tibi residuum est sani cordis, si quid adhuc cerebri habes, & Christiani hominis consilium non respuis, ingredere Agonem pœnitentiæ, in sacco, cinere, & lachrymis. Insiste orationi, vigiliis, & jejuniis fortiter inhære (grande enim scelus necessariam habet grandem satisfactionem) si quando remittatur tibi hæc blasphemia & impietas, qua contra sanctissimam Annam, tanto spurcissimorum verborum otio militasti. Cogitasti & locutus es mala, iniquitatem in excelso locutus es, posuisti in cœlum os tuum, & lingua tua pertransit super terra. Det tibi dominus, ut melius videas, rectius judices, & à proborum virorum calumniis abstineas, sed & admonerem te, si modo adsit tibi Christiana pietas, eruditioque & doctrina non desit, ut hujus tam impiæ opinionis tuæ caneres palinodiam, ac te ex mendaci sermone ad verum traduceres. Verùm ignosce mihi si audacter te admoneo, nihil enim facere possum magis Christianũ, nisi hortari te, ut agas pœnitentiam, quousque Dei misericordiam impetres. Quod si ideo me tibi inimicum existimes vera salutariaque suadentem, & in dictis meis scandalizatus sis, abi retrò, & qua dementia hanc tuam calumniam incepisti prosequere, modo præstantiora scribas quàm hactenus. Quod si tunc

si tunc acutissima tua tela ferre nequiero, tunc ego me duntaxat utriusque juris doctorem artium & medicinæ initiatum, atq; humano sanguine consecratum militem, & ut tu ais nõ theologum, tum quod ego fateor, laicum uxoratum, qui tantos theologicos solidos cibos gustare non valeo, abs te tam magno, pingui, crasso, dilatato, ac apud vulgº probatissimo theologo, victum fateri non erubescam: Imò tunc herbam tibi dabo, & imponam super altare tuum vitulos. Tandem invito te & diabolo agnoscetur & appræciabitur ipsa veritas & falsitas vel nullo impugnante seipsa cadet. En vidistis nunc candidi lectores, qualis corvus quale ovum peperit. Quod si in hunc tersceleslum calumniatorem quid acrius scripsi, mordaciusve invectus sum, ignoscite, nam fecit hoc læsa humana patientia, & veritatis patrocinium: ipseque beatissimus Hieronymus vir pius & justus circa hujusmodi sibi sæpissimè non temperat, quin in adversarios acriter incandescat, insultet, invehatur, etiam nominibus non parcens à quibus tamen ego huc usque abstinui: atque sic respondi, quasi nulli responderim, nullum tetigerim, nisi qui tacti sunt. Sint suiipsius accusatores, & prodant semetipsos, quod si fecerint vel rursus institerint, ac ignem gladio foderint, tunc non tam volens, quàm coactus faciant ut omnia hæc soluto silentio erumpant in plurium Linguarum patentissimas voces, ut cognoscantur qui operati sunt mala, ac pro illorum iniquitate nullus patiatur innoxius. Demum ego meam injuriam patienter feram, impietatem contra sanctissimam Annam ferre non possum: nec quisquam certè mea sententia ferre debet, qui pius Christianus esse velit.

BIBLIOTECA UNIVERSITARIA ALICANTINA

RERVM ET SENTENTIARUM PRÆCIPUARUM, quæ in hisce opusculis continentur.

A.

Abel 558
abigail prudens uxor Nabal viri stolidi 523
abisaac sunamitis 523
accidens quid 440
accidentia conferunt magnam partem in eo quod quid est 420. eorum principia novem 339
de accidentibus declamatio 420
actio quid 340
adam allegoricos quid 554. nomen à quatuor cardinibus mundi adeptus 518
adulterij pœnæ diversæ apud diversas nationes 552
adulterini concubitus generosa proles 123
advocatoriæ artis iniquitas 212
advocatorum munus 216. etiam silentium venale ibid.
ædificiorum insignium & miraculosorum exempla 50
ægyptiorum simulacra voces edentia 43
æqualitas quid 357
æs ubi primùm inventum 52
æsculapius, medicinæ repertor, scelestissimus 180. cur fulmine percussus, ibid. cur pro Deo cultus 189
affectus quomodo excitentur in auditoribus 403
affectuum loci 403
agaricum masculum herba 404
agricultura in magno apud priscos precio 157. pœna peccati 162. eius commendatio ibid. scriptores 162
agrippa librum Mercurij Trismegisti de potestate Dei, Ticini interpretatur 502. accusatur à Catilineto 509. quo ætate Capnionis de verbo mirifico librum exposuerit 511. eius commentaria in artem Lullij 31. 32. lectura in Dola Burgundiæ 510. liber de Geomantia, ab aliis diversus, sed mendax 33. de Metallorum inventione & examinatione 52. 53. opinio de peccato Originali 556. professio 509
albanus martyr 575
alberti Magni caput æneum locutum 72
albini Galliæ Proconsul. voracitas 205
Albumasaris locus de Mathematum vanitate 32. 33
alcumistica ars qualis 206. edictis Diocletiani prohibita 204 eius incommoda 207. vanitas 206
alcumistici perversissimi 208. eorum libri recens confecti. ibid.
aleatoria ars inventum dæmonum 34. apud Spartanos infamis ibid.
alphonsus Lusitaniæ rex nobilis, parricida 176
alphonsus Rex Arragoniæ medicos pro canibus & equis constituit 201
amor rei gerendæ impedimentum 126
amoris incendium propter diversitatem nationum diversum 126
anatomiæ impietas & crudelitas 200
anaximenes sidera contemplans in foveam cadit 56
angelus quid 336. 406
angelorum lapsus 481
anglia à quibus gentibus occupata 176
angelici regni initia fabulosa 176
anima quid 336. 407. quid à corpore differt 336. quid ab intellectu differat 80 quomodo spiritualiter regeneretur 491. 492. secundùm Varronẽ & reliquos etiam philosophos quid 83. secundum aristotelem 86
animæ an post mortem evocari possint 75. exutæ corporibus an recordentur eorum quæ in vita gesserint 88
animæ duratio, sedes ubi, & de hoc diversæ Philosophorum opiniones 87
animarum apparitiones cur suspectæ, verbo Dei damnatæ 89 transmigratio secundum Pythagoram & Trismegistum 90
de animarum origine disputatio inter Ecclesiasticos 88
animi humani celeritas 485
antecedentia quid, quid à coniunctis differant 402
antidiconiaria tritarum hæresis, & ambiguitate vocis Donec orta 11
antidotum Mithridaticum 198
antipodes an sint 49
antonij Eremitæ cadavere tres mortui resuscitati 575. eius reliquiæ ut inventæ 574
antonij Pij Philosophi perversæ nuptiæ 143
apicius artis coquinariæ princeps 203
apostoli asini & rudes 241
appetitus quid & quotuplex 344 ei vicini vel repugnantes termini 373
apuleij asinus aureus 242
arabum medici 185
architæ lignea columba volatilis 44
architecturæ luxuries 50. pernicies & scriptores 51
argumenta seu rationes contrariæ quomodo elevandæ 404
argumentatio perfecta quæ 397 earum genera ibid.
argumenti medium quomodo inveniendum 398 eorum solutio triplex 148
aristippus scortator, & leno Laidis 131
aristocratia qualis reip. status 98. eius incommoda 100
aristophanis sententia de tractandis potentioribus 179
aristoteles à Colonienſibus Theologis divis annumeratur, Ioanni Baptistæ confertur 96 Alexandrum M. veneno sustulit 95 Dialecticorum princeps 26. erga Platonem ingratus 95. masculam venerẽ probat, sibiipsi necem intulit 95. sua principia nunquam observavit 27. definitio ani-

HAVNIA BIBLIOTHECA QUAE IN U. I. MEDICINA

mæ revellitur 86. error de orbe habitabili 50. locus 5. sententia de diis 91. de duratione animæ 84. de principiis rerum 83
arithmetica à Spartanis repudiata 35. quid tractet, tantum mercatoribus grata 33
arithmeticorum contentiones 35
ars quid 22. advocatoria qualis 216. Lullij inventiva quid doceat 31. 334. ad ostentationem satis valet 31 prodigiosa, dialecticæ similis 31
artis Lullianæ dignitas & certitudo, generalitas 333. facilitas & promptitudo 332. eius beneficio qui viri docti evaserint ibid.
ars memorativa quid, eius inventores, scriptores 32
ars militaris quæ eius incommoda & finis, opera, primi autores, scriptores 164. in Ecclesiâ recepta 165
artis notariatus potestas & licentia 217
artes serviles quæ 141
arsemisiæ virtus bellica 527
asclepiades medicinæ dietariæ princeps 202
asiatica luxuria ut Romam trãslata 203
asini encomium 241
asinus à mortuis resuscitatus 243
asinus Balaam 243
asinus sapientiæ auditor 243
asotæ qui 203
aspasia causa belli Peloponnesiaci 121
aspidis gratitudo erga nutritium suum 348
assyriorum monarchia parricidijs confirmata, & in Ochosinita 173
astrologi timidis & impijs formidabiles 63
astrologia iudiciaria quid 59. Christi miracula & ipsam religionem astris attribuunt cælo & astris iniuriam infert 62. Dei proprium astris tribuit, fidem religioni adimit, tollit providentiam 62. fundamentum & clavis omnium divinationum 70. iudiciaria sine instinctu dæmonis fatidici nil valet, superstitiosa 58 philosophiam & medicinam destruit 10
astrologiæ iudiciariæ incertitudo 53 59. eius oppugnator Picus propugnator L. Balantius 63
astrologiæ dediti semper contrarium divinationi experiuntur 60
astrologici errati excusatio, obscuritas, 59. in prædicendis auspicijs amorum, divinatio 130. inter se dissensiones 61
astrologus quidem epigrammate derisus à Moro Anglico 61
astronomia nugarum congeries 57
astronomiæ inconstantia ipsam artem nullam esse arguit 53
astronomorum cum poetis affinitas 57
athanasius Theol. 498
attributa personarum & rerum 403
aucupij autor Pyrrhes 163
vanitas ibid.
auguriorum fides unde 67. vanitas 67
augurium in magna observatione apud priscos fuit 67. tantũ nititur coniecturis ibid.
augustini locus 4
Augustus Cæsar. aleator 34 per parricidia monarchia potius 176
avium voces intellexit Apollonius 72
aulæ descriptio 145
aulica convivia 140
aulici parasiti ibid.
auliconum nobilium fastus & vanitas 147. 149
aureum vellus Colchicum, liber Alcumisticus 208
auri supervacuitas apud Romanos interdicto cohibita 51
auri fodinæ inventor, pessimi sceleris inventor 53
auro omnia venalia 132
aurum lenocinij instrumentum 133. primus ad nobilitatem gradus 133
autoritas quid 403
azazel serpens 76

B.

Babylonicæ spelunceæ miraculum 51
Balduinus Flandriæ Comes, Imperator creatus 178
basilius Theologus 498
bathsaba uxor David 537
beatitudo vera in qua re consistat 34
Bedæ Theologi sententia de sede animæ 87
bellum quid 165
berengarij lapsus & ad Ecclesiam reditus 219
Bersuib species Cabalæ 77
boetius in magia mathematica excellens 72
bombarda ex Virgilio convincitur antiquissima esse 237. ex Ecclesiaste 238
bonifacij VIII. Pontif. tria præclara facinora 335
bonitas quid 342
bonitati qui termini vicini sint aut repugnent 372
bonum substantiale & accidentale 342
bruti I. consulis in filios tyrannis 175

C.

Cabala à Deo non profecta 78. duplex, una de Beresith, altera de mercana 383. Iudæorum revera quid 79. à Plinio citatur 77. qualis ars 77. mysteria nominum scrutatur 487. quando primùm literis mandata 488. quid & quotuplex ibid. Rabani ad æmulationem Iudaicorum constita 79. superstitionum rhapsodia 79. vivæ vocis successiva traditio 487
cabalæ Iud. scientia duplex 77. nomen sanctum sicut & Magiæ, in abusum ut venerit 489. vanitas 78
de Cabala loci quidam Scripturæ 486
cæremoniarũ multitudo quàm incommoda 113
cæremoniæ externæ Deo non acceptæ 111. à Mose quo fine institutæ 111. pars religionis 110. primùm à Numa institutæ 111
circa Cæremoniarum observationem schismata 113
caicia hæresis 430
cain 414

AJKOBA BIBLIOTEKA OPOLE I. MEDIUM

camilla bellicosa 537
canterij Frisones tres fratres artem Lullij edocti 333
candaces Reginæ Æthiopiæ 537
canto es mercenarij 141
carneadis vis oratoria 23
carnes humanæ à medicis asservatæ 200
carnis libido Deo odio est 560
caroli VIII. regis Francorum in repudianda coniuge levitas 124
carolus Bovillus Parisiensis, Lullij studiosus 333
carolus Magnus Grammaticus 9. monarcha nominetenus 175
catharina virgo 536
catilinetici in Agrippam malitiosæ calumniæ 508. insolentia 510
M. Catonis Censorij infelix coniugium 143
catonium Censorij & Vticensis eloquentia reipub. exitiosa 24
causa quid & quotuplex 353. efficiens quid & quotuplex 354 402. finalis 354. formalis 364. materialis ibid. per accidens quid 355
causarum genera tria 414
causæ omnium rerum quatuor 28
centum novellarum author Boccatius 129
chiromantia ex verbo Dei astruitur, sed falsò 65
chiromantiæ vanitas 65
de Chiromantia qui scripserint autores 66
chirurgia, altera medicinæ pars 200
choracis Syracusani Rhetoris cum Thysia discipulo, de mercede persuadendi pacta, contentio 23
chorearum artificium, libidinis incitamen 33
chorearum & saltationum incommoda 129. spectaculum ridiculum 39
chorographia quid 49
christi corporis sacramentum unicè colendum, & non sancti 106
christus legem implevit & illustravit 489. solus plenitudine Spiritus S. præditus, reliquorum prophetarum nemo 232
cibi necessitati non voluptati inservire debent 205. simplices salutares ibid.
ciceronis eloquentia Reip. exitiosa 24. quomodo nonnullis nõ satisfecerit 12
ciceron. lib. de Oratore Brutus improbatus 22. vis oratoria 23
circuli quadratura vera nondum inventa 43
circumcisionis signum 560
claudius Cæsar græcè doctus 9. aleator 34
clementis Papæ arrogantia 213
cleopatra quam libidinosa 123
cælibatus matrimonio potior 559
cæli imagines quales sint, controversum 56
cælum quid 336 407
cognitio quid, & quomodo in arte Lullij accipiatur 343 quotuplex 344
cognitioni vicini aut repugnantes termini 373
commentariorum in brevem artem

artem Lullij partitio, partium, subdivisio 335
comparatio maiorum minorum & parium 402
conclusio orationis, & eius partes & virtutes 414
concordantia quid 350
conditiones sex, prædicati per principia respectus deducendi 341
confessio auricularis administra lenocinij 133
confirmatio quid 414
confutatio quid 414
coniugalis concordia publicæ pacis fundamentum 142
coniugia quæ sint 400
coniugij necessitas & commoda 141. perversi incommoda 143 suavitas & dulcedo 546
coniugium pluralitas matrimonij unitatem solus 545
coniuncta quid & quotuplicia 401
consequentia quid, quomodo à coniunctis differat 402
consiliarij principum seductores 217
constantini donatio an vera esse possit 214
constantinus Magnus 574. monarchiam Rom. ad Græcos transfert 175
consuetudo quid 403
contraria quid & quotuplicia 401
convivia lenocinijs accommoda 132
coquinariæ artis scriptores 203
cornelius Agrippa, vide Agrippa
corpus quid 220
cosmimetrarum inter se controversiæ 49
cosmimetriæ species 48
cosmographia quid 48
credere quid, secundum Hermetem 490
credulitatis religionum regula 104
ctesiphon cur Lacedæmone pulsus 26
cucullatus nemo neque in Vetere, neque in Novo Testamento pingitur 47. solus Satan pingitur in Novo Testamento 47
cynædorum detestanda libido 125
cyngani, medicantium genus, impostores 138. unde progressi ex Volaterrani sententia 138

D.

DÆmon Socratis 74
Dæmones an divini nominis invocatione adiurari possint 74
dæmones paredri 74
david rex Israelitarum 117
deductio artis quomodo instituenda 411
definitio quid 400
definitionis essentialis vanitas 26
definitiones quomodo formandæ 300
dei actio intrinseca quæ est spiritus 424. æternitas probatur exempli loco 398. cognitio vera & perfecta ad adventum Messiæ reservata 488
Dei cognoscendi tres modi 382

Dei

НАУКОВА БІБЛІОТЕКА ОДЕСЬКОГО Т.Г. МЕЧНИКОВА

dei ignorantia omnium malorũ fons 441. notitia ex Evangelio discenda 502
dei visio à posteriori duplex 228
deus quid 407. est qui est 229. 422. ex creaturis quomodo cognoscitur 423. quale ens 486. quo fine rerum universitatem condiderit 501
democratia, qualis reipu. status 99. à quibus probatus in usu sit ibid.
demonstrationis vanitas 27
demonstrationis syllogismus 535
demosthenis sententia de rogatione legum 212. vis oratoria 24
diaboli disputatio cum Eva 497. in hominem impium 248
diabolus unde dictus 481
dialectica ars artium 26. hæreticorum robur 84
dictierium in Astronomos 56
didimus Grammaticus 9
differentia quid 401. & quotuplex 347
diogenis dictum de distortis Musicis 236
diomedis piratæ ad Alexandrum M. oratio 173
dionysius Theologus 497
disputationes nimiæ, veritati inimicæ 491. earum primus autor Satan 491. in Theologia vanitas 496
dissidium de processione spiritus S. unde causatum 11
divinatio non nititur certis rationibus, sed temerarijs eventibus 64
divinationes lege D. prohibitæ 65
divinationum genera 37. omnia in Astrologia fundata 70
divisio & eius genera 348
dorio modo Clytemnestræ pudicitia conservata 37
duratio quid & quotuplex 343
durationi vicini aut repugnantes termini 373

E.

Ecclesiastica beneficia lenocinio Venalia 133
effectus quid 402
episcopi artis leoniæ patroni 135
erisichthonis voracitas 205
error communis ius facit 213
essentia quid 346
esse primus gradus naturæ 337
essentiæ vicini vel repugnantes termini 379
eva quomodo à diabolo decepta 497
eunomius hæreticus 433
ethicorum sectæ 94
exempla aliorum quatenus imitanda 506
exordij partes & officium 409

F.

Febris pro Dea culta à Romanis 303
Ferdinandus Corduba Hispan. Gymnasium arte Lully celebre erigit 231
festi dies quare instituti 109. eorum abusus in computationibus ibid. celebritas superstitiosa 108
fide quando anima uti possit 491
figuræ terminorum quatuor 379
finis quid & quotuplex 355
fœminarum virtute plurima regna conservata 537
forma quid & quotuplex 354
fornicationis occasione innumeræ gentes & urbes deletæ 126
franciscani, Francisci sectatores quomodo 430. contra Franciscanos qui scripserint
francisci miracula 140
francorum in Gallia regnum crudele 176
favor quid propriè 69

G.

Galaxia seu circulus lacteus quid sit, adhuc ignoratur 66
Galeni sententia de anima 88
Gall. quales in libidinem 125
gromantia quid 66. filia Arithmeticæ 33. Astrologiæ administra. ibid. species 66
geometria quid quibus scientijs inservit 44. sola non habet hæses 43
geometrarum ambitio 43. à geometria quæ dependent ibid.
getæ Imp. luxus & voracitas 205
gladiatoriæ vanitas & exercitatio 41
gloria quid 345
gloriæ vicini vel repugnantes termini 373
gœtiæ impietas 74
Gordianæ ædes 51
gorgiæ Leontini liber de Græcorũ pacificatione 142
grammatica de bellum 10. Grammatica ministra Lenocinij 143. non docet loqui sed nutrix 8
grammaticorum multitudo 10. errores circa ius publicum hæreses perniciosæ 11
gregorij sententia de autoritate verbi Dei 234. sententia de imaginibus oppugnatur 105

H.

Habitus quid 340
Hæretici ad quam normam probandi 223
hæretici qui sint censendi 218
heliogabali imp. detestanda, & plusquam belvina libido 121
eiusdem de meretricum immunitate decreta 122
heraldica ars qualis 180
heraldorum origo 182 privilegia concessa à Libero patre 182. ab Alexandro 182. ab Alexandro M. ab Augusto Cæs. ibid. à Carolo. 193
hercules scortator 122
herodotus fabulosus 21. à cũctis fermè mendax habitus 21
hester pulchritudo 523
hieronymus propter lectionem secularium autorum angelo castigatus 528
hieronymi error de reprehensione Petri 231
hierusalem an terræ mediũ 46
hippocratis error de productione pulli in ovo 186
hispani quales in libidinem 126
historia quid 17. vitæ magistra creditur, sed falsò 17
historici qui mendaciorum notentur 18. qui à quibus reprehensi 21
homerus ab Athenienſibus L. Drachmis mulctatus 16
homo cur ejectus de Paradiso 557. Dei cognitione imbutus, mundi miraculum 492
honoris apud diversas gentes diversa insignia 167
hugo Capetus, patricidio ad regnum evectus, 177

HAJDOBA BIBLIOTEKA OSZK II. MŰEMLÉKKÖNYVTÁR

Huni-

Hunibaldus Historiæ Franciæ scriptor 20

I.

Iacobus Faber Stapulensis Lullio deditus 333
Iacobus Ianuarius, artis Lullianæ beneficio doctissimus 32
Iamblichi locus de præstigiarum ratione 82
Ieiunii analogia 416. *effectus* 418. *principia* 419
Ieiunium bonum quod 417 *est bonum exempli loco probatur* 405
Imaginum abusus in templis, & periculum Idolatriæ 46. *cultus Iudæis exosus* 105. *damnatus à Mose ibid. à Numa ibid. neglectus Persis ib. ab Aegyptijs primùm introductus* 105. *Imaginum detestatio, hæresis* 107. *usus verbo Dei reprobatus* 105. *usus quando introductus Romæ* 104
Imaginitiva potentia qualis sit 96
Innocentij III. dictum 520
Inquisitorum hæreticæ prauitatis officium 219. *potestas ibid. processus ibid. sæuitia* 219. 220. *perfidia Mediolani* 20. *Iurisdictio sola pontificis autoritate innititur* 217
Insignia præcipuarum gentium & illustrorum virorum 181
Instrumentaliva potentia quotupliciter consideretur 339
Inuenire rem & inuenire terminos differunt 334
Iulius Cæsar libidinis mancipium 175
Iudith encomium ex Hieronymo 40
Iuris Canonici à rogantia & temeraria præsumptio 213
Iuris civilis autoritas penes populum 211
Iurisconsultorum licentia & perversitas 218. *volumina contra Iustiniani edictum* 217. 218
Iuris scientiæ principes Papa & Imperator 200
Ius à quibus in volumen redactum 215 *Canonicum ipsis Protocomuabilius* 216 *civile ad opprimendos inopes accommodatum* 216 *Israelitarum captiuitas Babylonica* 172. *in Ægypto seruitus* 171. *in Eremo calamitas* 170. *Respublica à captiuitate Babylonica* 172. *à migratione ex Ægypto* 171

L.

Ladislaus Poloniæ rex 163
Lapis Philosophicus quale substantia 208. *eius virtutes* 351
Latone templum magnificum in Ægypto 51
Laurentius Valla à Mancinello laceratus 13
Leges curiatæ Romuli 211. *naturæ quales* 210. *nec bonis nec malis rogantur ideoque inutiles* 212
Legislatores primi apud diuersas gentes 211
Lenocinia ars sanctorum exemplis illustrata 134. 135 *etiam in sacris literis habentur* 135 *omnes artes inseruiunt* 133
Lex duplex Mosi data, spiritualis & corporalis 487
Lex quid 210
Liberorum educatio infœlix, & eius exempla 143
Lignum scientiæ boni & mali 555
Literarij characteres apud Barbaros, introductis Romanis characteribus abolisi 8
Locus argumentorum quid 508
Lucius Balantius, Astrologiæ propugnator 63
Ludouici XII. regis Francorum in repudianda coniuge leuitas 124
Luxuria nostræ ætatis 204
Lydius modus hilaris 36

M.

Magi apud diuersas gentes qui appellati 71
Magi qui ad Christum ex Oriente venerunt qui fuerint 71
Magia Dei operum æmula 72 *lenocinij minister* 171 *naturalis quid* 99 *sæpè etiam solis verbis perficitur* 73
Magiæ artes an reuera sint 99 98 *cognatio cum Astrologia* 75
de Magia qui scripserint 102
Magistratui Ecclesiastico etiam impio obediendum 118 *successio in Ecclesia necessaria* 114. 115
Magnitudo quid 342 *quotuplex* 343
Mahumetes pro Deo colitur 103
Maioritas quid 357
Manlius Capitolinus falsæ gloriæ appetens 17
Marcana Mosi cognita 77 *species Cabalæ* 77 *eius species ib. præstantia ibid.*

Mariæ matris Christi formæ dignitas 524
Martis motus nondum indagatus 55
Materia quid 354 *& quomodo in moralibus accipiatur ib.*
Medicamenta composita, quam periculosa 196 *simplicia magis salutaria compositis ibid.*
Medici in excrementa hominum quàm nati 191 *Roma pulsi sub Catone Censorio* 196 *sæpè à rustica arte victi* 197 *venefici orum administri* 197
Medicina diætaria damnata ab Ambrosio & Bernhardo 202 *eius impietas ibid.*
Medicina empirica & eius sectatores 185 *methodica & eius sectatores* 201 *Operatrix & eius species* 185 *operatrix periculosissima, ex summorum medicorum confessione* 186 *Rationalis & eius sectatores* 282 *eius hæreses ibid. inconstantia* 195
Medicorum alius alio fortunatior 196 *apud Lacones & alias gentes vilitas* 194 *arrogantia* 190 *crudelitas* 196 *colloquia qualia* 192 *cum Iurisconsultis de loco contentio* 184 *discrepantia* 185 *dissensiones ibidem. de ciborum conversione dissensiones* 186 *de Spermate contentiones* 185 *impudentia* 187 *mendacia perniciosissima* 186 *multitudo quàm periculosa* 192 *processus in curando* 187 *stratagemata in tegenda sua inscitia* 188
Memorabile de quodam pictore

IAGELLONSKA BIBLIOTEKA CYFROWA im. I.I. MIECHOWITY

insigni 66
Mendici qui posint tolerari ibid.
Medicinæ legibus prohibita 136
Mercatura quid 153
Mercatura apud Epidaurios prohibita 155
Mercaturæ commoda & incommoda 154
Mercatio ars qualis 136 à quibus nobilitata 123 ad bene instituæ Reipublicæ administrationem necessaria 121 à quibus descripta 125 quomodo excusetur 136
Meretricibus immunitas sancita legibus Solonis 121 templa constructa ubi ibid.
Metallica ars 123
Metaphysica unde dicta 91
Metoposcopiæ vanitas 65
Militum nomina 166
Milonis Crotoniensis voracitas 204
Ministerium Ecclesiæ quare viro, non mulieri commissum 528 Ministrorum Ecclesiæ depravatio 115 ordinatio depravatissima 114
Minois Institia à poëtis infecta 15
Minoritas quid 357
Monarchia, qualis Reipublicæ status 95 à quibus probibetur ibid.
Monachatus facinorosorum hominum concursus & colluvies 118
Monachis vetus Ecclesia caruit 118 eorum sectæ ibid. scorta vestales 120 vita qualis esse debeat 565
Mori Angli falsum epigramma in Astrologum, machæ maritum 580
Morum diversitas in singulis nationibus 97 in Germanis, Gallis, Italis, Hispanis 94
Mosæ corpus ipso Deo sepultum 575
Motus octavi orbis & stellarum fixarum inter Astronomos controversus 53
Motus superiorum orbium, trepidationis gyrationis, primi mobilis, periodus 55
Motus quid, & eius species 355
Mulier ex nobiliori materia creata quàm vir 521 optima quæ 208
Mulieres an viris subiectæ sint 556
Mulieres honestatis dignitate præ viris præditæ 520
Mulieri fructus ligni non interdictus, sed soli Adæ 527
Mulieribus honores & peculiaria privilegia Romæ decreta 530 item à Cyro & Macedonibus 539 à Iustiniano Cæs. 539 à Lycurgo & Platone ib. virilia officia apud Bacchianos permissa 540
Mulierum aulicarum descriptio 151 & deinde fraudulentia 529
Mulierum pulchritudo ad virorum deformitatem comparata 523
de Mulierum virtutibus qui scripserint 539
Mundum non esse æternum exemplo probatur 586
Musica Alexandro M. probro data 38
Musica animos viriles effœminat

ibid. lenocinii clientela 129 cuius licentia in sacris deiestanda 39 scriptores 35 species tres 36 usus in Ecclesiam quando admissus 37 Improbatus ab Athanasio 19 ab Ambrosio & Augustino institua 19

N.

Nabuchodonosoris pœna 37 statua 31
Narrationis partes & officium 410
Nativitatum calculationis vanitas 555
Natura quid 396 eius scalarum quinque gradibus 337
Navigandi artis pernicies 51
Navigium qualis 141
Necromantiæ impietas 74
Nefarices Lenonum obnoxiæ 132
Nicolaus Leopina Salla Salomonis stupefactus 537
Nimbrotus Chami F. 168
Ninus Assyriorum monarcha primus 173
Nobilitas quid 168 quibus artibus comparetur 169 initio in Israel, à cædibus & parricidio instauratio 170. & sequentibus. instauratio à diluvio 168 munera principalia quatuor 178 primordia antè diluvium 167 primordia semper scelerata 173
Noema 559
Nominum significatio in Iuris studio quanti momenti 519
Notariorum seu tabellionum perversitas 216
Numerus denarius, numerus instituæ 559 octonarius, septenarius ibid. undenarius numerus peccati ibid.
Numerorum secundum Pythagoricos mysteria 35 ex Numeris orta hæreses 38

O.

Œconomia, monarchia privata 148
Œconomiæ species 149
Origenes Theologus 407
Orosius in gratiam Italiæ, cladem sub Gothis tacuit 19

P.

Panthere erga hominem gratitudo 248
Papa utrum habeat plenam potestatem, exempli loco probatur 383
Paradisus quid 554
Parasitorum aulicorum descriptio 150
Parnassus diluvij iconmunis umbilicus terræ secundum Strabonem ibid.
Partitionis Rhetoricæ officium 410
Paschalis diei observatio, schismatis in Ecclesia occasio 110
Passio quid 340
Pastores celebriores ex antiquis 158
Pastura, & eius laudes ib.
Paulinæ castitas, prætextu religionis expugnata 133
Paupertas cur beata 570
Peccatum quid 423
Peccatum originale, commistio viri & mulieris 555 556 ubi & in qua parte animæ sedem habeat 679 primitivum secuta calamitas 165

РУКОВАВІЗІЯ АОЦЕ ІЛІЧ. МЕЧНИКОВА

de Peccato originali quæstio nõdum satis explicata 564
Penelopes pudicitia in dubitata, à poëtis infectata 15
Perfectio quid & quotuplex 346
Perictis vis Oratoria 22
Persarum monarchia in Alexãdro Macedone finit 174. reges magia imbuti fuerunt 71
Pestis antidota 58
Petrarchæ dictum de servis 144 locus de discrepantibus philosophorum dogmatis 87
Petri Aponij avaritia 189
Petrus Dagueinus Medicus, artis Lullianæ beneficio doctissimus 332
Phagonis cuiusdem stupenda voracitas 204
Pharmaca simplicia compositis tutiora 194
Pharmaca vide Magia venefica
Pharmacopoliorum reformatio necessaria 199
Pharmacorum peregrinorũ usus periculosus 199
Pharorini sententia de motibus in cælo adhuc ignotis 55
Phegor idem quod Priapus 561
Philiponi locus 5
Philosophi etiam Ethnicis exosi 92
Philosophia à quibus infecta 93
hæreseos & apostasiæ radix 92
moralis instar serpentis, inbonum & malum discernit 95
eius falsitas & vanitas ab Esaia notata 235
moralis inconstantia 93
sectæ 93. naturalis inventores poëtæ 82
Philosophorum de dijs opiniones 90
dissensiones de mundi pluralitate 92. Item de mundi duratione ibid. de terræ motu 83. 84. de anima 84. eorum & Christi antithesis, in loco de summa felicitate.
Philosophus neq; homo neq; brutum 82
Phrygius modus Bacchicus & impetuosus 36
Physiognomiæ vanitas 65
Pictura quid 45. pudicitiæ insidiosa 130 poësis tacens 45
Picturæ mendacia, aliquot exemplis illustrata 45. in inquirendis sanctorum habitibus autoritas 42. eius insignia exempla ex Plinio 45
Piscationis studium apud Romanos 158
Planetarum ordo inter Astronomos controversus 57
Platonis sententia de anima 86
Plinij sententia de populari regimine 101
Plotini sententia de anima 99
Poëseos finis tantum voluptas 13 prærogativa 15
Poësis exulare à rebuspublicis iubetur ab Augustino, Platone, Ciceron, & Socrate 15
Poësis famelica 16. furoris administra culpa concipitur 14. lenocinij instrumentum 128. mẽdaciorum architectrix 13

Poëtæ adulatores 16. à Romanis probro habiti 15. ab Atheniensibus & Spartanis civitate ejecti 15. eorum contentiones inter se 16
in Poetas, versiculi Campani 15
Politica quid 95. eius species tres ibid.
Pontificis Rom. autoritas 117
Populi factiones, principium pecuniæ 100
Potentiæ hominis quinq; 336
Potestas quid & quotuplex 343
Potestati vicini aut repugnantes termini 373
Prædicabilia 74
Prædicata absoluta 26. quomodo Lullius accipiat 342
Prædicatio quid & quotuplex 390
Prædicatorum multiplicatio in genere demonstrativo 367
Præstigiæ quid 80. earum ratio & natura 81
Præstigiatores Ecclesiæ quantum obfuerint ibid.
de Præstigijs qui scripserint 81
Principia novem Raymundi 26
Principium quid, & eius genera 353
Prognosticorum excusatio, si erraverint 59. vanitas 58
Prophetia etiam Gentilibus quibusdam & infidelibus communis 230
Prophetica Theologia quid? 231 eius doctores ibi. eius fundamentum ibid.
Prophetarum visio quotuplex 234
Propositio quid & quotuplex 390
Propositiones quomodo multiplicentur 393. modales quæ 391
Pythagoras Chiromanticus 68

Q.

QVæstio quid vocetur Raymundo 358
Quæstio Virum, & eius species ibid. quid, & eius species 359. de quo 369. Quare 362. Quantum 361. Quale 362. Quomodo 364
Quæstiones seu termini ix. artis Raymundi 359
Quæstorum vituperatio 156
Qualitas quid 339. eius species 340
Quantitas quid 339
Quantitas alia continua ibi. alia discreta ibid.

R.

REgnorum mundi initia plerag, parricidialia 175
Reip. gubernandæ disciplina & Oeconomia constituitur 559
Relatio quid, & quotuplex dicatur 340
Relegio à natura insita. 103. civitatibus utilis 102. omnium primò ab Enoch instituta 103. quid 102. secundum Ciceronẽ ibid.
Religiones omnes adventu filij Dei corruerunt 104.
Religiarum cultus immodicus 106. irreverentia hæresis 107
Repugnantia quid 402
Respectus seu triangula quæ sint prædicata 347
Rhetores omnes rebus publicis pernicioſi 24

НАЗИРОВА ГЕЛЯ ТЕЛЕОНОВНА Г.И.И. МГУ ИСТОРИКОВА

Rhetorica actio histrionica 42. *à Demosthene commendata* 42. *hodie exulat ibid. à Lacedæmoniis repudiata* 22. *à Romanis serò admissa ibi hæresium administra seductrix* 24. 25. *mentiendi artificium* 23. *eius finis* 22
Rhetores paucissimi viri boni 24
Romanorum lingua à quibus gentibus corrupta 7. 8. *monarchia à sceleratis initijs progressa* 174

S.

Sabellici in historia quidam errores 19
Sacerdotum insignis libido 133
Sacra scriptura multis voluminibus deficit 232. *sola errare non potest* 235
Sacri scriptores quatenus errare possint 231
Salomonis canica, ab Esaia canonizata 233
Samuelis anima an revera evocata à Phitonissa 75
Sancti cur in certis morbis & calamitatibus certi invocandi 107. *omnium morborum medici* 106
Sanctorum relliquiæ cur miracula faciant. 575. *cur venerandæ* 375
Saul rex Israelitarum 202. *quomodo ambiguitate verbi Zobar deceptus* 10
Scientia boni & mali quid 465. *causa peccandi Adamo* 4. *à sensibus artium habet* 27. *rerũ naturalium ex sacris scriptoribus petenda* 247
Scientiæ administræ Tyrannidis 5. *à malo dæmone excogitatæ eandem quam antiquus Serpens, beatitudinem afferunt.* 1. *peiores reddunt*, 2. *pertinaces Spiritui sancto reddunt*, 243. *quid ad beatitudinem verè conferant* 4. *unde laudem mereantur* 4
Scottorum Romanorum census annuus 134
Scribendi usus ubi primum introductus 6
Scriptores ecclesiastici puriores 498
Secta quid 403
Secundæ nuptiæ iure permittendæ
Sensus fallaces 27. *principium scientiæ ibid.*
Sententia quid 403
Sermo optimus hominis thesaurus 527
Serpens quid 554
Servorum malitia & infidelitas 144
Sicera 562
Similitudo quid 401
Simon magus 82
Simphorian. martyr. 538
Sinus quid 340
Sixtus Pontifex lupanar ædificavit 135
Socrates moralem Philosophiam à mulieribus addicit 58
Solis ingressus verus in punctis æquinoctialia 55 *maxima declinatio quæ ibid.*
Solutiones argumentorum, & eius genera 406
Somniorum causæ, & de iis variæ diversorum sententiæ 69 *de ea qui scripserint ibid.*
Sophistæ clamosi, & verbosi 28

Sortes divinationis species, à Pythagora inventæ 34
Speculatoria quid 67
Speculi plani miraculum 48
Sperma quid & an mulieres aliquid spermatis conferant in generatione 185
Sphærarum cœlestium numerus inter Astronomos controversus 54
Sphynx qualis statua 51
Spiritus quid & quotuplex 456. 457
Spiritus, actio est Dei intrinseca 424
Stephani historici de Francis mendacium 18
Strabonis de Istri fontibus: item de Lapo & Visurgio fl. error 19
Studiorum temporalium vanitas 422
Syllogismus instrumentum demonstrationis 27. *eius partes* 28

T.

Templa à Christianis ædificari quando & cur, capta 107. *Deo accepta quæ* 108
Templorum apud Christianos luxuria & profusio 52. *multitudo apud Christianos* 108 *usus apud quas gentes* 107
Templum Dianæ Ephesiæ 51
Tempus quid 340. *& quomodo in logica accipiatur ibid.*
Termini extranei Raymundo qui 369
Termini Theolog. 369
Terminus quid 334
Terræ medium, secundum Geometras 49. *secundum Theologos* 49. *umbilicus secundũ Commentras* 49
Testimonia quid & quotuplicia 513
Testimoniorum allegatio arrogans in Theologicis disputationibus 499
Theodori cuiusdam placita moralia 95
Theologia adulterata per philosophiam 101. *Ethnica an cum s. scriptura conferri possit* 504. 505. *Ethnicæ quatenus cognoscenda* 505 *Ethnica veræ Dei cognitioni quam perniciosæ* 504. *interpretativa quomodo instituenda* 225. *Pontificum decretis subiecta* 213. *quali sapientia* 491. *recentior ex philosophia extructa* 498. *scholastica, & eius auctores* 221 *scholastica in logomachiã degeneravit* 222. *Scholastica, mera stultitia* 499
Theologiæ interpretativæ genera 226. 227. *Scholasticæ virtus præcipua, obscuritas, sectæ* 409
Theurgia divinorum, magia 80. *qualis divinatio* 76. *quomodo adornetur* 77
Thymœtas 25

V.

Valeriæ Probæ centones de Christo 79
Venatio ars qualis 159 *tyrannidis initium* 160
Venationis vocabulum quomodo S. scriptura accipiat 161
Venatores primi, Thebani 162
Venefici cur tantùm malorum dæmonum operã utantur 7

BIBLIOTEKA UNIW. I. METHODA

Deo execrabiles 73
Venefici libri, patrum nomine falsò inscripti 74. 75
Verbi Dei autoritas & cognitio quam necessaria 238. *unicus tantùm sensus* 234
Veritas quid 345
Veritas alia propositionis alia rei 345 *ex solis scrutineris petenda* 181
Vespasiani sordidum vectigali 181
Veterinaria medicinæ pars generalis 202
Virginitatis œconomia 559. *& dein.*
Virginitatis prærogativa 561
Vita alia activa, alia contemplativa 566
Vitrificatoria ars ab Alcumistica ortum habet 208
Vitrum flexibile & ductibile Tiberij Imp. tempore factum 209
Vnitas quid & quotuplex 344. *eius termini* 374
Vsus quid 403
Vulcanus cur pro igne culinæ 239

FINIS.

EPISTOLARVM

HENRICI CORNELII AGRIPPÆ, AD FAMILIARES, & eorum adipsum.

LIBER PRIMVS.

Landulphus Agrippæ S. D. Epistola I.

IVCVNDISSIMA haud queo nunc tuæ humanitati pro novitatum indicio destinare nuntia, quàm negotiorum nostrorum prosperum, & sæpius inter nos optatum tibi significare successum, quo illa dulcis, quæ mutuis vicibus Parisiis inter nos reciprocè claruit aliquando, triumphabat amicitia. Etsi longinqua locorũ intercapedo interveniendo ad tempus nos semotos reddat: animorum tamen parilitas inenodabiliter unanimes jungit. Vnde non mireris, mi Agrippa, si aliquando ardens amoris affectus tua frui videatur præsentia. Quod si summus ille orbis gubernator; post varios instabilis fortunæ casus, taliter, uti sæpè inter nos optavimus, meos dirigeret actus, te visendi gratia, tuam Germaniam petere non defatigarer. Scis enim me Lutetiam haud intrepido incolere pede: etsi varios serpentum morsus ictusque divino repuli scuto, atque qui in me rapaces armati erant lupi, aliud fecisse nihil, quàm quòd in sua capita carbones ædificasse visi sunt. Paucis illa cape: prosusiùs quidem, mi suavissime Agrippa, de animi mei proposito, simul & vitæ & rerum gerendarum cursu, tuæ scripsissem humanitati, quæ ob præsentium literarum periculum temporisque rationem nunc missa facio. Tu fac accelerato tuum reditum quantum potes. Vale. Ex Academia Parisiaca, quinto Kalendas Aprilis, Anno 1507.

Agrippa Landulpho. II.

LIteras tuas quinto Kalendas Aprilis ad me scriptas, fidissime Landulphe, decimo Kalendas Maji lætabundus accepi. Ego me abs te tam diu abesse multum doleo, quodque careo fructu fidissimæ consuetudinis tuę: neq; tamen minor te prosequor studio absens, nec cuiquam cedo in te amando: siquidem nihil ego negligere possum, quod ad tuum honorem de-

НАУКОВА БІБЛІОТЕКА ОНУ ім. І. МЕЧНИКОВА

fendendum & ampliandum, simul atque commodum augendum pertineat, dies noctesque tui causa sollicitus, te nunc iterum vehementer moneo atque fideliter, quò N. partes relinquas, & protinus relinquas. tempus enim propè est, quo vel gaudebis de reliquisse, vel dolebis adhæsisse. Paucis illa capere, neque enim satis tutè omnia quæ te scire velim, his audeo commendare literis. Gaudeo tamen te tot serpentum, tot Lycaonum insidias nuper superasse: licet hæc animalia tutius sit fugere, quàm vincere. nam mortua etiam nocent, & venenum retinent, quo victores suos sæpè profligant. De vitæ nostræ tenori statu tibi mutuò gaudendum est: siquidem quod mihi bonæ fortunæ accesserit, id & tibi commune est. ea enim est nostra amicitia, quæ nihil inter nos proprium patiatur. Expecto ego hic commissionem mandatumq; cujusdam magni Iovis, apud quem potero tibi aliquando haud parum utilis esse: hoc habito, rursus mihi redeundum est in Gallias, ubi te videbimus. Interea salutabis meo nomine D. Germanum, Ganeum, & Carolum Focardum, D. de Molinflor, atque Ianotum Bascum, D. de Charona. Vale felicissime. Ex Colonia, decimo Kalendas Iunias, Anno 1507.

Landulphus Agrippæ. III.

QVas à decima Kalendas Iunias ad me scripsisti literas, Henrice Corneli, mihi semper colendissime, eas decimoquarto Iulii perquàm jucundè suscepi, & legi: quibus gratias sat agere haud valeo, maximè ubi me fideliter ac vehementer exhortaris, quò N. partes liquisse gaudebo, vel adhærere pœnitentia ducar. Certè in istiusmodi animadvertentia te divino quodam oraculo, juxta meæ intentionis propositum, prophetasse opinor: quod longævo dierum curriculo tacitus mecum mussitavi. Ego tuum reditum expectabo, quò una, ut olim inter nos deliberatum extitit, Hispanias invisamus, tandem Italiam meam petituri. Quòd si aquilam ultra alpes volare cõtigerit, nos itidem inter cæteras volucres aliquid futuros spero. Salutat te D. de Molinflor. Ianotus aliquot mensib⁹ abfuit, nondùm reversus. Vale, ex Academia Parisiaca, Anno 1507. die, ut suprà.

Agrippa Galbiano. IIII.

VIdes, mi Galbiane, quàm periculosum sit coram istis Palatinis proceribus aliquid inconsultè jactare, qui, quicquid audiunt, mox effutiunt apud Principes & Reges suos, nostrisque periculis venantur illorum gratiam. illi verò quicquid tunc de nostris miraculis credere cœperunt, mox factis comprobari à nobis cupiunt: talibus autem precibus postulant, quæ blandis aspera permixta habent: quò facilè intelligam⁹, eos, quod verborum fastu non assequuntur, vi & violentia expressuros fore. Fateor: blanda admodum hujus fortunæ nostræ facies est: sed caudam quis intelliget, quæ sic felle permixtum mel propinat, ut dulcisne, an amara sit, nesciamus discernere. Fateor: pollicitationes sunt magnæ admodum, magnaque proponuntur præmia: sed juxtà sunt comminationes atque pericula. Nónne ab initio te commonui, ne nos in labyrinthum aliquem induceres, unde, cùm velimus, nequeamus erumpere: tu nihilominus loqui voluisti grandia, audax plus quàm commodus orator: & dominus à Charona æstimatione sua sic auxit verborum tuorum fidem, tantamque Regi de nobis opinionem suggessit, ut nullis consiliis ab hoc instituto nunc queat revocari. Quin ego nunc insigni periculo meo cogar vestris de me promissis fidem facere, ea inevitabili discriminis necessitate districtus, ut si delectem, aut res secus evenerit, quàm fide vestra futurum recepistis, jam rem & famam & fidem omnes nos perpetuùm perdiderimus, & pro fautoribus hostes, pro promotoribus criminatores, pro gratia indignationem, pro præmio persecutionem lucraturi simus. si verò paremus, & res bene ceciderit, dubium est, ánne præmii loco ad nova destinemur pericula, quousque periclis instar nostris artibus tandem pereamus, paratumque alieno capiti malum in nos ipsos cecidat, nisi fortè non sint etiam aliis ingenia, nostris vel paria, vel potiora, vel à nobis saltem improvisa. Hæc autem ad te scribo, non quod tergiversari quæram. sed ut significem tibi, me vitam aut mortem fortiter præstaturum esse: neque diffido, nisi aut fatum, aut genius aliquis malus obstiterit, me clarissimo hoc facinore immortalem gloriam nobis paraturum, nullis aliis copiis indigum, quàm te uno, quem sæpè hactenus expertus sum, fido sodali: atque hac confidentia ego istuc nunc accedo periculum atq; audaciam, jamque manibus teneo illum aureum arboris arduæ ramum. Tu mihi si adsis, volens facilisque sequetur: aliàs vincere nec duro possem convellere ferro: sed ipse ego offa fiam Cerbero, abs quo tamen malim semel devorari, quàm, Titii instar, continuis periculorum discriminibus depasci. Vide sis ergo, qui mihi aggrediundi tanti facinoris consilium dedisti, qui in hunc labyrinthum mihi dux fuisti, ut eandem

Chymicâ paratam arte putat arborem, ac qua Paracelsus lib. de natura rerum.

FAVRON LIBRARY OF THE UNIVERSITY OF LILLE

mihi operam præstes in reducendo, & me mihi restituendo, quam in impellendo consumpsisti. Vale, & te una cum harum latore huc apud nos præsentem constitue, ut quod facto opus est, protinus deliberemus & exequamur. Ex Crangiæ palatio, mense Aprili, Anno 1508.

Agrippa Galbiano. V.

QVo ambiguo sidere, quo ancipiti fato, quo bono malóve genio ad hanc fortunam impulsus sim, nescio: quámve in partem sim opinaturus. Certè vestra instigatione, tua, inquam, mi Galbiane, atq; Ianoti hanc fortunam tentavi: vos me huc impulistis: utinam etiam vestra in manu sit, quando velitis, posse hinc me eripere: aut ego in hoc labyrinthum nunquá venissem. Anne ideò fortuna hæc mea me in altum sustulit, ut profundi[9] præcipitet? siccine dignitatis larva sublimavit, quò turpiùs deprimat? siccine me periculo eripuit, quò crudeliùs perdat? ita me liberalitatis & munificentiæ fuco irretivit, ut illam nec fugare nec fugere liceat: retinere autem haud aliter queam, quàm cauda serpentem? Nónne ego diu antea prædivinavi sic futurum, ut cùm nos hinc liberos abire putabimus, fucosis dignitatum nominibus videamur vendidisse libertatem, honorisq, atq; officii prætextu destinemur ultima ad pericula, novaq; deferantur facinora, quorum stipendium mors? sufficiat semel hanc sortè nobis cecidisse bene. quid ultrà fortunam tentare volumus? Ianotus, quantum video, mavult nostris periculis placere Regi, quàm incolumitate nostra suis desideriis quicquá derogari. Vereor hercle Acherontici cognominis malum omen, ne iste Charon nos aliquando in Stygem præcipitet. Tu igitur nunc illius consiliis protinus occurre, & dum adhuc in tua manu est, in quam partem sortis nostræ cymba casura sit, illam in dexterum latus compelle, priusquá Charon noster in sinistrum præcipitet. Vide ergo, ut hunc Ianoti impetum aut aliquo consilio tollas, aut quoquo modo comprimas, aut saltem ad tempus aliquod interpelles: ne quando dum unius iracundi regis arbitrio obsequendum sit, universę plebi offensi simus, atq; ipsos etiam aulę proceres habeamus in nos parum benigno animo. Annon recordaris, mi Galbiane, cujusmodi nuper fuerunt de nobis procerum illorũ sententiæ, dum libertati nostræ insidiantes, Regi suaderent, si nos dimiserit, fore, ut opera nostra in suum caput recideret, & illatam hostibus cladem ipse deniq; sentiret: & hujusmodi alia. Vide an adhuc illorum consiliis caput nostrum subjicere debeamus, & odiosis obsequiis præcipitare nos in pericula majora quàm ferre possit vel ipsa humanitas, sufficiat semel insanisse. Verùm ad tàm crudeles artes, quæ propriè plus flagitii habent, quàm egregii facinoris, profligata conscientia velle reverti, & ob unius malè instigati Principis furorem, universorum odio nos exponere, plenissimum impietatis esset & amentiæ. Non sic apud Grangiæ palatium inter nos convenerat. Ejus deliberationis te nunc memorem esse atque hujus sententiæ satisfacere velim, quo, rebus adhuc integris, hinc abiremus, vel ego me aliquò præcipitabo, ubi reperiar à nemine. Vos deinde videritis, quomodo sine me placebitis. Reliqua ex Stephano meo intelliges. Vale, & protinus per eundem responde. Ex arce vetere, Anno 1508.

Agrippa Landulpho. VI.

SAtis diu jam in hoc Vallis rotundæ specu instar feræ latentis in antro, Stygiis caliginosisque suggestionibus, corpore non secus atq; animo affligor, mi Landulphe. Quocirca te rursus admonere constitui, ne mea simul & tua plenissima periculo negotia, veluti lethargicus terraq; oblivionis caligine sepultus, sive Letheo poculo sopitus, tanto somno præterires. An ignoras, dum meum consilium linquentes, contra sententiam meam alienam sequi fortunã, quam propriam experire elegimus, quantis Charontis nostri ductu nunc fluctuemur periculis? Age igitur expergiscere, tempus est, & pristinæ nostræ libertatis recordare, rumpe moras, absolve vincula, fac per te redeant Saturnia regna, quò pristinam libertatem, & mutua cæterorum bonorum commoda rursus adipiscamur. Vale. Ex Valle rotunda, Anno 15 8.

Agrippa Landulpho suo. VII.

STupescit mecũ vehementer animus meus, mi Landulphe, gravioriq; stupore dietim premor de absorpta ingurgitataque libertatis nostræ reminiscentia: nec opinari queo, quid tam invisa mora tua nobis præsagiat. Certè tempus esset, hanc prophanam bestialemq; & plenam malorum vitam absolvere, priusquam vallis ista, nobis infestissima, nos in præcipitium rapiat. scis enim, in quantis fluctuemur periculis. scis, quàm simus omnibus offensi & invisi. recole, quæso, quarum rerum tute tibi mihiq; conscius es. Nónne hęc omnia ab initio hujus tragœdiæ mihi prævisa erant, & omnium illorũ tunc tibi, sed surdo, propheta fui? Vtinam tunc auscultasses mihi, vel nunc liceret nos potiùs Oceani in undis periculoso ventorum tur-

bine jactatos fluctuare, quàm præsentis fortunæ larva sic præstigiatos captivatosque teneris Tua igitur nunc pervicax succurrat diligentia, & quæ inter nos deliberata sunt, festinanter confice & perfice, ne Scyllam vitata Charybdis donet. certandum enim nunc est omni vi & ingenio. Nam hujus periculi victores, facilè vincemus universa: sin autem, obruemur infinitis malis, penitusque prostrati & perditi erimus. Provideas igitur fortiter & prudenter, si vitam & fortunam nostram illæsa servare studebis: tibi siquidem, ut mihi, luditur. Vale. Ex Valle-rotunda, Anno 1508.

Agrippa Landulpho. VIII.

MErcurium illum Iovis nuntium atque filium, nunquam arbitror tam lætum nuntiũ patri suo attulisse, quàm mihi his diebus mercator quidam retulit ex Lugduno, quando mihi te meum Landulphum illic esse nuntiavit. O quàm magna mihi lætitia est tua salus. non possum eloqui, quàm cupidus sum te videndi & alloquendi: tot menses jam præterierũt post superata Vallis rotundæ pericula, quibus neuter nostrum sciret de altero quicquam. Quid tu interea egeris, & quid passus fueris, quidq; tibi boni malive evenerit, prorsus nescio: verùm quid mihi evenerit, scio. Credo nunc firmiter, si unquam quenquã dii immortales voluerunt auxilio suo adjutũ esse, tũ me potissimè servatum voluerunt, quorũ auxilio tandẽ eripui me ab Stygio illo Vallis-rotundæ cavo. Nõ Hercules apud Caci antrũ, non Vlysses apud Polyphemi speluncà æquè magno sese abstulerũt malo. Nũc rursus omnia salva sunt mihi, omnia prospera, cùm te mihi salvum esse sciã. Non aliud superest, nisi ut post tot errores inquisitioni cõmilitonum insistamus, nostræq; cõjurationis removem⁹ sacramenta, ut nostri sodalitii restauretur integritas. Est hìc mecũ longinquæ peregrinationis meæ comes senex quidã, multæ experientiæ, qui olim Zizimo Turcæ in Gallis captivo interpres extitit: qui etsi careat literis, & philosophia, tamẽ senectutis prolixæ longævæq; peregrinationis beneficio multarũ rerũ notitia eruditus est, homo præterea fidelis & taciturn⁹, & cõversatione nostra dign⁹, quẽ ego jam cõprobatum instructũq;, in nostri sodalitii sacramẽtum ascivi. Cæterùm ego Bovillum & Clarocampensem, in Aquitaniis, admonebo nostræ apud Avenionẽ & Lugdunũ præsentiæ. Brixianũ, cui cum Adamo Burgundia delegata fuerat, tu admoneto. Poteris etiã facilè cõmonere Fascium & Vvigãdum, qui apud Parisios sunt. Vale omniũ qui vivunt hominũ mihi amicissime fidissimeq;. Ex Avenione, 13. Kalendas Januarii, Anno 1508.

Lan-

Landulphus Agrippæ. IV.

ALleluja, Alleluja, Alleluja: haud illa victoriosissima redemptoris nostri resurrectio, divã ingenti gaudio replens Magdalenam, vel sibi, vel Apostolis, vel etiam Petro in mœroris antro latitanti plus gaudii effecisse creditur, quam mihi tua salus, quando tuarum literarum effigiem & tui Mercurii fulmen sensi, percepique, sic me Deus amet, Agrippa unice. Vellet atq; vellet almus ille mundi opifex, quo tibi post procellosum illum maris transitũ, post tot hostium enses, post tot pericula, tandem Valle superata rotunda, satis ac satis congratulari possem: sed festinus hujus chartigeri discessus hunc abortivum coegit calamum: & quod sis sciens, mi Agrippa, ego de te per Pyrenæos montes, per mare, per terras, per lacus, per flumina, per campos, per oppida & villas de tua anhelando vita scisciteb ar, cuncto regno Navarræ peragrato: cũ tota Guascõnia & Aquitania singula perrerans, profectus sum Tholosam, ubi Supplicum Bovillum reperi, furore Apollineo sublimatum, & nostrum Clarocampensem plenum tuo spiritu: apud quos dum nihil novitatis de te scire possum, mox ventis vela dedi, & ubi nunc sum, Lugdunum, famigerabile emporium, accessi: quo quia omnis linguæ & nationis mercatores confluunt, non inani præsagio ratus aliquid me ibi de tui status fortunã posse percipere, ibidem te nunc brevius expecto, ac summo mentis affectu te venturũ anhelo: ubi de nostræ confœderationis instauratione multò commodiùs tractabimus. Sed interea tuam & Ianoti historiam mihi perscribere non pigriteris. nam & hæc olim meminisse juvabit. Brixianus Belnam urbem incolit. Adamus apud Divionem fatis concessit. Vale: vivas & longos crescas in annos: tua Herculeos superabit fama labores. Ex Lugduno, 4. idus Ianuarii, Anno 1509.

Agrippa Landulpho. X.

VEniremus ad te Lugdunum, fidissime Landulphe: sed pecunias omnes, quoniã tam longæ & molestæ terra mariq; peregrinationis attenuarunt impẽtæ, sumptuũ tenuitate coacti Avenione nos, instructa solita nostra chrysotoci officina, tantisper manere, & in opere perseverare oportebit, quoadusq; longioris itineris nova fomenta excubemus. Interea quã tantopere cognoscere cupis nostræ fortunæ tragicomœdiam, nũc accipe. Scis etenim initiò quum post expugnatam nostris arb⁹ Arcem nigrã, tandem dimissi ad præsidia Vallis-rotundę,

Hoc loco fateri videtur apertissimè, Chrysopœam se exercuisse cum sociis fœdere sibi adiũctis: ob quã sæpius

apud Principes libertatis iacturã ferme feecisset, capitisque fuisse hanc ob rem detentum in Valle rotundam: ex præcedentibus liquet.

ibi cum Ianoto versaremur, quanta rerum nostrarum jactura vitæq; periculo, totum id temporis inter perfidissimos populos perdiderimus. Sed cum sero tandem cœpissemus sapere, tu (quò rebus nostris consuleremus, quemadmodum inter nos convenerat) profectus per Peniacum, exinde retroversus Geronam, nuntiasti te Barcinonem petiturum. quo nuntio illectus Ianotus, etiam ipse Barcinonem iter instituit, ob causas tibi mihique satis constantes. Itaque relicto me super præsidiis, arripit iter quinto Idus Iunias rediturus, ut falso opinabatur, ad festum divi Ioannis Baptistæ, convivium eo die exhibiturus, ad quod Priorem cœnobii sancti Georgii, & Franciscum presbyterum, illum affinem suum, cum plerisque aliis, jam nuper invitaverat. verùm si te apud Barcinonem convenerit, si quid tecum egerit, aut statuerit, hactenus semper ignoravi: sed eras tu, hercle, beatus, qui remotior à periculo: sed ego spe sola fœlix, & futuri mali ignorantia tutus, agebam inter medios hostes, incuriosus periculi mei, Ianoti reditum propinquum expectans: jamque proximè aderat dies destinatus convivio, & sol occiduus ultimam terræ metam deflexerat, cùm illius expectatione frustratus, quid Ianotum remoraretur, anxius suspicioseque, quid potissimùm agerem incertus, imminentisq; mali præsagio turbatus animo & contiguæ noctis metu formidolosus, varias in corde meo volvebam sententias: tandem vespertinæ me trado quieti. Nondum provecta nocte somnus oppresserat oculos, ubi venit ad arcem nostram Oeconomus abbatis, qui, dato signo excubiis, mox, demisso ponticulo, intromissus, convocatis me atque Perotto, cum reliquis duobus Ianoti affinibus, triste nobis horrendumque expoluit malum, omnia videlicet atrocissimo rusticorum furore miscreri, Ianotum in reditu interceptum vinctumque servari in montibus, duos ex suis trucidatos, reliquos secum teneri captivos: nobis verò, videtisne, inquit, quantum vos manet periculum eminus, nisi fortiter & repentè præcaveritis? mox cominus congredietur. Nunc ergo festinate, & rebus vestris unà cum vita sapienter consulite. Attoniti eramus omnes, & expectatione deterrimæ formidinis trepidi: obstupuit animus, lababant genua, tremebant membra steteruntque comæ & vox faucibus hæsit, quid facturi, quo consilio usuri, penitus nescii præ repentina ista perturbatione: cum videremus nos, aut sæva morte, aut gravissimo periculo involuendos, consternati, & ob angustiam temporis, cogitandi deliberandique spatio privati, omni eramus consilio vacavi. Sed & ego ille egregius tantorum facinorum

rum consiliator, qui paulo antè tantas res turbavi, qui tantas commovi machinas, tunc ipse mihi consilio meo defeci. Itaque adorabamus Oeconomum illum, ut qui admonuisset periculi, simul afferret etiam aliquid consilii. Ait ille, aut exquisito aliquo eruptionis genere utendum fore, aut arcem ipsam munire oportere, fortiterque seditiosis rusticis resistere. fore enim, ut intra paucos dies, aut nullo fulciti imperio, à se discessuri sint, aut brevi manu regis cohibeantur. Verùm ut erumpere per armatorum rusticorum custodias impossibile erat, ita illos intra dirutam arcem oppugnatores opperiri & contrapugnare, plenum periculi, & certa mors erat, cùm non possemus multitudinem pauci superare, nec invalidæ munitionis arcem adversus innumeros hostes paucorum præsidio tueri. Verùm erat ad tria milia passuum propinqua turris quædam vetusta, & semidiruta: pariter etiam inculta & deserta. nescio, si aliquando advertens animum videris: sita enim est in lacunosa cavaq; convalle, non procul ab Arcona, ubi montes abrupti in amplũ quendam sinum aquis stagnantibus irriguum aperiuntur, saxis asperrimis, & propterea inaccessis, cinctum: ad cujus fauces turris hæc in enimentiore tumulo sita, hinc quidem stagnantibus paludibus & lacunis piscariis, inde verò asperrimis saxis & altissimis rupibus clausa, præter unicum inter lacunas arcto admodum aggere glebarum acervo, cespitum compagine coacto: aditum non admittebat alium, nec aliud, nisi forti hyeme, cùm gelu omnia constrinxisset, progressuris iter patet. nam reliqua omnis superficies, vestigii impatiens, in luteas voragines, paludosamque colluviem collabitur, qui situs per æstatem, inexpugnabilem illi loco tutelam parat. Hanc turrim incolebat pauper quidam abbatis villicus, qui piscinarum custodiæ præerat: illam nos occupare jubet Oeconomus & munire. Placuit omnibus consilium, totisque pedibus in eam sententiam prosilientes, discussa omni pigritia, confestim collectis sarcinis, & quanto potuimus commeatu, cum quæ victui & munitioni commoda essent, tum quicquid pretiosum erat & valde necessarium, equorum nostrorum dorso impositum provehentes, nos armati pulveribus & sclopetis onusti, præsidio tenebrarum freti, cum servis nostris duce Oeconomo illo, clandestino itinere per devia quædam diverticula, perque opacæ noctis silentiosa secreta, turrim illam ingredimur, ubi impedimentis omnibus exoneratos equos nostros Oeconomo permisimus salvandos, quod ille quidem solerter præstitit. O quę fortunarum nostrarum repentina mutatio? quæ rerum nostrarum mutata

HAYNOS LIBRARY COLLECTION

facies? Ex strenuis militibus lucifugæ vespertiliones effecti eramus, jamq; operosa & pervigili nocte transacta, dies festus aderat, dies destinatus convivio. Nondũ croceos pulcher Apollo extulerat vultus, cum relictam à nobis Ianoti arcẽ cingunt armati rustici, & alii scalis per antiquorum mœniũ ruinas conscendentes, alii validis securibus valvas aggressi, domũ Ianoti irrunt: ibi omnia eversa, sublata, direpta, vastata: omnia rusticorum erant. Hem, quale convivium: quærebant undiquaq; Ianoti satellites, sed nusquã erant. abierant enim fugerantq; : & quæ reliqua dormiens, & nostræ fugæ nescia, relicta erat iners mulierũ & puerorum familia, pavore subito attonita, non habebat quod indicare posset: verùm unũ præ omnibus quærebant Alemannũ, me scilicet: (erat enim fama publica, & omniũ conspiratus undiq; rumor, me tam atrocis consiliũ, tam pernicioſi magisterii, tam crudelis facinoris extitisse autorẽ, meisq; artibus inexpugnabilem humanis viribus. Arcem nigram superatam, plebisq; præsidia tam miserabiliter trucidata, & libertatem eorum everſam) jamq; ingens hominum turba confluebat ex montibus, quorum numerosa frequentia tota vallis cõplebatur: undiq; rusticorum strepitus, plebs infesta, hostes innumeri, & publicus clamor hominum in nostrum exitium cõspirantium, omnia mortem minitabantur. Nec mora: ubi fueramus nos latentes, innotuit: accurritur mox ad turrim, & oppugnamur undiq; : sed nos in expugnabilis loci (quem natura undiq; impenetrabilibus paludibus, & inviis saxis circũsepsit) præsidio freti, illum insuper viribus armorum tuebamur, contractisq;, quas inibi reperiebamus, quadrigis injecta terra, aggerem, per quem unicũ aditus iter patebat, vallo occlusimus: retrò quem cum sclopetis nostris in statione eramus, vel solo bumbo omnibus rusticis formidabiles, qui omne roboris sui exercitium in arcu & balistis repositum habebant. Hoc itaque exigui vallis propugnaculo omnis rusticorum spes potiundæ turris subruta est, acceptaq; aliquot suorum clade, demissa oppugnatione, ad obsidionem animum obstinatè inducunt, quo nos vel fame compulsos in deditionem acciperent. Hinc itinerum omnium severa custodia intercluſi eramus hostiles inter turbas, plebemq; cruentam: circumcircà mors imminebat, periculum undiq;, auxilium nusquam, nullibi ausugium, nulla evadendi via, & erat nobis una spes miseris, nullam sperare salutem. Nam quamvis loci præsidio inexpugnabiliter muniti, & impenetrabili paludum & saxorum tutamento ab oppugnatione securi essemus, etiam vigiliis & stationibus, cæterisq; pro

defensione nostra necessariis, salubri consilio dispositis, nullos formidaremus insultus: tamen fames brevi urgere potuit nos ultrò hostium gladio jugulum submittere. In hoc itaq; erubescendo simul & miserando rerum statu erant adhuc nonnulli ex populo, qui seditionis fortè expertes, se consueta erga regem subjectione obedientes persistere profitebantur. His adjutorib. abbas ipse, cujus magna semper fuit in plebe veneratio, intra has publicæ seditionis procellas concionem legit apud Arconem, plebiq;, quàm fragili conatu, quàm irrito proposito hanc discessionem moliretur, exponens, ne regi rebellarent persuadere cœpit: tum etiam de Ianoti restitutione, simulatq; nostra libertate multa locutus, in vanum laboravit. nam plebs rustica seditionis fluctibus concitata atq; armata, regiarum partium præconibus dicendi potestate vix permissa, respondit se nõ adversus regem, sed in Ianoti & suorum tyrannidem exacerbatos, à quibus inusitatæ dominationis sævitia, & intolerabili onerũ servitute vexatus fuisset, quique sub regiæ protectionis titulis hæreditariam patriæ eripuissent libertatem: tum ereptam sibi Arcem nigram magnis ultionum minis objiciebant: ipsum Ianotum atque me præ cæteris seditioso accusationis genere prosecuti: hunc patriæ proditorem, me verò illum, cujus detestandis artibus inexpugnabilem arcem unà cum libertate amisissent, nostroque impulsu regem in hunc crudelitatis impetum adductum, atq; tam atrociter victoria sua usum, ut eorum sanguine & cædibus vix satiari potuerit, asserendo. Nunc ergo recuperatam publicis armis libertatem pro fallacium verborum blandimentis sese nolle dimittere, quippe velle se Regem dominum agnoscere illis conditionibus, quibus à majoribus suis imperatum sit: adulteriorem servitutem se cogi non debere, nec pati posse. De nostra autem atq; Ianoti liberatione omnes in unam sententiam clamabant, tollendos potiùs hostes in suã potestatem datos, quàm dimissos iterum ultores experiri: nec debere se nostram salutem suæ anteferre: tum & superbiùs æquo vociferabãt, sese plus metus habere nostra in salute, quàm in regis offensa: plusque opis in nostra cæde, quàm in regiis promissis reponere. Sed & illi, quorum cognati in expugnatione Arcis-nigræ occiderunt, non parum nutrimenti publici furoris incendio addiderunt. Itaque cunctis accusationis iracundiam in Ianotum distringentibus, & solvendæ obsidionis nostræ sententiam detrectantibus, ad profundam vesperam Abbas, furibundæ plebis dimissa concione, secessit. Dum hæc ita in ancipiti aliquot dies penderent, & nos gravio-

viorem famis & inediæ,quàm obsidionis pugnam formidaremus,Perottus callidum,& quod ex usu foret omnium, speculationis consilium amplexus, omnem intercluſum rupibus sinum pervagatus,scrupulosa diligentia singula circumspiciens, devias solitudines,& avia montium considerans, si quam fortè fugæ & evasionis viam invenire posset, sagaci indagine explorabat. Is tandem insueta itinera & difficilia aditu saxa, ingentesq; rupes per varios anfractus emensus, quodam die in summitatem montis evasit, unde prospectus erat in lacum, qui montem ab altera parte alluebat, quem cognovit esse Lacum nigrum, qui inde ad quatuor millia passuum portensus,nō lōgè ab Abbatia, quæ supra egredientem rivum sita est, desinebat.Itaque difficilem montis descensum eò versus prosecutus, forte offendit semitam, quam solutæ nives, variis anfractibus per prona in lacum decurrentes, cavatis saxis, præcipite clivo effecerant: hujus per obliqua devexa properè se demittens, pratis se immisit subpatentibus, & ad lacum usque descendit, sed intereluſus scopulis & aquis, nullus ulterior, nisi navigio, patebat progressus.Itaque remensus difficillimum iter,sub occasum solis ad nos rediit,ac coeuntibus nobis in consilium,quę comperisset,narravit. Tunc, pensitatis singulis, visum est ut scriberemus abbati,quò navicula:n mitteret ad signatum scopulum.Verùm erat hoc consilium haud parum difficile & periculosum,&propè impossibile ob tam severas diurnas nocturnasque itinerum custodias,quæ nec egredi vallem, nec ingredi quenquam inexploratum patiebantur.Proinde aliunde quàm per arctum illum aggerem, qui ab altera parte præcisus, non indiligentiore custodia, sed & viribus & multitudine majore custodiebatur, ab hostibus prosultum nostrum arcentibus, quàm à nobis illorum ad turrim prohiberetur insultus, nullus nostris patebat egressus. Visum itaque est in consilium nostrū accersere villicum,illumque precibus, donis & pollicitationibus adorimur,adjuramusq;.Is tandem fassus se per innoti vadi compendium paludem posse superare:sed vallem nisi per medium hostilis turbæ agmen egredi non posse, nec quovis modo ad abbatiam,quæ extra vallem sita sit,pervenire.In hac plena desperationis consultatione, nescio quo furore tam callidū mihi consilium ministrante,hoc stratagemate usus sum. Puer erat villico, qui pascebat armenta; hunc ego tithymallis, aliarumque herbarum succis infectum, fœdata facie manibusque, turpi macula squalefacta cute, & horridula coma deformatū, cum mendico habitu & informi baculo,cui excavato literas indidimus,

didimus,ac leprosorum clapello adornatum instruximus: quē villicus ipse bovi impositū, sub obscuram noctem per notum sibi vadum transmissa palude,ante auroram solo exposuit.Qui profectus, balbutiente sermone eleemosynas petens per medias infestorum rusticorum acies jam clara luce vallis fauces tutò egressus est. nam ut postea nobis narravit, etiam ipsis custodibus non modico terrori fuit, ut qui non modò alloquiū, sed & conspectum ejus fugerent, tanquam ex serpentum illorum genere fuisset,qui solo aspectu noxii dicuntur, stipemque illi procul projiciebant in terram. Sic puer ille periculosum gnaviter nuntium absolvit,& literas abbati reddidit:acceptoq; responso, eodem astu postera die circa primam ferme noctis vigiliam ad nos rediit,clapello præsentiam suam denuntians: quem expectabundus villicus, conscenso bove, vadum trajiciens,rursum recepit atque reduxit. Gavisi omnes de tam salubri respōso, totam noctem disponendis tebus nostris duximus insomnem,cumque appropinquaret diei crepusculum,emissis more solito aliquot sclopetarum tonitruis, cæterisque vigiliæ signis, adhuc quiescente & ignorante villico, nos cum nostris impedimentis omnibus,prementes obnixum silentium, præeuntem Perottum taciti insequimur, assiduisque lapsibus, & crebris offendiculis per lubrica,per aspera,perq; infensos scrupos,contusis cruribus,non exiguo labore montem conscendimus, vixque tandem ad summum verticem fessi pervenimus, in cujus cacumine constituti,incumbentes saxis tātisper quievimus, quoad Perottus alteram montis partem per prona delapsus,signum affigit scopulo,id erat linteum candidum extēsum,quo,retro quam descenderat viam, ad nos remenso,expositis,quos nobiscum attulimus, cibariis, in istis summis saxis epulabamur,ultro citroq; prospicientes, donec circa quartam diei horam prospeximus venientes duos lembos piscarios,sublevato rubeo pileo insignitos, id enim signum nobis abbas rescripserat. Iis conspectis, sclopetas omnes in lætitiæ signum è summo montis cacumine emittimus: quo & villico nostram salutarem fugam,& nautis nostram præsentiam indicaremus. Tum,præeunte Perotto,transmisso clivo, per invia & humani vestigii expertia saxa delabimur in subjacens pratum,vix stabili vestigio excepti,ingressique lembos, hac ignoti itineris fortuna & piscatorio remigio freti, salvi cum omnibus nostris in abbatiam ipsam pervenimus sub vesperā, quam dies insequebatur iduum Augusti. Hæc itaque nostra evasio, ut postea accepi,seditiosos illos rusticos (quibus illa non tam admirat oni,

quàm

quàm miraculo fuit) diversas traxit in sollicitudines, jam enim anxiè metuere sibi cœperunt, ne ejsdem nostris artibus & opera exquisitis, ignotorum itinerum transitu rex illis inopinatũ intromitteret militem, qui flammis & ferro omnem vallem crudeli animadversione vastaret. Iamq; nec dies, nec noctes securùm dormientes, plures discedebant ad partes regias, qui antea manifestum defectionis titulum sequebantur. Verùm qui seditionis caput extiterant, qui Ianoti bona diripuerant, qui vinctum ceperant atque servabant, suæ sententiæ obstinati inhærebant, salutem suam non nisi in Ianoti exitio repositam arbitrantes. Metuebant enim non modò bonorum suorum proscriptionem, exiliumq; à patria, sed & vitæ suæ suorumq; postmodum diffidendum censebant, si unquam Ianotus restitueretur. de quo quid postea actum sit, nondum accepi. Sed ad me redeo. Iam omnia mihi tuta erant, omnia secura, omnia salva, nisi quòd de tua fortuna, ubi esses, quò divertisses, ubi lateres, nulla indagatione percipere potui. Instabat abbas consilio suo, ut reverterer in aulam. non defuturam mihi instaurandæ melioris fortunæ facultatem apud eum regem, cujus veneratione & munificentiam jam semel expertus essem. Verùm quod suasit utilitas, vetabant pericula. neque enim ignorabam, si ad regem rediissem, me ad novum aliquod, & plenum periculo facinus destinãdum fore. sed plus me detrahebat tua absentia: metuebam enim caput meum inexploratæ fidei hominibus committere. Itaque plusculos dies in abbatia illa commoratus, anceps animo quid facturus essem, venit ad me Antonius Xanthus, qui adhuc apud me est, ille videlicet senex de quo scripsi tibi nuper. Is suis consiliis animum meum erexit, in totum nãque propositum erat mihi invisas aggredi terras, ignotosq; accedere populos, omnia experiri & me totum fortunæ flatibus exponere. Iubet ille moderari animum, ac Hispaniæ oras scrutari suadet, tuamque Italiam, si de te aliquam famam nanciscì possemus: polliceturq; se itineris comitem: nec fides promissis abfuit, quin summum peregrinationis meæ præberet solatiũ. jamq; dies septimus erat Kalendarum Septembris, quãdo cum sene illo atq; meo Stephano ex abbatia discedentes, Bercinonem peteremus, de tua salute & peregrinatione quid esset, exploraturi. Ibi triduum commorati, cùm de te nihil intelligere possemus, ad magnam illam Valentiam proficiscimur, ubi apud Comparatum Saracenum, philosophum astrologumque exercitatissimum, olim Zacuti discipulum, de te percunctati, nihil etiam scire potuimus. Itaque, divenditis equis nostris, post paucos

Ecce quàm sunt periculis artium arduariũ indagatores obnoxij, ut semper de salute vel quiete desperabundi pervagari cogantur.

paucos dies ex Valentia transfretantes per Baleares insulas, supra Sardiniam navigantes, Neapolim defleximus. sed ibi, consiliis parum ex sententia cedentibus, minorem spe nostra fortunam experti, reditum in Gallias instituimus. Itaq; exinde navigantes Ligurnum Thusciæ portum appulimus: deinde Ligusticum littus pererrantes, Provinciam ingressi, usq; famigerabilem hanc, liberamq; Rhodani urbem pervenimus, manemusque, usque adhuc omnibus salvis. En habes nostræ fortunæ historiam ab illo tempore, quo tu feliciore sydere actus, ex Valle-rotunda à me discessisti, quam, ut brevissimè potui, tibi hoc calamo exaravi. Ampliora de interea à me gestis & cognitis, coràm audies, quàm primum nos Lugdunum venire concedetur, nisi tu nos interea (quod cuperem) Avenione convenire velis. habeo siquidem tibi aperire aliquid secreti consilii, quod invitus pectore clausum gero. Vale. Ex Avenione, nono Kalendas Februarii, anno 1509.

Landulphus Agrippæ. XI.

SAtis abundè, lapsis istis diebus, elegantissimis ex scriptis tuis laboriosam vagæ fortunæ tuæ tragico comœdiam, suprematq; mentis tuæ hausi voluntatem, conarerq; omnifariam Avenionem ad te descendere, mi suavissime Agrippa, si nõ me morbus ille medicaminis nescius, arteticus sibi devinctum hîc remoraretur. Nunc verò qui hasce meas ad te defert literulas, tuæ nationis Germanus est, oriundus ex Norimberga, sed domicilium habens Lugduni: estq; rerum arcanum curiosus indagator, & homo liber, nullis irretitus vinculis, qui, nescio, qua fama tua impulsus, tuum quoque perlustrare cupit abyssum. Vellem ergo profundè virum explorares, atq; tibi ut suæ mentis indicaret jaculum. non procul siquidem à scopo, meo judicio, sagittat, & magnarum rerum experientia apud eum in aliquibus extat. Tum ergo ab Aquilone in Austrum vola, undiq; Mercurialibus pennatus alis. & Iovis si lubet, sceptra amplectere, atq; illum, si in nostra velit jurare capitula, nostro sodalitio adscitum face. Cæteri commilitones nostri hîc tuum sperant adventum. quare lætiùs ventis vela committe, ac communem felicitatis nostræ complectere portum, & sine longa dierum intercapedine ad nos te lætè conferas. miranda namque hîc latent, de quibus plura tibi scripsissem, si non tam festinus præsentium latoris recessus hoc in digestum evomere compulisset scriptum. Excusatum ergo me, quantum possis habe. Vale. Ex Lugduno, pridie Nonas Februari, anno 1509.

Amicus

Bibliotheca Corviniana

Amicus Landulpho. XII.

POstquam Lugduno abs te receſſi, mi fidiſſime Landulphe, ad Auguſtodunum Heduorum conceſſi, ad notum mihi quondam humaniſſimum virum dominum ſancti Symphoriani, qui me quotidianis beneficiis ſuis devincire nō ceſſat. Vellet autem ille idem, quòd tu te Auguſtodunum conferre velis, idque te unice rogatum habet. Sin minùs id fieri poterit, Cabilonem te conferas, quò & nos veniemus. Reſcribas ergo quam ocyſſimè, quando, quo die, atque ubi locorum apud nos adeſſe velis, ut idem præfatus dominus atque ego ſciamus, quando & quò venturi ſumus, aut ubi te præſtolaturi. Videre te ſi quidem volumus, & præſentes colloqui de rebus neceſſariis & ſecretis, quas literis committere non convenit. Quin & Stephanum meum miſi Dolam, ut adducat Brixianum: & Antonium Xanthum ex urbe Nivernenſi revocavi, illosque dierenus expecto unà apud nos adfuturos. Eſt ſiquidem nobis aliquid in commune conſultandum, quodque ad omnium uſum pertineat. Vale. Ex Abbatia divi Symphoriani apud Auguſtodunum Heduorum, quinto Kalendas Iunii, anno 1509.

Landulphus amico ſuo. XIII.

POſtquā hinc abiiſti, adoleſcens doctiſſime, verba feci de te apud reverendiſſimum dominum Biſontinum, quem mecum traxi in admirationem ſuper tua multiplici & recondita eruditione. Is te videre geſtit, & nonnulla jactat ſe tibi oſtenſurum, quæ nondum etiam tibi fortè cognita ſunt. ſcribe ergo, obſecro, quando ſis ad nos rediturus, ut crebris ejus interrogationibus reſpondeam. nam ego te propediem rediturum vaticinor, ocyùs etiam quàm ſtatuiſſes. Multos quidem reliquiſti tuæ laudis buccinatores, ſed ego nulli primas conceſſerim. Bene vale, & nos ama, dum virtutem tuam colimus. Ex Dola, 18. Iunii.

Amicus Landulpho. XIV.

SCio ego te, preſtantiſſime vir, non modò reſponſa literarum tuarum, ſed me ipſum expectare: verùm exiſtimabam te jādudum certiorem factum, quid mihi evenerit impedimenti. nam morbo correptus ſubitaneo & peſtifero, eram longè morti, quàm vitæ vicinior. jam umbra mea vagabatur apud manes, necdum ſanus ſum, ſed reſipiſco vivere. miſiſſem ad te, quæ poſtulaſti, nihil enim horum te celare volo: ſed ne queo ea nunc ſatis

ſatis tutè commendare calamo. nos te, ut ſpero, propediem videbimus. habeo enim adhuc alia intemeratæ veritatis documenta luciditſſima, quibus te dono donare volo: amo ſiquidem te, & genius tuus in abſentia tua mecum converſatus eſt. Domino archiepiſcopo Biſontino me, ut de meliori notā, & commendatum & charum reddito. Vale, vir obſervandiſſime. Datum Cabilonæ, ſeptimo idus Iulias, Anno 1509.

Amicus Agrippæ S. D. XV.

INterrogatus aliquando Demoſthenes, quid potiſſimum eſſet in oratore? reſpondit, pronunciationē. iterum atq; iterū interrogatus, idem reſpondit, neq; aliud amplius. Audivimus itaque die heſterna, atque revera experti ſumus in oratione tua, veriſſimū fuiſſe oraculum Demoſthenis. Fœlix es, Agrippa, qui copioſam illam atque inundantem dicendi fertilitatem ita intra limites ſinceritatis illius orationis tuæ concluſiſti: cui neque aliquid addi, neque demi poſſit. &, quod maximum artificium ipſe cenſeo, ut ne unius verbi auditores meminerint. quod in illa verboſa copioſitate ſecus eſt. Peto igitur inſtantiſſimè, ut mihi liceat eandem orationem tuam luculentiſſimam interpretari: non, quòd in eadem majeſtate eam reddere gallicanam aut ſperem aut pollicear, verùm ingenioli rudis periclitandi gratia, & etiam, ut ipſa illuſtriſſima Princeps noſtra intelligat, quàm præclarè in ejus laudem oraſti: eoque rebus tuis libentius faveat, quandoquidem rem hanc apud eam multum admodum tuarum virtutum opinionem ſemperadaucturam eſſe arbitror. Vale.

Idem Agrippæ. XVI.

ECce ornatiſſime Agrippa, orationem, quam meo more tuam interpretatus ſum: non, quòd ſingula verba ſingulis reddidi, ſed ſententias ſententiis, prout pro decore linguæ noſtræ gallicanæ obſervando mihi viſum eſt. Dominus vicecancellarius erat cenſor atque corrector. Tu eum meis verbis orato, ut prologum lucubrationum noſtrarum videre dignetur: puto eum non magnifacturum. Quòd ſi non improbet ſatis erit meo ſtudio factum. Si autem favore illud proſequi dignabitur, dii boni, quàm citò ex pygmæo gigas efficerer, Vale, & me, tui amantiſſimum, redamato, quamprimum me tibi diſcipulum repræſentaturum. Vale.

Agrippa Amico ſuo. XVII.

PErſpicuus eſt mihi jamdudum tuus in me amor, amice obſervandiſſime: ſed nunc ex literis, quas ex Lugduno ad te

scripsit vir præclarus, Ioannes Perrealis, cubicularius regius, quásque mihi legendas tradidisti, plane cognovi, te honoris nostri atque famæ ita esse sollicitum, ut non modo expectationem, sed votum nostrum superaveris, cùm orationem nostram, quam ex tempore ferè habuimus, & Gallicam effeceris, & Lugdunum usque pergere compuleris, ad eos præsertim, quorum judicium non injuria reformidem. Quantum enim ex literis magnifici illius cubicularii videre licet, & quantum ex tua fideli relatione accepi, vir est, à quo potius doctrinam exigere debeamus, quàm ut ipse nos de aliqua interroget. Compellis me tamen, quæ tua est de ingenio nostro confidentia, amore scilicet cæcutiente, ut ejus petitis respondeamus: quod quidem & libenter facio, & simul cum his literis transmitto: non tam, quod tibi morem gerere velim & cupiam, quàm ne tu vel hi, apud quos scripta nostra divulgas, vel me (ut scribunt) divini aliquid habere arbitrentur, vel ne hujusmodi quicquam mihi arrogem: sed ut humanitatis nostræ mediocritatem planè agnoscatis. Vale, & me in tuorum amicorum numerum referre digneris. Ex Dola Burgundiæ, Anno 1509.

Amicus Agrippæ suo. XVIII.

SAlve, doctissime Agrippa. Decanus, tibi & mihi semper venerandus, mavult te orantem sive declamantem audire. nã suæ partes sunt, tanquã ad hoc nat⁹, & qui ipse in arte oratoria plurimum valet. Ego autem (quæ differentia inter nos est) etsi cum domino Decano cæterisque tui nominis studiosis te orante aut declamante plurimum delectet, ac etiam proficiã: quia tamen studium meum, quantulumcunque est, versatur potius circa scriptionem & lectionem, quam erga orationem & auditionem, & quod expertus scio, plus conferre ad famam aucupandam scriptionis studium, quam declamationis: (nam semel tantùm profertur oratio, lectio autem ter & quater repetita placebit) ideo ingenium tuum, certè rarissimum, jamjam hortor, ut ad scriptionem te conferas: etiam si ipse D. Decanus repugnaret, quod ab ejus humanitate alienum est, iterum libere hortor. Quod si rem meam meipsum curare, ut par est, moneas (nemo namque non docere Minervam inter adagia receptum est) facilè abstinebo, modo pro mea ineptia atque impudentia dixero, quod prius incepit Christus facere, quam docere. quod quidem, sicuti quidam nostra vernacula lingua hoc proverbium protulerunt, Multum interesse inter dicere

dicere & facere. Neque enim ipse Capnion, quem interpretaris, neque Picus, neque Politianus, neq; Laurentius Valla, qui omnes publicè oraverunt, tantum profecissent in nanciscenda fama suis publicis orationibus, quantam adepti sunt, nisi in scribendo etiam operam aliquam collocassent. Exemplum familiare ex meipso proferam, qui supra bis mille ducentos versus per me compositos, memoriter absque intervallo aliquando recitavi, sed nulla mihi gloria fuit, nisi in loco illo & pro tempore illo. De scriptis autem secus est. Quod si etiam splendidissimi quique doctores & lectores nullam scriptorum suorum memoriam reliquerint, non erit eorum fama dilatata neque perpetua, sed duntaxat inter angustos limites, suæq; vitæ tempusculum coacta. Vale, & stude famam extendere factis, & mihi des veniam, quod sic epilogo. non enim ut censor loquor, sed ut fautor.

Amicus Agrippæ suo. XIX.

CAndidissime Agrippa salve, & me non minus tuum, quàm tu ipse es tibi puta, utpote qui admirabili ingenio eloquioque tuo allectus, tuæ famæ famatissimæ nunquam faverе desinam. Precor itaque, ut aliquando mei memineris. Nova quæ circumferuntur hîc, sunt hæc: Regem propediem Lugduni adfore, copiasque in Venetos redintegrare. Venetos autem nuperrimè magna clade affectos à Francigenis, unà cum duce Ferrariæ militantibus, ita ut supra sex millia Venetorum in ea pugna, pessundati fuerint, & biremes circa triginta super Padum captæ: properabant enim obsidere Ferrariã. Adeò nihil non audet superbum illud atque pertinax genus hominum. Dicuntur ea clade in maximam desperationem adducti. Tu si quid de Imperatore nostro habeas, quæ in ista dieta aliqua procul dubio divulgabuntur, me certiorem facere dignare. Vale doctrinæ atq; eloquentiæ columen atq; fulmen.

Amicus Amico. XX.

PRæsentium lator, servulus est cujusdam nobilis Cabilonẽsis, mittitur, ut te Cabilonam traducat. eget siquidem dominus suus & consilio & adjutorio: dives est, nec parcet expensis. Hanc ego tibi lucri occasionem conciliavi: sed quid circa hoc tibi adhuc consultum velim, modò animadverte: nitor siquidem & honori & utilitati tuæ æquè consulere. Si igitur ornato cultu venire possis, venias. multum tibi fidei & utilitatis ea res allatura esset. neq; enim ignoras, quanta autoritas, quãtaq; fides sit in una (ut ita loquar) venusta tunica, maximè apud istos cæcutientes, qui nõ nisi superficies hominũ spectant.

Quare si secus veneris, detrahet multum: ideoque si poteris dissimules, excuses, differasque adventum tuum in aliud tempus: interim ego tibi succurram. Si verò nobilis iste tui avidior ad te Dolam concesserit, illud adverte, ut cùm omnia scias, omnia possis, nihil facias, nihil promittas, nisi sæpissimè rogatus: præbeas te beneficiis vincendum: etiamsi egeas, egere dissimules. calet homo, dum calet ferrum, cudendum est. Secretò hæc intellige, tua res est, tibi consulitur, tu fortunæ tuæ rationem habe. ego quantum possum, te mea opera juvando tibi non deero. Vale.

Theodoricus, Episcopus Cyrenensis, Henrico Cornelio Agrippæ S. D. XXI.

REdditæ sunt nobis literæ tuæ, miles strenue, tertio Calendas Decembris, longa certè spe exoptatæ: quibus lectis, quanto simus exhilarationis spiritu affecti, haud facilè scripserimus. Admirari utique te possumus, non tamen satis laudare. quippe unus es inter tot millenarios Germanorum, qui rebus militaribus similiter atque literariis hinc & inde æquè diligenter viriliterq; operam navasti. Paucos admodum è multis millibus id egisse quis nescit? O quantum extollendi sunt hi, quos Martis animosi cum laude victoria usque adeò evehit, ut sanctissimæ Palladis favore non sint destituti? Varia tua dona sunt: in te unum congestum atque consertum est, quod innumeris millibus dii negarunt. Quid de militiæ gloria? quid de celebribus orationibus, coram tot & tantis habitis? Quid in futuro de te expectandum erit, qui tuam parentelam, urbem, gentem, nationem ita & amas & prosequeris, ut etiam & extollas atque evehas? Accipe igitur, macte virtutis vir, in armis vir, in literis præceptor, in amore alter ego, quod ad te scribimus, bono corde, benigno animo, grataque fronte: &, dum vacat, quiddam ad nos rescribito. Interseras rogo, quid tibi in astrologia judiciaria placeat displiceátve. Quantus ad illam disputator fuerit Picus Mirandula, certè nosti. & quid quasi exsufflando omnes ejus rationes & explodendo Lucius Balancius egerit, ut arbitror, vidisti. Qualis verò tuus sit in eam animus, vellem scire: cùm, quando apud nos causas ageres, ambiguus nobis visus fueras, fortè præ quadam, nescio quali, doctrina inter sacrum superstitiosumque, ut videre videbar, cui tum inhærebas, & scripto commendabas. Si tamen nunc aliquo locorum aliquid arcani non impii offenderis, nobis commune facito: cùm & nos nihil tibi unquam occultandum

candum celandumque habebimus. Vale longum, & nobis, ut velis, utere. Ex Colonia Agrippina, tertio Kalendas, ut suprà, Anno 1509.

Amicus Agrippæ suo. XXII.

SCripsissem ad te plura: sed is gerulus, quem serò etiam venisse ad me pœnitet, multum & satis importunè festinavit. gestienti corde alias tuas salutes, quas mihi optasti patris ore, & tuis literis ad me allatas accepi: te autem arduas res gerentem, periculaq; omnigena portu terraq; discriminibus durato animo pertulisse, intellexi. Quid, rogo, ætati provectæ (quã natura omnes speramus) jucundius esse poterit? nisi ut viro digna, dum robur est & sanguis calet, aliqua peregerimus: quę jam serioribus annis narratione, proloquioq; inter amicos, & serio & joco persari possemus, quibus ad alios & authoritatem & experientiam nostram commendemus. Ex tuis literis percepimus, quòd multas orbis terrarum oras perlustrando videris: prospere saneq; ad ea loca, ubi nunc es, te reversum. Ex quo colligo, quòd omni dubio procul doctissimorum virorũ verba, mores, consuetudines, & gestus quàm diligentissimè exploraveris. &, quod super omnia prætulerim, veterum monumenta in diversis locis librorum collegeris: decerptorumque ex iis flosculorum nos quandoque participes facturum spero, collectorum, inquam, ex iis, qui summa philosophia floruerunt, aut certè sacrarum literarum theoremata laboriosissimè coluerunt. Vidisti insuper varietatem morum: audisti disparibus labris idiomata multa, conspexisti alpes altissimas, arces eminentissimas, civitates munitissimas, aulas principũ, ædes civium, contemplantium cœnobia, deorum templa, & quicquid aliorum, aut cæterorum est, quibus humana, præcipuè juvenilis, curiositas oblectatur accuratius notasti. Quæ omnia, ut speramus, dum coram fueris, non sine summa voluptate ex te audiemus: quibus etiam summum opificem rerum laudare poterimus. O utinam igitur liceat quandoque te fieri ad nos reducem, ut, velut olim consuevimus, unà sederemus, varia differentes usque ad famulantium fastidium. Spero igitur te non tardaturum regressum ultra passagium (ut dicunt) Aquense. Hoc tui parentes flagitant: hoc amici tui unà mecum exoptant, perpetuùm pro tunc alienis locis valefacturi. Nil occurrit novi, quo te afficiam: nuncius is stat ante cubiculũ, fermè stomachatus, quòd eum his scriptis remorer: quæ quidè scripta non accipias ut excogitata. Vale longùm, & te, ut speramus, accinge citius ad regressum, & iterum vale. Ipso die sancti Clementis, ex Colonia, 1509.

D. Ioanni Tritemio, Abbati diui Iacobi in suburbio Herbipolis, quondam Spanhemensi, Henricus Cornelius Agrippa ab Nettesheym S. D. XXIII.

CVm nuper tecum, Reverende Pater, in cœnobio tuo apud Herbipolim aliquandiu conversatus, multa de chymicis, multa de magicis, multa de cabalisticis, cæterisque, quæ adhuc in occulto delitescunt, arcanis scientiis atq; artibus unà contulissem⁹: magna inter cæteras quæstio erat, cur Magia ipsa, cùm olim primum sublimitatis fastigium uno omnium veterum Philosophorum judicio teneret, & à priscis illis sapientibus & sacerdotibus summa semper in veneratione habita fuerit: deinde sanctis Patribus à principio nascentis ecclesiæ catholicæ odiosa semper & suspecta, tandem exposa à theologis, damnata a sacris canonibus, porrò omniù legum placitis fuerit proscripta: ejus causam speculatus, meo judicio non alia est, nisi quod fatali quodam temporum, hominumque depravatione subintroierunt multi pseudophilosophi, ac mentito nomine Magi, qui per varias errorum sectas, & falsarum religionum factiones, multas admodum execrandas superstitiones atque ferales ritus, multa etiam ex orthodoxa religione scelerata sacrilegia, in naturæ persecutionem, hominumq; perniciem, ac Dei injuriam congerentes, multos admodum, quales hodie circùferri videmus, reprobatæ lectionis libros ediderunt, quibus Magiæ honestissimum nomen atq; titulum furto & rapina prætixerunt. Hi itaque, cùm sacrosancto hoc Magiæ titulo suis execrandis nugis fidem sese conciliaturos sperarent, id egerunt, quod laudatissimum olim Magiæ nomen, hodie bonis & probis omnibus odiosissimum redditum sit, ac capitale crimen habeatur, si quis doctrina operibusve magù sese audeat profiteri: nisi fortè demens aliqua vetula rus habitans, credi velit admodum perita & divinipotens, ut (sicut ait Apulejus) possit cœlum deponere, terrà suspendere, fontes durare, montes diluere, manes sublimare, deos infimare, sydera extinguere, tartarum ipsum illuminare: sive, ut canit Virgilius:

Quæ se carminibus promittat solvere mentes
Quas velit: ast alijs duras immittere curas:
Sistere aquam fluvijs & vertere sydera retrò,
Nocturnosque ciet manes: mugire videbis
Sub pedibus terram, & descendere montibus ornos:

tum quæ referunt Lucanus de maga illa Thessala, & Homerus de Circes omnipotentia: quorum plurima, fateor, tam fallaci opinionis, tam superstitiosæ diligētiæ pernicioſiq; labores ex-

stunt, ut cùm sub artē non nefandā cādere nequeant tamē Magiæ venerabili titulo sese vestiri posse præsumunt. Cùm hæc igitur sic se haberet, mirabar admodū, neq; min⁹ etiā indignabar, neminē hactenus extitisse, qui tam sublimē sacrāq; disciplinam ab impietatis crimine vindicasset, aut illam nobis purè syncereque tradidisset. siquidem, quos ex recentioribꝰ ego vidi, Rogeriū Bachone, Robertū Anglicū, Petrū Apponū, Albertum Teutonicū, Arnoldū de Villa nova, Anselmū Parmēsem, Picatricē Hispanū, Cicchum, Asculū, Florentinū & plerosq; alios, sed obscurì nominis scriptores, cùm se magiā tradere pollicentur, nō nisi aut deliramenta quædā nulla ratione subnixa, aut superstitiones probis omnibꝰ indignas præstiterunt. Hinc concitatus est in me spiritus meus, atq; propter ipsam cùm admirationē, tum indignatione, volui & ego philosophari, nō illaudabile opus me facturum existimans, qui ab ineunte ætate semper circa mirabiliū effectuum & plenas mysteriorū operationes curiosus intrepidusq; extiti explorator: si Magiā ipsam vetustam sapientumq; omnium disciplinam ab impietatis erroribus redimitam purgatamq;, & suis rationibus adornatam restituerē, & ab injuria calumniantiū vindicarē. Quod ut jam diu ipse mecū deliberavi, nunquā tamen in hanc arenā descēdere hactenus ausus fui. Verùm post collatum inter nos Herbipolidis rebus sermonē, tua præcellens peritia & doctrina, tuaq; ardens adhortatio audaciā mihi animumq; addidit. Itaq; electis Philosophorū exploratæ fidei sententiis, purgataque introductione, ac malignorū, qui simulata scientia mentientes magorum traditiones, ab ipsis tenebrarum reprobatis libris, velut ab ipsis adytis, mirandorum operationes requirēdas dicebant, discussis tenebris, tres libros de Magia cōpendio brevitatis cōplexus, recentibus his diebus composui, & de Occulta philosophia, minùs infenso titulo, inscripsi: quos nunc tuo examini, qui harum rerū plenissimā peritiā tenes, castigādos, censendos, judicandosq; submitto: ut, si quid in illis à me scriptum sit, quod aut in naturæ contumeliā, aut cœlitum offensam, religionisve injuriam vergere queat, condemnes errorem: sin autē dissoluta & purgata sint impietatis scandala, veritatis traditionem tueare, sicq; cum his libris nostris, atq; cum ipsa Magia agere velis, ne occultetur aliquid, quod prodesse queat: nec probetur, quod possit non nisi nocere, quò sic tandem libri isti tuo examine probati, digni sint qui aliquando fœlicibus auspiciis in publicum egrediantur, nec timeant judicium subire posteritatis. Vale, & his audacibus parcito cœptis.

Concitus aliàs.

docebant: aliàs.

Ioannes Tritemius, Abbas Diui Iacobi Herbipolis, quondam Spanhemensis, suo Henrico Cornelio Agrippæ ab Nettesheym, salutem & charitatem.

XXIV.

OPus tuum, ornatissime Agrippa, de occultiore philosophia prænotatum, quod nobis examinandum per latorem præsentium obtulisti, quanta cum voluptate susceperimus, nec lingua mortalis unquam potest exprimere, nec scribentis calamus referare. Admiratione maxima ducimur super eruditione tua non vulgari: qui & juvenis tam secreta penetrans & arcana, multis etiam viris doctissimis abscondita, non solùm pulchrè ac verè, sed etiam propriè & ornatè proferre in lucem potuisti. Vnde inprimis tuæ ad nos benevolentiæ gratias agimus: &, si poterimus unquam, pro viribus indubitanter referemus gratias. Tuum opus, quod nemo doctissimorum etiam virorum satis laudare sufficit, probamus. deinde, ut studio pergas in altiora, quo cœpisti, nec sinas tam excellentes ingenii tui vires ocio tepescere, te, qua possimus instantia monemus, petimus & rogamus: quatenus & tuo te labore ad meliora semper exercites, & lumen veræ sapientiæ, quo maximè & divinitus illustraris, etiam ignorantibus demonstres. Nec te retrahat à proposito quorumcunque consideratio nebulonum, de quibus verè dictum est. Bos lassus fortiter figit pedem: cùm nemo sapientum judicio veraciter doctus esse queat, qui in unius duntaxat facultatis rudimenta juravit. Te autem divinitus ingenio donavit, & amplo & sublimi. Non ergo boves imiteris, sed volucres: nec circa particularia arbitreris tibi esse morandum, sed universalibus confidenter intendito animum. Tantò enim quisque doctior esse putatur, quantò ignorat pauciora. Ingenium verò tuum ad omnia pleniter aptum, non paucis, nec infimis, sed multis & sublimioribus est rationaliter occupandũ. Vnum hoc tamen te monemus custodire præceptum, ut vulgaria vulgaribus, altiora verò & arcana altioribus atque secretis tantum communices amicis. Da fœnum bovi, saccarum psyttaco tantùm: intellige mentem, ne boum calcibus, ut plerisque contigit, subjiciaris. Vale fœlix, amice: &, si quid penes nos est, quod tibi conducere queat, jube: & factum sine mora intelliges: & vires ut nostra dietim sumat amicitia, sæpius ad nos scribe, & tuarum aliquid lucubrationum mittito, instanter oramus. Iterum vale. Ex nostro cœnobio Peapolitano, 8. die Aprilis, anno 1510.

Agrippa

Agrippa Landulpho. XXV.

SAlve mi fidissime Landulphe. Apud Tridentum aliquot aureorum millia accepturus sum, illa in Cæsarea castra Veronã laturus: jamq; instauratus nova facinora rursus aggressurus sum: sed una re potissimùm indigeo, fido videlicet sodali. Itaque, quia multis & magnis tempestatibus te cognovi fortem, fidumque mihi, simul quia tibi eadem, quę mihi ingenia sunt, eo ipso multa bona nobis mutuò procurare possumus. Nunc autem est occasio & opportuna & magna in manibus: neque verò me tam ignavum aut vani ingenii putes, ut incerto pro certo, & exploratæ fidei viro, consilia mea commisero. Habeo enim consilium, quod diu occultavi, dicere: nunc illud tibi narrabo, unde nos pergrande commodum faciemus, atque unde potestas est nobis adipiscendi gloriam, laudem, decus & lucrũ: neque magis percipies hæc lingua & calamo dici, quàm factis & re ipsa fore: voloque te arbitrari, me hæc utriusq; nostrûm commodi honorisque causa facere, ut æquum est amicum. Quare remigio veloque, quantum potes, festina: & veni Veronam ad Georgium Tridentinum episcopum: ibi me invenies. Vale. Ex Tridento.

Amicus Agrippæ suo. XXVI.

REbar te, eruditissime Agrippa, jam pedem Mediolanum retulisse: quòd ipse, qua die cum Bartholomæo Rosato ambo hoc proximè eratis, exposuisses, te non multò pòst à vico Lavizario abiturum esse: sed cùm tonsor, qui ad nos hoc manè concessit, significaverit, se & illum in hanc diem tibi adesse, haud incongruum existimavi, si cum vestrûm utrisque, qui inter præcipuos mihi benevolos ducimini, fruticatio asparagorum agri nostri communicaretur. Duos igitur fasciculos vobis nuncius iste tradet: qui etsi exile sint munus, vestræ tamen erit modestiæ, id, quo mittitur, optimo animo & excipere & frui, neque ejusdem pusillitatem perponderare, cujus inter amicos, qui quæque familiariùs mutuò agunt, nulla est ratio habenda. Valete ambo. Ex Gravarrona. Anno 1512.

Idem Agrippæ & Bartholomæo Rosato. XXVII.

SErò quidem epistola tua, Agrippa eruditissime, fuit reddita. si celeriùs ergo repetitum ad illam fuit nihil, quòd inde mireris, nulla subest causa. Accepi, abs te & Bartholomæo vestro non benevolo minùs animo & exceptos & visos esse missos

aſparagos, quàm ex me provenerint, etſi minimum quid eſſent. Valde ſum lætatus, quòd non aſpernatis vos munera mea, utcunq; ſint puſilla, ac mittentis optimi animi ratione ſolùm (quod in amico potiſsimùm eſt conſiderandum) habuiſſe intuear: ſed gratiarum actiones, quas ex illis ſubdere vobis placuit, fuerunt, hercle, ex parte omni incongruæ, cùm multo majora vobis à me præſtari poſſe vellem. Et ne quid vobis legendum hac die ſit defuturum, mittitur ad vos carmen à Franciſco Scauro Novarienſi nuper receptum, ac ejus pariter reſponſum: quæ omnia ubi inſpexeritis, colliganda, ac Michaeli Mediolanenſi reſtituenda erunt, ut is poſtea Scauro, ſi eras Novariam (ut oſtendit) proficiſcetur, ſit redditurus. De veſtra ad Ticinenſem urbem profectione, deque mirabili opinione, quam de ſe Agrippa illic ob ſingularem virtutem & ingenii acrimoniam, qua præſtat, reliquerit, audivi permulta, quæ fuere omnia quidem auditui meo jucundiſsima. nam nihil ſanè illi poteſt laudi cedere, quod & commune mihi non planè exiſtimem. Valete ambo. Ex Gravarrona, anno 1512.

Agrippa Candioto ſuo. XXVIII.

TVas jampridem in Iulium Pontificem haud ineleganti ſermone editas & legi & intellexi ſatyras, Candiote ingenioſiſsime: in quibus ſatis (ut opinor) laboris mortuo ſparſiſti. Eſſet itaque longè gratius, ſi vivo tantos cuderes montes. aurcam certè in carpendis hominum vitiis præfers venam. Vix ita Lucilius, qui primus (teſte Fabio) hanc claram in ejuſmodi ſcribendi genere adeptus eſt famam, tam rotundè Romanorum flagitiorum genera rimatus eſt. Lynceos profectò in hoc oſtendis oculos. pergeitaq; fœlici fato, ubi tuo vales ingenio: modò ſic tractes aliena, quò propria atque amicorum non obliviſcaris negotia. Haud enim neſcius es, ni fallor, quid negotii à me tibi quàm ſtudioſiſsimè commiſſum exequi habes. quod ſi feceris, identidem tuis in rebus ero quàm ſtudioſiſsimus. Vale fœlix. Anno 1512.

Agrippa Landulpho ſuo. XXIX.

SI ego ex te tacente fieri poſſem certior, quid agas & quid facturus ſis, Landulphe fidiſsime, duorum hoc labori parceremus, meo videlicet te interrogantis, & tuo reſpondentis. Nunc cùm id fieri non poteſt, neceſsitas ſubiit, ut mutuò ſcribamus & referibamus. Accipio te, neſcio, quarum rerum ſcrutinio intentum: gauderem te effectum bonum aſſequi. Ego tibi mea

tibi mea fide ſimul & ingenio non ſum defuturus: ſed cave, ne incertum pro certo ſequaris. ſcis, quæ diſcedens Mediolano tibi diximus. Ceſſa, mi Landulphe: meo conſilio deſiſte. amicè hortor: nihil periculoſius, quàm ſine duce perito domum intrare Dædali: crede meo conſilio. nam me quidem mutuæ amicitiæ nexus pro tua ſimul & mea incolumitate & commoditate ſollicitum eſſe compellit. Adhuc paululum ſuſtine, donec ego revertar Mediolanum. tunc enim viam, quæ ſola ducit iter ad gloriam, diu diuque cogitatum monſtrabimus tibi: vel tu ad nos concede. ſed priùs reſponſa harum literarum, & quid facturus es, quàm feſtinanter remitte. Vale. Ex burgo Lavizario, Nonis Aprilis, 1512.

Agrippa Landulpho ſuo. XXX.

MIrum in modum literæ tuæ me lætabundum reddidere, fidiſsime Landulphe: maximè, quia ex Mediolano Papiâ te contuliſti. Credo ergo te divino quodam oraculo juxta meę deliberationis propoſitum afflatum, quo mihi præcurſor eò me præceſſeris, quò ego me conferre, jam longo dierum curſu mecum tacitus meditatus ſum: faciamque nunc, ut quamprimùm ad te Papiam venturus ſim: quò cùm venero, omnem ſollicitudinem amittas. non enim verbis tibi alludam, ſed in re dubia, ubi re opus eſt, re ipſa te juvabo, atque ſic rebus tuis proſperè diſpoſitis, cætera agenda deliberabimus. Vale fœlix: & ita tibi perſuadeas, me tibi ut fidiſsimum ſemper comitem, nullo loco defuturum, ac quicquid commodi profectusq; tibi & vitæ & fortunæ bonis augendis miniſtrare poſsim, nihil unquam denegaturum. Ex burgo Lavizario, undecimo Kalendas Majas, 1512.

Agrippa Chryſoſtomo ſuo. XXXI.

MItto ad te libellum illum cabaliſticum, quem optaſti, venerande Pater Chryſoſtome: de quo illud tibi ignorandũ neutiquam cenſeo, hanc eſſe ſcientiam illam divinam, omni humana indagine ſublimiorem: quam ſi continua rememoratione intellexeris, eris omnium bonorum tota mente pleniſsimus. Eſt ſiquidem ars hæc tota ſancta atque divina, ac ſine dubio efficax: ideoque, mi Chryſoſtome, cupientiſsimè, qui in hac te exercere affectas, tantum myſterium intra ſecreta religioſi pectoris tui penetralia ſilentio tegito, & conſtanti taciturnitate celato. ſermonem enim tanta numinis majeſtate pleniſsimum, irreligioſæ mentis eſſet, multorum conſcientiæ publicare. Vale. Papiæ, pridie Kalendas Maii, 1512.

Amicus

Amicus Agrippæ suo. XXXII.

MAxime Agrippa, alter ego, anxius de statu tuo, ubi sis, quid agas, & quomodo valeas in his tumultibus bellicis, impotens nec tutus te posse accedere, scripsi has literas, quò cognoscerem, quid ego agam, & ubi sim. nam rebus nostris & saluti meæ providi præsentia mea. quæ si abfuisset, actum erat. Dominus Franciscus, filius domini Georgii Suprasaxi, an sit in castris, scire curabis. nam is mihi summus est amicus. Præterea, an sint ibi ex tuis amicis aliqui, itidem significes. nam hoc tempore opus est amicis. De tumultu Papiensi multum dolui: sed utcunque sit, modò tu bene valeas, lætor. tu me communibus amicis commenda. Papiæ (ut mihi videtur) non erit habitatio jucunda: nec jamdudum te reliquissem, sed & omnia postposuissem, ut antea pro te feci, nisi fretus fuisses amicitia magnifici domini Lancelotti, qui te super omnes diligit. Cùm iter tutum fuerit, accelerabo venire ad te. Vale. Ex burgo Lavizario, vicesima quarta Iunii, anno 1512.

Amicus Agrippæ suo. XXXIII.

EXcellentissime Agrippa, Domitius hodie retulit mihi, te ab Helvetiis captum fuisse, & rursus sine mago tuo incommodo liberum, atque te Mediolanum concessisse, cum magnifico domino Lancelotto. quod fuit mihi jucundissimum significavit mihi etiam nomine tuo, quòd ad te accelerare debeam, audito discessu Helvetiorum. Quare scire velim, quid nunc decreveris, an Papiæ, an apud Marchionem Montisferrati commorari. Ego tibi non deero: modò sciam, quid mihi agendum sit. Vale. Ex burgo Lavizario, decimatertia Iulii, 1512.

Amicus Agrippæ suo. XXXIV.

QVid sit de salute tua, ex literis ornatissimis accepi. Intellexi etiam Galbiani casum. qui si mecum mansisset, nihil sibi evenisset mali. Nam plures quàm quadraginta, è furore utriusque exercitus una navi eripui. Burgo Lavizario nihil periculi nec mali fuit. Cum reverendo patre fratre Antonio quotidie aliquid conferebamus: & si tu unà nobiscum adfuisses, tempus opportunum erat aliquid operari cum Marchione Montisferrati. Nihil, hoc tumultu existente, tractari potest. Tamen spero me aliquid effecturum, quod erit utrique & jucundum & utile. Ad quatriduum me expectato, ut conferre possimus, quid nobis agendum sit. Domitius si promiserit se venturum ad te

ad te, admiror, cùm in discessu aliter decreverit se facturum, & ad magnificum dominum Laurentium Monzanicham se rediturum: nec inde percepi de vita ipsius quicquam. Omnes bene valemus, præter Franciscum fratrem, quem quartana febricitantem reliqui. Camillus filius, qui per te vivit, & Prudentia filiola nostra, uxorque Penthasilea rectè valent. Si Papiæ molestum fuerit, providendum erit de meliori loco. Curabis valetudinem tuam, S. in his fertioribus sub umbra quiescere, & nihil hoc tempore magis curare, quam bene valere, decet. Magnificum dominum Lancelottum Lunatem ac dominum Ludovicum Compegium meo nomine salvere jubeas. Vale. Ex burgo Lavizario, octava Augusti, 1512.

Amicus Agrippæ suo. XXXV.

DIvine Agrippa, amicorum summe, nulla subeat tibi admiratio, quòd ad te non miserim instrumenta promissa. nam eo ipso die, quo domum applicui, Ioannes Angelus frater, ex locis Sabaudiæ etiam adventavit, iturus sequenti die Mediolanum: quò & mihi eundum erat. Itaque secum profectus sum, & maximo versatus in periculo. nam sex pedites ex Helvetiis, me fovere partes Gallicas, à delatore cùm accepissent in discessu meo proruperunt in domum tibi cognitam, ubi res meas partim deprædati sunt, & nisi fuisset Ioannes Angelus, actum erat de omnibus. Ibo Casalis solus, & quando opus erit quòd tu venias, mittam equos. Commendo fratrem Antonium. Vale. Ex burgo Lavizario, quinta Octobris, 1512.

Amicus Agrippæ suo. XXXVI.

EGregie D. Agrippa, salutem. Libellum, pro quo ad me misisti, summa diligentia quæsitum invenire non potui. satis doleo me desiderio tuo non posse satisfacere. Bartholomæus noster amicissimus non est domi, sed hesterno manè Casale profectus est ad illustrissimum Marchione: hodie forsan vel cras rediturus. quamprimum redierit, instabo apud ipsum, ut libellum desideratum reperiamus, & ipse, ut spero, te accedet. interim sis bono animo: & si quid pro te possum, memento me ad omnia, quæ jusseris, promptissimum & paratissimum. Bene vale. Ex burgo Lavizario, die vicesimasexta Octob. 1512.

Amicus Agrippæ S. D. XXXVII.

SPectabilis amice honorande, salutem. Accepi abs latore harum mearum, te Ticinense gymnasium reliquisse, ac Casalensem

lenſem urbem incolere. quo non parva me tenuit admiratio. Gaudeo tamen, eò quòd te mihi habeam vicinio rem, & ad quē commodiùs (ſi quid mihi contigerit) faciliusque advolare potero. Vnum præ omnibus abs te ſcire cupio, nunquid ſervi illi, quos tibi ſum impertitus, ſint obſequentes, an non. ſi obſequētes, gratum eſt: ſi non, doleo, & omnia tibi placita enitar facere, ut tibi, ſicut & mihi, inſerviant: & ſi opus fuerit, ad te veniam ſuccinctus. Spero brevi tibi aliqua impartiri, quæ non modici erunt momenti. Ad omnia tuus ſum, & nil avidiùs cupio, quàm tibi rem gratiſsimam facere, ubi opera mea valuerit. Vale, & mē tibi commendatum ſuſcipe: & horum meorum latorem tibi gratiſsimum habe, eumque dictis tuis favorabilibus proſequere. Ex Carmelo noſtro Vercellis, viceſimoſeptimo Novembris, anno 1512.

Pontifex Agrippæ. XXXVIII.

DIlecte fili, ſalutem & apoſtolicam benedictionem. Ex literis venerabilis fratris Ennii epiſcopi Verulani nuntii noſtri, aliorumque ſermonibus de tua in ſanctam ſedem apoſtolicam devotione, deque tuo in ejus libertate incolumitateque tuenda ſtudio diligentiaque intelleximus: quod quidem nobis gratiſsimum fuit. Quapropter te in domino magnopere commēdamus, laudamusque iſtum animum atque virtutem utque in eadem voluntate, atq; erga ſedem ipſam, atq; nos obſervantia permaneas, te hortamur, oſtenſuri, cùm ſe occaſio dabit, omnibus in rebus te & bene meritum de nobis eſſe, & in ſinu paternæ noſtræ charitatis eſſe receptum. Quod tibi & præfatus nuntius noſter uberiùs declarabit. Datum Romæ apud ſanctum Petrum, ſub annulo piſcatoribus, die duodecima Iulii, 1513, pontificatus noſtri anno primo.

Petrus Bembus ſubſignabat.

Amicus Agrippæ ſuo. XXXIX.

NObilis & egregie domine Agrippa, ſalutem. Venit ad me heri Ioannes Iacobus, ſervulus tuus, habens librum quendam ad te deferendum: quem cùm vidiſſem, & cognoviſſem eſſe abs te compoſitum, & quem jamdudum videre deſideraſſem, præſumpſi cum venia tua dictum libellum, etiam invito ipſo ſervulo, per hodiernum diem duntaxat penes me retinere, ejus lectione quamplurimum delectatus: eras, Deo dante, me metipſo cum libro ad te venturo, quo te præſente videam, quæ in ope

in operibus tuis videre delector. Bene vale. Ex domo noſtra ſanctæ Mariæ apud burgum Lavizarium, die decimanona Octobris, 1513.

Agrippa ad Amicum XL.

GRatiſsimæ mihi fuerunt literæ tuæ, quibus mirificam tuā erga me benevolentiam perſpexi: quod tametſi antea minimè ignorarem, jucundum tamen fuit, idipſum ex tuis literis intelligere, præſertim quòd, dum eas legerem, noſtrę inter Helvetios initæ familiaritatis & amicitiæ non ſine quadam animi oblectatione non recordari non poteram: quibus in locis ita me tuis obſequiis innumerabilibusq; meritis devinxiſti, ut ex quo abs te diſceſſi, quem magis videre, & cum quo unà eſſe deſideraverim quàm te, habeam neminem: utq; nihil ſit tam arduum, aut difficile, in quo tibi inſervire poſſem, quod non libentiſsimè tua cauſa ſuſciperem: atq; hujus erga te meæ volūtatis cùm jampridem literas ſcripſiſſem, & unà cum literis quas Rhegio ad te deferendas Nicolaus presbyter, epiſcopi Verulani familiaris, mihi miſerat, Papiam, ratus te ibi eſſe, deſtinavi. Sed ut nunc ex epiſtola tua conjecturam facio, nec tu Papiæ eras, nec meæ ad te literæ delatæ ſunt. Quocirca hæc pauca ſcribere viſum eſt, mei in te amoris tanquam pignus & teſtimonium: &, ut ſignificarem gratum te mihi feciſſe, quòd te negotio noſtro apud Helvetios bene ſperas: quòd etiam ex ipſis Helvetiis bene ſperandum eſſe, nuper accepimus, idque te ſcire volui. De his, quæ hic agantur, nihil eſt prorſus, quod ad te, niſi idipſum nihil eſſe, ſcribam, Bene vale: tibi omnes noſtri ſalutem dicunt. Mediolani, 15. Martii, 1514.

Amicus ad Agrippam. XLI.

VAlde me tua delectavit epiſtola: gratiſsimumq; habeo, me abs te diligi atq; amari: ſed quòd ſcribis te dolere, literas tuas, quas Papiam aliās miſi, domino Nicolao Rhegienſi presbytero non eſſe redditas, non facilè ſcribere poſſem quàm mihi moleſtum ſit, id ſecus, ac tua voluntas eſſet, accidiſſe, præſertim quum neſciam qua ratione eas recuperare poſsim. aliquoties enim ſcripſi, ut mihi redderentur, neq; unquam de eis quicquā intellexi. ſed cùm videam te de iis tantopere laborare, denuo Papiam ob hanc cauſam literas deſtinabo, ac ſtatim te certiorē reddam, ubi de iis aliquid intellexero. Scripſi ad eundem dominum Nicolaū, qui Rhegii eſt, ut, ſiquid ad te velit ſcribere, te eſſe Ripaliæ, proinde literas ad me mittat, quoniam ego eas ſtatim ad

tim ad te destinabo, teque ei commendatum meis literis effeci. Vale, meque, ut facis, dilige. tibi omnes nostri salutem dicunt. Mediolani, die duodecima Maii, 1514.

Amicus ad Agrippam. XLII.

SAlve Agrippa Corneli. Audio te pulcherrimum Mercurium parieti domus nostræ appinxisse. Hunc quia carbone nigerrimo formasti, cave ne te carbonibus ignitis inter philosophādum seducat. Scis enim, quàm sit Deus hic fugax, fallax, mutabilis atq; etiam infestus, si quando irascatur: atq; ars illa maximè eget carbonibus atq; igni fumo appositis. Hæc tecum jocari libuit: sed adhibe diligentiam, quia breve tempus instat, ut nosti. nam Mediolanum eundum foret. Hoc adverte, quæso, talia enim non prosequi, quæ certissima sunt, stultum esset. Nuperrimè mihi relatum fuit, Alexandrum Laudum comitem Ripaltæ te Placentiæ convenisse, & quæ à me fidissimè accepisti, sese gloriari abs te habuisse. quod vix credo. Veruntamen ita relatum est mihi à quodam non invido. Cæterùm jam compositum est, ni fallor, ire Romam. Iam nil obstat, quin unà proficiscamur. propterea abrumpe moras si potes, ut Mediolanum proficiscens, negotium illud primùm expedias, & viaticum pares. Interim vale, & Antonium Maceratum meo nomine salutabis. Datum Rivoltæ, vicesimaquinta Augusti, 1514.

Amicus ad Agrippam. XLIII.

SAlutem, mi Agrippa. Ex istis quàm uberrimis literis tuis, hanc, quam aliquid facis, suspicionem meam penitus excussi, & quod vix me credere dixeram, aliquid tamen ais: quandoquidem credere vel suspicari saltem aliquid literæ nostræ me insinuant, ut putas: veruntamen apud Legistas VIX, negativè ut plurimùm ponitur, ut apud Nasonem:

Vt vix Priamus tanti, totaq; Troia fuit.

Non immeritò quidem suspicari poteram, comitem Alexādrum totis viribus conaturum mea eruere, aut precibus aut præmio: sciebam autem, constantiam tuam præmio corrumpi non posse: precibus forsan motus esses: sed ne illis erat locus penes te, maximè filius, cujus tu noxam habuisti: propterea vix credebam, quandoquidem nec meritis ad id dignum se fecerit. nec talis sit, qui nostras vigilias in suam trahere debeat lasciviā. Cæteros amicos tuos facilè admitto. Animus meus quàm tibi notissimus sit omissum facio. Tandem festina quantū potes, & illic gerenda absolvas, ut reliqua nostra geramus. Vidi, quæ

quæ circa fratris opus scripsisti: stude, ut examussim cætera percurras. Mirum in modum cuperem experiri fratrum versutias: tandem absolve absolvenda, ut Mediolani perficienda expedias, si pro nunc fors offert, ut Romam proficiscamur. Quòd si per Complanum vallum iter fecerimus, Ianuam aliquantisper concedemus, ubi Hispani illius periculum faciemus. Interim vale, & cura sanitatem tuam diligentissimè. Rivoltæ, vigesima septima Augusti, 1514.

Amicus ad Agrippam. XLIV.

BInas à te literas, cùm in Helvetiis essem, diversis temporibus accepi: quibus iccirco non rescripsi protinus, quo serò ad me delatæ sunt, & ipse nunquam manens in eodem loco consistebam: sed ex uno semper in aliud oppidum me transferenti, ne mittendi quidem Mediolanum, nisi perrarò, facultas dabatur. Itaque ut in patriam redii tandem post tertium mensem, ut nuncium confisus sum me nanciscī posse, qui ad te proficisceretur, has ad te mittere visum est, quibus tibi declararem, & benevolentiam tuam satis mihi esse perspectam & probatam, & mihi cordi esse, si contingerer tuis commodis tuæque virtuti illustrandæ inservire. Sed te non fugit, perrarò legatos à duce nostro Mediolano in Germaniam mitti, & me jam aliquot menses abfuisse, iisdem de causis, quibus superiore anno abfueram. Quibus in locis, scribere non necesse est quàm gratum mihi fuisset te reperisse. Ex tua enim consuetudine tantam delectationem percepissem, ut omnia incommoda, omnesque molestias potuisse mitiores fieri tua præsentia confidam, atq; ibi reverendissimo episcopo Verulano, & his quibus scripsisti, protinus te commendavi. Nunc autem quādo in patriam redii, si occasio dabitur, in qua tibi & tuis commodis inservire possim, neminem habebis, qui tui augendi vel ornandi, quàm ego, studiosior sit. Vale, & me tuum esse scias. Mediolani, sexto Septembris, 1514.

Amicus ad Agrippam. XLV.

DVlciuscula portio meæ animulæ, intimum cordis armarium, operum meorum excussio, actuum corporeæque molis forma & splendor, quid scribam, ambiguus titubo: nil nisi incertum orbis terrarum præfert, Laconico more dicta susci pe. Comiti literas reddidi: quod æquum fuerat, detexi: se tibi plusquam addictum ostendit, magna pollicitus incerta & non alligantia communia: tamen mihi intentionem suam

scribendam commisit. Sigillum apud scribam Hieronymum Mediolani erat: literas insculptas transmitto. Vnum, salva scientia tua, fore laudo. Comiti scribito, te paratissimum, te semper amicos asservaturum, te ei libentissimè obsecuturum. Scribat tamen novas literas, mittat, instet, efflagitet, roget, omnique nixu efficiat, ut apud eum discedas: aliter te amicorum gratia, te assueta fide, te donis plurimis obligatum, quod petit, efficere non posset. Laudo tamen adventum præmissis literis tuis: si quid petieris votis, addixerit Matthæus Bonus, sed frater venit? discessit: rediturũ spero, ni fortè Sbaroye injuriâ retrahatur. vocatur Romam literis instantissimis Cardinalis sancti Georgii, nec non quàmplures cæteri id efflagitant. is se tibi totum commendatione mea nomine tuo habita, offert tibi, mihi ac omnibus amicis nostris amicissimis. Vale, & quod præstant, Dominico scribam: intelliges: nova præstolor: cùm habuero, tu totum intelliges: denuò nunc calamo parco, mox post gerulum hunc planiùs omnia accipies. Ama, ut soles: spiritum carni adjungito: te spiritum, me corpus nomina. Datum Papiæ, die decimo nono Septembris, 1514.

Agrippa ad Amicum. XLVI.

TVas, amicorum optime, literas, tuæ erga me benevolentiæ suavitatisque plenissimas, perbenigne accepi: ex quibus facilimè perspexi, quod vehementer exoptas. Scribis enim, quòd ego te nunquam, neque tu me profectò vidisti, quod utrique nostrùm charissimum fore arbitror. Quare ut tu votã consequaris tua, nostris non minora, & ego mentis meæ compos existam, ad te propediem curriculo omnino volabo, & quum nos mutuam coràm colloquendi opportunitatem nacti fuerimus, spero nostram indissolubilem amicitiam perpetuò duraturam. Vale columen felicissimum, præsidiumque nostrum. Brundusii, quinto Februarii, Anno 1515.

Amicus ad Agrippam. XLVII.

ACcepi abs te literas decimaquinta hujus mẽsis datas: priores, quarum mentionem facis, minimè vidi. mihi satis cõstat, quantis te fortuna perturbationibus tentet. Sed tu, ut fortem virum decet, forti animo hæc feras. Ego cum Principe nostro rem tuam confirmavi. Reliquum est, ut tu Principem adeas dicasque te Casale iturum, rogare te excellentiam suã, ut domino Galeoto, vel domino Antonio de Alta-villa, magistris hospitii sui, jubeat, ut Casale scribant, ubi veneris, ut te in

tra pensionarios recipiant. Mihi biduo adhuc morandum est hic, nonnullis occupationibus detento: postea Papiæ te inveniam. Bene vale, uxoriq; tuæ me commendatum facito, amicisque reliquis. Datum Mediolani, decima sexta Octobris, Anno 1515.

Amicus ad Agrippam. XLVIII.

SPectabilis amice, & frater mi honorande, hodie horã quintadecimã tuæ mihi resignatæ fuerunt literæ: quibus visis & lectis, summopere gavisus sum, quoniam te bene valere cognovi. Miraris enim, quod ad te nullas dederim meas. Si Vercellis, ut jam antea dixeramus, petiissem, omnia secundum ordinationem inter nos exequutioni demandassem. De negotio quod nosti, nil ultrà factum est: potissima tamen ratio perficiendi apud me est. Si tu acceleraveris ad nos gressum, omnia quantocyùs exequutioni mandabimus: nil enim sine te agere decrevi. Sponsam tuam adivi, eiq; juxta impositionem tuam omnia retuli: quæ respondit, se à parentib⁹ ac fratre bene tractari: cumq; obtulissem, si opera mea, vel rerum mearum indigeret, nil aliud respondit. Iterum eam visitabo: &, si aliquo quod ego valeam, indigeat, & mihi significet, intuitu tui, ac si mihi soror esset, succurram. Cura inter cætera, ut citò & citiùs ad nos redeas. sic enim rogat, obsecrat & postulat tua dulcissima conjux. non minus etiam ego, & cum his me tibi commendatissimum facio. Vale. Datum Papiæ, die vicesimaquarta Novembris, Anno 1515.

Agrippa ad Amicum. XLIX.

QVum aut nostra erga superos impietate, aut cœlestium corporum solito influxu, Deive omnia gubernantis providentia factum sit, Augustine doctissime, ubiq; jam grassante tanta armorum lue, militumque pestilitate, ut vix tuto in ipsis montium cavernis sisti queat: quorsum, quæso, in tam suspecta tempestate unà cum uxore filioque ac familia confugissem? relicta Papiæ domo ac supellectile, rebusque omnibus, quas tandem, paucis salvis, ferè omnes spoliatas amisissem. Vnde anxiatus est in me spiritus meus, & cor meum in me turbatum est: quia persecutus est inimicus animam meam, humiliavit in terra vitam meam. Recogitavi perditam substãtiam, expensam pecuniam, amissum stipendiũ, onus familiæ, æs alienum, reditus nullos, rerum omnium caristiam, & posteriora imminentia pejora prioribus, & laudavi magis mor-

tuos quàm viventes, nec inveni qui consolaretur me: sed recurrens in meipsum, cogitavi, quoniam omnium potentior sapientia, quæ affert suppresso potentiam adversus eos, qui deprimebant, cùm & mendaces ostendit, qui maculaverunt illã: & dixi, Domine, nunquid sum homo? ut memor sis mei: aut filius hominis, ut visites me in misericordia tua? multaque de homine in tam molesto ocio ac liberorum meorum tristi absentia contemplatus, mecum ipse disputavi, atque olim cum Domino Lando Placentino apud Rivoltam conferre solitus eram: cujus nominis consuetudinisq; memor hoc, ut strictiùs potui, in præsentem dialogum congessi: quem illustrissimo Principi nostro dedicatum constituo. Te autem, qui mihi pro Apolline es & Musis, obsecramus, nisi tibi molestum est, hæc nostra scripta perlegas, & singula verba, & orationes, & sententias consideres, corrigas & emendes. Eò enim scio opusculum id Principi magis placebit, quod à te probatissimo viro probatum, vel correctum esse resciverit. Neque verò id te latére volo, pleraque me narrando potiùs & opinando, quàm affirmando scripsisse. Quod si tibi hæc nostra studia digna videbuntur, ad ejusmodi consimilia me quàm maximè incitabis. Vale fœlix doctorum hominum decus.

Amicus ad Agrippam. L.

FOrtunam, fatum, sive utrumque appellare libuerit id, cujus nutu in tantam bonorum jacturam incidisti, Henrice Corneli Agrippa, amicorum optime, eorumq; ipsorum eruditissime, non est quod incuses: sed eò magis tibi hujusce modi rerum eventus lætiore vultu est suscipiendus, quo ejus causa in diviniorem hanc, mirabilioremq; contemplationem mens tua excesserit. Quid enim mortali cuipiam fœlicius contingere potest, quàm rerum causas vel præcipuè corpore carétium, expiato à perturbationibus animo rimari? Vnde fœlicem hãc tuam infœlicitatẽ, ut in proverbium cessit, dicere ausim, qua divino auctus furore, teipsum reliquosque mortales omnes ipsumque Deum factorem noscere cœpisti. Quod autem mihi operis tui recognoscendi autoritatem dederis, amori tribuendum censeo erga me tuo. Tam enim in sublime te spiritus rapuit sapientiæ, ut quæ hîc scriptis edideris, admirari, quã judicare magis quæam. Sed unum hoc admonuisse volui, si opusculum hoc tuum ab eorum ictibus, qui statam immobilemq; Theologiæ facultatem motui vel alteritati obnoxiam reddere conantur, tutum ac liberum esse cupis, tibi me doctiori gravioriq; auctoritate viro id oneris imponendum fuisse. Vale arcanarum literarum observator diligentissime.

Aprippa ad Amicum. LI.

INterrogatus quondam Apollo ille Delphicus (cujus oracula [illegible] semper verissima fuere) quæ via sit ad veram sapientiam, perpetuamque beatitudinem assequendam? respondisse legitur interroganti, si teipsum cognoveris. quod verbum exinde præ foribus ejus templi scriptum est, scilicet COGNOSCE TEIPSUM. Hoc oraculum, illustrissime Princeps, non aliter dictum esse censeo, nisi quia est in homine omnium rerum naturarumque vera & realis possessio: insuper vel ipsius omnium creatoris peculiaris perfectaq; imago: ideo oportere omnium rerum ac naturarum, ipsiusq; creatoris cognitionem, in qua solùm vera sapientia beatitudoq; consistit, à seipso primùm exordiri: sic quod homo intelligens, seipsum in seipso, tanquam in quodam deifico speculo, intueatur, intelligatque omnia: & contrà, qui seipsum ignoraverit, nullarum rerum veram intrinsecamque & essentialem cognitionem habere possit, sed similis brutis animantib⁹, quicquid extra se cognoscit, extra se permanebit. nulla enim cognitio, sive à cœlo influxa, sive ingenii labore terrenaq; diligentia acquisita, perpetuò permanebit in anima, sed oblivioni subjecta transibit, nisi sola illa, quæ in abdito intellectu intrinsecus recepta est. Quod itidem mihi dicere videtur Christus, dum ait: Cœlum & terra transibunt, verba autem mea manent in æternum. Hinc Salomon allocutus animam nostram, inquit, An ignoras te, ô pulcherrima mulierum? egredere, & abi post vestigia gregum tuorum. Qui itaq; seipsum ignorat, nihil, nisi egrediendo extra se, cognoscit: per quam egressionem homo abiit à vero ac essentiali intellectu, vel à seipso divellitur: abiit à divina luce, cujus imago est: quam abitionem tandem perpetua exhæredatio sequitur. abit autem post vestigia gregum suorum, scilicet post sensuum brutorum vestigia: atque unà cum brutis connumeratus, cum illis judicabitur: quia non se cognovit hominẽ. En, quanta pœna manet hominem seipsum ignorantem? Hæc cùm præteritis diebus, inter tanta mala oppressus, in meipsum recurrens contemplarer, atq; ipse in meo corde volutarem, argumentaque in pectus multa occurrerent, deliberant illa per modum cujusdam mutuæ collationis scriptis repetere, prout in præsentem dialogum hæc coegi: quem tuæ Celsitudini dedicatum constituo: non, quod

hæc noſtra ſcripta tanta celſitudine condigna judicem, ſed ut ſint initium, quò animum noſtrum, noſtraque ſtudia tibi debita addictaque perpetuò cognoſcas, indies ex nobis favente tempore majora accepturus. Illud præterea excellentiam tuã ſcire cupio: quia multa adhuc circa ea, quæ in hac collatione dicuntur, dicenda ſuperſunt, quæ ipſe mihi libenter tranſire conſtitui, ne confabulandi dialogique conſuetudinem ſcriptis excedere videar: cogioſiùs autem, quæ hîc deficiunt, in annotationibus noſtris ſuper Pimandrum Triſmegiſti mox comperies elucidata. Quæcunque verò hîc, & ubique à me dicta, vel dicenda ſunt, his nolo tuam Celſitudinem, nec quenquam alium, nec meipſum aliter aſſentiri, niſi ſicut tenet ſancta Chriſtiana eccleſia, à catholicis doctoribus non fuerint reprobata. Vale fœliciſſimè, Principum decus, unicum ſtudioſorum refugium.

Illuſtriſſimo, Excellentiſſimoq; ſacri Romani imperij Principi, ac vicario, Guilhelmo Palæologo, Marchioni Montis ferrati, Domino ſuo beneficentiſſimo, Henricus Cornelius Agrippa beatitudinem perpetuam exoptat. LII.

CVm, Illuſtriſſime Princeps, divinus atque immortalis nobis datus ſit animus, qui in hoc templo, ſcilicet corporis noſtro, ſacerdotio fungatur, principium & originem reſpicias ſuam, illamque veneretur, cognoſcat & amet in omni probitate & innocentia, in omni pietate & juſtitia: certè omnium rerum cognoſcere & amare principium, hæc ſuprema erit cognitio, hæc ſumma pietas, atque invicta juſtitia: econtrario nulla major injuſtitia, nulla major impietas, quàm Deum non habere in notitia, quàm Dei cognitionem negligendo contemnere. Cujus etiam ethnicus nos admonet Virgilius hoc verſiculo:

Diſcite juſtitiam moniti, & non temnere divos.

Nos enim, & quod vivimus, & quod movemur, quod ſentimus, quod contemplamur, quod intelligimus, quod ſcimus denique quicquid agimus & ſumus, à Deo eſt. Non enim ſumus aliquid ſufficientes, juxta verba Pauli, ex nobis: ſed omnis ſufficientia noſtra ex Deo eſt. Fruſtra igitur omnis noſtra redditur actio, incaſſum philoſophamur, & ſcimus, & intelligimus, ſi is, qui noſtri intellectus eſſentia eſt, & author, cujus ſumus imago, ignoretur. Itaq; de cognitione Dei, tanquam maximè neceſſario maximeque expetibili, & qui nos ad illam gradus ducant, hæc, quæ ſequuntur, deſcribere inſtitui: pauciora tamen, quàm res ipſa exigat. Nec enim me latet, quam ſit hic latus campus ſcribendi: ſed malui ita ſcribere, ut addi aliquid poſſit potius, quàm minui: ne in re divina nimis loquax ac inſolens aliquo jure argui poſſem. Qui verò his ſcriptis noſtris aliquid addendum cenſuerint, ab his ego adjuvari me potius, quàm argui credam. Et quoniam ſuperioribus diebus dialogum de homine, qui Dei imago eſt, Celſitudini tuæ dedicavimus, jure etiam ſermo hic de Dei notitia, eidem Celſitudini tuæ debetur. quid enim meum tibi jure non debetur? Nemo enim cognoſcere imaginem poteſt, niſi cognito illo cujus eſt imago. Accipe igitur, dive Princeps, hæc ſcripta noſtra, apud te obſequii noſtri monumentum, tu verò & ſcriptis & autori decus & ornamentum. Vale beatiſſimè. Caſalis ſancti Evaſi, Anno 1516.

Agrippa ad Amicum. LIV.

NEmini hominum meliorem fortunam ex ſummo periculo eſſe oblatam credidero, quam mihi. adeò opportuna & magna res meas incidit in manus, Bartholomæe amiciſſime. Vellem igitur ſcriberes ad me, ubi maneas, vel ubi apud nos futurus ſis, ut aut à quo veniam, aut ubi te expectem, ſcire poſſim: ut quod deeſt ſcriptis, verbis tibi coram aperiam. Vale. Ex Mediolano.

Amicus Agrippæ ſuo. LIV.

IAm calamum manu apprehenderam, ut ad te darem literas, ſpectabilis mi domine Agrippa, quas ad te è veſtigio per Octavianum diſcipulum meum tranſmitterem, cùm ſubitò mihi tuæ allatæ ac reſignatæ ſint: quibus reſpondens, ſcito reverendiſſimum ac illuſtriſſimum dominum Hannibalem me allocutum fuiſſe: tandem poſt multa, quæ ſciſcitatus eſt de te, te in ſuum adoptat cum penſione ducentorum ducatorũ, admittens ut habeas domum in civitate ad libitum tui, ut mecũ eſſe valeas, quandocunq; & quotieſcunq; tibi videbitur: ſubjunxit tamen, quod pro nunc nõ ſignificarem ut venires, quod ipſe brevi mihi ſignificabit, quando pro te mittam. Quare eſto patiens, mi domine Agrippa, uſque ad dies aliquot. Spero enim non diu rem proceſſuram. Animadvertito tamen, ne nimium ſit notus iſte tuus acceſſus ad eum. cupit enim hoc fieri ſecretiùs quàm ſit poſſibile. Attamen ſi nimium tibi moleſtum ſit tantum præſtolari, venias ad libitum: ſed prius dignabere ſignificare, quid ſis facturus: utrum velis prævenire

nec ne: ego semper me tuæ concordabo voluntati, quoad fieri poterit, instaboq; apud prædictum illustrem dominum Hannibalem, ut quàtocyus res effectui demandetur. Interea me tuę commendo spectabilitati, & faustissimę tuæ consorti. Vale. Datum Vercellis, die vicesima sexta Februarii, 1516.

Amicus ad Agrippam. LV.

CVpio abs te scire, spectabilis mi Agrippa, nunquid sit mentis tuæ velle huc accedere, nec ne: ægrè fero tantam expectionem ad R. D. Hannabile: attamen cùm jam dixerit, se brevi mihi se commissurum, ut pro te mittam: non adeo circa hoc illum ultrà inquietare. Allocutus etiam sum magnificum dominum Ludovicum Cernole, qui se tibi commendatissimum facit, offerens se & sua. Quòd si etiam times ingruentia bella, & velis te ad nos transferre, tibi domum paratissimam inveniemus, quam pro te adaptabimus. Interea dum hæc fient, veniet tempus expectandum à domino Hannibale. Non minus etiam tibi offert D. Ludovicus, quàm ego. si cupis hæc fieri, mihi significato, & ego, quæ facienda erunt, perficiam. tuum est enim jubere, & meum exequi mandata & cum his me tibi commendatissimum facio, & faustissimæ consorti tuæ. Vale. Datum Vercellis, quarto Martii, 1516.

Amicus ad Agrippam. LVI.

NOn mediocri affectus sum gaudio, domine mi Agrippa, cùm, tuis resignatis literis, accepi te boni esse animi, & omnino omnibus postpositis nobiscum te & venturum & victurum. Cùm tibi videbitur, venties: & quæ peragenda erunt, pertractabimus. sollicitè inquiro domum tibi convenientem & commodam: præstolor devotissimè verbum Reverendi & illustrissimi domini Hannibalis. Istum servulum tuum aliquātulum mecũ detinui: nec ei imputes, sed mihi, si tardiùs, quàm tibi videbatur, reversus est. Nisi prædicationis cura me detineret, ad te quantocyùs evolassem. sed cùm non possim ego ad te, tu ad nos venias, quæso, ubi rerum omnium fiet conclusio bona. Negotium, quod nosti, neq; perfeci, neq; perficiam, donec tu veneris. Interim cura, ut valeas. Ego me tibi & faustissimæ tuæ consorti commendatissimum factio. Vale. Datum Vercellis, octava Martii, 1516.

Amicus ad Agrippam. LVII.

NObilis, frater charissime, post recessum tuũ prævidi, quòd in brevi habebis libros per te requisitos. Expectabam adventum

ventum tuum, prout promisisti in hebdomada præsenti, & etiam affirmante patre nostro Ioanne Chrysostomo. causam tarditatis ignoro. expectans expectavi: nec aliud cupio, quam tecum esse, & cum patre nostro Chrysostomo. Cæterùm ut mihi de fructibus tuis satisfaciam, quos tantum desidero, sicut cervus desiderat fontes aquarum. Vale cum uxore. Datum Vercellis, die vicesima prima Martii, anno 1516.

Amicus ad Agrippam. LVIII.

NOn mireris, domine mi Agrippa, eò quòd nil ultrà tibi significaverim: id totum factum est, quia habitationem tibi convenientem & commodam non adinveneram, nec ad huc inveni: assiduè tamen laboro, ut voti mei & tui compos efficiar. Dominus Ludovicus obtulit, se tibi daturum partem palatii sui, usque quò commodiorem locum inveniemus. Ego etiam habeo mihi familiarem quandam nobilem viduam, quę intuitu mei per aliquot dies (si tibi visum fuerit) partem domus suæ tibi impartietur. Illustris. ac reverendus dominus Hannibal jam assignaverat palatium suum cuidam Comiti generoso suo, quando pro te illud petivimus: & nisi eidem Comiti assignasset, tuum fuisset. Habet idem illustris. ac reverendus dominus Hannibal opuscula tua de homine, & de cognoscendo Deo: quòd sibi adeò gratum extitit, ut nihil suprà, quod etiam ostendit cuidam magno theologo ordinis prædicatorũ, commoranti in urbe nostra, qui quidem tam egregiè, tamque excellenter opus ipsum laudibus summis extulit, adeò quòd effecit ex laudatione illa, ut reverendus dominus Hannibal tibi centies plus primo afficiatur, cupiatque te hîc esse. Non minùs etiam theologus ille, & plerique alii, cui de te multa audiere, & sperant in posterum se abs te majora audituros. Quare, mi domine, si vis apud alterum horum duorum suprà nominatorum per dies aliquot descendere, mihi antea significato: cumq; hîc fueris, meliori aptioríque modo, quo fuerit possibile, fiet provisio. nam hinc ad dies aliquot non unam tantùm, verùm multas magnificas domos inveniemus. Tu interea non dedignabere mihi intimare, quid facturus sis. ut ego in omnibus, mihi possibilibus, tibi non deficiam. Vale fœlicissimè: cui me commendo plurimum unà cum faustissima, conjuge tua. Datum Vercellis, vicesima secunda Martii, anno 1516.

HYPERCRITICA ONLINE

Amicus Agrippæ suo. LIX.

SPectabilis amice honorande, salutem. Non mireris, si antea ad te non dederim literas, quia tot tantisque occupatus fui, ut vix & nunc has scribere valuerim. Per has itaque tibi nunc significo, me bene valere: itidem semper de te audire cupiens, & faustissima conjuge tua, quibus ambobus me semper obnoxium dedo. Cùm itaque tibi visum fuerit ad nos gressus dirigere, (etiam pro complendo negotio) ad tui libitum veni: tuũ faustissimum adventum præstolamur. Reverendissimum ac illustrem dominum Hannibalem necdum allocutus sum: cùm prædicationibus impeditus, tum quia ad civitatem non venit, sed quamprimum venerit, eũ alloquar, & faciam ut nostros intelligat sermones. Interea vale cum faustissima conjuge tua: & cùm valueris, ad nos vola. Datum Vercellis in conventu nostro, die secunda Iunii, 1516.

Amicus ad Agrippam. LX.

AGrippa mi, tanquam frater charissime, doleo me non potuisse tecum habere colloquium, multis de causis, & eò maximè, quod accepi te libenti animo mecum voluisse conferre. Penthasileam ad burgum Lavizarium traduxi, ibique Domitium conveni: is de te multa percunctatus est. Cuperem scire, si nihil pro me operatus es apud illustrissimum principem Marchionem Montisferrati: & quid sis facturus. nam mihi ex literis es pollicitus, unde mihi jucundum aliquid propediem accedat: sed quam de te spem habiturus sim, non planè scio. Quare quod pro amico elaborandum est, accelera Vale cum dilecta consorte tua. Ex burgo Lavizario, decima Septembris, anno 1516.

EPISTOLARUM LIBER II.

Henr. Corn. Agrippa ad Amicum. I.

REm tibi gratam & jucundam lætabundus nuncio, Bartholomæe unice: quò meam in tuarum rerum studio haud segnem noveris cum fide diligentiam. Paucis illa cape, & festinans veni Casalis meum ad hospitiolum, quò unà in arcem Principem

pem adeamus. longiùs de benevolentia illius tibi per me impetrata coràm exponere curabo. tu pro harum literarum responso te ipsum cum præsentium latore infallibiliter præsentato. Vale. Anno 1517.

Amicus ad Agrippam. II.

AGrippa mi suavissime, jam mensis agitur, & puto jam peractus est, quo te istuc adire volebam, urgente negotio sanè magno rei non ad me spectantis, & accinxi me sæpius itineri, nec unquam per occupationes licuit mihi ad te ire, sive aliquãdo militibus, qui hìc iter fecerunt, dum illorum incursus timeo, prohibentibus: sive interdum succrescentibus mihi molestiis, quæ diem de die produxerunt: & ne nunc quidem, cùm maximè vellem, ire possum. Quocirca cùm res me urgeat, & omnia mihi de te persuaserim, non vereor hoc à te jure amicitiæ petere, ut, si non sit tibi grave nimium, vel quod minùs vellem, damno cessurum, huc si te contuleris, diem unum rebus tuis trueris, aut eorum, quibus modò te addixisti: quò huc veniens audias, quid tibi sim dicturus, quove possis Ioanni amico opem ferre. Nihil profectò hoc tempore posses mihi gratius facere, quàm si petitum te huc recipiendi laborem mei causa susceperis, expectaturus à Ioanne tuo paria. Vale igitur: & si potes, veni. Taurini, pridie Kalendas Martias, 1517.

Amicus ad Agrippam. III.

DOmine Agrippa mi charissime, ad te mitto domini Hieronymi nostri epistolam ad reverendum patrem Rivi-eversi: tu eam D. suo reddes, & tuis verbis (si non prævenisti) de re nostra verba subsequenter illi facies: & cùm per tabellarios tibi licuerit, nos de omnibus admonebis. Interea vale unà cum uxore & filiolo. Taurini, tertio idus Martias, 1517.

Amicus ad Agrippam. IV.

DOmine Agrippa mi suavissime, discussis & diligenter reb. conquisitis in negotio, quod maximè optabã, per te apud reverendum præceptorem sancti Antonii Rivi-eversi procurari, comperi id esse, quod ultima tua epistola mihi significasti, nullam videlicet illi in ecclesia sancti Antonii Taurinensis potestatem: verùm apud magnum abbatem, qui huic Præposito, ut ajunt, jubere potest, fuisset hoc mihi non gratum modò, si hoc reverendo domino aurore votum meum, quemadmodum coram te declaravi, consequi potuissem: verùm & utilitati ma-

HATHORA BIBLIOTECA ON-LINE

tati maximæ cessisset. Quod cùm (ut video) frustra laboramus, libero te hac cura, & supplicandi provincię interea tamen multum ipsi reverendo domino debere me profiteor, & tantum quidem, quantum nec persolvere possem, qui humanè adeò se mecum gesserit: cui etiam meo nomine, quas poteris, gratias dices. Tibi verò debeo & debere volo, pro quo laborem nullum subterfugiam, quoniam honorati fratris loco te mihi existimem. Vale. Taurini, idibus Martiis, 1517.

Amicus ad Agrippam. V.

HEri, Henrice charissime, ocreis & calcaribus indutus ad te accingebar, recessissemque, nisi & precibus domini Comitis, quæ mihi mandata duco, & præfecti hospitii sui rogatu coactus fuissem obtemperare. Hodie etiam ea fuit occasio, ut abeundi licentiam minimè potuerim impetrare: polliciti tamen sunt ad castrinum meo arbitrio nequaquam adversari. tum, ut spero, Chamberiacum accessurus sum, ubi coràm liceat cætera plenè commentari. eò enim mihi futurus est hinc recessus gratior, quò mihi tua, qua hic careo, consuetudo est amabilior. Vale cum chara uxore tua. Ex castro Rochellæ apud Yseram fluvium, tertio nonas Majas, anno 1517.

Amicus ad Agrippam. VI.

REcepi literas tuas, charissime Agrippa, quæ non parvo mihi fuerunt subsidio. Libros requisitos ad te mitto. si plures majoresve postulasses, utique mittere curassem. Gaudeo, doctissime Agrippa, quòd rem meam excolueris. certè pluris id facio thesauro grandi. Recepi nuper literas, quibus vocor ad curiam. Crede mihi, ubicunque fuero, præcursor tibi ero more Ioannis prædicantis Christum: curaboque tibi talem fortunam succedere, quò possis studiis tuis quietiùs & locupletiùs intendere. Dominus Ioannes Parisiensis, Camerarius regius, te salutat, & cæteri omnes amici tui, & præcipuè doctor ille theologus Antonius Scurre. Quantum ad id, quod scribis de transitu tuo ad curiam ducalem, ego non laudo. pauca merces tibi veniet, expectanda ultimis diebus. Ego iteratas dedi literas ad dominum Gratianopolitanum per manus proprii nepotis sui: spero in brevi habituus responsum, & omnia te per mittente agam & perficiam. Interea sic te cum duce Sabaudiæ dirigas, ut non impediaris à pinguiori fortuna. Paucis voluntatem tuā indica: sed aliquid effecto animo agas, & (ut Christus) fingas te longiùs ire. de his hactenus. Cupio plurimum commendari dominæ

dominæ uxori tuæ, & magistro Ioanni Tornicensi secretario ducali. Vale. Ex Lugduno, tertio Augusti.

Amicus ad Agrippam. VII.

QVam ad me scripsisti epistolam, maxima cum lætitia accepi, Henrice doctissime, & omnium scientiarum interpres acutissime, præsertim cùm de bona valetudine tua intellexerim. Tu itaque, quamprimùm poteris, unà cum uxore ac familia ad nos venias: nihil, quandiu aderis, tibi deesse patiar. Heri accepi literas ab Hieronymo filio nostro, qui bene habet, & te millies salutat, offerens se ad omnia vota tua. Ad festum sancti Lucæ proximè futurum Papiam proficiscetur studiorum causa. Cæterùm quod à me postulasti emplastrum, ejus compositionem tibi his literis inclusam transmitto. Vale. Ex oppidulo sancti Antonii, undecima Augusti, anno 1517.

Amicus ad Agrippam. VIII.

REcepi binas tuas literas, charissime Agrippa, mihi auro gemmisque gratiores. Gaudeo dominationem tuam bene valere, modò dilecta uxor prosperè valeat, cui me plurimum commendari cupio: simul & unigenito tuo filio. A paucis diebus citrà multa bona insperato mihi contigerunt, quæ tibi impartiri volo: ideoque cupio te venturum ad me hoc mense Augusto. Cæterùm expecto me quotidie habiturum responsum ex Gratianopoli. ego enim denuo de te ampliss imè scripsi: nec desinam, donec omnia succedant, ut speramus. His diebus venturus est gubernator Gratianopolitanus, mihi faventissimus: apud quem negotium hoc commodiùs prosequar, ipsum siquidem mihi maximè cordi est, eroque tibi bona fortuna, nec quiescet animus meus, donec tibi desideratissima impendam obsequia. Vale. Ex Lugduno, 23. Augusti.

Amicus ad Agrippam. IX.

CLarissime Agrippa, fama tua, ut intelligo, Avenionem usque perrexit, unde nunc nova fortuna tibi occurrit. nam invitaris ad servitium reverendissimi domini legati Avenionensis cum stipendiis bonis. Quòd si conditio hæc tibi placeat, & negotium Metensium te non divertat, rescribam Avenionem, quemadmodum velis hanc subire provinciam. Habeo enim per literas reverendissimi legati rem hanc mihi commēdatam. Conveni etiam magnificum dominum thesaurarium Laurentinum, atque dominum receptorem fratrem domini præce-

HAEC OPERA TIBI CUM I. ME DEDICABA

præceptoris Rivieversi, super negotio hoc, qui multis de causis hanc conditionem reverendissimi legati, illa Metensium conditione præstantiorem censent. unde ad dominum de Rivo everso scribere latiùs deliberârunt, quò res Metensium postponatur. Tu itaque consilium nostrum sequaris. Omnibus consideratis, omnem voluntatem tuam mihi rescribas, qui tibi non deero, & quem semper habebis virum fidum singularemque amicum. Commendo me dilectæ uxori tuæ & filio. Ex Lugduno, 20. Octobris.

Amicus ad Agrippam. X.

REdditæ sunt mihi literæ tuæ nudiusquartus binæ pariter, excellentissime Corneli, & quanquam diverso sermone, elegantia tamen & nitore dicendi alterutræ insignes: sed quòd hominis illius impietatem pertinacemq; ingratitudinem præ se ferebant, non potui, me hercle, non vehementer dolere, immitemq; etiam fortunam detestari, quòd in tantam hominis virtutem crudeliùs sęvire non dubitet: ut vix illi quicquam vel minimum, ad votum succedere sinat. Verùm non succumbendum tibi viro magnanimo, dulcis Henrice: non cedendum lubricę & inconstanti dominæ: cujus utpote jacula egregiam virtutẽ tuam miro sint splendore perpetuò ornatura. Hoc omnib. ædepol, commune, ut conviciis & probris, hic cædibus, ille nefando ingratitudinis alius aculeo, alii, & justi quidem sæpius ac innocentes, diversis impiorum hominum contumeliis afficiãtur. At verò num æquo hæ ferendæ animo? num injuriis num ingratitudini, num omni deniq; fortunę insensæ & minaci medius unguis porrigendus, à te uno inprimis viro forti & modesto, & humanarum vicissitudinum haudquaquam ignaro? Nẽpe tu asperiora (ut arbitror) nonnunquam perpessus: tu nequissimæ adversæque sortis impetus truculentiores aliquando expertus es, ut callum jam quendam duriorem animo induxisse debueris: utpote cui jam adversa omnia contemnenda. Sint tibi proinde hæc tam levia, nisi tui impos sis, toleranda modestius. Atqui nónne in adrastiam (dum casus tuos tam vehemẽter deploras, quam Plotinus vocat legum scilicet divinarum inevitabilem potestatem) heu demens pugnare cõtendis? nónne hisce angustiis cœlesti judicio procellimur quotidie? Agit enim divinitas omnis in rebus, ut ille inquit, ut propria fert natura, divina autem fert natura secundum suam duntaxat essẽtiam. Essentia verò ejus divinitatis pulchrum justumq; operatur. Has igitur atq; alias vices sic in hoc terreno fluctu traducere, & ea

re, & ea quæ nobis quotidie contingunt, bona omnia & mala inferre, suprema illa justitia haud dubiè crędenda est, & eam sanè ob rem ab omni humana ille ratione alienus judicãdus, qui sanctissimæ adrastiæ justissimo & demum salutari in cœlesti patria jugo subjici impiè detrectârit. Sed quò feror demens? jam certè noctuas Athenas portare videor. Itaque, ut ad rem veniam, haud sătis quidem consultè, mea sententia, fecisti, quòd oblatam tibi mercedem ab ingratissimo homine, in hac præsertim rerum tuarum angustia, non acceperis. Ea mihi porrò absurda videtur ultio, quæ nocenti compendium, officioso vero & benemerito detrimentum afferat. Prudentiùs proindè feceris, si, remisso jam stomacho, id æris, quantulum sit, dum iniquus nunc exolvere velit, exigere curabis. Cùm enim tibi in præsenti pro temporis ratione necessărium, tum maximè certè decorum & laudabile futurum est, quòd non adeò pecuniæ rapacitate hominibus cæcus videaris, sisque honestus, ex ea tuæ virtutis libertate, quæ tibi innata & peculiaris est, nomen apud omnes vendicaturus. Quòd autem adventum tuum polliceris, tam, medius fidius, incredibilem ex eo nuncio concepi animo voluptatem, ut id mihi annos decẽ provectæ ætatis paulo momento abstulisse propè credatur. Nihil mihi, hercle fœlicius, nihil gloriosius, nihil etiam jucundius in tota vita contingere posset, quàm tam excellentis, tam omnino consummatæ doctrinæ viri nanciscì consuetudinem, censurámq; & disciplinam subire. Si jam igitur tibi ad nos venire certum est, optatissime Corneli: si urbis hujus situm, si plebis, quam fermè nosti, mores, si denique patriam tibi usui fore etiam & honori existimas, persiste, quæso, in ea sententia. Quamobrem ut de omnibus, & domo præsertim opportuna provideam, scribe, rogo, quàm primùm adventus tui certitudinem & diem: & quia scire cupis, qua via, qua ratione, quóve auxilio id possis, postremùm feram tibi, dum mihi per literas tuas significăris, quantum in præsenti patietur commoditas: quid verò augustioris spei præterea tibi apud nos accessurum sentiam, id omne in officiali nostro Eustochio Chapusio stare existimo. Sed nescis, bone Henrice, quàm ægrè tulerit ille officialis, præcipuus tuus amicus, quòd ad se nihil literarum dederis. scribe illi igitur, scribe, obsecro, quàm primùm: talique & tanto amico, qui te inter omnes impensiùs amplectitur & observat, in amore respondе. Vale, candide magister, unicumque lumen meum, & epistolæ verbosiori tantisque parce ineptiis. Datum Gebennæ, decimasexta Novembris.

Amicus

Amicus ad Agrippam. XI.

CRedebam ego quidem, præstantissime Corneli, eò mihi literas tuas jucundiùs allaturas nuncium, quò tardiùs redderentur, ut post diuturnum exactumq; consilium, priore haudquaquam mutata sententia, ad nos te tandem venturum scriberes: eratque mihi ea spes adeò suavis & grata, ut fortunæ ipsi lubricæ medium jam unguem porrigerem, si id mihi optatissimi muneris concederet, quò te frui tibique operam dare aliquando liceret. Sed heu infelicem meam fortem: heu fatum immite & iniquum: quod tantas humanis in negotiis vicissitudines, tot animorum mutationes quotidie excitat. Quàm brevi (proh sancta divinitas) profusius illud gaudium in omnẽ versum est mentis angorem, quem mihi sanè præter expectationem attulerunt literæ tuæ: nihil omninò exoptatæ voluptatis, nihil eorum quæ & coràm recepisti, & epistolis binis significasti, nunciantes: dum fidei ego promissæ sum non injurius, ac me meaque omnia semper tibi offero, dono, devoveo. Sed te jam Metenses solertiùs aucupati nactique sunt, Henrice dulcissime. Iam patrios lares cominus propinquare tibi certum est. Dii te resque tuas fortunent augustiùs, ac virtutem tuam meritis decorent honoribus: mihi autem ut hujusce calamitatis impetum modesto feram animo, concedant quando nihil mihi in tota vita molestius hac una animi acerbitate, nihil infelicius contingere potuisse, haud dubiè existimem. Vicumq; fortuna ferat, erit mihi perennis tui memoria, benevolentia, pietas, & ubivis posthac gentium degas, semperque honoris & nominis tui præconem me, quanquam inconcinnum, futurum polliceor. Tu, ut pro tua ingenita animi bonitate in amore respondeas, rogo. Cæterùm peto à te, audaciùs fortè, sed id maximum sanè in modum efflagito, ut pro mea in te incredibili observantia & charitate eo me dones orationis tomo, quem in laudem ducis nostri edidisti. Opus enim pium feceris, & nullo unquam apud me tempore intermoriturum. Vale candide Agrippa. Datum Gebennæ, decimasexta Ianuarii.

Agrippa ad Amicum. XII.

NVnquam ego te vidi, adolescens egregie, neq; tu me (quod arbitror) unquam vidisti: sed tantùm accendit me virtutum tuarum constans fama, ut sponte sua ipse meus calamus has tibi gestiat exhibere literulas, significare amicitiam testari animum. Neque enim potes mihi non esse amicissimus, postquam

quam intellexi te optimarum disciplinarum studiosum amatorem: sed cujusmodi sint studia tua, quæ sequeris, ignoro usque adhuc. Sed hoc unum te admoneo, ut consideres, neminem posse veraciter doctum evadere, qui in unius duntaxat facultatis rudimenta juraverit: de quo verè dictum est, Bos lassus fortiter figit pedem. neque verò magnum est, in uno solo artificio doctum esse, vel quantumcunque etiam excellere, quum illud ferè quilibet lanii, sartores, coci commune habeant; sed tantò quisque doctior erit, quantò nescierit pauciora. hortorque, quò te divinitas ingenio donavit & amplo & sublimi, idipsum tibi non paucis, nec humilibus, sed omnibus & altissimis quibusque disciplinis viriliter esse occupandum, nec te retrahat ab hoc proposito quorumcunque contradicẽtium nugax garrulitas, quibus semper in ore est: Vita brevis, ars longa, experimentum fallax, inquisitio difficilis, temporis angusti negotiosa inopia, & quod vix unius bonarum artium facultatem, nedum ad multarum notitiam consequendam suppetat: & quæ his similia blaterant, naturam inculpantes & de ingenio suo diffidentes, sat esse ratiocinantur in una aliqua facultate egregiam sibi palmam vendicare: non coalescere ingenia, quæ huc & illuc in diversis studiis præcipitanter vagantur: sed multitudine scibilium confundi, corrumpi & (veluti vicino splendore occæcantur oculi) caliginosa fieri, ut contingat illis, dum plura scire cupiant, singula ignorare. Hæ sunt rationes illorum, quibus multa præclara ingenia deterrent. Illis igitur respondemus. Naturam eos injuriâ accusare, quam nullis in rebus producendis errasse, nihilque plus aut minus, quàm satis esset, effecisse constat. satis superque nobis vitæ superesse ad omnium quantumcunque magnarum difficilium que rerum notitiam consequendam, si non ad supervacuas & vanas actiones illam per otium & ignaviam consumpserimus: nullam temporis indigentiam, sive inopiam, fore, si illius nulla nobis jactura exeat: ingenium autem nostrum sic natura condidit, quòd, quò magis applicatur ad diversa, quò pluribus oneratur, eò magis excitatur, acuitur, augescit, illustratur: neque verò, quemadmodum solis radius fulgore nimio corrumpit oculos caliginososque reddit, sic ipsius intelligentiæ radius, illustrat enim, & eò magis ingenii lumen exauget, quò quis capere magis potest intelligibilis splendoris influxum. Non ergo circa unam facultatem tibi arbitraberis esse morandum: sed variis studiorum & linguarum generibus, & iis semper melioribus te exerce, etiam abstrusissima

quæq; & quæ adhuc in tenebris delitescunt, pro viribus explorare stude. Quin confide ingenio & aggredere omnia. sic namque omnia apprehendes, si non diffidas de teipso. Vale fœlix, & si quid in me est, quod tibi conducere arbitreris, præcipe confidenter: ecce me tibi promitto amicum. Iterum vale. Ex civitate Mediomatricum, decimatertia Iunii, 1518.

Amicus Agrippæ. XIII.

QVod tibi, vir eminentissime, non protinus respondi, tuarum elegantissimarum divitiæ literarum fecere, quibus meæ dictionis paupertatem opponere non erat consilium: neque etiam tum rescribendi otium admitebat tabellarii, qui easdem reddidit, festinatio: sed humanitate tua, quæ à tam eleganti eruditione abesse non potest, invitatus, qualiacunque remetior. Magna est, eminentissime vir, tua lenitas: qui nunquam visum hominem, in tuorum admisisti diarium amicorum. plus præstas, quàm sperare licebat, etsi meum illud summum fuerit pridem ex animo desiderium, nancisci endæ videlicet cujusdam tecum aliquando familiaritatis & consuetudinis: tecum verò homine non solùm disciplinæ legalis, sed & bonarum quoq; literarum omnium adsertore doctissimo, candidissimo, fidelissimoque. ejusmodi quippe est vel doctorum, vel censorum, quamvis emunctissimæ naris, de te judicium, quod equidem sæpius animo gratulabundo intellexi. Adjiciuntur etiam ab illis alia plæraq; de te magna, atq; adeo nostris auribus jucundissima: quæ tamen ego, ne te virum integerrimum & juxtà comitate præditum laudibus onerare velle videar, consultò tibi subticeo. Neq; est enim, quod calculos viritim expetat, cui pridem theatrum plaudit universum. Longè majora, qui tuus candor est & forte cæcutiens amicitia, mihi de me prædicas, quàm agnoscam: nihil mihi verò ea ratione adscribo: sed tibi tuiq; similibus viris insignibus ea præconiatam adfero libens, quàm vere adesse gaudeo gratulorque. Cæterùm quod te, cujusmodi studia sequor, ignorare scribis legalibus studiis operam navo, politioribus literis aliquando nonnihil temporis succisivi suffuratique impartiens: sine quibus (quod etiam tua epistola admonet) juris studium velut truncatum & mancum est. Barbaries enim, velut herba parietaria, juris civilis puritissimam elegantiam obduxit: & ita obduxit: ut vel radices radicatas egerit, quas tamen evellere sine corporis, sine succi, sine medullæ injuria vereor ne non sit expeditum: sed ut hoc forte periculosum sit, ita luxuriantem re-

secare ramum, sylvam præputare, densiora umbracula rarificare, lumini operari, forte securius erit: in quare si vel tua eruditio, vel unus & alter tui similes ferant suppetias, operam virilem nemo denegaturus est. Iam pridem subiit provinciam trium viratus, ille pulcherrimus apud Gallos Budæus, Zasius apud Germanos, ac apud Italos Andreas Alciatus: quibus si jungere stilum in tuum receperis animum, omnium lucubrationibus velut Colophonem (quod ajunt) te adjecisse reputabunt omnes. Sed ne prolixioribus meis literis te virum publicis & forensibus districtum negotiis offendam: en tuæ integritati animum meum nunc offero, devoveo: de quo scilicet nihil tibi non possis certissimè spondere, quod à fidissimo amico expostulare liceat. Valeat tua dominatio, usi Claudii memor. Basileæ, sed, ut vides, percelerè, Anno 1518.

Agrippa ad Amicum. XIV.

VAlde me tua delectavit epistola, quæ studium erga me tuum, amorem & benevolentiam declaravit. quæ cùm tuo tantum impulsu tuaque optima voluntate nullis meis in te meritis effecta sunt, ideirco non modo gratissimum habeo, me abs te diligi atque amari: sed maximè accuiandus sim, si abs te in amore vinici me patiar. Quocirca si quid est, quod tui causa me valere existimas, uno duntaxat verbo me mone, tibique persuadeas me tibi libentissimè inserviturum, semperque & honoris & nominis tui præconem me, quanquam inconcinnum, futurum polliceor. Quod si id mihi optatissimi muneris concederetur, quò te frui tibique operam dare aliquando liceret, res mihi adeò suavis grataque esset, ut fortunæ ipsi lubenter medium jam unguem porrigerem. Cæterùm verò, quod petii abs te, forte audacius, quænam studia sequaris, ais te legalibus studiis una & politioribus literis operam navare. laudo operam, ut qui iis studiis multis privatorum negotiis adjumento, insuper & Reipublicæ tuæ non parum utilis ornamentoque futurus es. sed hoc unum te admonuisse volui, dum aliorum commodo studes, teipsum prætereundo ne negligas, ne deseras. Consideres insuper horum studiorum exitus, quàm sæpè infœlices esse consueverunt. Testes sunt Demosthenes, Themistocles, Sulpitius, Marius, Cato, Cicero, & alii complures, qui omnes controversiarum æstuti consultores, & in Republica sua jurisconsultissimi, ac in dicendo promptissimi habiti sunt. Cave igitur, dum infinitis hominum jurgiis te ingeris, &

Reipublicæ tuæ continuis vigiliis & sollicitudinibus egregiè & syncerè consulis, amissa animi & corporis propria libertate, cum Minoe & Rhadamanto jurisperitissimis, destineris judex apud inferos. Neque tamen ego te his verbis ab hoc studiorum genere deterrere intendo: sed hortor ad charismata meliora, ad studia sacrarum literarum & cognitionis Dei: sine quib⁹ omne juris studium vanum est, & fortè noxium. Oportet ergo utrisq; simul intendere: duo namque præcepta sunt, & non plura: Diligere Deum, & diligere proximum: hoc est, recognoscere Deum, injuriam inferre nemini: illud religionis, hoc justitiæ: illud sacræ literæ docent, hoc autem jura. Qui studet juri, ædificat proximum Reipublicæ: qui studet sacris literis, ædificat semetipsum Deo: qui studet juri, ædificat temporalia: qui studet sacris literis, ædificat æterna. Studium juris apud Minoem & Rhadamantum relicturus es apud inferos: studium sacrarum literarum comitabitur ac ducet te in superum æterna tabernacula, quod nulla unquam abolere poterit Lethea potio, si semel intra te essentiam ejus attigeris. nulla enim cognitio, nullum studiū, nulla disciplina, sive à cœlo influxa, sive proprii ingenii industria, sive studiorum terrena diligentia, sive sensuum manifesta experientia acquisita sit, perpetuò manebit in animo, sed oblivioni subjecta transibit, nisi sola illa, quæ in abdito intellectu essentiali cognitione intrinsecus recepta est. nam reliqua omnia, quæcunque extra se quis cognoscit, extra se permanebunt: ipsa autem essentialis intrinseca cognitio non est ex carne & sanguine, nec in multitudine librorum & lectionis, nec in pluralitate experientiæ & antiquitate dierum, nec in persuasionibus humani verbi, & contentione rationis: sed in ipsa passione divinorum, ut ait Dionysius in libro Divinorum nominum: non in discendo, sed in patiendo divina hominis mens perficitur. Sed non sufficit id ita nobis ab autore aliquo esse persuasum, nisi sit & ipsa experientia cognitum: quæ datur paucissimis. Verùm de his quod supererit, non capit angustia epistolaris. Reliquum verò, quod abs te postulaturus sum, quodque pro me efficere poteris, nunc accipe. Eo tempore, quo Franciscus Francorum rex, cæsis Helvetiis, Mediolanum accepit, perierunt quædam commentariola mea in epistolam Pauli ad Romanos usque in sextum caput perfecta: item commentaria, sed adhuc indigesta, in libros nostros de Occulta philosophia, & quædam insuper alia nostra opuscula & fragmenta, quæ in conflictu ipso salva restitisse intelleximus in manibus cujusdam aliquando discipuli nostri Christophori Schillingi Lucernensis: quem sive præsentem, sive absentem per literas tuas super hac re conveniens, salutemque meam illi nuncians, si nostra scripta recuperare studueris, rem mihi jucundissimam gratissimamque, nec ulla ingratitudine apud me intermorituram, efficies. Demum hortor te, ut post visam Germaniam ac Galliam, totamque illam barbarorum nostrorum colluviem, tandem in Italiam te conferas: quam si aliquando apertis oculis introspexeris, omnis alia patria turpis vilisque erit, si ad hanc contuleris. Sed hæc omnia, & quæ superius scripta sunt, in bonam partem accipias. En habes epistolam verbosam & fastidiosam, quod ita tibi videri putabo, nisi mihi longiorem remiseris. Vale fœliciſſimè. Ex civitate Mediomatricum, Anno 1518.

Agrippa ad Amicum. XV.

REversus nuper ex Colonia, doctissime vir, spe literarum tuarum reperiendarum, non parum lætabundus veni Metas: ubi tamen jucunda opinione mea fraudatus sum. præventus siquidem tu nuntio absentiæ meæ neglexisti scribere. post hoc absque literis salutationes tuas accepi, eras namque (ut ferebatur) magnarum rerum scrutiniis, difficiliumque legalium propositionum assertionibus intentus: quæ reste impedivit scribere. Itaque nunc rursus ad te scribo, non quod te dignum aliquid habeam quod scribam, sed iccirco tantum, ut rescribas. Rescribes autem inter cætera, quid de Christophoro Schillingo Lucernensi, & de commentariis meis in Paulum perceperis. Legi ego nuper in fine operis integerrimi viri Iohannis Capnionis, intitulati de accentibus, mentionem ejusdem Christophori: gaudeoque permultum tam digno discipulo tam excellentissimum contigisse præceptorem. Verùm reliqua te explorare cupio. Cæterum ego te juxta mei ingenii posse, ut Achillem Homerus, & Aeneam Maro Virgilius, ubique promovendum curabo & procurabo. Vale. Ex civitate Mediomatricum.

Amicus ad Agrippam. XVI.

QVod in hunc diem, clarissime vir, tuis illis ornatissimis & amicissimis literis respondere distulerim, multa in causa fuere. primùm tabellariorum vel raritas, vel oblatorum importunitas, qui me, ut in plurimum, variis distractum negotiis adiere: deinde, quod intellexeram te patrios lares Coloniam Agrippinam, visendi causa profectum, urbe Me-

tensi abesse. Frustra sunt hactenus expectatæ in horas singulas literæ juvenis illius Lucernensis: cui ternas aut quaternas literas ex tuo jussu non negligenter scripsi. Is verò jam non Lucernæ, sed Tubingæ agit. Istic jam meas habet, quas ad eum perferendas oratori civitatis Tubingensis, nuper destinati ad Helvetios, tradidi: sed quidquid ille responderit, curabo tibi tuto & proximo nuncio consignandum. Cæterùm si qua in re tibi mea opus est opera, jube, & factum puta. Equidem videbo ne qua mihi (ut nunc fortasse contigit) negligentiæ nota impingatur: quæ tamen, si quas receniui justas excusationes admiseris, facilè tolli & deleri potest. Interea, celeberrime vir, basilicè valeto, & parce agrestibus & incomptis literulis. equidem scripsi, ut vides, percelere: ocio majore scribam propediem. Basileæ, septimo Kalendas Martias, Anno 1519.

Agrippa ad Amicum. XVII.

DE originali peccato, primaq; hominis transgressione, apud doctissimos pr.stantissimosque, tam veteres, quàm recentiores sacrum literarum interpretes, variæ fuerunt sententiæ: quas animo mecum cùm sæpe revolverem, nihil mihi præter obscura quædam & ambigua scripsisse videbantur. Non contemptis igitur, sed relictis eorum opinionibus, aliam, novamque, & meam opinionem, disputabilem duntaxat & fortasse non falsam, adferam: nescius, si quispiam ante me eandem opinatus sit: qui si quis est, nullam facio illi injuriam, si hanc opinionem meã esse dixero, quatenus illam nõ alicunde, quàm proprii ingenii diligentia, scripturarumque examine ex negligentiæ tenebris eripuerim. Edidi itaque brevem & compendiosam declamationem opinionis meæ, quam tuæ reverendæ candidæque paternitati dedico: ut tua autoritate à futura oppugnantium tempestate securior evadat. Scio namq; quanta syllogismorum tempestas apud aliquot theosophistas in illam ruitura sit: apud eos dico, apud quos nullus est simplicitati locus, sed sola viget ambitiosa contentio: nec est ruina maceriæ neque transitus per syllogismos eorum, nisi tuo subsidio contra hujusmodi Aegyptias Tymphes ranasque tueatur. Vale.

Amicus ad Agrippam. XVIII.

TVas, Hentice Corneli, literas jampridem acceptas ut relegissem, triplici sum ratione ingentivoluptate affectus: primò, quòd te certò vivere sciam, qui rumore Coloniæ de te aliquot annos perstrepente, in bello occubuisse à multis dicebaris:

ris: deinde tibi fortunæque tuæ vehementer congratulor, quandoquidem (ut epistoa tua testis est) uxorem tibi copulasti, uxorem fœcundam, tibi placentem, ex qua prolem paternarum virtutum literarumque verum hæredem (diis fautoribus) sulcitaturus es: poitremo, quia, secularibus (ut ajunt) magna ex parte abjectis, divinis sacrisq; literis te totum mancipasti. Id age, ut vita tua plurimum & tibi & patriæ prosit: uxorem ita diligas, ut ipsam potius habeas, quàm ab ea habearis: jucundissimæ sanctæque theosophiæ ita invigiles desudesque, ut mediis Deo porrectis orationibus, errore non seducaris: quod, machinante maligno, sæpiculè incautis (salva pace tua) obvium fuit. Opinionem tuam, mi Corneli, de ipso originato in nos vitio, diligenter perlustrando ex toto examinavimus. Fortè ex nobis aliquid expectas judicii. res hæc immensum pondus habet. Est equidem inter Theologos abstrusa ista consideratio non minima, ingenio vix mortalium ad amussim perscrutabilis: est attamen theologizantium consona omnium sententia, Originalem maculam illic esse nõ posse, ubi rationalis anima non est. Sed hoc satis. Vtinam una esse possemus, quos locorum sejungit distantia, periculorumq; fervens rabies (epidimiarum loquor) in quam, quod vehementer admiror, tu te & uxorem, ac totam familiã (ut scribis) à sociis ultro obtulisti. Respondebis forsan, te hujus morbi non esse formidolosum, & vel forsan tibi, nescio quis Delius, cujus amidoto gaudeas præ cæteris, aut, ut inquiunt, præservativo si tibi aliquid tale est, rogo non celes amicum: aut si contra pestem a quocunque fideliter excogitatum quippiam tibi constiterit, habeáive, id familiari, qui in ædibus nostris est, scripto signato tradas, ut meas in manus perveniat. sic nexum amoris erga te mei decies amplius fortiusque complicabis. Accedit huc, ut si quid hæc mea epistola corruptionis tibi habere visa fuerit, in eam, quæso, partem accipe, qua me patrem, antistitem & seniorem appellas: parce autoritati, parce senectuti, parce demum vel amori. Si tuo nunc fatis agitantibus consortio colloquio, præsentiaque frui, ut vellem, non conceditur, mutua intercurrat aliquoties epistola, quæ conjungat animos, qui nulla distantia sejungi possunt, integritate amoris continuante. Vale. Ex oppido Bedbar ducatus Montanorum, Anno 1518.

Agrippa ad Amicum Theologum Cyrenensem Episcopum. XIX.

LIteras tuas, reverende pater, nuper accepi in civitate Metensi unà cum genitricis meæ literis, triste mihi (heu nimium) de patris mei obitu nuncium adferentibus. Doleo id vehementissimè: sed invenio & hujus doloris solamen unicum nec ullum aliud, quàm cedendum esse ordinationi divinæ. Scio namque Deum hominibus licèt non semper jucunda, sæpissimè etiam adversa, semper tamen utilia, vel hîc, vel in cœlesti patria profutura impartiri. agit namque Deus prout sua fert natura, scilicet secundum essentiam suam, quæ est omnis bonitas. itaq; nihil nisi bonum & salutare operatur. Attamen, quæ humana mea fragilitas est, vehementer doleo, & in meipso conturbatus sum. Tua autem gratissima epistola, qui tanquam alter genitor meus, superstes mihi relictus es, dolorem meum non parũ temperavit. Ad hanc itaque nunc mihi respondendum est. Lætari namque te dicis permultum, & ingenti voluptate affectũ, me adhuc in vita superstitem esse: qui aliquot ante annos jam bello periisse nunciatus sum. Certè plures jam annos Cæsareo jussu, atque ex officio meo miles, Cæsarea regiaque castra secutus sum: pluribus conflictibus haud segniter interfui: ante faciem meam præcedebat mors, & ego insequebar minister illius: dextera mea prona in sanguinem, sinistra mea dividebat spolia: venter meus de præda saturatus est, & gressus pedum meorum super cadavera trucidatorum: factusque sum immemor mei decoris, & totus tartarea interquinatus sum umbra: sed gratia Dei abundavit super iniquitates meas, & liberavit me de ore leonis: ipsâ me hostiles in turbas plebemque cruentam, inter quas nemo victor nisi homicida, nemo victus nisi mortuus, à tot hostium ensibus insidiisque servavit incolumem. Itaque unà tecum lætor me vivum aliquando Coloniam reversum, ac triste mœstumque parentibus amicisq; nuncium vertisse in gaudium: & tuo quoq; in me amori ac benevolentiæ me debere fateor gratias immortales. Cæterum nunc quòd congratularis matrimonio, quia uxorem duxi mihi placẽtem, unde susciteam mihi posteritatem: ego quidem Deo omnipotenti innumeram habeo gratiam, qui uxorem mihi conjunxit secundùm cor meum, virginem nobilem bene moratam, adolescentulam, formosam, quę ita ad meam vivit cõsuetudinem, ut ne contumelioſum verbum inter nos intercidat, atque, quo fœlicissimum me dixero, quorsum sẽ res vertunt, in prosperis & adversis

& adversis semper æquè mihi benigna, affabilis, constans, integerrimi animi, sani consilii, semper apud se manens. Porrò laudas, quia, secularibus utcumque abjectis, me sacris literis mancipaverim, consulisque, ut oblatis Deo castis orationibus, diabolicas & seductrices machinas erroresque (dialecticam arbitror te dicere & philosophiam) præcaveam. Entute in parte nosti, quemadmodum post dialecticam, naturaliumq; rerum pervestigationem, insuper totam cœlorum militiam perlustrarim. ducibus duabus illis magnis Magni Alberti sapientiis, quas in speculo suo, opusculo non admodum laudato, describit. Tandem, ut verum fatear, consumpto multo tempore ac laboribus, cum animæ, corporis fortunæque bonorum jactura, nihil superlucratus sum ex his omnibus, præter peccatum. omnia siquidem hæc ex fide non sunt. sed gratia Dei tantas humanarum scientiarum vanitates aliquando cognoscens, pòst, utriusque juris & medicinæ (ut meorum desiderio satisfacerem, qui me doctorem malunt, quàm doctum) acceptis scholastico more tiara & annulis, ad sacras literas, quamvis sero, toto me studio contuli, easque, sed procul contentionibus rixosisq; syllogismis, totus amplectar: nec effari possum, quam in his obtectatur simul & quiescit animus. Sed ne me in hac infinita divinitatis abysso adhuc novitium & citra limitem deambulantem seducant opiniones meæ, te sacrum antistitem, seniorem & amicissimum omnium studiorum actuumq; meorum censorem judicemque constituo. scio namque ad sacrum Episcoporum ordinem officiumque spectare, novas circa mores ac fidem opiniones approbare vel condemnare, declarare, commẽdare vel disputandas tolerare. Ea itaque autoritate eaque censura opinionem nostram de originali peccato æstimandam tibi adscripsi: ut quemadmodum tu mecum sentias, vel dissentias, indicares: illudque tibi persuadeas, malle me tecum à meipso dissentire, quàm cõtra judicium tuum mihi mecum consentire. Veniam tamen ex te postulo, qui tantum tibi oneris imponam, quum hæc res, ut ais, non modicum põderis habeat. nunc autem, quia semel cœpi loqui, ne, quæso, indigneris, si rursus respondeo tibi. Ais in epistola tua communem Theologorum sententiam esse Originalem maculam illic esse non posse, ubi anima rationalis non est. Teneo hanc sententiam: sed cùm originale peccatum tale fuerit, quod totum hominem, videlicet ex anima divina spiritu cœlesti, corporeque elementali constitutum, totum, inquam, simul ac seorsum in toto ac singulis partibus suis à pristina nobilitate dejecerit, dicerem,

originale peccatum tale quiddam fuisse, in quo omnes & singulæ hominis potentiæ tam rationales, quàm sensuales, & vegetativæ, & corporeæ, simul à lege data deficientes hujusmodi in actu revera concurrerunt. Esto itaque, peccatum originale sedem habuerit in potentia rationali, quæ sensibus carnique adquiescens, consensit in culpam: oportuit tamen consensum illum sic jam depravatum, etiam deductum fuisse in actum corporis. Erit itaque originale peccatum, effectus sive actus aliquis depravatæ rationis seu voluntatis, sed deductus in corporis exercitium, ubi actus ille jam verus fuerit, non simulatus, non cogitatitius, non imaginarius. Tale peccatum nullum aliud invenio, præter peccatum carnis, dicente apostolo Paulo, omne peccatum, quodcunque fecerit homo, extra corpus est: qui autem fornicatur, etiam in corpus suum peccat. Sed dicet aliquis, Etiam, qui concupierit mulierem, jam fornicatus est illam: dico, Fornicatus est illam in animo suo: tamen non est is effectus concupiscentiæ in ratione & imaginis in phantasia, qualis rei inest realiter. Quin & scrutemur id nunc etiam in rationali potentia, & cujusmodi fuerit illius lapsus, requiramus. Supremus certè & unicus rationis actus religio est, quæ videlicet ab initio præcepta fuit homini, scilicet unius soli ac veri Dei creatoris verus atque unicus spiritualis cultus. Depravata autem ratione, serpente magistro, mox tota religio non nisi ad carnis libidinem collapsa est. Hanc homines, tanquam summam fœlicitatem, sectabantur, & sordidissimus Priapus, primordialis peccati organum, pro Deo habitus est. Huic sacrificârunt, huic templa omnia prima dedicata, illius spurcissima simulachra primùm omnium extructa: hunc coluerunt primi illi religionum artifices, Chaldæi, Ægyptii, Assyrii, Babylonii, Arabes, Scythæ, Phœnices, Aethiopes: & perinde tota Asia, Africa, Europa: nec fas erat ullum sacerdotem fieri, qui Priapi sacris priùs non fuisset initiatus. Hic est ille Belphegor, idolum omnium antiquissimum: quod & Chamos dictum est, a Chamo filio Noe: qui, teste Berosio, idcirco Esenna cognominatus est, hoc est, impudicus, sive ignominiosus propagator. is enim primus fœdam hanc depravatæ rationis religionem à priscis illis & ante diluvium gigantibus acceptam, rursus post diluvium instauravit. Hinc illa orgia, bacchanalia, priapalia, cæteraque turpissima sacra prodierunt: hinc Venus, Cupido, pudenda Osiridis, Panes & Satyri, ipse denique fœtens hircus, quòd luxuria falax esset pro diis recepti sunt. En vides nunc ex rationalis potentiæ lapsu jam nullum antiquius peccatum elici

elici posse, quàm libidinis & fornicationis, quodque humana ratio libidinis cultum prætulerit contemplationi divinæ. Hinc cùm omnia & singula hominis membra non, nisi jubente rationalis animæ voluntate, moventur ad opus, solum genitale membrum sic libido obstrinxit, sic peccatum imperio suo mâcipavit, ut si hæc defuerit, aut non ultrà vel exercitata surrexerit, moveri ad opus omnino non possit. Ipsum igitur opus libidinis mihi fuisse videtur hoc primordiale humanæ naturæ peccatum, totiusq; humanæ naturæ corruptela, cujus in hunc usque diem pudet homines, intuentiumq; oculos erubescendo devitant: atque ut inquit Augustinus, Magis fert homo spectantium multitudinem, quando injustè irascitur homini, quàm vel unus conspectum, quando justè miscetur uxori. De his quod superest, manet alta mente repostum, donec tecum colloquar. Restat nunc petitioni tuæ satisfacere: quæ est, ut contra pestem antidotum aliquod præservativum. Res hæc difficilis est, nec usquequaque secura, in qua doctiorem me perioremque medicum consulere oporteat. Attamen quæ mihi in usu sunt, tibi nullatenus abscondam: si id unum te imprimis admonuero, præ omnibus tutissimum esse, longè aufugere, & ad ea quidem loca potiùs, quæ pestilentia ante annum reliquerit, quàm ad illa, quæ nondum invaserit. nec reverti quoque, unde abieris, tutum est, nisi pestis ibi jam pluribus mensibus cessâverit: nam sæpissimè plus periculi est redeundo, quàm fuisset manendo. Mihi autem quoniam hæc facultas non est, ac toto hoc anno inter medios pestilenticos versari coactus sum, pro me & familia mea certa antidota juxta excellentissimorum medicorum sententias composui, quibus continuò usus sum non sine grandi commodo ac meorum omnium salute, quæ tibi brevi regimine huic epistolæ subnexa remitto; quæ si animo tuo minùs satisfecerint, non subterfugiam tibi ampliori volumine rem omnem ex integro suo ordine describere. Sed spero hanc calamitatem jam expiatam fore, & fœcundiori sublimioriq; studio nos acturos, si modò almus ille mundi Opifex post varios fortunæ ac vitæ meæ tumultus sic mea direxerit negotia, quò quieta sortitione patriis laribus frui possem. Reliquum oro, ut me Hermanno comiti Nuenario, nobilissimo simul ac eruditissimo viro, commendatum & charum reddas. Vale fœlicissimè: & me ut soles, ama.

Ex civitate Metensi, sexta Februarii,
anno 1518.

P. Clau-

F. Claudius Deodatus Cæleſtinianus Henrico Cornelio Agrippæ, ſenatus urbis Metenſis à conſiliis Advocatoque primario, S. D. XX.

CVm nuperrimè in cœnobio noſtro multa divinitus elegantiſſimeq; enarrares, doctorum doctiſſime: adeò doctrinæ ſermonique tuo totis viribus intentus, interiorem tuum hominem admirabar, (cui revera jam anima mea adamantino vinculo conglutinata eſt) quòd & nominis & vultus exterioris tui hominis, & cæterorum quæ foris ſunt, immemor relictus ſum. Nunc itaque quia ſolùm te intus agnovi, non requieſcit animus meus, donec totum te complectar, à quo vehementi deſiderio totus ego intus & foris reſtaurari me ſpero: quippe qui & corporum & animorum (ut fama eſt) optimus ſis reparator. Fateor itaque ingenuè, nec te celabo, quia corpus meum nimis (proh dolor) corruptum adeò aggravat animam meam, quo ſæpe multis phantaſmatibus obumbretur perturbetur, adeò ut cùm contendere nititur ad alta, maximè detrudatur deſcendatque ad ima: cùm penetrare cupiat profunda hæreat in extremis: memoriaque adeò debilis, ut quæ volumine præſente percipiam & comprehendam ſatis clarè, eo ablato omnium immemor remaneam. Te itaque, quem cognoſco ea ſenſus profunditate intellectusque puritate præditum, quòd me adjuvare poſſis, oro fac mecum miſericordiam in bonum, & Dominus retribuet tibi: aſſigna mihi horam, qua te inveniam vacantem, ut declarem tibi imperfectionem meam. Vale.

F. Claudius Deodatus Cæleſtinianus Henrico Cornelio Agrippæ S. D. XXI.

HEſterna die, doctorum doctiſſime, cùm inter corporales epulas eleganti & ſapidiſſimo intellectus & vitæ cibo nos ſatiaris abundantiùs, multaque de ſtatu primi hominis ante caſum, & de caſu angelorum, ornatiſsimo ac compendioſo ſermone diſſereres: aliqui fratrum noſtrorum magis corporis, quàm animæ refectioni intenti, ea minùs attentè audiverunt: aliqui inſipientiùs intellexerunt. Quare abs te charitatis affectu humiliter poſtulo, dum tempus vacat, ea mihi per modum epiſtolæ ut breviùs clariusque fieri poterit, epilogando deſcribas: & ſi quid ego pro te potero, præcipe, & ego pro viribus mandata tua libenter implebo. Vale.

F. Claudius

F. Claudius Deodatus Cæleſtinianus Henrico Cornelio Agrippæ S. D. XXII.

LIcet nulla in me, doctor eximie, quæ tuos fideliſſimæ erga me charitatis merentur occurſus, virtutum aut gratiarum inſignia præceſſerint, aut ſequi poſſint: triſtitias tamen & animi nei nebulas radianti tui ſpiritus fulgore effugare dignatus es. quæ res profectò me tibi indiſſolubili charitatis nexu devinctum reddidit. navem itaq; mentis meæ phantaſmatum quaſi ventorum turbine agitatam, ad portum tranquillitatis jam quodammodo reduxiſti: oroque, ut incœpta citiùs perficias. Cæterùm adeò tui operis, quod nuper mihi legere dignatus es, amore captus ſum, ut non quieſcat ſpiritus meus donec idipſum unà cum dialogo tuo tranſcripſero. quippe multa in illis reperi, quæ diu apud plures perſcrutatus, nuſpiam invenire potui. At utinam tuæ ſaluberrimæ doctrinæ coram præſentia tua ſemper adhærere poſſem, nec à veſtigiis tuis avelli aliquando contingeret, quòd talis effici poſſem, qui dignus ſim & vocari & eſſe tuus diſcipulus: ſed (proh dolor) ſtatus meus, cui in ſeceſſu ſolum eſſe, & lugere tantùm conceſſum eſt, id non permittit. Vale fœliciſſime: & quia præſentia tua frui ad vota non conceditur, literis tuis me ſæpiùs illuminabis.

Henricus Cornelius Agrippa devoto Patri Claudio Deodato Cæleſtiniano S. D. XXIII.

QVid in cauſa fuerit, venerande pater, ut præter ſolitum te abſentares ab ædibus noſtris, diu cogitabundus mecum ipſe admiratus ſum: nam ut ipſe conſcius ſum noſtræ mutuæ conſuetudinis, nulla unquam inter nos offenſa intercidit. præterea nec tibi tantum arbitror negotium eſſe in cœnobio, quin adſit & aliqua temporis libera licentia, quod mutuis noſtris ſacrarum literarum ſtudiis poteris velisque condonare: ſed audio in cœnobio tuo inter angelos hic ſimul etiam cohabitare diabolos, hoc eſt, falſos criminationes fratum ſuorum, quorũ cor nequam eſt, & lingua concinnans dolos. hi fortè murmurant contra frequentationem noſtram, è ſuis moribus te metientes: quoniam ipſi fortè ex his ſint, de quibus ait Apoſtolus ad Timotheum, Qui penetrant domos, & captivas ducunt mulierculas oneratas peccatis, qui ducuntur variis deſideriis, ſemper diſcentes, & nunquam ad ſcientiam veritatis pervenientes: quemadmodum & Iamnes & Mambres reſtiterunt Moyſi, ita & hi reſiſtunt tibi, homines corrupti, mente reproba circa veritatem,

HAYSTOBA BIBLIOTHECA OCCULTA P. J. MEERBOTA

tatem, sed ultrà non proficient contra te insipientia enim illorum manifesta erit omnibus. sed proficiens in pœnis, errantes, & in errorem mittentes. Tu verò ejusmodi seductores ac famicidas eò faciliùs parvipendes. sustinebisque liberiùs, quòd didicisti ex apostolicis scripturis, Quoniam omnes, qui piè volunt vivere in Christo Iesu, persecutionem, patientur. Vale, & ante discessum tuum nos aliquando revise.

F. Claudius Deodatus Cœlestinianus Henrico Cornelio Agrippæ. S. D. XXIV.

VIr eloquentissime & doctorum doctissime, non possum non mirari tuam erga me benevolentiam, & perfectam dilectionem. nam cùm nihil esse me noverim, omnique alio me abjectiorem veraciter intelligam: tamen mei memor, tāquam aliquid sim, esse non desinit tua ipsius benignitas: quæ quidem juxta divinam bonitatem vocat & æstimat ea quæ non sunt tanquam ea quæ sunt. Sic profectò charitatis plenitudo abundat & redundat in te ipso, quam in me habere probaris non verbo, sed & opere & veritate. Mitto ad charitatem tuam opera Erasmi & Fabri Stapulensis, quæ mihi tam charitativè communicâsti. Hos equidem doctores tecum inter cæteros amplecti & sequi proposui: quippe quos in syncera sacræ Scripturæ veritate ambulare conspicio. Conclusiones tuas cum maxima difficultate furtivis horis (occupor enim nimis, & nihil mihi otii fermè relictum est) egomet tibi propria manu transcripsi. neque enim ausus fui cuiquam hanc provinciam committere quippe fratres nostri rudes & idiotæ nimis invidiâ omnes bonarum literarum amatores prosequentes, detrahunt non parum magistro Iacobo Fabri, mihi æquè & tibi: ita ut nonnulli me injuriâ haud parva affecerint. Quamobrem cogitavi tuas conclusiones occultare, ne eorum invidia magis insaniret. Solus pater, Prior, & studiosus ille juvenis, qui mecum ultimèapud te fuit, tibi in hac re congratulantur. Reliquorum autem indoctorum insania librum ipsius magistri Iacobi nondum lectum, imò nec visum, nescio, qua invidia damnat, ejusque sequaces & fautores. Alia causa, cur multi invidi & illiterati contra te insurgunt, est, & maximè: quia mulierem nuperrimè de hæresi & maleficio accusatam tam acerrimè & constanter defenderis, ac hæreticorum inquisitori hanc prædam abstuleris.

Sed tu constans esto pro veritate tuenda, & forti animo contra indoctorum insanam invidiam, ut veritas illucescat.

Henricus

Henricus Cornelius Agrippa devoto Patri Claudio Deodato Cœlestiniano. S. D. XXV.

SI scire vis, venerande Pater, quî vocentur illi scelestissimi famicidæ, qui publicis concionibus tot totiesque repetitis clamoribus integerrimum virum Iacobum Fabrum Stapulensem insanis cōtumeliis tam nequiter calumniati sunt, ejusque disceptationem de filiabus Annæ tam nefandissimis lacerārunt injuriis, ac tantum virum semel atque iterum contra evangelicam modestiam vocārunt hominem stultum, insanæ fidei, sacrarum literarum indoctum & ignarum, & qui duntaxat humanarum artium magister præsumptuosè se ingerat iis quæ spectant ad theologos, præterea scripta sua à Parisiensibus reprobata ac condemnata, librosque suos, ut quorum lectio periculosa est, doctrina erronea, contra fidem & ecclesiam, igne consumendos, ac hujuscemodi plura & amarulentiora in tam integrum virum ejusque hucusque invictos libellos mendaciter jactantes, ut certa relatione accepi, sunt inprimis: quīdam frater conventus sancti Francisci de observantia, nomine Dominicus Delphinus, ab intersignio diversorii cujuspiam sic dictus, qui à nulla insolenia, blasphemia, turpi sermone, temperavit: huic in contumeliæ insolentia proximè accessit frater Nicolaus Orici ex conventu fratrum minorum, quos chordigeros vocant: tertius est frater Claudius Salini, Prior conventus prædicatorum, recens doctor Parisiensis, qui acriùs vehementiusque disceptationem illam simul & autorem condemnavit. En habes modò tam spurcissimæ tragœdiæ actores: sed quorum hypocrisi tanta licentia est, ut quicquid lubet, id liceat: quorum supercilio tanta autoritas, est ut nemo illis contradicat sine crimine: adeò placent huic populo Mediomatricum. quocirca fortè quis dicere posset, Dignus est populus iste, qui mittatur in errorem, & tradatur in reprobum sensum, quia prælegit sibi magistros mendaces, projiciens doctrinam veritatis præ illorum opinionibus. Sed doleo absentiam meam. siquidem præsens si fuissem, restitissem in faciem ipsorum. Verùm reversus feci, quod debui, & quod pro tempore potui. nam manum movi, & stilum egi: scripsi propositiones, & edidi illas, quarum duplum transmisi tibi nuper, ut darem illis occasionem scribendi & respondendi: sed jam lapsi sunt plurium hebdomadarum dies, & non est ex illis qui commoveat se ut congrediatur. Sufficit illis, ut arbitror, furorem fecisse populo, eaq; autoritate fulcitos esse, ut contra eos, tanquam

HAVRA DE GRACE MUSEUM LIBRARY

tanquam omni exceptione majores, nulli credatur, etiamsi vel angelus de cœlo hîc aliter prædicaverit. Veruntamen ego rem hanc sic non præteribo: adhuc paululum expectabo. tum si hac non successerit, alia aggrediar via: denique te ubi-ubi fueris, de omni eventu certiorem reddam. Vale.

Agrippa ad Amicum. XXVI.

QVantum ego attonitus fuerim, doctor dignissime, de tuo tam celeri importunoque recessu, in aliud tempus differam ad te scribere: sed gaudeo, si res tibi succedat ex sententia. Illud scio, & tu firmiter tene, malè tibi esse non posse, quòd hinc liber abis. Cæterùm, quod te scire velim, dubito malè tutis committere literis, nec itidem debeo, ne vel perdatur, vel prodatur, si quid inter te & me dictum velim securius. Reliquum oro, ut mittas nobis opera Martini Lutheri, simul ac casus breves legum in portatili volumine aliquando Basileæ impressos: & si quid est verè theologicum, quo scis me maximè oblectari. De commentariis nostris in Paulum, apud juvenem illum Christophorum Schillingum Lucernensem recuperandis, diligentiam habe, & me inter fidissimos amicos tuos tuique nominis præcones collocare ne dubites: qui in te absente defendendo nusquam absum. Vale. Ex civitate Mediomatricum, anno 1519.

Henricus Cornelius Agrippa integerrimæ vitæ ac doctrinæ viro, Iacobo Fabro Stapulensi S.D.
XXVII.

ANte plusculos annos sæpe & multa ad te scripturus eram, colendissime Faber: nec defuit digna ad te scribendi cùm occasio, cum materia: sed opinio, qua tenebar, perituras meas tuasque literas, quas mutuò unus alteri scriberemus, fecit me desistere usque adhuc. nam me apud remotas provincias dubia sede agente, cum cæteris difficultatibus sylvarum, montiũ & viarum accedebat omnium maxima armorum, quæ intercipiebant, quicquid transibat literarum: nunc autem, quia effectus sum tibi vicinior, & occasionem habeo fidelis nuncii, videlicet devotum patrem Claudium Deodatum Cælestinianũ præsentium latorem, scribo: non, quòd ad præsens aliquid habeam te dignum, quod scribam: sed iccirco tantùm, ut tester tibi animum meum, significemque integram amicitiam, sciasq; nominis tui præconem, quanquam inconcinnum, sed & fidum advocatum in te absente defendendo contra omnes eos, qui honori

honori tuo obesse velint: quorum quidem multi sunt, sed homines improbi animi, & miseri ingenii, qui omnibus bonis literis sunt hostes: tamen qui scioli sunt apud rudem populum, & fidem sibi vendicant hypocrisi, ut difficile, imò non sine periculo illis resistatur: neque tamen ob hoc deterreor ab officio. Verùm de his quod superest ex præsentium latore accepturus es. Demum oro, ut per eundem patrem aliquid rescribas, ut sint apud me epistolæ tuæ monumentum benevolentiæ tuæ, & occasio sæpissime deinceps ultro citroque rescribendi. si quid autem penes me est reliquum, quod tibi conducere queat, quódve pro te efficere valeam, præcipe confidenter, & sine mora factum intelliges. Vale.

Iacobus Faber Stapulensis Henrico Cornelio Agrippæ S. D. XXVIII.

HOnorificentissime domine doctor, reddidit mihi venerabilis pater Claudius Deodatus epistolas tuas, quas magnâ cum voluptate legi. Quis enim non delectabiliter legat, quod ex animi candore & benevolentia profectum esse cognoscit? Non obsecro, ægrè feras, quod multi scriptis meis tum de Magdalena, tum de Anna adversentur. Existimo aliquando futurum, ut harum rerum perspectior sit veritas, de quib⁹ disceptato solùm & nihil temerè diffinio. Quapropter oro te, nulli ob eam rem feceris tuam benevolentiam infensam. Falsitas in seipsâ marcescet, & nullo impugnatore tandem per seipsam cadet. Mitto ad dignitatem tuam defensionem disceptationis nostræ à quodam doctore theologo studii nostri non ignaviter elaboratam, insuper & apologiam pro Anna, mihi ex Germania dono missam. Aliam vidi à vicegenerali fratrum divi Francisci: verùm illam apud se recepit: virum unicum Annæ tribuebat, sed filias treis. existimavi illam visam, non conducere disceptationi nostræ. verùm si dignitas tua cupiditate eam videndi laboret, spero obtineri posse. Facito me primis literis tuis certiorem. Secunda disceptatio parata est in Magdalena: quam primo nuncio ad vos itanti expecta. Vale, Parisiis, vicesimo Maji, Anno 1519.

F. Claudius Deodatus Cælestinianus Henrico Cornelio Agrippæ. S.D. XXIX.

DOctorum doctissime, visitavi venerabilem & doctissimũ mitissimumque Magistrum Iacobum Fabrum: communicavique illi tua scripta, & fidelem amicitiam, qua ipsum

HUC OBRA FUE DIGITALIZADA POR EL M.E.C.D. MEDIANTE EL PROGRAMA

amplecteris. qui quidem lætus omnia accepit, paratus tibi rependere vices in centuplum. Ecce mitto ad te, quæ ipse ad te mittit, & scribit. non potui ampliora nunc rescribere. Cùm tua benignitas aliquid mihi voluerit significare, hoc faciespermanus illius juvenis, fratris Philippi cognomento Clerici. Vale. Parisiis, 21. Maji, Anno Christi salvatoris. 1519.

Henricus Cornelius Agrippa Iacobo Fabro Stapulensi S. D. XXX.

CVm tanta semper disjungeret nos locorum distantia, clarissime Faber, ut nulla mihi tecum quantumcunque desideratissima haberi potuisset familiaritas, difficillimaq; simul esset, etsi occasio aliquando non defuit, scribendi provincia: continui calamum, quousque tibi fierem vicinior, ac tandem data occasione de liberalissimo ingenio tuo humanissimisq; moribus tuis confisus, scripsi nuper humanitati tuæ per devotum patrem Claudium Deodatum Cælestinianũ: quas meas literas te jamdudum accepisse arbitror. sed habuit idem bonus pater ostendendas tibi propositiones quasdam de beatæ Annæ solinubio, ac unipuerperio, quas ego juxta scripta tua in doctissimo simul & elegantissimo libello tuo de tribus & una longo ornatissimoq; sermone notata, decerptas meo more brevissimas redegi: non quod ex tuis laboribus mihi laudem venarer, cujus gratia sunt fortassis qui id facerent, ut apud tui nominis ignaros docti videantur: quod ego ut fœdissimum sacrilegium semper abhorrui. quocirca statim post propositionum illarum principium, ac in omnium fine tui nominis, ut autoris, libellique tui condigna mentio facta est. Causa autem, quæ me ad has propositiones coegit, ea certa est, ut occasionem haberem resistendi cõtra calumniatores tuos, homines certè tales, qui omnibus doctis viris sunt hostes: ex quorum numero tres præcipuè hic apud Metenses tibi infesti sunt: videlicet quidam frater Dominicus Delphinus, conventus fratrum Franciscanorum de observantia: alter frater Nicolaus Orici conventus fratrum minorum: tertius frater Claudius Salini, Prior conventus prædicatorum, doctor theologiæ Parisiensis, at iste famosus doctor, ut audio, quanquam nomẽ suum occulueris, tandem post multos dies, victo pudore, scripsit contra propositiones nostras: imò contra librum tuum, ineptissimam, sed dignam se autore tragœdiam, cujus conclusiones, ah confusiones dixerim, mihi ab hoc triduo citrà magno cum encomio, sed ante victoriam oblatæ sunt. Harũ itaq; duplum,

duplum, simul etiam cum propositionibus nostris ad te transmitto, ut hinc quidem cognoscas, me honoris tui fidum zelatorem: inde verò, ut tam insulsas nugas rideas & contemnas, cognoscasque quales hæc civitas habeat apostolos, evangeliique præcones: non, ut respondeas: neque enim cupio, quod te illius scriptis ullo studio opponas, ne quando dignus tibi videatur, qui cum tu congrediaris. Mihi itaque, cui mediocria duntaxat satis sunt, quamvis ego ista nec mediocritatis nomine digna censeo, hanc pugnam relinquas, qui in tui nominis famam, salutem, decus & gloriam, contrà hujusmodi oblatrantes Cerberos constanter, ut decet, fœlicissimeque pugnaturum me non reformido. Cæterùm si adhuc adsit apud Parisios devotus ille pater Claudius, quem suprà nominavi, ipsi nomine meo infinitas salutes dicito, atque hæc scripta communicato. Scio namque, quoniam te supra vires amat & veneratur. Vale fœlicissimè, eruditissimorum hominum decus & ornamentum. Ex civitate Mediomatricum, decimo primo Kalendas Junias. Anno 1519.

Iacobus Faber Stapulensis Henrico Cornelio Agrippæ S. D. XXXI.

HOnorificentissime domine, accepi literas tuas per venerabilem patrem Claudium Deodatum Cælestinianum, cui & literas & libellos ad dignitatem tuam aut mittendos aut præferendos commisi, quod & se facturum fideliter pollicitus est. is parvo admodum tempore Parisiis mansit, adeò ut non fuerit satis nobis libera cum viro, quantum voluissemus, conferendi facultas. sic res religionis & ordinationes patrę ipsum urgebant. Verùm ex primis literis tuis abundè persensi, qua in me feraris benevolentia, nihil unquam tale de te merentem: at tibi firmissimè persuade, me in te consimili esse & jugiter fore animo. Ex secundis etiam literis tuis, per quendam Metensem allatis, non minorem in me affectus tui candorem exprimis: cum quibus & propositiones tuas pro defensione beatissimæ Annæ, & ineptias cujusdam innominati in oppositum accepi. Propositiones tuas venerabilis pater Claudius communicaverat mihi legendas. Maluissem negotium de Anna sine contentione inter doctos versari. quod si non potest propter malignitatem temporis, & perversa hominum ingenia, & tibi insidet animo contendere, vide ne hoc ullo pacto honoris mei zelo feceris, sed solùm veritatis tutandæ & devotionis in Deiparam Mariam, & ejus matrem beatissimam Annam. Attamen nullus accedere tibi potest

HAB. WOLFENBÜTTEL OHNE MELDEPFLICHT

honor cum illis barbaris & infamationi aliorum ultrò studentibus contendendo, neque nugas eorum & frigidas, & insulsas eorum ineptias refelli dignas censeo. Per se omnia ista cadent, & tandem agnoscetur veritas: & fœliciùs, si non contendatur, quàm si contendatur, ut mea fert opinio. Tu tamen pro prudentia tua in hac re sic te geres, ut neque deus, neque proximus, quoad fieri potest, offendatur: quanquam tuas partes existimo omnino justiores & veriores, & maximè, si ante viros probos & doctos res agatur, quod ipsi nolunt, sed ante imperitum vulgus olim & ab ipsis quidem adversariis aliter persuasum. Quod si propositiones tuas pergis ulterius declarare, vide id bona gratia & eleganter facias. nam alia scripta hoc nostro tempore nulla probantur. Vale in Christo domino rege æthereo. Parisiis, postridie festivitatis super sanctæ Trinitatis.

Amicus ad Agrippam. XXXII.

TV quoq; salve amicorum meorum facilè princeps. Subitam meam abitionem tibi fuisse admirationi, ego nihil miror. desines autem mirari, ubi causas resciveris. Quod mihi omnia fœlicia optas, meque defendis absentem, facis pro tua humanissima in me propensione. tibi ago & habeo gratiam: relaturus, si quando detur occasio. Quanquam (quod ad me attinet) nihil vereor linguas & nasos, nisi quis me falsò insimulare decreverit: id, quod multis me majoribus contigit. Equidem nullius super omni re judicium reformido: imo postulo, modò is doctus & candidus sit, neq; nimis fellis habeat, quique trabem ex oculo prius demat. Inveni plerosque mortalium, quales mihi prædixeras. Ferendum est, quod facile sit bona conscientia teste. Marcet sine adversario virtus. Hæc hactenus, mi Agrippa. mihi crede, totam Basileam lustravi, nusquam prostant opera Lutheri: dudum omnia divendita: dicunt, Argentinæ denuo impressa. Casus breves, quos petis, habet nemo. Verùm ad te do compendium veræ Theologiæ ab Erasmo editum: opus, ni fallor, tibi gratum futurum, Henrice: Conclusiones Lutheri & Eccii hoc anno declamatas: & quasdam etiam nugas de Imperatore. Vale. Decimo Kalendas Iunias, 1519.

Agrippa ad Amicum. XXXIII.

SAlve amicorum observandissime. Accepi literas tuas mihi longè gratissimas, accepi simul theologicum illud compẽdium, & quæ misisti reliqua, mihi tam accepta, ut fateri cogar, me debere tibi infinitas gratias, quas utinam aliquando tibi factis præstare valeam potius, atque verbis eloqui. Vtinam daretur mihi unà tecum aliquando & genium & ingenium excolere. absentiam tuam mei causa doleo: tibi autem gaudeo, si in rem tuam hanc esse cognoscam: sitque tibi virtutis tuæ decorandæ occasio. Ego hoc loci nescio quo clavo defixus hæreo: sed taliter defixus, ut neque quomodo maneam, quomodove abeam, cogitare valeam. Nunquam unquam alicubi locorum fui, unde abirem libentius, quàm ab hac omnium bonarum literarum virtutumque noverca (pace tua dixerim) civitate Metensi. De te citra discessum tuum nihil. si quid malæ linguæ ad aures meas devenerit, scias me semper æqua mente talem fore, qualem hactenus me tibi pollicitus sum. Vale, & si quid Lutheri atque Eccii declamatum sit, quod in lucem prodierit, mittito. Cæterum de quibus nuper mihi coràm differebas, videlicet de annotationibus in novum instrumentum denuo impressis & auctis: oro, si tibi non est molestum, quàm primum transmittas. Reliquum, qui apud te sunt viri bonarum literarum studiosi, oro iis me commendatum & charum reddito: insuper mihi ad vota tua in omnibus præcipiendo. De recuperandis commentariis nostris in Epistolas Pauli memoriam habe Si quid apud te novum sit de Ioanne Capnione, viro cùm innocentia tum doctrina integerrimo, scire cupio. Vale. Ex civitate Mediomatricum, secundo Iunii, Anno 1519.

Amicus Agrippæ suo. XXXIV.

MI Agrippa, omnium amicorum integerrime, salve. Binas tuas ad me literas per Sbrulium accepi, habeoq; gratiam, qui me in partem amicitiæ tam docti tamque humani viri vocasti. Is enim mihi omnia de se spopondit, quæ ab addictissimo amico possunt expectari. Lutheri nihil adhuc prodiit novi, si quid emergat, mox tibi communicabitur. Vale, & me ut soles, ama, parentesque meos habeas commendatos. Saluta incomparabilis exempli fœminam tuam jugalem, & præclaræ spei puerum tuum. Hos etiam salvos esse vult Sbrulius. quanquam sit famulo tuo seniori infensior, quem dignum esse ait, qui è tua domo exactus, in perpetuum pistrinum rusticus homo sordidæque sortis mittatur. Basileæ, 4. Kalendas Septembris, 1519.

HARVARD LIBRARY OF THE GRADUATE SCHOOL OF EDUCATION

Henricus Cornelius Agrippa Iacobo Fabro Stapulensi
S. D. XXXV.

QVas à 20. Iunii ad me scripsisti literas, integerrime Faber, & humanissimas & gratissimas, accepi: post quod tempus alias ex te accepi nullas, nec ego tibi aliquid respondi. hoc ideò tibi significo, ne quis nostrorum mutuis literis sese fraudatũ existimet: atque si tu alias ad me dedisti quas ego non acceperim, me aliquando negligẽtiæ, vel ingratitudinis nõ arguas. Causa verò, cur intra tantum temporis ego tibi responsurus non scripserim, ea est. tum quia opportunus defuit nuncius: tum quia pro Republica civitatis hujus sæpè absens fui. nihilominus tamen complevimus interim & perfecimus defensionem propositionum nostrarum, etiam multo ampliori volumine quàm arbitrabamur, ejusque copiam jam tradidimus adversario illi theologastro innominato, ut quem suorum scriptorum puduit: sed non maniter præsumpto, atque nunc apertè cognito, fratri Claudio Salini, doctorculo Parisiensi, ordinis Prædicatorum Metensis conventus Priori: tibi vero, quod maximè debeo, duplum missurus eram, nisi deesset mihi notarius, urgeretque instans meus discessus in Germaniam. mittam autem alias vel manu scriptam, vel typis excusam: quæ, ut arbitror, tibi non admodum displicebit: eoque minus, quò istis sophistis placeat quam minimè: qui cùm aperto Marte contra nos nihil valeant, per cuniculos furtivè adoriuntur, sagittantes in occulto, & apud imperitum credulumque vulgus nos erroris insimulant, deferentes nos tanquam de hæresi & insanis opinionibus. Cæterum, quod cupio, mittas ad me commentaria tua in Richardum de sancto Victore meis expensis. Valde enim & jamdudum desideravi. Vale fœlicissime. Ex civitate Mediomatricum, Anno 1519.

Iacobus Faber Stapulensis Henrico Cornelio Agrippæ
S. D. XXXVI.

PAtri Cælestino & præsentium tabellario tantùm ad te dedi literas, vir humanissime, & libellos ad te ferendos, quos haud dubito te recepisse. Generosum spiritum, quem ad defensionem Annæ genitricis Deiparæ virginis concepisti, laudo. tristor tamen, quòd multorum conflabis tibi malevolentiam. Reuchlin, vir optimus pariter & doctissimus, multa passus est. Nescio, an minore pertinacia omnes fermè ordines tutari velint suam trinubam & triparam Annam. Abusum popularem

popularem mihi formidabunt dicere esse ecclesiæ usum & sanctionem. Si opus emittis, vide, ut omnia cautè: quia, ut scribis per cuniculos clanculè adoriuntur, quærentes sagittare in occulto, & neglecta conscientia vero etiam noto repugnant. Vide etiam, ut omnia pura sint & tersa, si sis emissurus: quia tempora nostra miros ferunt censores, qui omnia fastidiunt, nisi cultum eloquentiæ præ se ferant. Non dubito te habere amicos præcipuè Germanos, quibus committas tua recognoscenda, qui benevoli, eruditi & elegantes fuerunt: & multi jam sunt, qui contra disceptationem meam de Anna scripserunt, tum Franciscani, tum Carmelitæ. latet me tamen adhuc sua se scripta emisisse. Et nunc sesquiannus fluxit, à quo scripsit Carmelita codicem tribus conclusionibus, disceptationem nostram evertere molitus: sed machina admodum barbara. Conclusiones illas ad te mitto: & si tempus adfuisset, misissem integrum codicem. Sed per hos divagatus sum, neq; per annũ ferme figam pedem Parisiis. Requiris Richardum. Hũc per harum tabellarium ad te mitto: & scias, nil apud me esse, quod non sit tuum, cùm animum meum habeas. Vale vir à me meritò omni benevolentia prosequende. Parisiis, decimo quarto Novembris, 1519.

Henricus Cornelius Agrippa Claudio Cantiuncula
LL. doctori S. D. XXXVII.

SAlve amice observandissime. Quòd valeas, quòd doctissimorum virorum consortio fruaris, lętor: quòd absis, quodque communis colloquii affabilitate non convivamus doleo: quòd mei memor, Erasmi apologiam contra Latomi dialogum, & quæ huic annexa sunt, transmiseris, infinitas gratias ago: oro autem, ut & in recuperandis commentariis meis in epistolam ad Rom. apud Christoph. Schilling, diligentiam facias: & si quid reliquum est, quod novum in lucem prodierit, vel ex illa Lutheri cum Eccio disputatione, transmittere ne negligas. Ego disceptationem meam contra ficulneum illum Theologum Claudium Salini, Priorem conventus prædicatorum, pro defensione propositionum mearum de beatæ Annæ monogamia susceptam, jam explevi. Verùm quas gratias fraterculus ille mihi redditurus sit, nescio: nisi fortè Oedypi imprecationes. Curabo tibi copiam fieri, si potero. sed nosti, quam me impediat defectus notarii. Cæterum te oro, ut me, quibus potes, doctis & eruditis amicis tuis commendatum & charum feceris: ego quicquid pro te & pro tota domo tua efficere valeo, non negligam. Vale.

Henricus Cornelius Agrippa reverendo ac nobili domino N. Vicario Metenſi. XXXVIII.

FOrtaſſis ſuperbè ego faciam, reverendiſs. vir, atq; arroganter, quì te jurisperitiſſimum inſtruere velim: ut ajunt, ſus Minervam: ſed noſti, quid procuratorem, quid advocatum deceat ad eximendum culpa reum. Habent ſingula crimina ſuos judices, ſuos aſſeres, ſuas lites, ſua jura, ſuas actiones, & præſcriptas procedendi formulas: in quibus, niſi permittente ex rationabili cauſa judice, defenſor non admittitur. lex tamen exceptionis & inſtructionis omnibus patet, & nullis debet nec poteſt denegari: ut patet de exceptionibus, per totum, & ff. de lib. cauſ. per totum, & ibidem per dominum Ben. de Plumbino, citantem ad hoc copioſiſſima jura. Itaque cùm hodie admiſſus non fuiſſem ad excipiendum contra fraterculum, (erravi) imò egregium, dilatatum & impinguatum fratrem illum Nicolaũ Savini, conventus prædicatorum, hæreticorum inquiſitorem, ad alteram particulam, videlicet ad inſtruendum, cogor: non, quòd te docere velim, ſed admonere, ſed adhortari, ut caveas nequiſſimi hypocritæ fraudes. Vidiſtine hodie, quantum incãduit perverſus ille pater, dum comminaretur mihi, ſeſe contra me ac contra fautorem hæreticorum cauſam acturum. O nequiſſimum nebulonem. Vides, ut in his verbis jam, mulierculam hanc damnat hæreticam, cùm cauſa ipſa vix dum cognoſci incœpta ſit: necdum aliquid de hæreſi conſtat, nulla cognitio, nulla ſententia de hæreſi proceſſit: adhuc inſontem & indemnem foveo mulierculam: & hic viliſſimus ſcurra ait me fovere hæreſim. Talémne tu admiſeris aſſeſſorem? mentitur in caput ſuum nequiſſimus calumniator, & his ſuis minaciis me terrere arbitratur: ſed pro officio meo, pro conſtantia mea, inſontem mulierculam defendere non deſiſtam: deſpiciat illam fraterculus hic, ſacerdos, ſive Levites: ego Samaritanus pro poſſe meo miſericors ero. Samaritanum me dico, videlicet non hæreticorum fautorem, ſed illius diſcipulum, cui cùm diceretur, Samaritanus es, & dæmonium habes: dæmonium renuens, Samaritanum ſe non negavit. Jam ex his eluceſcit hujus fraterculi manifeſta invidia. Quare, ut ſuſpectus, pro aſſeſſore non eſt de jure admittendus: ut de jud. cauſam, quæ. de except. inter priorem, de appel. poſtremo. & c. propoſuit iij. q. ult. c. ult. & licet non tenear omnes ſuſpicionis cauſas dicere, C. de judic. l. properandum tamen hanc unam adhuc addam, quia iſte fraterculus pridie, quod alias nunquam illo loco conſuevit, apud adverſarios

verſarios noſtros egregiè crapulatus, & dum ipſe vinoſus eructat ad ſartaginem, & ab adverſariis noſtris accepiſſet munera, & mulierculæ obtuliſſent ſibi ova, caſeos & molles placentulas, contra nos conventiculum habuit: imò contra jus, fas & æquum, c. accedens. ut lit. non conteſt. & de jud. cùm conveniſſet. Sed diſſimulat hanc nequitiam hypocrita ſub umbra evangelii. Demum, ut ex antè geſtis clariſsimè patet, iſte fraterculus partem meam gravavit contra jura, & uſus eſt jurisdictione contra juſtitiam. Quare ab aſſeſsione venit reiiciendus, ut c. ex parte. de privileg. ff. de jurisdict. om. judic. l. ex territorio. Item traxit cauſam extra locum inſignem & tribunalitium contra conſenſum partium: imò contra ſtatutum concilii Lugdunenſis, ſtatuit de reſcriptis: & traduxit illam in locum non tutum, & ad locum partis adverſæ & inimicorum noſtrorum, contra canones & jura, quæ habentur iij. q. ix. hortamur. xxiij. q. ij. ſive. de appel. ex parte. de ſent. & re. jud. cle. paſtoralis. ut lit. non conteſt. c. accedens. Inſuper fraterculus hic nullam habet jurisperitiam, ſed ex ſuis Mallei maleficarum ſophiſmatibus confundit judicium. Eſto: nunc liceat iſtis theoſophiſtis cõcluſiones ſuas de cathedra magiſtraliter diſputare: verùm intereſſe aſſeſſorem in judicio neminem decet, niſi jurisperitum, C. de advoc. diverſ. jud. l. nemini. & l. jubemus. nec te moveat, reverẽde Vir, inquiſitorium ſuum officium. quin nihilominus, ut ſuſpectus & inhabilis, veniat reiiciendus ſed habet juris beneficium, ut ſubſtituat vicarium de conſenſu partium, virum jurisperitum, & probiorem ſe: ut de appel. cauſa ſpeciali. & c. adhæc. & c. cùm cauſam. & hoc poteſt & debet facere, ſi ſua aliquid intereſſet in hoc jud. ut in cle. prima, de hæretic. quamvis revera hæc cauſa nullam ſapit hæreſim manifeſtam, nedum occultam. Palàm eſt enim, & jure cautum conſtat, quòd nullus inquiſitor autoritatem aliquam, majoritatem, cognoſcẽdi poteſtatem, aut jurisdictionem habet ſuper ſortilegio, aut ſuper hæreſis ſuſpicione defenſione, receptatione, aut favore, ubi & quando non eſt manifeſtum, quòd ſit hæreſis expreſſa, & explicitè condemnata. Quo patet, quòd iſte fraterculus ultra privilegia officii inquiſitionis contra jura & canones arroganter ſe huic cauſæ ingerens, eſt omnino reiiciendus, & tanquam vir ſanguinis, & doloſus, procul propellendus. Hæc ſunt, quæ loco exceptionum contra iſtum perverſum & crudelem fraterculum nunc per modum inſtructionis & informationis præſenti ſcheda ad Reverentiam tuam ſcribere conſtitui. Oro, ut hæc noſtra ſcripta non deſpicias: ni forte excludantur etiam hoc

campo pauperes. Quòd si sic tibi persuasum esset frustra nobis jura succurrerent, nec necesse esset mihi de horum ratione differere. Sed de tua integritate melior mihi spes est: de isto autem sanguisitibundo monacho penitus diffido. Vale. Ex nostro studiolo percelere. In hac civitate Mediomatricum, anno 1519.

Henricus Cornelius Agrippa venerabili domino Officiali Metensi S. D. XXXIX.

VIdisti nuper, venerande Vir, ex ipsis actis, impios illos iniquissimarum informationum articulos, quorum vigore frater Nicolaus Savini, conventus prædicatorum, hæreticorũ, inquisitor, hanc insontem mulierculam contra Deum & justitiam, contra jus & fas, contra Christianam conscientiam, contra fraternam charitatem, contra evangelicam Majestatem, contra sacerdotalem mansuetudinem, contra regularem professionem, contra formam legum & canonum, in suam carnificinam dolo malo traxerit cruciandam: illamq; ob tam futiles mendacissimasq; calumnias atrocibus enormibusq; tormentis homo nequam nequiter & injustè exposuerit: quo jã ipsum crudelitatis nomen nunquam intermoriturum sibi perpetuò & meritò vendicavit. quod ita ipse dominus Officialis, Ioannes Leonardi, præcessor tuus nuperrimè defunctus, in ipso mortis lectulo testatus est: & ipsi domini de capitulo cognoverunt, & abhorrent. Inter hos itaque articulos unus est & primus, quia dictæ mulierculæ mater quondam pro sortilega fuisset excremata. Hunc ego in exceptionibus, ut impertinentem, & de facto alieno, docui, ex judicis officio esse rejiciendum: modò verò, ne seducamur per hujusmodi pseudoprophetas qui Christum simulant, & antichristum vivunt: ore reverentiam tuam, ut sufferas verbum solatii, & quis nuper inter me & illum prænominatum sanguinolentum fraterculum super hujus articuli positione sermo inciderit, modo advertas. Nam ille crudelis pater hanc maximi judicii esse, & ad torturam sufficientissimam, supercilio sus asseverabat: nec id sine ratione, ut sibi videbatur, quam ipse juxta sectam suam ex penetralibus Mallei maleficarum & peripateticæ theologiæ fundamentis mox eduxit, inquiens: ideo id esse, quoniam solitæ sint maleficæ mulieres fœtus suos ab ipso initio sacrificare dæmonibus tũ, quòd solent insuper fœtus suos ex incuborum (ut aiebat) dæmonum concubitu utplurimùm vel sæpe concipere. Quocirca contingit in hac prole, tanquam ex hæreditario morbo radicatam remanere

manere malitiam. O egregium sophisma: Siceine hodie theologizatur, hisce figmentis ad torturam promoventur mulierculæ insontes? An non etiam evacuatur gratia baptismi, & frustra dixerit sacerdos, Exi immunde spiritus, da locum spiritui sancto: si propter sacrificium impiæ parentis proles remanet diabolo? Quòd si cui libeat hanc opinionem recipere, incubos dæmones generare, nemo tamen adeo unquam deliravit, ut sentiret dæmones unà cum suffurato semine de natura sua aliquid extramittere in genitum. Ecce, talem fructum parit hæc positio, si admittitur: ni fortè Faustini Donatistæque hæretici ex ea aliquod majus malum concludant. Sed, ut ex fide loquar, quid obest genitum esse ex incubo, quid nocet sacratum fuisse dæmonio? Nonne ex propria natura humanitatis nostræ sumus omnes nati una massa peccati, maledictionis, æternæ perditionis, filii diaboli, filii iræ Dei, & hæredes inferni, nisi quod per gratiam baptismi ejectus est de nobis satanas, & effecti sumus nova creatura in IESU Christo, à quo nemo potest separari, nisi per peccatum proprium? Vides nunc, quàm sit hæc positio, si pro judicio recipitur, & jure irrita, & receptione periculosa, & propositione scandalosa. Vale, & hunc blasphemum fraterculum, ut contagiosissimam pestem, vel procul pelle, vel procul fuge. Datum hoc manè in hac civitate Mediomatricum, anno 1519.

Agrippa ad Amicum. XL.

EFflagitasti, mi Cantiuncula, tibi narrari, quæ gesta sunt adversus miseram illam mulierculam de Villa Vapeya, quam ego rapidissimo illi monacho Nicolao Savini, ordinis prædicatorum hæreticorum magistro, è mediis unguibus atque faucibus eripui. En tibi mitto omnem processum & acta, quò causæ illius merita cognoscas: sed priùs tibi, quæ procul omni æquitate & justitia contra hanc anum gesta sunt, brevissimè narraturus. Ab initio siquidem una noctium spurcissima illa rusticorum colluvies post vinum & crapulam contra dictam mulierculam conspirans atq; conjurans, illam nocte in domo sua, autoritate eorum privata, sine licentia judicis, sine aliqua jurisdictione captivârunt, & in privatis carceribus detinuerunt. Tandem per dominos de capitulo ob urgentes causas perducta fuit in civitatem Metensem: ac causa suo judici ordinario, videlicet officiali curiæ Metensis, commissa, datus fuit dictis rusticis terminus ad deliberandum, accusaréne vellent, an denuntiare. Statuto die comparuerunt octo rustici nebulones se pro

se pro accusatoribus constituentes: jussi fuerunt se apud mulierem constituere captivos: tandem favore inquisitoris, qui ibi assessor aderat, datus fuit illis terminus biduí: infra quod biduum tantum potuit & prævaluit inquisitoris ac rusticorum iitorum iniquitas, quòd Officialis, acceptis aliquot aureis, remisit illis mulierculam in villam Vapeyam in manus accusatorum suorum captivam, quatuor ex illis pro sceleratissimis nebulonibus rejectis. Et hæc clam nobis facta sunt, etiam repulsa exceptione nostra de loco non tuto. Fuit itaque traducta mulier, sociata multis contumeliis simul & verberibus, sicut hæc per testes probata sunt. Tandem carcere plusquam pœnali detenta, multis injuriis affecta, ne noctem quidem quietam habuit, accusatoribus interim liberis ad vinum & patinas ludentibus. Tandem post dies aliquot Officialis extra locum tribunalitium in dicta villa Vapeya nihilominus causam incœpit cognoscere: cui ibidem egregius ille accusatorius libellus cum suis istis famosis positionibus oblatus est, & contra juris tenorem duplici via accusationis videlicet & inquisitionis, contra ipsam processum est. Nobis autem in loco suspecto non comparentibus, & marito dictæ mulieris accessu ad judicium prohibito, ne exceptionem appellationémve interponeret: idè Officialis, consulto egregio illo dilatato & impinguato fraterculo inquisitore, lictore ipso crudeliore, mulierculam hanc vigore dicti ineptissimi libelli, cujus idem inquisitor artifex & dictator extitisse fertur, & futilium positionum etiam priorem accusatoribus, qui pedem pedi contulerunt, quæstioni & tormentis exposuit: Verùm ipso tandem officiali, & his, qui quæstores censoresque adhibiti fuerant, ob horrorem feralis spectaculi discedentibus, mulierculà interim in manibus lictoris & crudelis illius inquisitoris, præsentibus accusatoribus & inimicis suis, judice autem & censoribus absentibus, atrocibus tormentis enormiter torta, rursus pœnali suo carceri tradita, est in manibus inimicorum suorum malè tractata, & constituto ad victum suum cibo ac potu nequiter privata: tandem per dominos de capitulo, gestorum iniquitate palàm cognita, ipsa mulierculà ad civitatem hanc Metensem fuit revecta. Officialis interim in lectulo mortis suæ decumbens, remorsu conscientiæ suæ de iniquitate suâ confusus, per expressum nuntium ad dominos de capitulo, & per manus notarii, ad inquisitorem illum, præsentibus fide dignis testibus & notario causæ, decrevit, mulierculam hanc innocentem: quæ etiamsi suspecta fuisset, tamen hac tam atroci tortura veluti sufficientissimè purgatam,

tam, omnimodè fore absolvendam. Verùm carnifex inquisitor vigore illius scripturæ, tanquam commissionis sibi factæ, licet per mortem officialis jam exspiratæ, rursus mulierculam hanc non ut absolvendam, sed gravioribus tormentis exponendam & excremandam sibi postulavit tradendam. Nam hoc ipso monachi isti sese inquisitoris officio verè functos putant, quando non desistunt ab officio, donec inquisitus sit combustus. Verùm, cognita hujus sanguinolenti monachi crudelitate, per dominos de capitulo ab ulteriori cognitione hujus causæ repulsus est, perpetua crudelitatis infamia jam omnibus notus, omnium digitis ostensus, omnium sibilis aspersus, omnium ludibrium factus, omnibus in æternum fabula: ipsaque mulierecula per vicarium Metensis ecclesiæ absoluta, accusatoribus condemnatis & insigni insuper mulcta punitis. Sed jam qui vidisti adversariorum nugas, quid contra illorum libellum, positiones, testes & articulos per me exceptum sit, quia idem videre cupis, jam pariter accipe. Sed ne me parum juristam æstimes, & ritualis, & leges, & capita, & paragraphos, & glossas, & doctores, præter usitatum curiæ stylum asserero. tu nunc sede medius, & judica.

Amicus Agrippæ suo. XLI.

CLarissime Agrippa, quòd jamdudum ætatem nihil abs te literarum accepi, miror: nescius, quid causæ intercedat. neque enim inducere queo animum, ut credam te mei ullam cepisse oblivionem: siquidem animi tui candorem perspectum habeo. quicquid verò id est, fac sciam: simul etiam, quàm bellè tu tuaque nobilissima conjunx, parvusque Ascanius omnes valetis: quod quidem sine magna sollicitudine inferre non possum. Rerum novarum jam habeo nihil, præter illam Lutheri de potestate Papæ declamationem, quam superioribus diebus ad patrem dedi tibi communicandam. rara quippe inventu est, neque passim prostat. Excudit Frobenius justum Epistolarum illustrium opus: Farrago epistolarum Erasmi titulus erit. Vix dici queat, quàm elegans opus futurum. quod non solùm Politiano conferri, sed vel præferri bona ex parte possit. Conjicio precium fore duos aureos: res erit gravis & docta jucunditate condita. Dispeream, si non legere gestias: legisse verò tam gaudeas, ut nunquam magis. Bene vale animæ meæ plus quàm dimidium. Basileæ, 8. Kalendas Novembris, anno

1519.

Agrippa

Agrippa ad Amicum. XLII.

LIteras tuas, splendide doctor, rectorque dignissime, quas octavo Kalendas Novembris ad me scripsisti, à paucis diebus citrà salvas ac postliminio redivivas, perditæ namque fuerant aliquantisper, accepi animo lætabundo ac pene gaudenti. deprehendi etenim candorem amoris in me tui. Quocirca ingratissimus inhumanissimusque nunc futurus sim: & maximè, quia se condigna opportunaque scribendi offert occasio, si tibi in rescribendo non respondea. Scire itaque te cupio, me (ut scis) diu diuque optatam & jam ante plures dies à dominis meis Metensibus decurionibus postulatam licentiam, tandem hoc manè ad vota mea obtinuisse, atque ad paucos dies discessurum me, profecturumque Coloniam, ubi quid acturus sim, quidque agam, exinde te primo nuntio certiorem reddam: ut & quo scribere possis, & quomodo literas meas recipere valeas, scire possis. Demum scias me, sive Metis, sive Coloniæ, sive ubicunque fuero, semper tuum esse, nec tui nominis præconio uspiam defuturum. Cæterum verò quod ad illud perte mihi secretò quoddam communicatum negotium attinet: scias, me hanc rem non secus atque teipsum optare, nec ullum laborem subterfugerem quin omnia experirer, eniterer, facerem, quo tuo honestissimo piissimoq; desiderio satisfacerem, si tempus locusq; paterentur. Sed nosti, quanta me in hoc urgeat importunitas usq; adhuc: neq; tamen, quantum in me est, parco diligentiæ: nec defuturus sum consilio: tu verò, quoniam quodammodo inexpugnabilis est hujus impressionis violentia, quos potes, etiam alios consule, omniumq; tibi auxilia junge. Habebis ad manum per plures, quos tibi nominatim percensere possem, si auderem hæc malè tutis committere literis: qui etsi non possent rem omnem conficere, poterint forsan suspendere, vel ut dicitur, clavum clavo trudere. Hos igitur scrutare, consule devince: ego pro meo scire ac posse non deero. De his quod supereſt, arbitror quòd fraternæ literæ tibi ampliori calamo significabunt. Vale felicissime. Ex civitate Mediomatricum, ipso die Conversionis Pauli, anno 1520.

Henricus Cornelius Agrippa integerrimo Viro Ioanni Rogerii Brennonio parochiæ sanctæ Crucis apud civitatem Metensem Ecclesiastæ, S. D.

XLIII.

DOmesticarum occupationum multitudo, quibus nunc obruor, non sinit me longiores epistolas ad te dare, honeratissime

ratissime Vir: neq; præterea habeo adhuc, quæ ad te, ut vellem, multa amplaq; scripturus sim. ex te namq; scribendi argumentum expecto. Arbitror siquidem Claudium Salini priorem cōventus prædicatorum cum suis fraterculis, atque anum illam, illam, inquam, quam nosti, stupratæ mentis, non tauricam, sed asininam Pasiphaen, illumque effœminatæ vocis evitatum, Simium dico, tabellionem illum Claudium Drouuynum, quem rectius Androgyneum dixeris, miserrimū superbiæ, invidiæq; mancipium, cum suæ factionis aliquot portentosis homunculis nunc securè triumphare, victoriæq; cantilenas canere, ac nos jam liberè in tergum proscindere absentes. Hujus rei historiā. dico, ex te expecto, scribendi argumentum: ego interim scripta nostra, simulq; illa quæ ipsemet Claudius Salini in chartam effudit, testimonia imperitiæ suæ, in lucem dabo. Cæterum tu Renaldo medico, Baccanto notario, Tyrio horario, Iacobo librario, Andreæ carboneio, atq; Mischaulo, cæterisq;, quos nosti, amicis nostris omnibus & meo & uxoris meæ nomine infinitas salutes dicito: te verò circa Pentecostes festa ut mihi pollicitus es, infallibiliter expecto hìc præsentem. Vale felicissimè. Ex Sceltei Colonia, 12. Kal. Martii, 1520.

Ioannes Rogerius Brennonius Henrico Cornelio Agrippæ. S. D. XLIV.

NOn te latére velim, mi Agrippa, quantas pro tui nominis fama, nostrique Fabri Stapulensis gloria, proque beatissimæ deiparæ matris Virginis Annæ solinubii tuitione ab æmulis idiotisque injurias pertulerim. Etenim illorum non immemor sum verborum, quæ paulo antè, quàm hinc discessurus, nescio, jocone an seriò nobis frequenter, dum simul convivaremus, dicere solebas, me videlicet posthac vices tuas gerere debere. siquidem nihil veriùs unquam prædicabas. nam & id magni vatis oraculum fuit. At nunc id mihi profectò gratissimum esse scias, nūtium videlicet cōperisse probum: qui, quod in pectore ægrè perfero, ad te deferat, onusque grave, quod gestio, paululum sublevet, quò semel quietiore saltem liceat animo frui. Veruntamen ex his paucis longè plura conjicies. nam si, quæ rectè liceret, singula referre vellem, in longum nimis nostra protraheretur oratio. Inprimis siquidem scire cupio, si quid periculi incommodive in via pertuleris, condolui quidem vices tuas, pertimuique, ne tibi cælo cadentes imbres iter intercluderent: nunc verò laborem atq; metum mihi tecum impartiebar: sed, ut spero fidoque, sanus & incolumis ad patrios

BAVIOR. BIBLIOTHECA ONLINE

patrios lares tandem applicuisti: sed quid interim nobis contigerit, quidque actum sit, audias. Scis, mi Agrippa, quàm ægrè ferant nostri theosophistæ, se ab aliis carpi: quandoquidem sibi plus æquo placentes, primos affectant recubitus, vocariq; ab hominibus Rabbi. Hinc inter atque me ab hispar apertaq; est inimicitia, dum nullis consentimus blanditiis. Ego revera instituto nostro semper satisfacturus, rectè vivendi rationem præ me ferre arbitror. Sed quid, in hac theosophistarum nostrorũ hesterna palæstrella actum fuerit, audias: & quibus aucta decorataque fuerit assidentibus. rem profectò risu cachinnoque dignam tibi paro, meque tandem summopere deridendum trado: affuit ingens rusticorum, vetularum, mulierculârum, puerorumque ore patulo spectantium turba: cumque præsideret prædicator quidam, is alto superciliо cathedram ascendens, à septima ad decimam fermè horam dissolutis brachiis, histrionico gestu, voceque supina graculabatur. Sed tandem assistentes, longum nimis præsidentis sermonem pertæsi, manibus pulsant: quo tandem argumentari vix illis cœssum est: tunc super trigamia, quasi beatæ Annæ aliquam labem importante, argumentatus est magister Reginaldus, archipresbyter noster, secundarum nuptiarum benedictionem non admittẽs. Annam quoque prophetissam, majorem continentia, majori laude dignam jurgabatur: sed huic profectò solutio nulla data est, præterquam licitum atque concessum fuisse beatæ Annæ tribus maritis nupsisse ad prolem suscipiendam multiplicandamque, quæ ædificatura erat ecclesiam Dei. Post hunc magister noster Reinaldus medicus, domicilium sanctum, mansionemq; sacratissimam, in qua beatissimam virginem Dei matrem miraculosè conceptam fuisse credimus, à subsequentib. maritis libidine, voluptatibus pollutam, vitiatam, infectam, atque contaminatam probare nitebatur, aut saltem pari miraculo beatam Annam cæteras concepisse filias contendebat. Respondêrunt, Annam duas filias post beatam virginem miraculosè conceptam in peccato originali concepisse: sed per hoc nil derogari castitati ipsius Annæ, & per peccatum originale domicilium sanctum non contaminatum fuisse, quandoquidem Annæ concessum atque licitum erat nupsisse, ad multiplicandam prolem, ut suprà. Post quem ego in medium prosilii, assertionem improbans, temerariam scandalosamque appellans: quandoquidem nullis autoritatibus, nullis rationibus tueri possent, nec evangelistarum, aut apostolorum, sive ecclesiasticorum scriptorum dictis scriptisve approbatam: nec quisquã fuerit,

fuerit, qui tot virorum nuptiis interfuisse se jactare possit: tum Mariam Cleophæ non à patre, sed à viro denominatam fuisse, evangelico textu probare cœpi. quod cùm negare non pollent, etiam à patre denominatam asserentes; duos viros hoc nomine Cleopha vocitatos, labyrinthum fugientes, protulerunt. Theosophistarum astutiam spectа, ac vide, mi Agrippa, quibus dolis vero noto repugnare consueverunt: quibusque nugis sua deliramenta commentantur. similitudinem adducentes me interrogaverunt, an quandoque duos asinos in foro viderim, nomine Martini vocitatos? Respondi, me quandoque etiam duos asinos in foro vidisse, quorum unus essem ego, alter verò ipse respondens: veruntamen duos viros hoc nomine Cleopha vocitatos in sacra Scriptura nec vidisse nec legisse. Tunc quamplurimum risêre astantes, cumque post hæc ad Eusebii & Egesippi historias prolaberer, utrunq; profectò negaverunt. nam eos quandoque somniasse proponebant, quo illis nusquam credendum esse proferebant: & cùm ego sic etiam nec sancto Thomæ, eorum præceptori, nec Augustino, nec Hieronymo, nec Chrysostomo, & cæteris, neque multis aliis credendum esse concluderem, quandoquidem etiam eos quandoque somniasse credamus, manibus pulsarunt: hinc Augustinenses Augustinum tueri cupientes, Thomistæque Thomam nunquam errasse contendentes, murmurabãt: cumque hanc paterer repulsam, quæ proposueram statim coram illis revocavi, nec solùm tertium Annæ maritum, sed & quartum addidi. & cùm mirarentur, nomenque peterent, Marcolphum dixi. Hinc risêre quàmplurimi: stomachabantur & alii. Certè his te nugis non interfuisse malo: quandoquidem, quæ respondent, umbratilia tantùm sunt, in quibus profectò nihil luminis appareat: illic fuit verborum copia, solutio verò nulla: cumque recederem, ad me propius accessit Claudius Drouynus mirum in modum excandescens, ac me totis viribus ad iram provocare cupiens, labris porrectis in aurem mihi submurmurat: Vtinam excremandus esses pro hæretico: habeo aliquot adhuc fasciculos, quos in hunc ignẽ gratis libenter expenderem: cumque nullus adesset qui nos audire posset, respondi: Custodi illos nam pro teipso ac fratribus prædicatoribus adhuc usui erunt. nondum enim illorum apud Bernenses hæresis plane absumpta est. At ille magis excanduit, cumque vesperi in platea cum multis super disputationem fabularemur, ecce iterum advenit ille, & flammiferis oculis me adoritur, confestimque in hæc verba prorupit:

Stultus es, asinus es, homo impudens es, & qui magnum Augustinum calumniatus es: cumque pluries eadem verba protulisset, testes plures habui. Nunc verò illum super hæc verba ad judicium traxi, & ut me talem esse infra octavam probare compellatur. Sed nunc instat sedulò per amicos, ut me sibi pacatum reddat: sed ego amicorum meorum consilio omne negotium commisi. Vale, mi Agrippa. Si bene vales, valeo, uxoremque tuam meo nomine salvere jubeas, filium, matrem, atque sororem. Rescribe demum: & si quid apud nos pro te potero, impera, & parebo. Tyrius horologiarius te salvere jubet, qui tibi hanc parvulam schedulam intus inclusam transmittit. Nihil nunc apud nos est aliud, quod scitu dignum sit. Duodecima Februarii, Anno 1520. Ex nostra Mediomatricum civitate.

Henricus Cornelius Agrippa Ioanni Rogerio Brennonio S. D. XLV.

BIduo post scriptas has priores literas, tuas quàm gratissimas accepi: in quibus, quam superiùs ex te expectare me dixi, mox sese mihi obtulit historia: talis fermè, qualem hactenus semper vaticinatus sum. Sed non erit is hujus fabulæ exitus, ut nos impunè ludibrio habeant, neque incruentam reportabunt victoriam, etiam apud eos qui porcos illos victuros triumphaturosque arbitrantur. sed de his jam satis. nisi quòd conclusiones illas, ut reliqua, pro dignitate tractabo. Commendo tibi negotium meum apud Castellanum peragendum, utque me ex hoc labyrinthio expedijundum cures. Vale fœliciſſimè. Ex fœlici Colonia, decimo Kalendas Martias, Anno 1520.

Ioannes Rogerius Brennonius Henrico Cornelio Agrippa. S. D. XLVI.

CVm primùm denuo ad te rescripturus calamum pararem, in mentem venit, nescio, quid scrupulosæ cogitationis, rémne tibi gratam, ingratamve facerem, quandoquidem nūtium hunc minimè gratum tibi fore existimarem. attamen parce quæso. nam nunc alium non reperi, qui, quod te scire cupio, ad te celerius perferat. Tuas literas recepi, mi Agrippa, mihi verò perquam gratas: quæ negotiorum nostrorum omnium fœlicem promittere videntur exitum: sed & quod mihi oneris atque sollicitudinis committis, dabo equidem operam, ne tibi quid incommodi attulerit. Cautiùs posthac rebus tuis consulito, ne denuo in hunc labyrinthum incidas. Magister Raynaldus, Baccaretus, cæterique omnes tibi noti, familiares, & amici, te cum uxore & familia salvere jubent. Vetula illa de Vapeyio mihi retulit, inimicos ejus centum francorum pœna mulctatos, eò quod ipsam innocentem injustè accusassent, maximeque illos timere, ne graviore pœna affligantur, eò quod in illam innocentem sine licentia dominorum suorum atque judicum manus violentas injecissent. Vale, mi Agrippa, atque uxorem tuam meo nomine salutato.

Henricus Cornelius Agrippa Ioanni Rogerio Brennonio S. D. XLVII.

LIteras tuas mihi omnium gratissimas reddidit mihi homo omnium, qui vivunt, hominum ingratissimus. Tantum verò abest, ut iccirco literas tuas mihi minus gratas fore suspiceris, ut malim ob literas tuas, si opus sit, hunc ingratissimum gerulum in gratiam receptare, quàm ob hujus ingratitudinē tuis literis vel fraudari, vel de illis secus sentire, atque de mihi gratissimis desideratissimisque: nulla ergo deinceps scrupulosa cogitatio te à scribendo retrahat, quisquis, qualisve ille nuntius sit, qui tuas deferat: modo certus sit, atq; reddat. Sed ego habeo quiddam, in quo te jure arguam. nam cum ipse de multis ad te scripsissem satis verbosam epistolam tu ad unum duntaxat brevi scheda respondes. Suspicor itaque epistolam meam adeò verbosam tibi molestam fuisse, ea videlicet conjectura, quod mihi verbosiorem non remiseris. Nunc ergo rursus rescribas, & ad reliqua, quæ per priores literas meas & per his inclusam schedam ex te postulavimus, responde: sed responde epistola longa, lata, ampla & verbosa. eò siquidem longè gratissima erit. Quod si ea gratia me defraudaveris, habeo & ego quo te puniam. nam ænigmatista efficiar, epistolasque ad te dabo adeò laconicas, ut tibi vel ipso Oedypo opus erit interprete. Vale, & ad proxima Penteeostes festa teipsum cum Marco Damasceno Coloniæ apud nos infallibiliter præsentato: ubi te in amœnissimo Hospitiolo nostro lætè hilariterque susceptum, multis abstrusissimis dogmatibus quæ nobis ex Tritemii testamento obvenerunt, onustum inebriatumque ad civitatem Metensem ad libitum dimittemus. Cæterùm uxor mea filiolusque tibi infinitas salutes ominantur: tu reliquos amicos nostros omnes nostro nomine salvere jubeto. Doctor Claudius Cantiuncula si quas ad me literas ex Basilea transmiseris, ad me deferendas curato.

BIBLIOTECA OPERA DI MUSICOLOGIA

De rebus Castellani & aliorum eo modo, quo nuper nunciavi, confidito. Mischaulo me sibi bonam fortunam procurare dicito. Vos omnes valesunto. Ex fœlici Colonia, Anno 1520.

Amicus Amico. XLVIII.

BOni pastoris officium est, inprimis cognoscere vult' pecudum suarum, ac scire, quo quæque malo premantur: deinde, ut studeat solidare, quod confractum est: conservare, quod sanum est: projicere, quod putridum est: arcere extra castra Dei, quod leprosum est: ut existentes in gratia procul à morbidarum contagione puras retineat, lapsas vero revocet & elevet, pertinaces autem & mortuas in peccatis procul pellat & abjiciat. Hæc ad te scribo, venerande sacerdos, non ut censor, judicandi animo, non etiam, ut doctor, animo docendi: sed Christiani hominis officio, cui in Evangelio præcipitur, ut pertinacem scandalosumq; fratrem denunciet ecclesiæ. quod Sacrarum literarum canonumque interpretes exponunt proprio prælato, videlicet pastori suo primùm, qui ejus animæ curam habet: quem si non audierit, vel pastor ille officii sui negligentior extiterit, denuntietur superioribus, episcopo & synodo. Ipse etiam Paulus in epistola ad Corinthios: Si contentio aliqua inter Christianos homines interciderit, vult, quantum fieri potest, litigiosum forum evitari, & catholicis arbitris ecclesiæque sacerdotibus hanc offerri justa censura dirimendam. Hoc igitur evangelici apostolicique dogmatis officio denuntio tibi, etsi te non omnino latere sciam, in ovili tuo ovem morbidam, leprosam, inficientem & contagiosam, ipsam videlicet N. quæ prægnans fraterno odio, turgente invidia animo, corde rancoroso, vultu torvo, ignescentibus oculis, inflatis buccis, ore spurcissimo, canino latratu, rabidis morsibus, lingua sacrilega, in sacramenta ecclesiæ blasphema, post tergato evangelio Christi, in perniciem animæ suæ mendax, honestum virum N. & datam illi à Deo consortem N. spectatæ pudicitiæ fœminam, omnia contra jus & fas præter omnem causam & occasionem amarulentissimis convitiis impudentissimisque contumeliis, injuriis, famicidiis, & in faciem postica obtrectatione nuper & deinceps quotidie proscindit: neque hoc satis, quin insuper piè admonita, fraternam charitatem respuens, in tanto scelere obdurata, Pharaonico corde contra Spiritum sanctum irremissibili peccato absque spe veniæ sine pœnitentia, sine satisfactione ipsi læso uxorique suæ debita

debita, in animæ suæ judicium hoc proximè præterito paschate, in illo publico mortali scelere, indignè & præsumptuosè ad perpetuam damnationem corpus Christi participavit, cum Iuda rea effecta, & in ea cordis duritia & insana hæresi pertinaciter perseverans, Christianæ pœnitentiæ contemptrix, indigna, cujus oblatio suscipiatur ab altare Dei, præcipiente Evangelio, ut cui dissidium est cum fratre, relinquat munus suum ad altare, & vadat primùm reconciliari fratri suo: non vult intelligere, ut benè agat, aut à malè agendo desistat. Hæc igitur cùm vergant in scandalum, & offensionem omnium simplicium pusillorum Christi fidelium, & sibi in æternæ damnationis judicium, te pastorem suum hortari voluimus, ut ovem tuam leprosam, tam morbidam, tam contagiosam, si quid adhuc sani cordis habet, & ecclesiastici medicaminis capax sit, in tempore sanare ne negligas: sin minus id fieri potest, à mensa domini separes atque propellas, donec delictum suum agnoscat; & injustitiam suam non abscondat, ac suis in Christo proximis tam palàm & publicè scandalizatis atq; læsis, palàm restituat, quæ palàm detraxit: quin aliàs illi peccatum suum, teste sacra scriptura, non dimittas. Quòd si hanc Christianam restitutionem facere contempserit, cùm juxta verbum Petri nemo Christianus innocentiæ & justitiæ suæ renunciare debeat, & pati quasi homicida, aut fur, aut maledicus, aut alienorum appetitor, justificantes nos ecclesiæ, vindictam & ultionem Deo remittemus, orantes illum justum judicem, ut tradat illam in manus satanæ in hac vita in interitū carnis, ut convertatur, dum configitur spina, & spiritus salvus fiat in die Domini. Te autem officii tui admonitum volum', ut facias, quod vigilem pastorem decet, ac ovile tuum à contagione & lepra tam morbidæ ovis castum, purum, & mundum servare studeas. sic namque apud divinæ synodi syndicatum malæ administratæ curæ, repetundarum reus jure nunquam poteris accusari: & confundentur omnes qui calumniati fuerint bonum opus tuum in Iesu Christo. Vale.

Joannes Rogerius Brennonius Henrico Cornelio Agrippæ S. D. XLIX.

TAmetsi in me jure excandescas, mi Agrippa, quod ad te literas ampliores longioresque non dederim, strictioribus tamen brevioribusque te in amicitiam pristinam facilè revocandum, amplexandum, reconciliandumque revera non diffido: quandoquidem verus paucis redintegratur amor, ac-

que fovetur. Quod autem minori, quàm decuerit, te epistola salutavi, efficit, quod Eberhardi, Catholiconis, Alexandri, Faceti, Remigii, cæterorumque præceptorum meorum technas, aut etiam obscurorum virorum epistolas non nisi in diem revolvere queo: quò lepidius ornatiusque tecum rethoricari audeam. Sane mecum ludis, ut soles: quem tam segniter tamque molliter scribentem erudire velis, juxta Ovidianum illud:

--- Tardus asellus
Intempestivos edidit ore sonos.

An Therſiten de divinitate concionari volentem audire te delectet? Quod ſi me rurſus eo impulſu faſtidieris, aſylum mihi eſt profectò, quò fugiam tutus: & quidem frugi, quod eſt mater. Materna quippe lingua tecum, quæ voluero, liberius audaciusque effutire potero. Cæterum oraculis Apollineis, aut etiam ſphyngoſis ænigmatibus mihi ingens, execrabile quoque, bellum minaris. Heus, ne ſævi tantopere, qui me tam ignavum tamque hebetem eſſe dignoſcis, aut cui etiam trito ſermone facile illudere poſſis. Sed & te pari culpa accuſandum, parique pœna plectendum eſſe ſcias: quippe qui mihi breviores, quàm ſperabam, epiſtolas etiam ſegniter tranſmiſeris: quandoquidem de valetudine, fortuna, ſeu negotiis, vix verbum habueris vel minimum. Etenim tibi tanquam fratri, bene eſſe cupio. Sed & ſcire velim: initumne cum Prædicatoribus noſtris certamen jam victor exequi pertimeſcas: ego Claudium Drouvyni illum gigantem in platea publico judice compulſum, fœlici Marte jam proſtravi, & quidem magnanimiter. Me ſpecta: quem tu meipſum facis? Herculémne? Sed & recens ingensque cum vicinis meis fumigerulis mihi bellum paratum non pertimeſco. Nam dum concionator quidam apud populum clamans à pulpito, ut illis moris eſt, elata fronte multa gracularetur, tritariam veritati diſſentire mihi viſus eſt. Primo namque Mendicantes longè majorem habere poteſtatem atque libertatem in confeſſionibus audiendis ac peccatis remittendis quibuſcunque curatis, conſtanter aſſerebat. nam poteſtatem illam à ſummo Pontifice immediatam, tanquam à fonte: hanc verò ab ipſo epiſcopo, tanquam à rivulo profluentem, intonabat. Secundo parochianis ut paſtoris licentiam non peterent, indicebat, inquiens, quod nullis legibus ad hanc petendam compelli poſſent. Tertio indulgentias ac privilegia, certè legem privantia, quidem ingentia, ac quàm plurima eiſdem Medicantibus à ſummis Pontificibus fuiſſe con-

ceſſa, proponebat: & iis contradicentes & non recipientes arroganter excommunicabat. Inſuper ait, ſe, invito etiam epiſcopo, confeſſiones ex indulto audire poſſe, ac à reſervatis epiſcopo caſibus æquali poteſtate ſe abſolvere poſſe propalabat. Iratus ego atque inſuper ægrè ferens, illum epiſcopo tam immodeſtè obloquutum, vicario epiſcopi, quæ palam protulerat, retuli, dumque coram nobis accitus eſſet, hocce gloſſemate, quæ propoſuerat, communivit: Majorem mendicantibus ineſſe poteſtatem, quàm curatis, eò quod omnium eccleſiarum curatarum parochianos audire poſſint, curati verò minimè. Addit etiam, ſe ſtatutis ſynodalibus minimè ſubjectos, nec ullo modo compellendos, quin epiſcopo per ſynodales ſententias excommunicatos libere abſolvere poſſint: curati vero minimè. Porro Mare magnum allegans, indulgentias quoque ac privilegia innumera: quæ cùm omnia multo riſu explosa repulliſſemus, confuſus ipſe demiſſa cuculla receſſit. Cæterum non te latére volo, quod civitati diffidatoriæ literæ allatæ ſunt eodem momento, quo nobis tuæ. Prius enim vicinis noſtris Lotharingiis. Deus bene vertat. Matrem, quamdiu voluerit temporis, mecum manſuram dietim expecto. Sororum quoque multo ære ex patrimonio onuſtum: qui, ſi me fefellerit, eum adire patriſque lares viſitare compellar. Abbatiſſa de ſancta Glodeſinde nuper defuncta eſt. Pro dignitate tres diſſentiunt. cauſa Romæ committenda eſt. ſed quæ potior eſt, cognatum meum curatum de Salineii procuratorem accivit. huic forſan Romam me comitem dabo: & niſi hæres mihi impedimento ſint. iterque ad te tutum pateat, te ad proximum Pentecoſtem Marco Damaſceno comitatus, quem ad te paro, viſitabo. Ad ſummum enim more veſtro tecum adhuc ſemel ſympoſiare geſtio. tui enim Tritemii dogmata, quæ tibi ex teſtamento contigerunt, noſſe cupio. Claudii Cantiunculæ pater ex Baſilea nullas habet ad te literas. De regum principumq; negotiis apud nos rumor nullus. Miſchaldus noſter neſcio quid ſpei ex te portendat. Caſtellanus te ac uxorem tuam ſalvere jubet, cæterique omnes. Tu quoque vale, & tui omnes. Mirabile prodigium nunc audias. Sororis filius puerum habet, qui in cunabulis flamma ignis totus accendi quandoque viſus eſt: nec eo læſus. Quandoque etiam, dum mater eum adlactaret puerum, ſinus ejus ignis flamma incaleſcebat: nec inde læſa. Quid hoc prodigii portendat, ignoro. & hoc jam duo nuncii quidem fide digni retulere: & quia ore parentum id audire cupio-

bam, eos ad me accersiveram, quos his diebus expectabam, & adhuc expecto. Sin autem, aliis etiam negotiis compulsus, ad eos me conferam. Iterum vale. Ex nostra Mediomatricum civitate, 1520. secundo idus Aprilis.

Henricus Cornelius Agrippa Ioanni Rogerio Brennonio. S. D. L.

LIteras tuas, honorandissime vir, & mihi omnium amantissime, tales fermè accepi, quales ex te tantopere contendebã, amplas videlicet & longas: quibus lectis gavisus sum quàm maximè: ac tibi gratias habeo, quòd expectationem meam nõ modò non fraudaveris, sed & superaveris & viceris. quippe qui mihi rescribendi occasionem tam amplam præstitisti, ut responsurus tibi, vix integro volumine id efficere valeam, atque id ipsum jam ad te parabam, plenum robustissimis machinis, quibus horum cucullatorum thrasonum ac maris magni Pyratarum insultus insidiasque rejicere possis & expugnare: sed correptus ego tertiana febricula, opus adhuc apud me retineo imperfectum, donec convaluero. Sed nescio, quem tu mihi gigantem fabricas ex illo effœminatissimo cynædo Claudio Drouuyno, omni pygmæo imbecilliore: nisi quia tu libenter Hercules sis. At ego te Herculem volo & esse fateor: non quia illum stramineum gigantem prostraveris, sed quia monstrum illud Androgyneum, ipso etiam Lerneo serpente virulentius pessumdederis. Cæterum ego jam cum typographis conveni, quò nostra opuscula excudantur. Sed quæ te imprudentia, ne dicam, stultitia fascinavit, ut te cognato tuo comitem dare velis Romam, maximè hoc æstivo tempore? Cave hoc faxis, si vitæ incolumitatique tuæ bene consultum velis: desiste ab hoc proposito, hortor, & ad nos Marco Damasceno comitatus, quantocyus advola ad nostram Coloniam, ubi omnia mea tua sunt, ubi invicem cum doctissimis viris non absque jucundissimo fructu lætè convivemus qui jam Fratrum illorum theosophistarum verbivomas linguas adeò excantavimus, ut amplius ne mutire audeant. De prodigio illo, quod narras, quid aliud portendere judicem, quàm regnum, vel sublimem aliquem pro captu dignitatis gradum. Nam flamma ignis illæsum Ascanium Æneæ filium amplexa, Italiæ regnum illi portendit: idem in servio Tullio, ac L. Martio præsignavit. Moysi etiam rubus incensus & incombustus ducatum Israëlitici populi notavit. Tu nunc felicissimè vale: ego convalescere incipio. Renaldo physico, Baccario, Tyrio, Iacobo Carboneio, Mischaldo,

schaldo, cujus non obliviscor: Cantiunculæ, cæterisque amicis meo uxorisque nomine salutem dicito. Iacobo ad præsens non scribo, impeditus ægritudine, ut ne tibi quidem, quantũ velim, rescribere queam. Vxor mea te, ut parentem, & salutat & veneratur. Negotium nostrum apud Castellanum, quem nostro nomine plurimum salvere jubebis, tibi insuper tuendum commito, donec ego provideam. Quod erit in brevi, sicuti scripsi alias. Iterum vale. Ex fœlici Colonia, quarto Maij, anno 1520.

Ioannes Rogerius Brennonius Henrico Cornelio Agrippæ. S. D. LI.

QVoniam epistolas meas verbosiores frequentioresque tibi gratiores esse nunciasti, nolo te deinceps hac gratia frustratum iri, præsertim hac vice, cùm mihi jucunda quædam novitas materiam præstet satis exuberantem, qua te & oblectare atque in risum etiam cachinnumque facile provocare queam. Nam Tyrius noster uxorem, quam tot annis ob neglectæ ætatis formæque turpitudinem intueri vix posset, nunc beata prole gravidam summè colit, veneratur, charissimamque adorat, milleque jocis, ludis, blanditiisque demulcere non desinit, in brevi parituram: quæ si filium pepererit, beatam illam dixeris, solusq; ille puer erit quem dii amabunt. Præterea idem noster Tyrius in arte transmutatoria totus immersus, reveraque perditus, eò pervenit, ut Venerem in veræ Dianæ speciem procul omni veneficio mirabiliter transformet ad eum modum, ut Vulcanum etiam deludere posset, nisi Saturnum infensum haberet in cinere. ille solus nunc ingentibus obstat divitiis. Itaq; nunc dies noctesque vincula perquirit, teque altissimis precib. invocat, ne se hac gratia frustreris. At nunc audi, quæ proximis diebus nos ceperit, aliam dementiam: cupientes Mercurio alas demere, varia in illum veneficia commentabamur. Tum fumigerulus quidam herbam nobis quandam anonymam indiciis quibusdam præfiguravit, quam nos subsequenti luce per montes, per valles, per saltus, per lucos, per abrupta perque devia, inter vepres, rubos, cespites, spinasque haud segniter quæritabamus, gladiis fustibusque ad eum modum armati, ut etiam lycaonias insidias, si quas reperissemus expugnare parati videremur, dum tamen parva jacentis trunci umbra, ac quorumlibet ventilatorum ramusculorum strepitu, timidiores lepusculis, trepidaremus: interim tamen quascunque nobis ignotiores herbas radicitus evulsas, tanquam simiæ phantasticæ, aperto ore spectabamus, sicque tota die illa fame, siti, labore, ca-

lore, tædioque fatigati indignabundique, atque ab illo fumigerulo delusos nos arbitrantes, dum reditui consulimus, ecce Tyrius noster ad jactum lapidis à nobis digressus, inventa, quam quærebamus, herba, acclamat: Heus heus, ecce ecce: accurrimus omnes extemplò læti. herbamque illam, cujus una sola planta hæc erat, summa veneratione colligentes, omnes congratulabundi abimus reversuri domum: progressi verò aliquantulum itineris, casu quodam descendimus in vallem ea herba exuberantem, ubi rursus commorati, tanquam sues inter siliquas, omnem illam colligere & devellere cœpimus cumque serò factum esset, redimus tanta præda onusti, quam in Tyrii nostri hortulum deposuimus: exinde domum meam ad paratum convivium concedentes, de tam prospera fortuna usq; post mediam noctem nobis mutuò congratulantes, non absq; tui frequenti memoria. Verùm quem finem hæc fabula assecutura sit, postmodum accipies. Vale. Ex nostra Mediomatricum civitate, 11 Kalendas Iunii, 1520.

Henricus Cornelius Agrippa Ioanni Rogerio Brennonio. S. D. LII.

SAlve Brennoni, homo omnium, qui vivunt, mihi amicissime. Scripsisti Tyrium nostrum adeò egregiam metamorphosim procreasse. quòd lascivam illam meretriculam in virgineam Dianæ castitatem restituerit: ut non aliud nunc illi supersit, nisi quòd sic illam intra pudoris hujus claustra retineat devinctam, ne versipellis & profuga rursus, vertatur in pristinum scortum, neve ob ementitæ virginitatis crimen irato conjuge pereat, à proprio parente epulata: ob quod malum evitandum faberrimus ille vinculorum ferarumq; artifex, Tyrius, inquam, abs me omnis fabritii nescio vincula ferasque exposulat. Certè non possum non accusare negligentiam tuam: quòd hujusmodi artificium ad me non conscripseris, qui scis me harum rerum esse curiosissimum. Attamen quibus muris carceribus atque catenis hanc castificatam virgineamq; meretriculam vincire possitis, ad vos perlibenter transmitto, schedula his inclusa. Tu verò, si me amas, proximo nuncio, quo id poteris, Tyrianam illam metamorphosim mitte. in hoc siquidem, rem mihi præstabitis perquàm gratissimam. Sed & narras mihi lepidam fabulam, quemadmodum, patrono duceque fumigerulo illo, sive, mavis dicam, fumigerulo, per montes, per valles, per sylvas, per dumeta, gladiis & fustibus & lanceis onerati potius, quàm armati, nec absque magno metu, ad omnem arun-

arundinis umbram leviſſimamq; auram trepidantes longo laborioſoque itinere fugitivum illum puerum perſequeremini, donec hora jam tarda receptui canentes, tandemque, neſcio, quam vallem ſuffurati, onuſti præda, in Tyri domum hortulumque reduces, tota nocte huic fortunæ congratulantes compotantesque, &, ut ais, de me non modicè fabulantes egregiè pergræcaremini. Verùm quis hujus comœdiæ finis fuerit, ſcire cupio: nunquid fugitivum illum, vel vinctum carceri mancipaveritis, vel adactus ille veſtris artibus, converſusque fidem dederit, ſervaritque? ánne fidefragus, ruptoque carcere fugax vos operamque veſtram deluſerit. Vale. Ex fœlici Colonia, 15. Iunii, anno 1520.

Ioannes Rogerius Brennonius Henrico Cornelio Agrippæ. S. D. LIII.

SI vales, mi Agrippa, & ego quoque valeo. Cùm nuper tui familiarem conſuetudinem, imaginemque inter ſomnia fortè reducerem: neſcio, quo impulſore, ſpiritu protinus hæſitare cœpi, ne te illinc præter ſpem plurima aut non feliciore fortuna faſtidire cœperint, quandoquidem loci mutatio ſtatum moresque mutare compellat, novisq; curis pro loci qualitate mortales urit atque gravat. Nam licet inter parentes & in propriis laribus vitam protrahas, te tamen apud nos manſiſſe maluiſſem, ſi maluiſſes: noſtri Marci Damaſceni opus ſecundum, de variis admirandisque animæ humanæ naturis intitulatum, quod in noſtrorum civium penetralibus, vetuſtate mugidum, neglectum, diſruptum, pedibusque culcatum, autoris manu propria ſcriptum fortè reperi, ad te mittere decreveram, ſed negotiis variis diſtractus illum tranſcribere non potui. Veruntamen primū ejus librum in præſentiarum gratanter accipias, quem tibi pro dignitate meritisque tractandum, ordinandum, corripiendum, emendandumq; commendo: ſubſequentes verò duos poſthac per otium tranſcriptos, ut ad te mittantur, pro poſſe curabo. Tu etiam, ſi qua abs Tritemio tuo, aut ab alio dogmata tibi allata ſunt, ut videam, trāsmittito. Te ſalvere jubemus omnes, tuosque omnes præcipuè vetulam de Vapeyia, quæ mihi frequenter ob tui familiarem conſuetudinem ruſtica munerula adfert. Sanctæ Glodeſindis abbatia paçata eſt: quò nec cognato, nec mihi itineri Romano accingi neceſſe eſt. Reverendiſſimis, ſuffraganeo tuo Theodorico Cyrenenſi epiſcopo, & præpoſito Ionni Potken, Ioanni Cæſario, matri tuæ tanquam meæ ſoroti, uxori, filiis, famulis, famulabusque

labusque omnibus me commendatum habe. Vale, inquam. Ex nostra Mediomatricum civitate.

Henricus Cornelius Agrippa Ioanni Rogerio Brennonio. S. D. LIV.

SAlve, Brennoni: & quomodo apud nos literarum militia valeat, accipe. Pugnatum est hactenus in theologistas, & contra Prædicatores illos validos mendicantes fraterculos belligeratum est, donec magnus ille princeps Astorotus, hoc est, ille Capniomastix, Iacobus Hoechstratus, ordine Prædicatorum, hæreticorum magister, Colonienſis conventus Prior, ad internecionem omnis fidei, doctrinæ & honoris, cum universis sibi adhærentibus Colonienſibus theosophistis victus & profligatus est, ipsique fratres Prædicatores per universam Germaniam pacem à Capnione & Francisco Sickingo, quibuscunque conditionibus illam accepturi essent, deprecari coacti sunt. Sed audi majora: verùm non tam læta, & quorsum audacium aliquot hominum pregrediatur audax temeritas. Fuit hîc apud nos Huttenus cum aliquot aliis Lutheranæ factionis assecla, qui nunc in curtesanos, ut vocant, Romanosque legatos calamum stringunt: ipsi etiam Romano pontifici infensi, magnas seditiones, ni Deus provideat, concitaturi, dum singulos Germaniæ principes & potentatus magnis persuasionibus adhortantur, ut excutiant Romanum jugum, quemadmodum populus Israël olim excussit jugum domus David, recesseruntque decem tribus Israël à domo David usque in diem hanc dicentes, quæ est pars nostra in David, vel quæ hæreditas in filio Isai? vade in tabernacula tua Israel. Sic & isti clamant, quæ est pars nostra inter Romanos, aut quæ hæreditas nostra in episcopo Romano? nunquid non sunt primates & episcopi in Germania, ut usque ad pedum oscula indignè subjiciamus nos episcopo Romano? relinquat Romanos Germania & revertatur, & jam revertatur & convertatur ad primates & episcopos & pastores suos. Vides, quorsum ista tendunt, & jam principes aliquot, & respublicæ istis aures præbent. Quid Cæsaris valitura sit autoritas, nescio: ego certè contemplatus hominem totum saturnium, nihil in illo bonæ spei repositum habeo: ipsa, quæ sequuntur, tempora docebunt, qualem nobis elegimus Cæsarem. Ego adhuc per hunc annum Coloniæ me continebo: vere proximo migrabo rursus in Subaudiam. Mitto ad te dialogum, cui nomen Henno rusticus, qui in odium Arcimboldi legati hîc conscriptus est, autore Sobio. tu mitte residuum Marci Damasceni, atque experimentum

perimentum Tyrii, & quid Herbantia vestra metamorphosis valuerit, scribe: & vale. Ex Colonia, 16. Iunii. 1520.

Ioannes Rogerius Brennonius Henrico Cornelio Agrippæ. S. D. LV.

TV quoque salve, mi Agrippa. Binas jam per veredarium cursorem abs te literas recepi, mihi profectè gratissimas, quibus plurima salute me etiam impartiri jussisti. Sed nihil est, quod tibi inde responsi dederim, quo non immerito in me excandescere visus es. Verumtamen id causæ non fuit, quod tui oblivionem ceperim, aut indissolubile tecum amicitiæ fœdus rumpere voluerim: sed revera mihi quamplurimis negotiis occupato, ad te rescribendi otium nullum relictum est. At si quid mihi superioribus diebus contigerit, scire cupias, his paucis accipias. Febre siquidem præacuta correptus longùm jacui: sed quo medio, seu medicamine, saluti meæ consului, etiam, si libet, audias. Calor corporis intima adurebat, frigiditas autem corporis superficiem glacialem, ipsumque corpus tremulum mirabiliter impugnabat. tunc satis inconsultè, commodè tamen, quantum potui, corpus igni assavi, grabbatumque sic calefactus conscendi, nec cibum duobus diebus continuis, præter cerasa, sumpsi: quæ frigiditate sua intima mitigarent, secessumque pararent. Hinc profectò intimum calorem expuli, extimumque bene coopertus revocavi. hominis audaciam nostri admirantur medici: cumque resipiscere cœpissem, ad natale solum nimis tardè accitus, matrem mortem obiisse comperi. Expletis autem funeralibus, negotiisq; quamplurimis, rursus ad civitatem nostram me contuli, nec adhuc satis bene me habens: hinc nihil est quod de rebus nostris hactenus exequi potueram. Theosophistas victos gaudeo, in summum Pontificem classes parare acque movere laboriosum atque periculosum esse nemo ambigit: cujus inde quidem negligentia, hinc verò inobedientia sæpe multorum schismatum atq; hæresum causa fuit. Tyrius noster, prout vaticinatus es, ex uxore filium suscepit, ipso Iosepho chariorem: qui etiam, dum vino incalesceret, ut solet, conservam invasit, atque impregnavit, brevique parturam obstetrici commendavit: eam odio prosequitur uxor, ipsaq; uxorem. Saram atque Agarem dicas. Hujus experimentum ad te mitto, profectò minus utile, quàm tædiosum. Quam collegeramus ovantes herbam, multis modis examinavimus nullius tamen utilitatis fuit. Marci Damasceni nostri secundum librum negotiis quàm plurimis distractus, ut vides, scribere non

bere non potui: sed trium librorum ejus tabulam ad te mittō. Parce, quæso: quia etiam nondum tua manu ad te scribo. alias spero latiùs. Claudius Cantiuncula apud nos est: quem ut ad te scribat, hortatus sum. Is apud Argentinenses Topica scripsit, atque impressit. Salve, inquam, tuosque omnes nostro nomine salvere jubeto: uxori quoque tuæ gratias immensas referre meo nomine digneris, quæ mihi panniculum gratissimum miserit: id etiam mihi gratissimum est, quòd mei non immemor sit. Vale. 17. Iunii, 1520.

Henricus Cornelius Agrippa Ioanni Rogerio Brennonio. S. D. LVI.

SAlve Brennoni colendissime. Permulta sunt, de quibus tecum coràm colloqui optarē, quorum vix ad te scribo pauciſsima. Neque verò debeo, quæ inter nos secretissima esse voluero, non bene tutis committere literis. Accepi Tyrii illud artificium, quo Cypriani illā meretriculam castum Dianæ splendorem tam probè ementiri facit, ut præter falcigerum illum senem omnes reliquos deos facilè fallat atque illudat, Verùm tu de statu & fortuna nostra sollicitus, quid est, quod moveare? An nescis me hominem esse utriusque fortunæ contemptorem, qui nullis fortunæ stimulis dimovear ab instituto: adeò semper mei similis & apud me manens? tantum abest, quod dubites, loci fortunæque mutationem mores meos potuisse mutare. Vale, & Tyrium nostrum valere jube. Ex fœlici Colonia, die 20. Iunii, anno humanæ salutis 1520.

Ioanni Rogerio Brennonio Henricus Cornelius Agrippa. S. D. LVII.

SAlve Brennoni colendissime. Sperabam te Coloniam venturum fuisse, eratque mihi jam spes admodum suavis atque jucunda, ut incredibilē jam inde concepissem voluptatem: sed nescio, quæ fors infœlix animum tuum mutavit secùs, quàm coram mihi pollicitus eras apud Mediomatricos: tum exinde epistolis tuis nuntiasti: ut omnis hæc nostra voluptas in amarissimum æstuantis stomachi chylum conversa sit, quem nunc in fratres Prædicatores evomere libet. Hinc mitto ad te versiculos aliquot, pestiferum hoc cucullionum genus igni devoventes. Theodoricus meus in transcribendis Tritemianis reliquiis dies noctesq; desudat, jamq; Steganographiam in manibus habet, cujus alterum tibi duplum exemplumque parabo. Tu interea Marci Damasceni residuos libros, seu quantulumcunque

cunque de illis jam transcriptum est, per præsentium latorem, qui mihi priorem bona fide reddidit, nunc iterum transmittas, unaq; librorum eorundem, & capitulorum indicem. Quod supereſt, scripsi ad te per Tilmanum, qui & ipse tibi plura sermone exponet. Vale felicissimè, & Renaldum physicum cum Baccaraldo, Tyrium, Iacobum Carbonum, atq; Mischaldum, omnes meo & uxoris filiiq; nomine salvere jubeas: ipsi etiam Castellano nomine nostro innumeras salutes ac gratias dicito. tu nunc iterum atq; iterum vale. Ex fœlici Colonia, die vicesima Iunii, anno humanæ salutis 1520.

Claudius Cantiuncula Henrico Cornelio Agrippæ. S. D. LVIII.

VIr clarissime, atq; amicorum omnium integerrime, salve. Oblatus est forte fortuna præsens tabellarius, insperatò quidem, sed ex voto præcipuo. Equidem diu multumque desideraveram tibi, qui mihi succederet, renunciare: simulque tuæ fortis conditionem ex te rescire. Quod ad me attinet, ago usque dum apud meos Basilienses stipendio publico, non aliter, quàm ut solebam. nemini me addixi. præstolor fortunę casum: Forsan adhuc Deus aliquis nos, ut prisci dixere, inviset. Per has vocationes volui parentes invisere: matrem inveni mille cruciibus & torminibus divexatam, non seeus, ac cùm hic degeres. illa, quoties tu venis in mentem, non potest te vel absentem non laudare, non diligere, observare, tibi perpetuò bene precari. Quid consilii captem, nescio. Vtinam hac de re liceret tecum sesquihoram mutua conferre consilia, tentabo tamen aliquid, omnemque movebo lapidem, si illi trifurcifero impostori, illi Platonicæ cucullæ dicam possim impingere validissimam. Tu si nos amas, (amas autem, quia bonus es & candidus) adjuva consiliis nutabundum: indica per literas, quānam via putas ordiendum: præstolabor septimanas tres aut quatuor: si interea literarum aliquid ad nos dare valeas. Et cùm ad me scribis, rogo & obtestor ne te vilis papyri jactura vel licet, & unas scorsum literas vulgares ad matrem meam exarato. Dici non potest, quantum illam vel hoc munusculo cum solatus fueris. Tanti siquidem te, tuaque monita, verba, & consilia omnia facit, quanti, qui maximè rem tenes. Cæterum anno proximè exacto cùm Topicorum nonnihil meis auditoribus pararem, crevit ea res (ut fit) in tantam molem, ut coactus fuerim, quicquid id est nugarum, in lucem emittere. Videbis mei agelli primos fructus: quos ubi præmaturos & acerbiores

adhuc

adhuc offenderis, dabis primùm experienti veniam neque hos planè abjicies, quamvis tuis labris doctissimis meliora conveniant. Erunt tamen, quibus meam operam non inutilem futuram sperare liceat. Quod quidem in operis calcem adnoto, quando me neque doctissimis, neque indoctissimis scribere aio. Tu, etsi ex illis prioribus es, dabis tamen mihi horas aliquot in revolvendo hoc meo labore, & quod in eo minùs placuerit, aut mutilum, truncum, hiulcum, aut non satis excussum visum fuerit, per omnia confirmatæ amicitiæ nostræ jura rogatus, ad me, sed ex judicio, scribes. Nullius enim mihi lima propemodum æquè probatur, ac omniscii Henrici Cornelii Agrippæ, bonarum literarum aristarchi. De Erasmo omnes boni doctique omnia præclara, omnia candida sentiunt: latrent alii, quoad volent, vel ad insaniam usque. Bene vale animę meę plus quàm semis. Ex civitate Mediomatricum, die Magdalenæ, anno 1520.

Ioannes Rogerius Brennonius Henrico Cornelio Agrippæ. S. D. LIX.

TRistis anxiusque plurimùm fui his diebus, quòd nuncius nullus dabatur, qui literas nostras ad te deferret: nec minùs ægrè ferebam, quòd non admodum frequentes tuas accepissem, quamvis duas epistolas tuas nuper ad me scripsisses: quibus ut ad te veniam, sedulò contendis. quod ego quoque plurimum desidero, te scilicet præsentem videre & alloqui. Sed interim, quæ hîc apud nos proximis diebus gesta sunt per hæreticorum magistrum Nicolaum Savinum, tibi enarrabo. Anus quædam decrepita, de sortilegio suspecta, per Savinum diris cruciatibus exposita, pœnarum acerbitate se sortilegam confessa est, Christumque incubo impulsore abnegasse, volitasse per aera, concitasse tempestates, plurima damna ægritudinesque, & hominibus & pecudibus intulisse, sed & eucharistiam, dum communicaretur, in Paschate sustulisse, ex ipsoque Christi corpore, mixtis herbis quibusdam carbonibusq;, magicum unguentum confecisse, idque præsente juvanteque dæmone: qui & partem illius sustulerit, altera sibi in maleficos usus relicta. Hujusmodi plura, & quæ vulgò de maleficis mulieribus fabulantur, ipse Savinus ex jam dicta muliere extorquebat. quæ misera fortè innocensque, cùm defensore careret, in cinerata est. tum Savinus gloriabundus verbosa concione singulos articulos vehementer exaggerans, maximeque illum quem de eucharistia modo narravi, universum populum cõcitat ad sortilegas

tilegas inquirendas: murmurãtur in mulierculas abs rudi plebecula: surgitque detestabile odium: hinc inde consultant rustici, multæque deformes anus capiuntur, fugiunt plurimæ: lætatur Savinus, sperans id sibi posthac honori utilitatique futurum, si in eas mulierculas simili modo tyrannizare posset. Tum ego indignatus nostrorum civium, vicinorumque rusticorum insolentiam, in publicum prodii, detestatus Savini dementiam, quod eucharistiæ sacramentum à dæmone tractatum, & in veneficum unguentum conformatum, partimque ab eodem sublatum, tam stultissimè crediderit, ac tam temerariè id ita factum, ac fieri solitum, populo Christiano prædicaverit, cum hujusmodi Christiano homini minimè sint credenda. Ruit in me pertinax turba: efferunt Savinum, illum sacrarum literarum peritum, illum hæreticorum inquisitorem, illum religiosum patrem, ac si non posset errare cuculla, asserentes. Ego contrà resisto, constantiùs rationem do, & promo Scripturas: tandem verba mea recipiuntur ab omnibus, & frigescit Savini reverentia. At ille consulturus honori suo, autoritatem suam corroboraturus, sequenti dominica se concionaturum pollicetur. Quod cùm fecit, errorem suum confirmaturus, hoc argumentulo populo illusit, Christum videlicet super montem excelsum, & super templi pinnaculum deportatum fuisse à dæmone. Itaque non mirum, si simile quippiam contingat in eucharistia. Assensisset illi jam rursus indocta plebecula, nisi ego protinus restitissem in faciem, dicens: quod eo tempore, quo tentaret dæmon Christum in deserto, non cognovisse illum Dei filium: tum id sibi permissum à Deo in humanitatem suam: qui tandem cùm diceret illi in monte, Non tentabis dominum Deum tuum, subito timuit & fugit: quem & nunc facta humani generis redemptione, & in perpetuum timet & fugit, adeò ut etiam in solo nomine IESV, crucisque signaculo ejiciantur dæmonia. Quo minus ergo consistere posset ante eucharistiam, quæ nobis relicta est testamentum Domini in remissionem peccatorum, ut ex hoc cibo vitæ componat venenum mortis? Hæc & hujusmodi plura cùm dixissem, cessant favores Savini, rursusque ridetur, cachinnatur, luditur in Savinum, & à pluribus ipse hæreticus vocatur. Tandem, quotquot detinebantur mulierculæ, relaxantur, & quæ profugerant, omnes tutò rediere. Savinus interim sedet in cella sua, ungues commordicans præ dolore: nec ad lucem egredi audet. Cæterùm quod ad rem nostram attinet, vicisti me literis tuis. nam te adire cupio, & quàm proxi-

mè accingari tineri. Pignora tua ad ſecundum librum Marci Damaſceni mecum portabo. Miſchaldum quoque noſtrum poſt me traham, ſi potero. Salutant te omnes amici tui. Vale. Ipſo die Coſmæ & Damiani, Anno 1520.

Amicus Amico. LX.

INtellexi hoc manè, colendiſſime Cæſar, quàm nequiter à Colonienſibus magiſtris noſtris traductus ſueris, eorum, ut vocant, badello, neſcio', quas bullatas nugas merasque ſycophantias circumferente. Vehementer (fateor) indignatus ſum ut qui omnem hanc injuriam mihi communem eſſe exiſtiment. Itaque ad te ſcribere mox decrevi. Dubius autem, lamentatoriámne, an conſolatoriam epiſtolam dictaturus eſſem: cumque inter hæc paululum cogitabundus hæſitarem, viſum eſt, hanc tibi illatam injuriam non ulla condolentia, non ulla etiam conſolatione, ſed ingenti congratulatione proſequendam. Quid enim potuit tibi contingere illuſtrius, quàm ab illis vituperari, quibus non niſi optimi & doctiſſimi quique ſemper odio habiti ſunt? quorum calculo te adnumerari profectò non mediocris gloria. Quis enim ignorat, hos eſſe illos magiſtros, qui Ioannem Campanum, inſigni doctrina & virtute virum, ſcholis ſecluſerunt? qui Petrum Ravennatem, celeberrimum juris doctorem, urbe exegerunt? qui Hermannum comitem Nuenarium, eruditiſſimum virum, nequiſſimis calumniis in tergo proſciderunt? qui Eraſmum Roterodamum, virum & vita & doctrina omnium exceptione majorem: qui Iacobum Fabrum Stapulenſem, unicum peripateticæ philoſophiæ reparatorem, inſuper mathematicarum humanarumque quarumcunque & divinarum literarum eruditiſſimum, ſuis ſordibus aſperſerunt? Sed adverſus Ioannem Capnionem Phorcenſem, juriſconſultum clariſſimum & arcanarum literarum variarumque linguarum peritiſſimum, tam pertinaciſſimè pugnârunt, donec omnis eorum doctrina, fides, fama, autoritas ſimul perpetuum naufragium fecerunt, cùm vulgatiſſima per univerſum orbem eorum inſcitiæ, ignominiæ, perfidiæ, falſitatisque infamia facta eſt. En, quanta nunc tibi acceſſit gloria à talibus hoſtibus incurri, & cum tantis ſplendidiſſimis heroibus connumerari. En, nunc tandem adſecutus es, quod virtuti hactenus defuit: ut videlicet inſigni aliqua calumnia à talibus monſtris oppugnatus illuſtrareris. In obſcuro enim virtus eſt, quæ caret invidia:

vidia: & ubi deſunt hoſtes, deeſt victoria. Non eſt ergo, quod indigneris: ſi te oderint Colonienſes magiſtri noſtri, laus eſt: ſi perſequuntur, gloria eſt: ſi detrahunt, lucrum eſt. Non eſt, quod doleas, cùm hoc eorum odium non tibi, ſed illis dedecori & damno ſit: qui cùm poſt unam & alteram inſaniam indies novas excitantes tragœdias graviores quàm ferre poſſunt, injurias ſibi faciunt, perpetuæque ignominiæ indelebiles notas ſibi ipſi inurunt: illos verò, quos proſequuntur, inſigni afficiunt gloria, ac digna illuſtribus encomiis victoria. Gaudeamus igitur mi Cæſar:



Exædibus meis Coloniæ, Anno 1520.

Henricus Cornelius Agrippa Ioanni Rogerio Brennonio. S. D. LXI.

EX multis, quæ te ſcire velim, integerrime Brennoni, ſcribo pauciſſima. Nã ego te circa hoc proximè venturũ Michaelis feſtum hîc apud me præſentem eſſe volo: in quo ne me fallas, abs te etiam atque etiam contendo. Gratum quoque erit, ſi Miſchaldum noſtrum tecum adduxeris: afferásque Marcum Damaſcenum tranſcriptum, vel quod ſupereſt, hic apud nos tranſſcribendum. valde namque ejus teneor deſiderio. Fortuna noſtra dextro pede progredi cœpit. De tua adverſa valetudine multum doleo, ut æquum eſt amicum: admoneoque, ut poſthac cautiùs tibi conſulas. Fœcunditatem Tyrii noſtri, qui & uxorem geminavit & prolem, neſcio, qua gratulatione dignè proſequar: admirari illum potius, quàm laudare queo. Vxor mea infinitas tibi ſalutes dicit: ſed quantum ex literis tuis conjicitur, non accepiſti omnia munuſcula, quæ ad te miſſa ſunt. tu tamen de re minima maximas gratias refers. quare non erit poſt hac hoc nuntio fidendum. Caſtellano quitantiam poſtulatam mitto hîc incluſam. tu illi inſuper meo nomine infinitas gratias dicito. Vale fœliciſſimè cum cæteris amicis noſtris quibus noſtro nomine multas ſalut

HATHI TRUST DIGITAL LIBRARY

dicito. Cæsar propè diem hìc aderit, multis principibus comitatus, pluribus diebus moriturus. Quapropter & te huc venturum constanter, expecto. Iterum vale. Ex fœlici Colonia, prima Septemb. 1520.

Amicus ad Agrippam. LXII.

PRæclare atque doctissime mi Agrippa, S. Dominus doctor Paulus Oberstayn, Cæsareæ Majestatis consiliarius, ac præpositus Viennensis, vir modis omnibus excolendus Coloniam petit: incertus verò quò ibi divertat. singularem ad tuam humanitatem me prædicante confidentiam cœpit habere: sibiq; persuadet, te adnitente, de optimo hospitio sibi provisum iri. Quare dominatio tua tanti viri spem non frustretur: sed da operam, ut bono aliquo & magnificentia sua digno hospitio accipiatur. est enim de literis quàm optimè meritus: tum omnes literatos amplectitur atque fovet. Proinde domum tuam ad reditum meum, quem brevi, diis benevolentibus, futurum spero. serva. Bene vale unà cum conjuge tua. Ex Traiecto Mosæ, decimo Octobris, 1520.

Agrippa ad Amicum. LXIII.

OStendit mihi Ioannes Cæsarius schedam quandam tuam, arduarum aliquot rerum indagatricem, quam cùm legissem, cognovi te & rerum arcanarum percupidum, inexpugnabilisque magicæ disciplinæ curiosum. Itaque te scire volo, quia frustra laborant omnes, qui magicam profitentur, nisi qui, superato binario, ternarium cum quaternario per eundem noverint in monadem revocare. in binario siquidem semel consistit unitas: quæ si à subsistente in ordinis sui recta linea per saccum subtracta fuerit, quaternarium in purissimam suæ monadis transit societatem. (*Reuchlin. in fine secundi Cabalæ suæ.*) Cæteris tuis quæsitis respondere ad præsens non possum, propterea quòd hujusmodi arcana nulla capit epistola: sed me tibi polliceor amicum: quem cùm videris, audituros es reliqua. Vale.

Anno 1520.

EPISTO-

EPISTOLARVM LIBER III.

Henrico Cornelio Agrippæ amicus S. D. I.

THEODORUS Comes in Manderscheyt, &c. vir doctus, juxta ac prudens, intellexit, esse apud Metenses molas mathematico artificio extructas: velletque sibi fieri tales, si artificem nanciscì poterit. Cùm igitur intellexit ex me, te apud Metenses nonnihil contraxisse notitiæ, præsertim apud secretissimarum rerum investigatores: factum est, ut non dubitet te novisse mathematicum, cujus industria molæ ibi sint constructæ. Proinde, mi doctor suavissime, optimè feceris, si vel ad illum, vel ad me, qui cotidie apud illum versor, scripseris mathematici illius conditionem, & quis vir sit, & ubi moram trahat: addendo etiam nonnihil de artificio molarum, quantum tibi constat. Cæterùm nosti ingenium meum, quàm sit cupidum novarum rerum. Rogo igitur, si me amas, si nolis mittere, saltem scribas, quæ de Luthero, Capnione, Hutteno, aliisque amicis nova habes: item de Euchario impressore non contemnendo: cui nuper inhibitum fuit, ne libros excuderet. Quicquid huc missurus es, cura, ut ad manus abbatissæ ad sanctam Ceciliam veniat, vel ad publicum diversorium apud forum fœni: quod ad Durum pugnum appellatur. ex illo enim diversorio plures ad nos proficiscuntur. Vale, & me tuis Musis commenda. commenda etiam me illustri comiti Hermanno Nuenario domino meo. Iterum vale. Ex Sleida, quinto Kalendas Ianuarii, 1521.

Servus Agrippæ Domino suo. II.

SAlve mi domine: salva sit uxor tua & filiolus. Velim nolim, tua erga me pietas efficit, ut ad te scribam: non quia aliquid habeam te dignum: sed iccirco tantùm, ut te placare possem, si nondum penitus placaverim. Vellem profectò, ut ea discordia inter nos orta non fuisset: sed nemini imputo, nisi mihiipsi. Quod si me, ut decebat, habuissem, minimè hæc evenissent. Sed sera pœnitentia ductus, agnosco errorem meũ,

НАУКОВА БІБЛІОТЕКА ОНУ ім. І.І. МЕЧНИКОВА

non tuum in me malevolum animum. Quanquam igitur te offenderim, nec dum diffido: verùm confilius in tua singulari humanitate ac benevolentia, qua semper in me extitisti, etiam si non merebar, has meas ineptias transmitto, ut veniam concedas petenti. Vxorem autem tuam præsenti hoc munere spero me placaturum. Ignorans offendi, ignoranter agnosce delictum. Nemini alteri inservieram, ut harum rerum habuissem experientiam: sed si ulteriùs contigerit servire, promittam me aliter facturum. A te autē nihil aliud peto, nisi quod si aliquando ad te advenero, non secundum merita mihi facias, sed secundum tuam erga me benevolentiam, ut soles: servusque tuus, quanquam indignus, dici merear. quod quidem opinor te mihi minimè denegaturum. Hæc tibi inter medias meas occupationes transscribere volui: quibus cùm finem imposuero, accepta mecū pecunia eodem itinere, quo tu, proficiscar, ac te sequar: minima etiam servitia, ut de me bene meritus es, præstiturus. ignorant enim parentes adhuc, quod à te sim absolutus. Plurimum enim te & uxorem salutant. In præsentiarum aliud nihil occurrit, quod humanitati tuæ scribam. Vbiubi locorum advenero, nunquam divulgare cessabo, licet multa tibi de me secus, atque ego censeam, dicta sint. Vale cum conjuge optima atque filiolo: quos etiam nomine meo plurimum salutes rogo. Ex oppidulo nostro Breensi, altera Purificationis Virginis, Anno 1521.

Agrippa servo suo pœnitenti. III.

PLacârunt me literæ tuæ unà cum uxoris meæ precibus: sed hoc me offendit, quod scribis, multa de te mihi secus quàm sint, dicta fuisse: quasi ego non ob certam aliquam tuorum demeritorum notitiam, sed ex levi quadam causa, vel mendaci credulitate in te iratus fuerim. Scio ego, quam justam irascendi causam habuerim. Quod si mihi de meipso liberè loqui liceret, cognosceretur, te apud me & melius & honestius & humanius, quàm tua merita fortè atque mea fortuna patiatur, constitutum fuisse, nec sine gravi causa relictum. Nunc verò quia pœnitet te erratorum tuorum, etiam ego illorum libens obliviscar: quippe mortalis cùm sim, immortales iras servare non intendo, teque rursus in meum recipio, ea confidentia, ut quem præteriti erroris pœniteat, in eundem non amplius prolapsurum existimem. Redi igitur, quanto citius poteris, & prius quàm proficiscar, arbitror siquidem adhuc quin-

quindecim diebus mansurum, vel circà. Vale. Ex Agrippina Colonia, 1521.

Servus Agrippæ domino suo. IV.

SAlve mi honorificentissime domine. Altera die post diem Conversionis Pauli non sine magno periculo ac incommodo Aquisgranum pervenimus. Tanta enim est abundantia aquarum, ut nemo, etiam si equo insideat, præterire possit. Talis insuper fuit tibi tempestas, qualis antehac in isto tempore nunquam visa fuit. Quare, urgente necessitate, quod alias non fecissem, necessarium mihi fuit ab Francisco nummos mutuò capere: quod ipse nomine tuo libentissimè fecit. quos cùm apud te advenero, quod brevi fiet, reddam. Præterea maxima tonitrua illic audita sunt, ac fulmen in castrum quoddam prope Aquisgranum, nomine Schœnvo verst, incidit. Canes mei bene valent. nunquam enim credidissem, quod tam bene fuissent secuti. Vale cum uxore atque filiolo: quem offendisse, sed sera pœnitentia ducto, multum displicet. Anno 1521.

Amicus ad Agrippam. V.

TAmetsi, mi Agrippa, nuncius hic satis certus sit, ut quæ te scire vellem, fideliter uteque deferre posset: tamen diutius anceps eram, an fortè te adhuc apud Coloniam reperiret: an tibi jam adnaviganti non obviaret. quo, quæ ad te mittere volebam, consultò diftuleram, ne cum ad me venisses, optatis te frustratum facerent: cumq; anxius ejus rei essem, ut quid satius mihi agendum esset, tuæ ad me pervenerunt literæ, quæ me ab omni mentis angore liberârunt. Cùm voles, venias: hospitis vices rependam. Præterea non te latére velim, nos ad aliud arcanum, dum tempus est, prætendere. Est enim apud nos quidam dudum famelicus: qui, quos vult, à morbo gallico, sive veteri, sive recenti, sola aqua artificiali, illitos sanat. miraculum diceres. ad eum ægrotantium maximus est concursus. liberantur omnes. at, ut dicitur, est ab inventore jam defuncto secundus, nec adhuc ulli primus. jam locupletatur. sed cùm nobis cum eo frequens sit consuetudo, in ipsius aquæ cognitionem pervenire pro viribus invigilamus, insidiolas in occulto tendentes: sed astutissimus est, & cui dare verba difficillimum est: sibi quoque maximè cavet, alibi species aromaticas accipiens, nec cuiquam dictam aquam tractare permittit. Cùm autem veneris, tertium Marci

Damasceni librum reperies, in quo quid in ipso determinaverat, ut scires, in margine annotavi. Spero etiam posthac illum recuperare: tibi quoq; dedicare steganographiam complebo, fac tandem, ut suprà: nobis forsitan utilis erit, quo alter alterius opera, si casu egere contigerit, carere non possit. Plura, si tempus, &c. Raptim ex civitate nostra Metensi, ipso die Matthiæ apostoli, anno 1521.

Henricus Cornelius Agrippa Ioanni Rogerio Brennonio. S. D. VI.

SAlve fidelissime Brennoni. Ab ipso die divæ Katharinæ, quo tu hinc discessisti, charissima uxor mea ægrotare cœpit usq; adhuc: bis iam febritiam passa est: nunc colica cruciatur, & iliaca ab initio. Quadragesimæ lectulo incubuit, magno meo dolore ac damno: sed omnia libentissimè passurus, modò convalescat, ad quod simul diligentissimo medicorum medicaminumque juvamine adnitor, nulli parcens sumptui, neq; diligentiæ. Quod si Deus Opt. Max. nos ab angustia liberârit, ipsaque nostra charissima uxor, quod speramus, vel quantulumcunq; convaluerit, mox navem conscendemus, & remigio, velo, rudibusque, quantum poterimus, ad te festinabimus. tu interim sive de mora mea, sive de itinere meo, mecum æquè incertus, tamen per primos nuntios scribere ad me non obmittas: & si quid nos scire cupis secretius, persteganographielem nostrum nunciabis. Cæterùm quę ultimis literis tuis mihi per Ioannem Vuestphalum significasti, omnia diligentia cura & procura, ut scias & habeas. Marci Damasceni priorem librum ne negligas, nobisq; illum reserves. Iacobo librario cæterisq; amicis omnibus multas salutes dicito. Vxor mea infinitas tibi salutes dicit, oratque, ut sese tuis sacris precibus adjuves, quòd citissimè pristinæ sanitati restituatur, teque videre liceat nos omnes unà incolumes. Vale fœliciss imè. Ex Colonia Rheni, quinta feria ante dominicam Palmarum, anno 1521.

Amicus ad Agrippam. VII.

DOctissime doctor, cognovi serò, te Gebennis jamdudum adesse. quãobrem ineffabili gaudio gavisus sum, cùm hîc sperarem adhuc tuam mihi desideratam faciem videre, & tua ipsius eruditione perfrui, sapientique eloquio. Verum enim verò nego & inficias eo, ullam mihi aliquando conversationẽ cum quocunque fuisse amœniorem, quàm tecum, doctissime mi Agrippa: atque utinam mihi perpetuam liceret tecum traducere

ducere vitam. Quòd cùm fieri haudquaquam possit, saltem literis tuis quantulamcunque voluptatem captare desidero, ut sciam, quid valeas, quid rerum nunc agas, atque anteà egisti: an etiam receperis literas, quas paulò post discessum nostrum ad te scripsi. Cupio etiam per te certiorfieri, an secunda recognitio Erasmi super novum Testamentum sit typis excusa. Hanc jam mihi postulavi mitti à bibliothecis de Lugduno, daturus pretium quod postularent. Item quid de Luthero agitur: & an interpretatio sua super psalterium sit expressa: hanc profectò vehementer cupio. Bene vale, mi eruditissime Agrippa, meque cum servis tuis annumera. Ex Anesiaco, sexto Kalendas Iulii, anno 1521.

Amicus ad Agrippam. VIII.

SAlve mi Agrippa: atque, si vales rectè, valeo. Admirari quidem cœpi his diebus quàmplurimum, quòd ab eo quo à nobis discesseris, nullus unquam fuit, qui aut literas dederit, aut saltem de te verbum ullum. id siquidem suspicione magna non caruit, quæ nos mente cruciatos satis effecerit. Optabam quidem scire, ac vehementer, ubi te loci subtraxeris, ac quid negotii captare prætenderis: & si tibi fortuna plus solito blandiri cœperit Nos siquidem rectè valemus omnes. Lapidem, ut jusseras, decentissimè sculptum uxoris tuæ charæ tumulo cùm apponi fecissem, laudârunt omnes, amorem honestatemq; tui probantes. Tilmannus à Coloniis ad nos vacuus rediit, nostris ac sororis cæterorumque tuorum omnium valetudinem annuncians. Sed satis est nobis, cùm ecclesiæ nostræ egregiis profectò numinibus datis cæteros omnes præcellis. Audivimus Lutherum ad Bohemos tutiùs profugisse, cujus vices nunc gerunt Huttenus ac Melanchthon. Robertus à Marka, qui ad Gallos nimis inconstans rursus redierat, oppidulum te Verton cõtra imperialem Majestatem invadere satis temeriter, ut fertur, attentaverat, eum ditioni suæ subdere prætendens: sed spe frustratus discessit: cumque in Lucenburgos insidias etiam moliretur, Comes de Nassau, ac comes Felix à Cæsare tandem missi, magna Burgundionum comitati caterva, illius oppidula pariter invaserunt: hinc Longinonum, Nuscancurt, le Saussay ac Florengiam, quæ è regione Theonisuillæ sita est, funditus evertentes, solo æquarunt. Sed & munitioaem longè majorem expectantes, in cætera tria propugnaculis & vallo munitissima, videlicet Esdantum, Immasion & Bullon, expeditionem parãt, in quibus ipse forti præsidio munitus, illos non formidat. Ego

verò, ut sum rerum novarum avidus spectator, cùm obsideretur Florangia, meo comitatus Achatello Guilliermo, treis continuis diebus castra germanica invisens, oppugnationi interfui: interdiu egregiè potans: noctu verò sub dio inter cruentam turbam nec timui, nec puduit, nec tęduit unquam. mœnia oppidi corruere vidi. arx autem non hominum viribus expugnata, sed deditione recepta est. Verùm dominus Iannasius Roberti filius, qui Florangiæ præerat, clandestino itinere fugam prætendens, ab his qui in vigilarum statione erant, occupatus, quò vitam servaret, seipsum prodens, hostium arbitrio se commisit. hic à comite Nassovio ad Cæsarem missus est. hæc hactenus. Epistolam huic alligatam tuo Theodorico trades. Vale. Ex nostra civitate Mediomatricum, decimanona Iulii, anno 1521.

Amicus ad Agrippam. IX.

DIci non potest, mi eruditissime doctissimeque Agrippa, quantopere & tuæ faveam gloriæ congratulerque, & eruditionem admirer:

ὡς πλέον ἢ μυρίοισι μιχῆναι ἑνὶ χείλεσι χεῖσθαι,

ut verbis illius Nazianzeni utar, id est, cujus plus in mentibus, scilicet meis, parum autem in libris jacet. Sed, heus, tu meis epistolis non es accersendus, ut ad nos aliquando te transferas. Expectabo interim, si aliqua tua negotia poterunt te nonnunquam ad nos deducere. Scis, quo fervore tibi occurrerem, & quo affectu te amplecterer. Vide, quàm familiariter tecum agam, ceu tuæ magnificentiæ oblitus. Sed ita tua me jam olim corrupit humanitas, quæ hanc docuit imprudentiam, quam aut totam ignoscas, nisi alter Socrates sis. Quidam magistri nostri cucullati Dominicæ factionis, & (ut credo) fidei nostræ persecutores, volui dicere, inquisitores, casu quodam cellam nostram paucis elapsis diebus intraverunt, qui inter loquendum inciderunt in memoriam eruditissimi illius nostri Erasmi, & post multa de eodem atque Luthero siniſtrè delata, tandem suum venenum ibidem evomuerunt, quatuor antichristos nunc esse in regno Christi doctores, Erasmum scilicet, Lutheruta, Ioannem Reuchlin & Stapulensem, deblaterantes. Vide, quæso, sycophantas, bonarum literarum persecutores. Cæterùm præsentium lator vir, bonis literis præditus, & singulari eruditione munitus, cupit valde tuam ipsius dominationem alloqui: committas ei ipsum illi. Salutes, quæso, meo nomine reverendum illum virum doctissimum dominum Officialem.

ficialem. Bene tu, mi doctissime Agrippa, valeas cum libero tuo & tota familia. Ex cella nostra Amnesiaca, decimo Septembris, anno 1521.

Amicus ad Agrippam. X.

MIraberis forsitan, mi Agrippa, vir undecunque doctissime, quid me potissimùm impulerit, hominem revera ἀνόητον καὶ ἄμουσον, modica tantùm familiaritate tibi junctum, ut ad te virum tam splendidissimum ultrò jam ter scribere præsumserim. Quod profectò desines admirari, si tuæ in me benevolentiæ, quam mihi gratis, cùm Metis essemus, præstitisti, oblivio non ceperit: qua quidem me nimiùm in te audacem reddidisti. Iam verò non possum non deamare plurimùm tuam ipsius mirabilem doctrinam, & præclarissimam eloquentiam, qua meipsum præ cæteris inflammasti, & nonnihil illustrasti. Audivi ego ex tua officina fœlicibus auspiciis profectam esse quandam eruditissimam apologiam adversus Metensem Priorem. Quæso ejusdem me aliquando participem efficias. Ego sanè existimo, ingentem accessionem fore meæ tenui bibliothecæ, posteaquam illi quicquam tuarum lucubrationum fuerit additum. Cæterùm, obsecro, mihi scribere digneturtua præclara dominatio, quid nunc sentiat de Lutheranis lucubrationibus. Non te præterit, arbitror, qualiter apud Metenses mihi nonnulla Lutherana communicare dignatus sis, eaque mira laude extulisse. Spargitur quaquaversum in tota hac Sabaudia fama tua. Sum ego valde avarus visendi tui. si fuerit nonnunquam mihi facultas & bona valetudo, visam te, Deo optimo juvante. Quòd si libuerit interea te huc aliquando recipere, quod maximè velim: nemini erit optatior accessus tuus, quàm mihi: quippe qui tuo ipsius auxilio & consilio haud modicum indigeo. Vale mi doctissime Agrippa, cum libero tuo & tota familia Reverendum dominum officialem, Eustochium Schapusium, saluta meis verbis, virum revera totius Sabaudię sydus & decus, omnium virtutum eminentia per maximum. Amnesii, secundo Octobris, Anno 1521.

Agrippa Amico. XI.

COpiosam ad te scribere epistolam gestit animus, Pater devotissime, idemq; mihi & amicissime & observandissime, ni mihi & ociũ deesset, & præsentium latoris, qui mihi uxorius avunculus est, celer & festinus admodum abhinc discessus, prohiberet. Quòd autem prioribus diebus ad te non scripserim, quodque

HATHI TRUST DIGITAL LIBRARY

quodque literis tuis non respondérim, non me nunc purgabo, sed coram agam eam causam, qui propediem te visere decrevi: &, spero, me absolves. Vale felicissimè. Ex urbe Gebennarum, ipso die Catharinæ, anno 1521.

Agrippa ad Amicum. XII.

CVi meas ad te literas commiseram, reverende Pater, amice observandissime, alio itinere ad nos reversus est. Nunc verò præsentem mihi cùm nactus sum, eximproviso & admodū festinum, ut quas ad te copiosissimas literas scribere gestiat animus, exequi non valeam. Sed ut literis tuis pauciſsimis verbis respondeam: scito me officialem nostrum tibi mihique amicum jam sæpiusculè convenisse, quò tuo honestissimo desiderio valeamus satisfacere. Verùm res hæc non parum habet difficultatis, & impensæ plurimum. Sperat tamen in brevi habiturum determinatam veritatem: qua intellecta, tibi mox significabo De theologica illorum sententia, quam rememoras, ego optime sentio. De scrupulo autem per te moto, quid; non modicum afferre videatur anxietatis, ego non dubito, quin te facilè instruerem, quid & quomodo ille solvendus sit, si modò liceret tecum coràm colloqui, vel saltem longioribus literis liberè scribere. Arbitror te scire, hominem Christianum omniū esse liberrimum, & pariter servum omnium officiosissimum: quod ad hunc scrupum satis est. Cæterùm de his, quod superest, non capit præsens epistola. Vale felicissimè, anno 1521.

Amicus ad Agrippam. XIII.

SVborta est nuper inter nos de Christi partu virginis conceptione disceptatio. Ajunt nonnulli, ipsam ante Joachim angelicam annunciationem, in utero matris Annæ conceptam fuisse: hac fulti ratione, quòd in lectionibus Breviariorum (ita loquuntur) lectione quarta præsertim, scribitur, Quam scias ex semine tuo concepisse filiam: & paulo pòst lectione sexta inquit Angelus, Descende montibus, & revertere ad conjugem tuam, & invenies eam habentem in utero. Alii divam virginem post angeli apparitionem conceptam fuisse fatentur. Tu, quid sentias, si tuę fedeat humanitati, scriptis absolve. Vale. Anno 1521.

Agrippa ad Amicum. XIV.

AD quæstiunculam de beatæ Virginis Mariæ conceptione respondeo, id inprimis receptum esse, Annam monitu angeli &

geli & miraculo virginem concepisse, quemadmodum, quam Matthæo evangelistæ sacer Hieronymus adscribit, continet historia. Prænunciata enim fuit Annæ matri, si rectè memini, priusquàm concepta, licet sortè posterior admonitus sit Joachim. Quod autem ad Officiolorum lectiones attinet, scias hæc argumentandi efficaciam ullam non habere, cùm multa contineant incerta, multa dubia, multa vana, ficta, & falsa, pleraque etiam, quorum ecclesia tenet creditque oppositum: ejusmodi officiola de integritate fidei, autoritateque ecclesiæ non esse. Cæterùm de his si cupias expeditam habere sententiam, ipsam historiam prænominatam, quæ inter Hieronymianas epistolas incorporata habetur, require, & apud Eusebium in Ecclesiastica sua historia aliquid fortè reperies, quod ad hanc rem faciat: sed libri illi jam apud me non sunt. Vale. Anno 1521.

Amicus ad Agrippam. XV.

BOnus hic vir de te cœpit honorificè loqui in itinere: depinxit mihi virum quendam omnium eruditissimum, professione medicum, scientia simul verè cyclicum & omniscium, maximè autem valentem disputatione, qui levi articulo sophistarum impetus dimoveat. Per contabar de nomine. Agrippa, inquit, est oriundus Colonia, educatione Italus, experientia curialis, hoc est aulicus, urbanus, civilis. Improviso quidem gaudio ferè perturbatus subjeci. Quid, inquam, medicus ille de Germanica hæresi sentit, num repugnat Luthero? ànne facit cum doctissimis Parisiensibus? tum ille, Nihil minus, inquit. nam præire Luthero potest, resistere non potest, quæ modò Lutherus ille olim vidit. Quibus sermonibus permotus, hæc inter potandum è taberna volui ad te, quò intelligeres, quàm memor Capito susceptæ humanitatis, qua me convivam Coloniæ excepisti. Est autem, quod te scire interest, videlicet de statu Germanorum. Vuittenbergæ Lutherani sic instituerunt. Primùm, quicquid ex veritate evangelica suspicabantur, observandum liberis verbis præceperunt. Pauca inseram. Quicunque, ajunt, non vescitur carnibus & ovis & id genus, diebus Veneris, Christianus non esto. Qui sacramentum eucharistiæ suis manibus non sumit & contrectat, ne Christianus habeatur. Qui confitetur in quadragesima, non esto particeps clementiæ Dei. Qui pietatis opera esse aliquid putat, sibi viam salutis præcludit: & id genus multa. Concitarunt ineptam turbam, concursum est, expugnatæ ædes sacerdotum, vis illata civibus, inde versum vulgi judicium, ita ut communem fidei causam, sicut

sicut Lutherus cum suis putat,in odium publicum raperetur. Scripserunt eruditi ad Lutherum:perpulerunt, ut se propalam sisteret.itaque nunc est Vuittenbergæ : concionatur quotidie : carpit suos: increpat temere novantes, qui non habuerunt respectum plebeæ simplicitatis : neque tamen omittit asserere, quod prius asseveravit. Iam agminatim populus confluit, & cum patientia pergunt ad libertatem Christi : atque utinam proceres intelligerent,quàm expedita & proclivis res sit Christianismus:deinde,quàm longè lateque disideat novator seditiosus,& Christianus patiens.Sunt,qui viribus extorqueri evãgelium non ferunt: neque nos Pontificii extorquere conabimur,nisi moriones quidam aut adulatores secus tentaverint. Coguntur quidam ad recantandum tacitè : populus musitat mordetque frænum. At exoriuntur quotidie palàm, qui Christum asserant,& quis illum in cursu suo impedire conatur? Nemo Pontifex,nisi fallor,id in animum insumpsit. nam cùm esset verè antichristus & adversarius fidei, sicut Romanum Lutherus nunquam non facit,quare scientisime vir , non te ab evangelio dehortor : sed ab importunis ausibus imprudentium te gaudeo alienum. Quin facias,quod facis,& mansuetudinem Christi præ te feras , in familiaribus etiam colloquiis , ne quis calumniari queat pium istud institutum. Deinde,si quæ candidè interpretanda videntur,nolim supercilioisiùs aut malignius damnes. Quid enim acerbum Christus sonuit , ubinam loci, quæso,animum reprehendendi præ se tulit? Num ubique benignus occurrit? & nos tantùm non insanimus. O præposteram pietatem , tam morosè piam , ut vel imaginem pietatis queant obliterare: nedum non promovent ad illam. Vale, & aliquando rescribe. per ocium scripturus sum meditatiùs. Hæc ex taberna incogitans. Vale iterum, de Ottinorhemi prope Basileam,vicesimotertio,Aprilis,anno 1522.

Amicus ad Agrippam. XVI.

SAlve præstantisime vir. Bonus hic pater,qui hasce tibi reddit literas,evangelicæ veritatis prædicator est, doctrinæ non vulgaris,dignus profectò quem tu videas dicentemque audias, cùm sis tu proborum virorum hospitalisimus patronus. Iussi itaque , cùm sibi per Gebennas eundem foret, ne te insalutato inde abiret : sciens , quòd cùm audieris hominem , tibi admodum gratum acceptumque fore , ut alia apud te commendatione non egeat. Cæterùm de me tibi polliceri potes,quantum præstari potest ab homine omnium tibi deditisimo tuiq; observantisimo. Vale fœliciśimè. Ex oppidulo Aquensi, quinta Iunii,1522.

Agrippa ad Amicum. XVII.

SI ego hæc scribens certus essem , te hucusque Basileæ moram ducere , Doctor clarisime ac amicorum meorum facilè princeps,copiosam ad te scripsisem epistolam : neque verò scribendi deest argumentum , neque occasio : sed timens, ne vel nostræ pereant epistolæ , nève prodatur, si quid inter nos scriptum scitumque velim secretiùs, destiti scribere usque adhuc. Nunc verò cùm bonus iste pater Franciscanæ familiæ amicus singularis istuc iturus, me obnixè rogaret, ut sese apud aliquem amicorum meorum commendatum facerem, nolui illum ad te venire inanem : sciens , quantum tu illi prodesse potes & consilio & auxilio , quantumque illi mea causa prodesse velis. Fac itaque , ne illum mearum literarum confidentia,nec mea me de te fallat opinio. Vale fœlix,parcasque rarò & pauca scribenti. Ex urbe Gebennarum , decimo septimo Iunii,Anno 1522.

Agrippa ad Capitonem amicum. XVIII.

LIteras tuas , doctisime idemque colendisime Capito, quas à vicesima tertia Aprilis ex itinere ad me scripsisti , post plusculos dies domi meæ in urbe Gebennarum incerto nuntio redditas accepi (absens siquidem eram tunc apud Sabaudiæ ducem) quàrum humanitati satagere haud valeo. Proinde bono huic viro , qui de me tibi tam amanter nugatus est, non possum non ignoscere : si nossem hominem , agerem illi pro suo officio multas gratas gratias. Sed utinam ego talis aliquando futurus sim , qualem ille me tibi depinxit. Quæ de Luthero ad me scripsisti , fuere gratissima : etsi mihi in hoc copiosum argumentum dedisti longam copiosamq; referendi epistolam , tamen aliud adhuc in hanc rem referendi argumentum expectabo,quale per ocium scripturum te polliceris locupletius. Proinde bonum hunc patrem , præsentium latorem,tibi commendo : illi consilio sis & auxilio , ac tuis illum epistolis apud aliquos amicos tuos , quorsum sibi eũdum foret, bona fide commendatum reddas. probus siquidem vir est, & diligens minister verbi Dei. cætera tu ipse in homine facilè agnosces. Quicquid humanitatis beneficiiq; in hominem contuleris,in meipsum collocatũ habebo. Reliquum aũt,quod abte per maximè cupio,hoc est , ut quoties fidus aliquis occurrat nuncius,

НАУКОВО БІБЛІОТЕКА ОНУ ім. І. МЕЧНИКОВА

nuncius, ad nos reſcribas. Præterea me amicis tuis omnibus, ut communem illis amicum, & commendatum & charum reddas. Vale fœliciſſime. Ex urbe Gebennarum, decimo ſeptimo Iunii, anno 1522.

Amicus ad Agrippam. XIX.

LOngiorem epiſtolam, quæ culpam apud te meam deprecetur, quòd conducto ſatisfaciens ad te non ſim profectus, ſua viſſime mi Agrippa, ſcribere non ſtatui. notum enim iam tibi ſatis negotium, quod me interpellat: quare id pro me peroraturum non dubito. Vnum tamen te oratum velim, ne induens opinionem me tui oblitum, retaliare ſatagas, quo neminem in amicitia tenaciorem hactenus (credo) compertum habuiſti: ſed tu ipſe promiſſis maneas, mihi pollicitum abs te geniſis meæ judicium, per Ioannem Duchattum, olim Sancti Victoris quæſtorem deſtinare procurans ſigillo tuo obſignatum nosque pro viribus conabimur, ne te vel amicitiæ, vel laboris pœniteat. Vale. Ex Seyſſello, poſtridie Decollationis Ioannis, anno 1522.

Agrippa ad Amicum. XX.

BReviſſimum epiſtolium temporis penuria ad te ſcribere cogit, Cantiuncula humaniſſime: ſed ex te ampliſſimas expecto literas. Scripſi & tibi & Capitoni nuper per quendam Franciſcanum, ſed aliàs probum virum & Chriſtianum, nescio, ſi acceperitis præſentibus nil aliud ago, quam ut ſcias me apud Gehennas moram ducere, multumque lætari te Baſilea non diſceſſurum, quò hinc inde crebris literis colloquamur. Vale. Anno 1522.

Agrippa ad Amicum. XXI.

LOngam tibi epiſtolam ſcribere geſtiebat animus, ampliſſime vir, ſi mihi per occupationes tuas liceret apud te libere nugari: ſed nefas arbitratus ſum, te plurimis eisdemque maximis negotiis occupatiſſimum, meis ineptiis intertu bare: nullam tamen temeritatem me commiſſurum confido, nec importunum ullum te compellandi tempus ratus ſum, ſi modò id, quod apud te ago negotium, illuſtriſsimi Principis noſtri hortatu faciam, eidem etiam, quod absque jactantia polliceri auſim, aliquando profuturum. Ipſe nanque princeps, cùm me ſibi in ſuum nuper aſciſceret, verùm qua conditione, quo ſtipendio, quo uſu, quo officio me ſit dignaturus, totum id negotii tuæ

tii tuæ Celſitudini ſeſe commiſſurum ajebat, juſſitque interim, egomet mei memor eſſem, ne ipſe proprii negotii negligens ſim: quin potius ſcriptis verboque rem meam apud te curarem. Itaque cùm tu nunc unus ſolusque ſis, à quo tota hæc res pendeat, patronus, his præſentibus te adoratum volo, mei in hanc rem memor ut ſis, nec diutius animo pendere ſinas. Quicquid namque apud principem ipſum de me ſtatueris, gratum acceptumque habebo: te verò effecturum confido, ut principi utile, mihique non incommodo futurum ſit. At ego me talem præſtabo, qui principi non deſidioſus, non infidus, non denique inutilis ſervus ſim, ac tuam Celſitudinem mihi in aliquo profuiſſe te nunquam pœniteat. Vale fœliciſſimè. Decimoſexto Septembris, Anno 1522.

Agrippa ad Amicum. XXII.

FEſtinus præſentium latoris diſceſſus, ornatiſſime vir, idemque amicorum meorum obſervandiſſime, non patitur me tibi, ut vellem, longas epiſtolas ſcribere. Tuas nihilominus expecto, non tam longas, quàm mihi omnium gratiſſimas. Scire inſuper ex te cupio, ſi qua de me apud D. Cancellarium mentio orta ſit: & cujus ille in me ſit animi. Præterea commendo tibi cauſam amitæ meæ viduæ. in quam quicquid beneficii collocaveris, in meipſum collocatum exiſtimabo, grátias tibi, dum dabitur occaſio, non tam verbis, quàm factis, relaturus. Commendo me digniſſimæ uxori tuæ, cæterisque, quos noſti, amicis omnibus. Vale fœliciſſimè. Ex urbe Gebennarum, 16. Septembris, 1522.

Agrippa ad Amicum. XXIII.

BInas jam ad te dedi epiſtolas, ornatiſſime vir, quas te haud dubito accepiſſe. Quod autem huc uſque non reſpondiſti, attribuo vel occupationi tuæ, vel fortè abſentiæ: nunc rurſus ad te ſcribendi occaſionem nactus ſum, ſat ſcribendi ratus habere me argumenti, quod nullum hinc ad te iterum patior meis literis proficiſci vacuum. Audivi apud Baſileam opus quoddam fratris Iacobi Hochſtrati contra Lutherum, item aliud ſimile editum ſub nomine regis Anglici: oro, ut ad me mittantur, atque ſi quid Lutherus illis dignatus ſit reſpondere: ac, quicquid pretii fuerit, ipſi latori mox perſolvam. Denique, quomodo Lutherana res ſuccedat apud Germanos, ſcire cupio. Fabricio Capitoni, eximio ac vero theologo, ſi tibi ſcribendi ad eum occaſio ſit, me plurimum commenda. ſcripſi illi

nuper, plura scripturus per ocium. Præsentium latorem virum theologiæ studiosum, & doctum linguarum, Græcæ, Hebraicæ, Chaldææ percupidum, natione Scotum, professione Dominicanum, tibi & meipsum, commendo: oroque talem te ei præbeas patronum, quò cognoscat amicitiam nostram vulgarem non esse: ego si quid pro te tuisq; amicis efficere valeam, nullibi unquam subterfugiam. Vale fœliciſſimè. Ex urbe Gebennarum, die vicesimo Septembris, 1522.

Agrippa ad Amicum. XXIV.

SAlve ornatissime vir. Scripsi nuper magnifico D. Cancellario negotii mei breve epistolium, reddidit illud reverendus dominus electus Gebennensis, Abbas Bonimontis apud monasterium Tarenthasiæ civitatis. Is reversus inde, retulit mihi illustrissimum Principem, sesè unà cum dicto D. Cancellario præsentibus omne negotium meum eidem domino Cancellario commendasse: & quod mihi de pensione rationabili ac commoda provideatur. dixitque insuper, eundem D. Cancellarium mox Chamberiacum petiturum, ibidemque aliquot diebus moraturum. Oro igitur nunc te rogoque, ut orta de me apud eundem dominum Cancellarium mentione aliqua, quam tu de me accepta occasione opportuno, ut videbitur, tempore facilè suscitare potes, mei memor esse velis atque negotiũ hoc meum apud eundem D. Cancellarium, qua potes diligentia, procurare. Ego siquidem accedere Chamberiacum haud valeo, prohibitus rei familiaris angustia. Sum enim nũc ad biennium illustrissimi comitis promissis confisus, hãc rem non sine magno meo incommodo, magnoq; dispendio ac æris alieni onere pecuniarumq; jactura expectans, hactenus præter mollia verba nihil assequutus: nunc etiam nescio adhuc, quid sperare ausim: & anne, dimissis bonis avibus, muscas venaturus sim. Sum enim proximis his diebus, pollicita mihi honorifica ac non parum fructifera conditione, in Franciam evocatus. Verùm mihi animus est Illustrissimum ducem omnibus antehabere, si modo diutur no onerosoq; temporis ac substantiæ dispendio res mihi ad famem non redeat. Scire igitur cuperem quàm proximè, quidnam magnificus D. Cancellarius in me sacturus sit, & quale & quàm expeditum habiturus sim hoc negotium meum. nam & re & celeritate, utroq; mihi opus est, ne quando hinc meipsum holocaustum offerens, spe defraudet: inde verò insperatò inopinatoque vocatus rogatusque ad sublimia, meipsum præcipitem negligentia. Oro igitur

igitur te nunc iterum, hoc meum negotium tibi commendatum esse velis. Scio namque quantum commodi mihi auctoritas tua tuaque commendatio apud eundem D. Cancellarium allatura sit, si modo ille de me quicquam deliberarit: sin minus, hoc oro agas, quò diutius cum tanta rerum temporisque jactura frustra sperare vetare valeas, melioris que fortunæ capessendæ admonere. At ego me talem semper præstabo, quò ingratitudinis alicujus erga te nunquam argui videar. Vale fœliciſſimè. Ex urbe Gebennarum, decimo nono Septembris, 1522.

Agrippa ad Amicum. XXV.

SAlve, amplissime vir. Scripsi nuper Celsitudini tuæ brevem epistolam, quam reddidit reverendus abbas Bonimontis, electus Gebennensis: rursus nunc brevi hoc epistolio te, si fas est, mei memorem reddere cupio, quò videlicet id in me exequaris, quod, ut accepi, nuper tibi ab illustrissimo principe effici re datum est: veniamque mihi des, si tãm libere te admoneo. Malo siquidem hujus argui impudentiæ, quàm si te, congesta multa fucatorum verborum farragine, blandendi artificio spe futuri commodi adortus, adulationis reus efficiar. Deinde, quæ abs me tibi debentur, debebunturque gratiæ, præstare magis, quàm dicere conabor. Denique illud oro, ut quod factu rus es, citò facias. Siquidem mihi non tam reipsa, quàm celeritate rei opus est. Vale fœliciſſimè. Ex urbe Gebennarum, vicesimo nono Septembris, 1522.

Agrippa ad Amicum. XXVI.

SCripsi nuper humanitati tuæ, commendans tibi rem meã, ut amico, in quem confidebam, diligentissimo. Misi insuper, quod magnifico D. Cancellario redderes breve epistolũ. Ex iis jam tibi sat notam esse arbitror, cum meam sententiã, tũm quę me teneat cęca fortuna. Sperabam autem ex te quàm proximè habiturum me responsum: ex Cancellario autem non tam responsum, quàm rem ipsam expectabundus anhelabam. nunc verò, cùm nec tu rescribas, nec ille miserit, contristatus sum animo, ut spes concepta propè ad restim mihi redierit. Scio namque, quod tempus, quo idem Cancellarius illic mansurus est, breve est: negotia autem multa, expeditiones longæ, memoria fallax, favor difficilis, maximè verò mihi homini & absenti minus noto, minusque amicorum illic habenti. Vides, ut omnia mihi mala præsagit animus,

Te igitur nunc iterum atque iterum oro rogoque, huic tam anxiæ moræ terminum aliquem, si potes, vel qualemcunque invenias: ut si certò sperare non liceat, saltem liceat certò desperare. Vale fœliciſſimè cum fauſtiſſima conjuge tua. Datum celerrimè apud Gebennas, tertio Octobris, Anno 1522.

Amicus ad Agrippam. XXVII.

STatueram, mi Agrippa, ex pollicito literas dare: verùm, collato negotio cum amico communi harum tabellario, aliter viſum eſt: quoniam putrent ultroneæ merces, & conſq; cognita tua virtus, ut nullo alio fautore ſit opus, quàm hoc tabellario, qui ſermonem pro rerum ac temporum opportunitate callidiùs facere poterit, quàm nos ſcribere, atque objecta repellere, quæ ſcriptis noſtris diluere nequiremus. Tu vide, quod melius ſit. Scis enim Galleatum conſilium ſumere in arena. Nec profectò id ſcribimus, ut ab hujuſmodi officio deeſſe tibi velim: quinimò, ſi aliter ſenſeris, dictum facto celeriùs putes. Vale. Anno 1522.

Amicus ad Agrippam. XXVIII.

AGrippæ ſuo, vel omnibus reclamantibus, credit & favet Euſtochius, tanquam ex Apollinis tripode pronunciet, Euſtochio tamen pro publico munere populariter, nec tam ex vero, quàm ex opinione vivendum eſt. tali namque urtica ſuperiori anno contactus, magno impendio, majore jactura cùm privata tum publica, maximo timore exilium egit. rem tenes. ſympoſio veſtro amœniſſimo intereſſe nequit, ad aliud efflagitantius ex magnatum quorundam imperio pertractus. Superos orat, ut ſua vice diſcumbat Thalaſius, & genius quiſpiam bonus. Vale. Anno 1522.

Amicus ad Agrippam. XXIX.

SAlvus ſis ãmicorum rariſſime. Navavi operam, qualemcunque potui, erga magnificum Cancellarium, ut res tua concluderetur: ſed, ut poſſum conjecturam facere, frigidulus in negotio apparet, & minus erga te afficitur, quàm candidiſſimæ tuæ virtutes expoſtulent. Vtcunque ſit, adoriar adhuc hominem urgentioribus ſtimulis, quibus niſi expergiſcatur, congrediar cum Vullieto viro tui amantiſſimo: qui, ut arbitror, tui cauſa omnia ſecundabit. Agam cauſam amitæ tuæ non ſecus ac propriam. quod re ipſa plus, quàm literis, te intelligere

telligere velim. Poſt triduum, vel quatriduum, reddam te certiorem, quid reſponderit Cancellarius. Tu interea, ſi mihi credere velis, literis tuis compellabis ipſum Cancellarium, ut memor ſit tui. Amplius velim, ut quandoque ad nos demigrares ad octo vel quindecim dies nobiſcum compotaturus. jam enim ſatis cum tuis Gebennenſibus convivaſti. Vale, & me ac rebus meis quantuliſcunque pro tuo arbitrio utere & abutere, Gamberiaco raptim, quinto nonas Octobris, Anno 1522.

Amicus ad Agrippam. XXX.

INterpellavi ſæpius, & quaſi ad nauſeam uſque, Cancellarium ipſum de negotio tuo: in ſumma hæc eſt phantaſtica opinio ſua, pro nunc non eſſe cum Cæſare noſtro de re tua cõgrediendum, ſed expectandum, donec illuſtriſſima Princeps parturierit, quæ mox poſt partum unà cum duce noſtro eſt ciſalpinatura, & ad Thomnoni ſolitudinem migratura, ibi pollicitus eſt ſe rem pro voto tuo compoſiturum: & ita retulit concluſiſſe negotium tuum cum reverendo domino abbate Bonimontis, à quo poteris certior fieri. Scribam tamen urgentiùs ad dominum Vullietum, qui nunc ob ſuſpiciunculam quandam peſtis exulat à curia. Tu interea etiam literis tuis poſſes hominem interpellare. Vir eſt à ſecretiſsimis principis, & qui te unicè diligit, poteſtque bilancem, quaqua verſum velit, impellere. Expectabam, ut mitteres inventarium codicum, quos ex Germania attuliſti. Rogo, ne fruſtratum me reddas opinione mea: & ſi quid Eraſmicum aut Lutheranum habes, facias me pro tua urbanitate participem, cum cautione de ilico tibi reſtituendo. Vale, & me ac rebus meis utere, prout vales. Ex Gamberiaco, ſeptimo idus Octobris, Anno 1522.

Agrippa ad Amicum. XXXI.

CVm proximis his diebus apud reverendum dominum electum Gebennenſem, abbatem Bonimontis, præſente etiam magnifico domino Lucyngie parente tuo generoſo patre ac probatæ prudentiæ viro, ſermo nobis fuit de bonarum literarum ſtudiis: in eo & tui mentio habita eſt, qui eam ob cauſam Baſileam jam profectus dicebare. Rogabant autem me primum tum ipſe magnificus parens tuus, tum etiam ipſe reverendus dominus electus, ut aliqua de hac re ad te ſcriberem, hortarerque & admonerem & calcar aliquod incuterem.

licet sponte currenti. Dubitare verò cœpi apud meipsum, esset ne gravius illorum precibus non parere, an difficilius, quod cuperent, præstare. Difficile profectò ac plenum periculi visum est, si apud te inclytam Basileam sub optimis eisdemque eruditissimis præceptoribus constitutum meis nugis, velut anser inter colores, (vel ut dicitur) sus in Minervæ schola, docere præsumam. quod si etiam doctissimus tentârit, is tamen, velut qui noctuas Athenas, rideri posset. Sed longè gravius periculosissimumque ratus sum, Reverendi D. electi ac magnifici parentis tui, virorum de me optime meritorum, ac quibus plurimum debeo, honestissimas preces, quod hominis esset omnium ingratissimi, rejicere, tuamque gratiam contemnere. Scribendum itaque ad te decrevi, vel qualemcunque notam subiturus potius, quàm ingratitudinis. Quod si nullam egregiam doctrinam tibi afferre queam ipsus ego exilis ingenii & paucæ eruditionis, saltem voluntatem conatumque præstabo, ac velut index aliquis præ foribus stans, quod iter ingrediendum sit, monstrabo. Quorum igitur nunc te admonere volo, haud multa sunt: sunt enim duo duntaxat, unum rectè sapere, alterum eleganter dicere. Primum illud assequeris, si Megarensis illius Theognidis præceptum mente nunquam exciderit. Sic namque ait: DISCES rectè quidem à rectis: quòd si audieris pravos, perdes te studiumque tuum. Hortor igitur te, illos solos præceptores tibi deligas, quos rerum diuturna experientia erudierit, quorum eruditionem doctrina ipsa manifestissimè probat, quorum doctrinam honestissimi simul mores optimaque fama commendant: qui non verbis modo, sed & re ipsa te erudiant: hos audi, hos sectare, hos imitare. Sic namque voti tui facile poteris evadere compos, ac simul in eorundem doctissimorum probissimorumque virorum cœtu connumeraberis. Proximum autem huic quod dixi, eleganter dicere, idipsum tibi linguarum peritia potissimè præstabit: maximè verò, si Græcè fueris probè eruditus, sine qua nec rectè doctus esse poteris, nec planè eloquens etiam vel Latinè. nam quicquid habet ipsa Latinitas, sive in bene dicendi artificio, sive in philosophia, sive in theologia, sive etiam in historia, quasi totum hoc & omne à Græcis mutuatur. Cæterum verò cum infinita penè sunt, quæ ignorantur, respectu illorum, quæ sciuntur: scias te tantò fore doctiorem, quantò nescieris pauciora. Non igitur paucis, nec humilibus, sed plurimis & optimis quibusque disciplinis indefesso studio est incumbendum. Nullus autor, nullus liber lectu

lectu dignus erit negligendus. Quòd si hoc non placeat consilium, vel quia difficile sit omnes pretio redimere, vel quia vix hominis ætas sufficiat omnes percurrere, & juxtà Senecæ sententiam: nõ tibi curæ sit, quàmplures autores legas, sed quàm bonos: en duos tibi potissimè præcipueque legendos dabo; unum Latinum, Plinium: alterum Græcè, Plutarchum. hi duo (crede mihi) præ cæteris sufficiunt ad reddendum hominem in omni scientiarum genere utraq; lingua doctissimum: nisi quod sacras literas tibi consulo omnibus anteponendas, sine quibus omne reliquum studium tuum vanum erit, & fortè etiam noxium. Omne enim, quod ex fide non est, peccatum est: & quod cum Christo non est, contra illum est. Nunc tandem, ut epistolæ finem faciam, oro hæc nostra qualiacunque monita in bonam partem accipias: & si quid aliud penes me est, quo tuo & honori & commodo inservire valeam, præcipe mihi, & comperies me tibi in omnibus fore obsequentissimum. Vale fœliciſsimè. Ex urbe Gebennarum, Nonis Octobris, Anno 1522.

Agrippa ad Amicum. XXXII.

SAlve colendissime vir. Literas tuas accepi hoc meridie: ex quibus intellexi, meas tibi ferme ad septem dies tardiùs, quàm debuerint, redditas. Misi unà cum illis ad magnificum dominum Cancellarium brevem epistolam tibi pariter reddendam: quam si simul acceperis, nescio. utrasque tibi redditurus erat bonus ille pater, Guillielmus Probitius carmelita Rupeculensis. Cæterum intelligo, rem meam incedere non ut vellem, sed, ut suspicabar, ægris pedibus, ne fortè mei nominis etymologia offendatur. Sed tu nunc mihi Mercurius aliquis efficiare, ac pedibus istis alas aliquas connecte & amicorum nostrorum omnium tibi auxilia adjunge: ego efficiam, ut nullibi unquam ingratus futurus sim. Ego Cameriacum venire nequeo, etiamsi totum meum negotium periclitaturum sit, causas tibi reddidi prioribus literis. triduo abhinc alias ad te scripsi literas. nescio, si acceperis. Quod amitæ meæ causam commendatam habes, ago infinitas gratias. Vale fœliciſsimè cum fautissima conjuge tua. Datum celerrimè, secundo nonas Octobris, Anno 1522. Rursus scripsissem ad Cancellarium, nisi me festinus præsentium latoris prohibuisset discessus. scribam autem cum proximo nuncio, qui illac iturus est.

Amicus ad Agrippam. XXXIII.

AVdivi à quodam ex Franciscanis nostris: jam præteriere dies aliquot, cùm hospitaliter cœnitantes, & de bonis literis, & de bonarum literarum primoribus viris loquemur, & ad te jam noster decurrisset sermo, te nunc degere Gebennis, illicque proba, nobili, formosa ac locuplete ducta uxore, in artis Apollineæ experimentis clarere singulariter, semperque nonnihil literarum, abstrusum quidem & arduum, moliri: adjecit insuper librum tuo nomini titulatum, De abstrusa sive occulta philosophia, apud causidicum quendam, dum per Burgundiã iter ageret, se vidisse: quem cùm mihi, ut par erat, apprimè laudasset, illius aliquando videndi desiderio captus ad te hãc qualemcunque epistolam scribere decrevi, sciscitaturus, ánne unquam proditurus sit in publicum, aut saltem paucis posset & amicis & illius maximè cupidis communicari. Est & alia etiam mihi ad te scribendi non levis occasio. ostensa est mihi abhinc mensibus jam fermè tribus exactis Apologia una in Abbatem Tritemium, quamvis, ut intellexi, vita defunctum. illa in eum invehitur acerrimè: magicæ artis insimulat: dæmonum socium familiaremque collocutorem nominat: hanc ubi à vertice (ut ajunt) ad calcem usq; legissem, & mente revoluerem, possémne aliquo modo fieri absq; cacodæmone, quæ pollicetur, cùm in sua Polygraphia & in aliis suis, quos viderim, libris nihil omnino siniſtri cognoverim, nostræ illico occurristi memoriæ, quòd aliquando, cùm apud nos esses Lugduni, ex ore tuo audierim, te fuisse olim Tritemii auditorem & discipulum, usumque homine admodum familiariter. Quapropter existimavi te illius philosophandi attigisse modum, teque illius partes posse tueri potissimè, cùm ipse multis (ut par est) verbis magicum nomen & exhorrescat & refugiat. Ex ea, qua de jam suprà memini, apologia unam Tritemii ad Arnoldum Bostium epistolam, quam annis viginti & amplius evolutis me & vidisse & legisse memoria complector, ad te mittendam exscribi jussi: hoc unum te rogaturus beneficium, ut quid de epistola illa, quid de hominis ipsius & scientia & moribus sentias, si placeat & vacet, me tuis literis reddas, quàm primùm potueris, certiorem. Vale Agrippa doctissime: & si quidpiam ad rem tuam mea possit oppella, ut lubet, utitor. Lugduni in divi Bonaventuræ cœnobio, septima Octobris, anno 1522.

Amicus

Amicus ad Agrippam. XXXIV.

VEnerande Agrippa, copiosis præmissis commendationibus, non satis dolere possum, me sic à mente tua exiluisse, quem tanti facio, colo, veneror & amo, ut jugis de te mihi sit recordatio. Charissime Agrippa, oro amoris vices rependas, ut nonnihil literarũ & consolationis abs te recipiam. Cupio plurimùm dominationem tuã videre. Si Lugdunum accedas, aperta fronte & bonis & corpore conabor me totum tibi obsequiosum præstare. Quod si veniendi nulla datur occasio, saltem aliquibus tuis negotiis me implices: & quæcunque facta velis, mihi tibi semper fideli amico jubeas. hic reverendus pater præsentium lator, vir doctus, bonus & totus pius, evangelizandi gratia Gebennas proficiscitur: ejus conversationem non recusabis, sed mea commendatione gratum habebis. Vale. Ex Lugduno, undecimo Novembris, Anno 1522.

Agrippa ad Amicum. XXXV.

MVltum admiror, quòd, cùm toto hoc anno ex civitate Gebennarum plures ad te literas dederim, Cantiuncula doctissime, nullum huc usque abs te responsum acceperim. Oro itaque humanitatem tuam, ut per præsentium latorem rescribas, & longiores etiam epistolas. præterea, quid Lutherus, Carolostadius, Oecolãpadius, Melanchthon, Huttenus, ab anno citrà excusum in lucem ediderint, scire cupio: denique, quid Erasmus agat, ac quomodo ille cum Luthero consentiat, dissentiátve. Porrò, si tu post topica tua quid aliud ederis: si Zasii Pandectæ prodierint, mihi rescribas: & si quid penes me est, quod tibi conducere queat, præcipe mihi confidenter, & non frustraberis. Vale fœliciſſimè. Datum Paternaci celeri calamo, vigilia Regum, 1523.

Omnigenæ eruditionis viro egregio ac magnifico domino, D. Henrico Cornelio Agrippæ, Claudius Blancherosæus Burgundigallus. S. D.

XXXVI.

MIrabere haud immeritò, mi Corneli, omnium, quos suo orbe sphæricus orbis complectitur, doctissime, quænam nos capiat fiducia, tuam sic nostris literis compellandi & amplitudinem & præstantiam, cujus stimulos dedit æmula virtus.

Nam tua laus tanta est, ut cœlos impleat omneis,
Impleat & magni concava tecta Poli.

Quo fit, ut non tantùm te diligam & amem, verùm & admirer, colam & venerer, tanquam aliquod, nec me adululum putes, numen cælitus demissum,

Quod micat, ut clausus rutilo carbunculus auro,
Igniculoq; decens huic vomit inde suos,
Vi superat Titan radiantia lumina cœli,
Vi quoq; vis pelago maior inesse fluviis:
Sic faciè cunctos, doctrina & moribus æquis,
Cornelii, vincis, Phœbus ut astra sua.

Quantis, deus bone, tete, tanquam, πολυίστορα extollebat præconiis ille tuus & noster amantissimus quatuor Laurentinorum natu major D. de Rivo-eversо, cùm Valentiæ nobis illa tua ad perpendiculum elaborata in Lullii contexturam commentaria obtulisset, & contulisset? quantis apud Avenionem laudibus ille tibi, ut ferebat, emancipatissimus ephœbus Donatus Phosseyrus: quo præterea amoris vinculo dominus Ripuariæ baro Lugduni, & complures alii ferè innumeri, quos Laconicæ brevitatis causa tacemus. Vnde est, ut me tibi uni devinctissimum clientulum, & obsequiosissimum semper morem gerentem fore credas. Quòd si eos, quos nunquam vidimus, etiam fortassis ad barathri fauces demersos, quodam amore, ut Ciceroni placet, imò ferè incredibili prosequamur: nónne potius, quos viventes & jam in terris cælicam ducentes vitam, etiam angelis penè beatiores cernimus. Sis igitur, precor, nobis Orestes, ego tibi Pylades: sis Titus, ego Egesippus: factitemus, quod Hieronymus & Augustinus, duo sacri dogmatis lumina clarissima: qui tametsi nunquam se viderint, attamen eos quædam mutua studiorum & morũ connexio & similitudo connexuit. Modò tuas exposcimus non gazas, non opem, sed (ut ita dicam) corculum: quod ubi cognorimus,

Sume (precor) toto mihi quod continget in orbe,
Asq; animum (iuncto corpore) semper habe.

Reliquum est, ut me tibi alterum Achatem credas sequentibus fore similem:

Dilexit socium subeuntem tartara Theseus:
Dilexit comitem Thesea Pyrithous:
Dilexitq; gravis validum Patroclus Achillem:
Et Phœbi rutilans Endymiona soror.
Et Paridi vestri quam nos, Ledæa propago
Non potuit vinclo fervidare capi.
Tristitia livoris fugias divortia linguæ,
Nec norus hac noster discutiatur amor.

Vale,

Vale, & tuum, ut sum, Blancheroseum in amicorum & clientulorum album assc̃ribito.

Ad eundem D. Agrippam Διχάσιχον.

Vnde fluent, si forte reges, celeberrime Agrippa,
Carmina, quæ modica nostra Minerva cient:
Claudius hæc mittit, quam vis sint aspera, cantu,
Excipias vultu prosperiore, rogo.
Persicus hæc dicuit princeps, cui grata voluntas,
Quam tulit oblata pauper agrestis aqua.
Iamq; vale, & vivas ex omni parte beatus,
Et tua cum cœlimæ lupe stes eat.
Aft mihi tam longum præstent pia numina stamen,
Dùm referam laudes, vir generose, tuas.

Amniciaci hac Martiana luce velociùs, quàm ἀοκάρεγοι conquerentur, Anno 1523.

Suum dominum Henricum Cornelium Agrippam Blancheroseus salutat. XXXVII.

TVas obviis (ut ajunt) manibus literas, tui in nos & amoris & animi, vir inter doctissimos phœnix, monumenta & testes accepimus. Verùm his incredibili fermè ductus sum admiratione, cur nostri (ut refers) Mercurii singulis planetis (ut ferunt amici increpes perfidam, cùm te teretem & tetragonum ac sphæricæ figuræ æmulatorem prædicent omnes, ac Phœbææ lampadis aerisque sereni similem & ἀκμαῖον (ut Græcè loquar) indissecata mente viventem cum physica illa libertate, quæ est potestas vivendi, ut velis, gaudere valeas, tanquam secundus Democritus fortunæ numini laqueum offerens, mundi hujus labyrinthum, non sine filo ingressus, quasi heracliteos nobis offers fletus. ast nostrum Maia genitum potiùs nobis affidum, quàm perfidum palinodicè recantabis, ubi animi serinia ac nostra perceperis oracula. nec te facibus tanquam solem illustrabo, aut Cynthiam decorabo, vel Minervam docebo, cùm pygmeus nihil cum Hercule, vel Arachne cum Pallade possit, sed simus tibi puer gigantis collo appensus, pauca necdum nota tibi forsan referam. Abscondit summus rerum opifex Deus Atlantibus, quæ talpis (ut ita dicam) adaperuit largifluus: sed lentè festinemus, non Midæ gazas, non Crœsi opes, sed fermè optandorum plenitudinem, aut omniũ bonorum aggregatione statum perfectũ vel rerum expetendarum finem, quàm dicunt mortales beatitudinem, ante obitum

contra

ВЕЛИКА ЕВЛЮТОВА ОБУВ. М. І. ЧЕРНОВА

contra Ovidium speremus. Nunquam enim vidit Psaltes justum derelictum, nec semen ejus quærens panem. Etsi perpetuum Pallados cum Fortuna dicant Poëtæ dissidium, nihilominus tamen easdem nobiscum concordes, diis secundantibus, auspicemur. Sed de his viva vox nos certiores efficiet: neq; arbitreris, quòd egenos spes pascat. Aesculapiæ ac Apollineæ artis reticulis hîc irretiti, tuam adhuc illam præclaram animi supellectilem visere non possumus: nostras regulas & sarcinulas ex Gratianopoli siccis hic faucibus expectantes. Vale, & gaude, tui Blancherosei haud immemor. Amniciaci vento celeriùs, vicesima Novembris, anno 1523.

τετράστιχον.

Papilio muscæ bello congressus acerbo
Occidit. hæc cæso Pap. bone volat
Sæpius invasor spreto vult ictu ab hoste:
Nam solet in modicis rebus inesse vigor.

Nec tristeris, quòd te api mellificæ undiquaq; suos collectanti favos hoc nostro in tuos Zoilos contexto tetrasticho similem dixerimus.

Agrippa ad Amicum. XXXVIII.

QVòd hactenus ad te non scripserim, reverendissime pater ac domine mi observandissime, non est, quòd me nunc tibi purgare valeam: alio tempore tibi hujus culpæ rationem reddam, & facilè me absolves, spero. non enim, ut vellem, ad te longas literas scribere datur ob præsentium latoris festinum inopinatumque discessum. Illud oro, ut me tibi semper commendatum esse velis, confidasque me talem fore, cui ad vota tua semper & ubique præcipere valeas: idque vellem aliquando experiaris. Scio namque, quanta tibi debeo: & plura quidem, quàm præstare valeam. Conabor tamen, faciam enitarq; me tibi aliquando non ingratum ostendere. Cæterùm quę hoc loci nostra fortuna sit, scias me à dominis meis Friburgi optimè receptum atque acceptus esse, beneficiisque non modicis adfectum: idque non parum ob tuam gratiam, cui omnes quidem bene ominantur, cupiantque omne bonum. Vxor mea, tua commater, sese reverentiæ tuæ humillimè commendat. Commendamus tibi parvulum Haymonem filiolum. Valeat, vivat, lætatur felicissimè reverentia tua, cui me humillimè commendo & recommendo. Datum Friburgi Helvetiorum, vicesima Martii, anno 1523.

Amicus

Amicus ad Agrippam. XXXIX.

REdditæ sunt mihi literæ tuæ, Henrice doctissime, quæ mihi quidem gratissimæ fuerunt. Cupiebam enim admodum, quid de te post tuum à nobis discessum fortuna tulisset, intelligere: gratumque mihi plurimum fuit, quòd ab illis dominis Friburgensibus perpulchrè ac munificè exceptus fueris. Longè enim plura maximis tuis virtutibus debentur. Itaque Deus tibi tuoque divino ingenio faveat, ac probè res tuas semper, ut soles, modereris, vehementer exopto. Quod verò ad Haymonem filiolum nostrum attinet, nihil jam te de eo sollicitum esse velim, quando hunc & filii loco habeamus, & nihil opis & operæ nostræ defuturum sit, ut educetur rectè puer, & in virum evadat. Tu igitur, ut bellè valeas, scribasque ad nos sæpiùs cura. Vale optime Corneli. Gebennis, sexto Aprilis, Anno 1523.

Agrippa ad Amicum. XL.

MVlta ad te scribere gestit animus, & lõgam quidem historiam, Christophore mi amicissime: sed importunus festinusq; præsentium latoris discessus me prohibuit ad te longas literas dare: neq; insuper audeo, quod inter nos secretissimum esse velim, malè tutis committere literis. quod me cogit ad te scribere tam immaturas literas, hoc est, quidam ex Francorum quæstoribus, mihi ante annos viginti semper amicissimus, idèque homo arcanarum rerum curiosus explorator, te ob meam commendationem visere cupit & colloqui: nomen hominis est Godfretus Brullart quæstor regius, &, ut vocant, thezaurarius: quem, ut ipse percupidus est, si infra hoc octiduum Bernam adieris, rem illi gratissimam tibique non incommodam ac fortè etiam utilissimam effeceris. hominem ipsum apud generalem Nurbecum invenies. Cæterùm quæ inter nos exantiquo adhuc negotia sunt, de iis aliàs scribam latiùs ex Friburgo. Mea in Paulum initiata commentaria, & cætera quæ tuæ fidei reliquimus, apud te salva esse confido. Vale felicissimè. Ex Berna Helvetiorum, vicesimo septimo Aprilis, Anno 1523.

Agrippa ad Amicum. XLI.

VIx eloqui possem, Christophore mi amicissime, quàm cupidus sim te videndi & colloquendi. Quæ autem me prohibeant ad te accedere, hæc sunt. Vxor mea partui proxima est, quam linquere haud valeo. Insuper magnum mihi & à dominis meis

HAVE A COPY IN LIBRA ORY IM. LIBRARIA

nis meis injunctum negotium in manibus est, quod priùs ad finem deducere oportebit. Præterea absque dominorum meorum licentia ac scitu hinc non datur abire abesséve diutius. tanta etiam incumbunt negotia, quod & præsens hic lator mihi facilè testis erit, ut ne tempus quidem suppetat, ut velim, ad te scribendi longiusculè. quamobrem, si tu ad me concedere posses Friburgum, nihil hic apud me tibi deerit, atque istic, quod scriptis nequeo, verbis coràm adaperiam. donabo te Mercurio aliquo, qui imposterum inter nos, quoties opus erit, secretorum nostrorum fidus semper tutissimusq; nuncius discurrat. Quòd si interim ad te Lucernam venire potero, omni diligentia conabor. Cæterùm sacerdoti illi Sinitensi me plurimum commendabis. Reliqua ex præsentium latore intelliges. Vale felicissimè. Ex Friburgo, octava Iunii, anno 1523. nocte, caligantibus oculis, rapacissimo celerrimoque calamo.

Agrippa ad Amicum. XLII.

QVi præsens tibi tradit nostrum hoc chirographum, Antonius Palanchius, civis Friburgensis, arcanarum rerum indagator, eam illi fidem habeto, ac si me ipsum coràm colloquaris. nihil illum celato, quæ me scire velis: & si quid reliquum est, quantum etiam id sit, quod inter nos secretum esse velis, illi, tutò commitas. Vale fœlicissimè. Ex Friburgo Helvetiorum, vicesimo quinto Augusti, 1523.

Agrippa ad Amicum. XLIII.

SI tam multis literis meis, quæ ex urbe Gebennarum ad te scripsimus, amantissime Claudi, vel unica brevissima schedula respondisses, non haberem, quotibi succenserem: nunc verò succenseo tibi, & graviter in te iratus sum, atque his præsentibus tibi bellum indico, nisi me celeri responso placaris. Scias itaque me ad Friburgum Helvetiorum moram ducere, ut non habeas quo te excuses ultrà: atque vel rescribas & sæpissimè, vel hostem habeto. Vale fœlicissimè. Ex Friburgo Helvetiorum, vicesimo octavo Septembris, anno 1523. celerrimo calamo.

Amicus ad Agrippam. XLIV.

MEritò post homines natos ingratissimus & dicerer & haberer, bis humanissime, hoc est, doctissimeq; & benignissime D. Corneli, si nunquam pro tanta in me benevolentia, vel quod possem semel gratias agerem: ingratior, si id beneficii non

non agnoscerem: ter ingratissimus, si non meminissem. Certè ille ipse es, qui abhinc biennium plus minùs ob pauculos, nescio quos, versiculos ineptos planissimè & inconditos me apud Gebennas in numerum tuorum, ac potiùs in familiam tuam, tanta humanitate cooptasti, quum nihil esset præterea in me vel reconditioris literaturæ, vel solidioris eruditionis, ut facilè faciebas periculum, adeoque cætera essem ignotus tibi, ut terræ filius dici mererer. Quid ita, inquies? igitur interea me nunquam salutavit Hilarius, non tanto loci, quanto temporis, intervallo disjunctus. Hîc ego, ne id negligentiæ adsignes, quæso vir multò facundissimè, nam præterquam quòd tot legationibus functus, toties à D. meo Erasmo ad Cæsarem missus, Basileæ nisi rarò, nisique per intervalla non fui: sæpe etiam putâram brevi me ad regem Galliæ missum iri: id quod fortè intra sesquimensem est futurum. Quòd si tum obiter fuero coram in civilis salutator, ero certè omni ingratitudine barbarior, & simul omni barbarie ingratior: qui quum isthinc huc abirem, nil aliud quàm Vale illud Francisealium manticulariorum (ut est in proverbio Gallicano) ita ut volebas, dixi. Vale Basileæ, pridie d. Martini: quum longissimus sermo esset de te habitus in cœna, ut honorificentissimus, ita domino Erasmo longè gratissimus, qui raras tuas absentis dotes mirificè est amplexus. aderat D. Claudius Cantiuncula tuus, & Philibertus à Lucingia, & magnus quidam philosophus Thomas Zegerus, aliiq; complures. Iterum vale cum suavissima cordatissimaque tua conjuge totaq; familia. Epigramma quod injunxisti, scribam, quum ero majoris nominis ac autoritatis: quò sit ingeniosius, ideoque vivacius. Salutem adscribo Cancellario tuo. Iam tertiò vale: precorque, ut istam corporis animique fœlicitatem tibi perpetuet Christus Opt. Max.

Amicus ad Agrippam. XLV.

NEscio, quo infœlici genio, mi Agrippa, evenit, ut qui diligentissimus in scribendo quondam esse consueveras nunc ne multis quidem mensibus ad epistolas nostras, quas ad te dedi non sanè raras, quicquam respondendum dignum duxeris, nisi si rei uxoriæ sollicitudine silentium tibi fuerit imperatum. Quid aliud enim suspiciet? studiorū tuorum instātjam, ociumque, ac justam libertatem considerans. Quare te per necessitudinem veteris amicitiæ, studiorumq; communium rogo atq; obtestor, ut & manere in officio & rescribere velis, vel nunc si non ad singulas literas, at certè ad eas, quas primas post tuum epistо-

HAJKOBA BIBLIOTEKA OVIDIJUS ME IMPROVE

epistolium, in quo tibi eruditorum nostrorum lucrubrationes & incrementa significari cupiebas, scripseram: quasque redditas tibi fuisse, mihi planè persuadeo. Ac vide quam sim tuarum cupiens literarum. Ego etsi in eisdem literis de domino Erasmo complurima, de Oecolampadio itidem, ac aliis significaverim, mitto quædam adhuc, è quibus rerum successus harum intelligere valeas: Spongiam videlicet Erasmi adversus Huttenum, qui Huttenus post editam Spongiam, dies jam agitur decimustertius, apud pagum Tignrinum fatis concessit: declamationes quasdam Oecolampadii, quæ feliciter successerunt, & historiam præterea Tyrannidis in Brabantia comprobatæ. Tu boni consules. De rebus nostris: semper ago Basileæ, quantumvis aliò vocatus. nam libera (Deo gratiæ) conditione & honesta fruor: sed modico contentus. superiore mense invisi patrem, qui te plurimum cupit salvum. utinam & ipse incolumis esset. nam Cæsarii casu mirum in modum gravatur. Vis autem mirum audire? illi nostri amici, qui meas clàm literas surripuerant, & quibus à consiliis fuisti, quique me pistrino perpetuo alligare conati fuerant, iterum me blandis suasionibus per interjectas personas in suum famulitium allicere tentârunt, magna spondentes & orantes, uti præterita in lethæum flumen conjicerem. Ego quàm modestè potui, negotium & munus detrectavi, tollat eos, qui eos non novit. sed hæc lapidi dicta sint. Vale, & tibi persuade, me eum esse, qui tuus sit, ut suus Basileę, duodecimo Septembris, anno 1524.

Agrippa ad Amicum. XLVI.

Dii ultores malos illos malè perdant, qui me (ut audio) tot tam crebris literis tuis defraudârunt. Iracebar ego non minus de tuo tam diuturno silentio, nunc omnem bilem in illos literarum nostrarum proditores latronesque evomo: te verò admonitum volo, ut deinceps non nisi tutissimis nuntiis ad nos rescribas. festinus hujus latoris ad te reditus, qui eodem momento venit abiitque, non me sinit longiores literas scribere, licet satis amplum dederis rescribendi argumentum. Scripsi pridie breve epistolium non minori celeritate: id te accepisse arbitror. indies nunc ad te plures literas dabo. præterea fac diligenter exquiras, quò literæ illæ tuæ ad me datæ devenerint, quibusve traditæ sint ab illis tuis latoribus. Vale fælicissime. Ex Friburgo, ultima Septembris, Anno 1523.

Amicus

Amicus ad Agrippam. XLVII.

PRæcipitatus latorum reditus ad te, mi Corneli, quem, ut aliquod divinum numen humana carne circumvestitum, veneramur & colimus, & laconica ab omnibus semper amata brevitas, ac reverendissimi D. domini Lausannensis, tuum nomen ad astra usque jugiter efferentis, in suam civitatem adventus, non sinit, nos ad te longiores depingere characteres. verùm quoniam propediem ad tuum properare speramus oraculum, non falsifidum, sed veridicum, mutuasque audire & reddere voces, paucis vela complico. Vale doctrinæ & virtutum domicilium. Anno 1523.

Amicus ad Agrippam. XLVIII.

NOn habeo, quod ad te scribam: permulta autem habeo, quæ coràm tibi exponam. Adventum tuum, quemadmodum proximè significasti, lætabundus expecto. tu igitur breve hoc iter æquo animo feras, &, quanto citius poteris ad nos advola, ubi omnia mea tua sunt. Vale fœliciss imè. Ex Friburgo, decima Octobris, Anno 1523.

Agrippa ad Amicum. XLIX.

TAm opportunus, tam fidus, tam integer sese nobis hic obtulit præsentium lator, tuæque reverentiæ notissimus, ut quas longas ac fermè ad volumen usque ad te scripturus fueram literas, omnino jam non sit opus. siquidem is tibi omnia coràm abundè copioseque exponet. Cæterùm ita de me confidas, quoties, quantumque, & ubilibet præceperis, me tibi ut obsignatissimum, eundemque fidissimum, nusquam defuturum. Tua commater sese Reverentiæ tuæ diligentissimè commendat. Haymonem parvulum adeò tibi commendatum scimus, ut alia non sit opus. Vtinam aliquando pro impensis beneficiis possemus tibi vel semicondignas reddere gratias. Vale fœliciss imè. Ex Friburgo Helvetiorum, 19. Octobris, Anno 1523.

Amicus ad Agrippam. L.

TVas recepi literas, mi Corneli, inter mortales philosophâtes Deus, laconicas quidem ac perbreves, verùm tersas & emunctas. His tuo aureo dilectionis in te hamo nos iterum atque iterum trahis. Quod si animo nostro liberi imperarem, non utique ad te advolaremus, sed advolitaremus etiam hyrundineo cursu velociùs. Nescis, mi Orestes, quanto in te, ac

HAVE THE COMPLETE COLLECTION OF I. P. MIGNE'S PATROLOGIA

te visendi trahamur affectu. Verùm enimverò reverendus ac metuendus D. dominus Lausannensis, nobis & princeps & amicus, suis & sodalitii & amoris irretit ac illicit hos illecebris. veruntamen mallemus tecum mori, quàm cum cæteris vivere, etsi nunquam te viderimus. Saltem tui & ingenii & virtutis novimus vires mortalibus quidem anteferendas. Quod si quando nobis confabulari, ac de altissimis rerum arcanis colloqui contigerit, divinum potius, quàm humanum (quod Dii faxint) colloquium putes. Vnum est (ut receptui statim canamus) posteaquam idem præfatus dominus Lausannensis nobiscũ de mercede & ejus & urbis, ac ecclesiæ. fœdus pepigerit, vento celerius ad te adnavigabimus, ibique mutuas audire & reddere voces (Diis faventibus) licebit. Raptim Lausanna civitate, sexta Novembris, Anno 1523.

Agrippa ad Amicum. LI.

IAm satis literarum dedisti: pollicitus te venturum Friburgum. Præterea me magnis oneras divinitatis titulis, qui tamen is sum, cui tam grandia non conveniunt: nec, qui hujusmodi mihi arrogare velim, conscius mihi exilitatis humanitatisque meæ. Nunc verò id te oratum volo, ut non modò rescribas, sed ipse venias. quippe jam non te literas, quàm teipsum expecto. Vale fœlicissimè. Ex Friburgo Helvetiorum 19. Novembris, Anno 1523.

Agrippa ad Amicum. LII.

DIscessisse te Basilea, & Mediomatricum Reipublicæ à consiliis famulari, nunc primum ex præsentium latore intellexi. quę res tibi bene vertat, exopto. memor tamen esto, quod vulgato proverbio dicitur, cavendum esse ab inimico reconciliato, illudque Catonianum, si bene recolo, pueris notissimum, imitare, quo dicitur:

Si quis amat verbis, nec corde est fidus amicus,
Tu quoque fac simile, sic ars deluditur arte.

Salutabis mihi Brennonium nostrum, sanctę Crucis curatum, cæterosque omnes amicos. Plura vobis scripturus essem, sed modico adhuc opus est silentio. Ego jam hunc annum apud Friburgum egi, ut locum cederem invidiæ: sed jam rursus omnia bene acta sunt. Itaq; revertar in Gallias. exinde scribam vobis omnibus amicis apud Mediomatricos. Præsens hic lator tibi commendatus esto: vir est, qui verborum lenocinio laudari non eget: recedit abhinc evangelii causa, quod datum est in ruinam & resurrectionem multorum. Post literas tuas à 12. Septembris anni præcedentis nullas alias ex te recepi. scio me plurimis epistolis fraudatum esse, teque meis similiter. Cautiùs ergo deinceps agendum erit. Id te oratum volo, obtestorque per hanc nostram sanctissimam amicitiam non in corruptibilibus hujus mundi, sed in æternis virtutibus conciliatam, ut hunc latorem virum evangelicum, Thomam Gyrsalcum, sicut meipsum, commendatum habeas, ac amicis tuis, quos equidem scio perplures tibi esse, apud Basileam, qua poteris, quàm optima fide eundem commendatum gratumque reddas: & si quod aliud beneficium in hominem hunc conferas, in meipsum collocatum esto, & ego retribuam. Vale fœlicissimè. Ex Friburgo Helvetiorum, quinto die Ianuarii, 1524.

Agrippa ad Amicum. LIII.

IAm sæpe admodum scripsi, ad nos venires, ut ipse mihi nũc succenseam, qui toties id abs te frustra postulaverim: sed & nunc adhuc cupio, ut venias unà cum D. Benedicto Chandelio, viro, quantum capere potui, tui amantissimo. Cæterùm jam annus est, quo discedens Gebennis scripsi tibi epistolium in quo pollicebar tibi nescio quem Mercurium, qui inter nos tutus fidissimusque omnium occultorum per quamcunque distantiam discurreret nuncius. Hunc ubi acceperis, æquè absentes atque præsentes mutuis colloquiis fruemur. Vale fœlicissimè. Datum Friburgi Helvetiorum, 13. Ianuarii, 1524.

Agrippa ad Amicum. LIV.

MVltis jam retroactis diebus aliquot ex te literas accepi, Dionysi colendissime, idemque amicissime: ego verò vix semel rescripsi, quia non erat, quod te dignum rescriberẽ, nec tutus fidusq; occurrebat nuntius. Atq; ego, testor enim & fateor meam negligentiam, nihil minus ago, quàm rescribere amicis indies literas. Attamen scribam ego, necne, sum idem semper is, qui sum: hoc est, amicis meis semper integer fidusque amicus: atq; hæc nostra amicitia, summa, sanctissima, perpetuaq; est, quia non ex corruptibilibus hujus mundi, sed in sempiternis virtutibus conciliata. Hoc jam argumento tibi satisfactum esto, ne me tui oblitum arbitreris, nec de nostra veteri amicitia aliquid refriguisse putes. Sed & quæ venerabilis pater Ioannes Lagrenus, conventus divi Bonaventuræ apud Lugdunum gardianus, ad me scripsit,

non erat illis respondendum literis, etiam vel tuto admodum nuntio, sed coram agendum. non enim committuntur literis (hoc sciat bonus ille pater) quæ in illa Tritemii epistola, cujus duplum ad me misit, leguntur, sic vera esse, ut narrantur. Apologiam contra Tritemium ab ingratissimo homine editam, & ex ignorantia Tritemii morum ænigmatumque ortam, idem Tritemius edito volumine religiosissimè diluit. Verùm his, quod superest, si aliquando ego (ut spero) Lugdunum venturus sum, pro posse satisfaciam. Spero autem proximis his quadragesimalibus diebus me aliquot diebus penes vos adfuturum, si tempus forsq; rerum humanarum sæpè rectrices non obstiterint. Nam sunt mihi jam perplura negotia eo loci agenda: de quibus dum hæc dabitur occasio, latius colloquemur. Vale fœliciss imè, ac dominum Andream regium physicum meo nomine salutato: simul atque Ioannem Parisiensem, virum, ut nosti, dignissimum & amicum meum totum integrum, cum cæteris quos nosti. Ex Friburgo Helvetiorum, vicesimo Ianuarii, 1524.

Amicus ad Agrippam. LV.

SAlus & gaudium colendissime doctor. Ne miretur, rogo tua præstantia, neq; indigno capiat animo, quòd incomtis omnique venustate exutis literis tam præcellentem virum, mei notitia penitus carentem, aggredi ausus sum. Profectò humanitas atq; doctrina, quibus plærosque totius Germaniæ philosophos & antecellis & præponderas, omnem metum & stuporem abstulerunt: meque intrepida mente in tuum coëgerunt amorem. Papię etenim, te docente diebus illis, quando ego nobilissimam illam academiam denuo repetii, hi qui mecum stabant, miras ingenii tui ubertates de te prædicabant, bonarum artium, scilicet philosophiæ peripateticæ, medicæ artis, & totius naturæ secretarium, monstrabant, & nonnulli astrologica indicia, imagines & alia naturæ mysteria à te fabrefacta: quibus, tam abundè oblectabar, quod nunquam cessavi tuum deplangere discessum. Videntibus itaque aliis confratribus meis tam arduum cordis affectum, librum, cui titulus de Magia naturali Cornelii Agrippę, offerebāt, in quo fons & origo totius philosophicæ veritatis adapertissimis rivulis scaturiebat, quo adhuc magis animus molestiis vapulabat, eò quod hunc Crœsi opibus longè dijudicabam præesse. Rursus (fatis disponentibus) elapso anno, Ioannes Reiff, civis Friburgensis, omnium doctorum virorum amator, literas ad me dedit,

dit, quibus intellexi tuam excellentiam in Friburgensem Æsculapium esse assumptam: quibus plurimum gavisus, eundē dominum Ioannem Reiff precibus admonui, ut tuam haberet dominationem commendatam, apud aliosque supereminentiores sollicitaret, ut cum honore & reverentia vir tanto ingenio præditus, tractaretur. Scio etenim illic populum satis benignum atq; hospitalem: elegantiùs tamen Martem quàm Mercurium colere. Rogo igitur, disertissime Corneli, si absq; tui gravamine fieri potest, librum illum de naturali magia communicare velis: huncque præfato Ioanni Reiff committere: qui curabit ut ad me veniat: & in brevi absque dolo & sui incommodo ad te revertetur. Quod si feceris, rem mihi gratissimam præstiteris: pro qua, nescio, quo dicendi genere, qua denique & facundia condignas tibi possim promere grates: & si qua in meis laribus erunt, quibus tibi complacere potuero, tuum erit imperare: meum verò obedire. Vale, Argentorato, ipsa die, qua sol quintum sagittarii gradum permeabat, Anno 1523.

Agrippa ad Amicum. LVI.

INdicem librorum meorū De occulta philosophia, quem librum quondam adhuc adolescens edidi, postea multis capitibus auxi, proximis his diebus ad te misimus: sed est adhuc aliquid, quod additurus sum. Clavem tamen totius negotii mihi, amicisque quorum te unum ne dubites, reservo. Nefas siquidem esset, & sacrilegium, hunc omnium conscientiæ publicare. Ideo non traditur ille scriptis, sed spiritui per spiritum infunditur. Residuum intentionis meæ ex ipso Ioanne Reiff intelligere potuisti. Habeo adhuc plura editionis meæ volumina. Sunt etiam penes me pleraque alia aliorum doctorum & antiqua & recentia scripta hactenus incognita, inter quæ est opus Marci Damasceni de variis admirandisque animarum naturis, liber totus magicus. Hæc omnia aliquando in publicum daturus essem modò ne & operam & impensam omnino perditurus sim. Cæterùm nunc quid abs te postulaturus sim, adverte. Astrologi plerumque omnes, qui nunc eam artem profitentur, cœli figuras erigunt, & stellas locant juxta motum ac situm, nescio, cujus imaginarii orbis, quod nonum cœlum vocant. Magi verò præter octo sphæras, nullum aliud circumvertile cœlum agnoscunt: & hoc est in arte illa secretum. At quicquid operaturus sis, octavi cœli situm, motum ac lumen observes. Verùm quid horum tu sequaris in nativi-

tatibus & annorum indiciis, ex te scire cupio. Ego tecum multis admodum ac itidem validissimis argumentis agere possem, nisi hoc negotium non in epistolam, sed in volumen excresceret. Tuam opinionem & circa utramq; viam tuam experientiam duntaxat scire cupio. Verùm nosti, quàm inter se dissident Astrologi de inveniendo puncto revolutionis annorum & nativitatis. Est etiam inter eos non minus dissidium in constituendi cœli domiciliis circa verificationem horæ ac puncti natalis: duæ viæ sunt famosæ: sæpè tamen non modicus sese ingerit scrupulus, fortè & error aliquando. Ego de his omnibus tuum judicium expecto. Extat egregium illud proverbium, Iudicia astrorum ex ipsis atque ex nobis sunt. Arbitror scire te. ego siquidem scio quid hoc verbum Ex nobis, sibi velit, quamvis hactenus ipsum, à nullo magistrorum verè explicatum legerim, nec audierim. Quid rursum sentis de nativitatum revolutionibus, num ad illud hemisphærium, ubi agit natus, fortè in longinqua regione, erigenda revolutionis figura sit, ánne super Zenith loci natalis? Admoneo te hoc unum ex illis esse, per quę sæpè dispensatur cum fato, & vertuntur sydera retro. atque hic iterum tuum judicium expecto. Vale fœlicissimè. Ex Friburgo Helvetiorum, omnium scientiarum cultu deserto ac destituto, vicesima secunda Ianuarii, Anno 1524.

Amicus ad Agrippam. LVII.

GAvisus fui plurimum, Henrice præstantissime, cùm nuper secundas à te recepi literas. intellexi etenim animum tuum erga me, quamvis immeritus ego, paratissimum. quod profectò maximæ humanitatis indicium est. Ioannes Reiff, patronus ille & fautor noster non aspernandus, literis suis cōsimiliter tuam benevolentiam mihi notificavit. Quare ingenti gaudio affectus, librum de Magia naturali una dierum ad me venturū spero. Vellem tamen clavis ne deesset, mihi ne cōtingeret ab asino radere lanam. Polliceor hic, & juro tibi per summum quod feci juramentum, nulli communicaturum. Quod si aliter experieris, me perjurum & mendacem ubique proprio hoc meo chirographo declara. Accepi etiam apud te esse plura alia & tuorum & aliorum recens edita invisaque volumina. Certè videre desidero, & ferventiori quidem animo, quàm totius Pactoli divitias. Cæterùm abs me petis in astrologica arte quædā. Revera obstupui, cùm legerem, eò quòd ego in hisce rebus tibi, tanquam Marsias Apollini, comparandus.

dus. Quid prodest Crœso divitias augmentare? aut quomodo Codrus eidem augmentabit easdem? certè imbecilliores vires meæ viribus tuis, viresque meæ, tanquam muris vires ad vires Leonis. Obtemperabo tamen mandatis tuis, & tanquam discipulus magistro respondeo. Quare si inerter & plus quàm barbarè, quæsita determinabo; scio tua humanitas veniam præstabit. Primò quæris, ad quam sphæram, sive ad nonam, sive ad octavam, calculus meus feratur in erigendis figuris cœli, & motibus stellarum. Respondebo breviter, ad nonam, & præsertim in motibus planetarum, & in erectione figurarum cœli: de fixis autem alius quodammodo apud me usus est, quamvis ad eundem fine nona sphæra perficere nequeo. Ita etenim edoctus sum à Ptolomæo ejusque sequacibus. Pro erigendis figuris cœli rationabili modo Ioannis de Monte regio utor, tanquam veriori. Olim autem ex Alphonsinis tabulis laboriosè figuras edideram: nec non tentavi alios diversos modos tam per instrumenta, quàm etiam per tabulas: infestavi plurimum genios: sed tutiorem nusquam recepi viam, quam Ioannem de Monte regio. quare & hic conquiesco. Cæterùm omnes motus, aspectus & deliquia ex Alphoso me scias colligere. Tentavi Blanchinum, Ioannem de Lineriis & alios: magis autem mihi reperi familiarem serenissimum Alphonsum.

De puncto revolutionis uniuscujusque rei, scias me talem modum servare. Capio duos motus solis in gradus minutis, secundis, &c. ad meridies duorum dierum: scilicet antecedentis revolutionem & ejusdem, in quo revolutionem expecto: numero gradus, minuta, secunda intercepta: inter hos duos meridies ex quibus portionem horariam elicio, habita hac, facillimè ibo ad omne punctum mihi assignatum, sive per additionem sive subtractionem, seu quod ipsa revolutio ante vel post meridiem ventura est. res est certa & facilis, non dubito. Alius supereſt mihi modus, quem ex Alphonso collegi. His duobus utor, alios omnes dimittendo. Cùm autem de verificatione natalis puncti quæris, dico me tres modos habere: primum ex tertia Quadripartiti capite secundo: secundum ex Centiloquiis ejusdem verbo trigesimo quarto: tertium ex centiloquio ejusdem verbo quinquagesimo primo. Duos primos missos facio, tertius mihi domesticus est, tabulis suis aut calculo certissimam porrigens viam. Adhuc mecum est irreprobabilis modus, laboriosus tamen: hunc tibi scri-

berem,(non tamen quod te velim informare) si non epistolæ metam transgrederer. Scio tamen te in his omnibus copiosiorem,&,ut suprà dixi, præcellentem, sicut Leo murem. De primo verbo Centiloquii mentionem facis: per Iovem, nescio quid aliter sibi velit id verbum, Scientia stellarum ex te & exilis est: quàm, sicuti exponit Hali, qui intelligit, quosdam prædicere futura ex influentia Stellarum, vel ex motu intelligentiarum, vel alia aliqua vi siderum insita, ignorantes causas, ut multi fuerunt divinatores: quosdam verò ex scientia veterum experientiâ perscripta, sequi motus stellarum & actiones in hæc inferiora: quidam utroque modo simul. Vidi etiam nonnulla aliorum commentaria, Georgii Trapezuntii, Pontani, Vallæ, Omnia tamen Hali sententiam referre, & parum plus quàm stilum permutasse videntur. Rogo tuam mihi sententiâ communicare velis. nam tuum ingenium his lectionibus prævalere scio. Demum quæris de hemisphærio aut latitudine, super quam revolutionis figuram ædificem, nato in longinqua regione vagante? Breviter respondeo, super id, ubi modò degit: non, ubi iterum exiit. Nativitatem tuam calculavi pretiosiùs, quo potui. Leonem reperi ascendentem, non virginem. Omnia tamen tuæ castigationi submitto. pusillum etenim in hisce rebus ingenium meum scit. Omnes partes domorum & aspectus direxissem, directionesque ad annos distribuissem, tabellas item profectionum ex quinque hylec edidissem, si tempus habuissem: sed nec opus est, quia tu ipse faciliori via scrutaberis hæc omnia: revolutionis figuram ad annum modo currentem apposui: cerne omnia, & si quid perperam egi, veniam precor. Rursus aliam habeo nativitem cujusdam mulieris: hãc tibi mitto, rogans super hanc bene velis condere judicium: cumque dabitur facultas, per Ioannem Reiff civem Friburgium id mihi transmittere velis. Verùm quintam domum & partem filiorum, utrùm scilicet prolem sit habitura, & quomodo in matrimonio rem suam sit productura, diligenter illustrare velis. Vale, & tuum clientulum commendatum habe. Ex Argentina, ipsa die, qua sol decimum arietis gradum permeabat, anno 1524.

Agrippa ad Amicum. LVIII.

PEr varios casus, per tot discrimina rerum tandem venimus Lugdunum, ubi veterum amicorum jucundissima consuetudine fruimur, ubi amplissima nobis occasio, materia favorq; initur adipiscendi laudem, decus atque lucrum: apud Friburgum

gum insuper perpetuos reliqui mihi amicos. Cæterùm à Rege nuntium expecto & aurum annuumque stipendium: & jam à regiis quæstoribus accepimus aliquot aureos coronatos, ut domui disponerem. Hæc hactenus te scire volui: ampliora tibi scripturus in posterum. Reliquum commendamus tibi Haymonem filiolum. Commendari & ego cupio domino Ioanni tuo, oroque, ut tabulæ illæ meæ sibi bonæ curæ sint. nam post modicum temporis missa pecunia illas redimi adferrique curabo. Salutat te eommater tua, ominaturque tibi omne bonum. Salutamus tuos omnes. Vale fœlicissimè. Ex Lugduno, tertia Maii, 1524.

Amicus ad Agrippam. LIX.

REttulit nobis D. Iacobus ad Illens, communis amicus, te inter regios obæratos non fuisse mediocriter auctoratum: quo nuntio (mihi credas velim) nihil potuisset esse jucundius. gaudeo plane, fortunam virtutibus quidem tuis imparem, verùm oportunam contigisse: nec minus gratulor communibus studiorum centuriis, quibus cùm hactenus fortunæ injuria, penuriæ nubibus fuerint obscurata, isthęc tua fœlicitas sudum tempus ominantur. Agnosco equidem Platonis quondam votis successus suos tandem aspirare, videlicet ut vel regnantes saperent, vel regnarent sapientes. Nihil enim interest, an eorum imperiis, an consiliis regatur respublica. Hoc unum te monitũ velim, ut postquam togam rursus in castrense sagum mutare decrevisti, in Borboneumq; bellum proficisci hastæ tesseram tuam infigas, ne non notum & amicum officialis noster pessimè habeat, quandoquidem (ut accepimus) is se in Borbonii acie constituit, vel antesignanum præstare, vel triarium: nos autem ab omni sumus actione expertes. Licet enim calamitatum satis nobis exhibeat fortuna, vel tum citra negotium, quum eas industria nostra reddiderit inextricabiles, tametsi nos non spe destituerit, sed ærumnarum nostrarum finem sibi reservavit in pectore, ut Romanensium forensi utar parœmia, quod meo mihi jure facere licet. Scis enim, quo pretio eorum mihi venierint vocabula. Interea dum nihil nobis est vel privati vel publici negotii, otiamur: sed in literario negotio versamur, in arte dicendi, posteaquam nobis sublata est potestas faciendi. nam licet in utraque parum valeamus, hæc tum altera nobis semper fuit amabilior: & quoniam virtutis & fortunæ tuæ amplitudo nostraque tenuitas non patiuntur nos opera de te nostra benemereri, quod semper nos optavisse non ignoras, scri-

ptis saltem te cum decertare statuimus, hasce ad te exarandas operæpretium ducentes: non, ut animum in te nostrum palàm faciant, quem jam satis habes exploratum: sed ut tibi significarent eam, quam de successu tuo concepi, lætitiam: interea rogans, ut si quid succisivi temporis possis suffurari, id ad nos scribendo velis impertiri, tam de statu tuo, quàm de publicis novitatibus. Vale, uxorique, quæso, nomine nostro plurimas dicito salutes. Lompnis: raptim, (quod planè ex ipso stilo liturisq; cognosces) anno 1524.

Henricus Cornelius Agrippa Ioanni Rogerio Brennonio S. D. LX

PRoh hominum fidem, quàm sæpe scripsi, quàm multas ad te dedi epistolas, Brennoni mi, omnium, qui vivunt, hominum clarissime colendissimeque: quàm irascebar rursus, quod nullæ mihi adferrentur tuæ. Verùm pridie primùm, intellexi ex præsentium latore, Christophoro videlicet, quem noris, te omnibus illis meis literis defraudatum. Vix iram contineo, quin nequissimis illis literarum nostrarum interceptoribus ominer omne malum. Ego tibi omnem vitæ meæ historiam, omnemque fortunæ meæ progressum crebris epistolis depinxi: quæ si nunc iterare debeam, non epistola, sed volumine opus esset. sed pauca hæc te scire convenit. Ante biennium hoc secundam uxorem duxi, virginem nobilem pulcherrimamque, quæ adeo ad meam vivit consuetudinem, ut nescias, istane priorem, ante hanc illa, utra alteram in amando obsequendoque æquet, an superet: duos ista mihi filios peperit, ambo superstites, filiamque unam, quæ vita excessit. Ego sub Galliarum regis stipendio nunc ago: reliqua tibi præsentium lator referet. neque enim nunc plura scribere datur, licet multa sint, quæ te scire velim. Scribemus autem amplissimè in posterum, sed curare oportet, ut non nisi certo tutissimoque nuntio committantur literæ. Tu interim vale fœlicissimè, & gaude. Tyrio horario, cæterisque amicis meis omnibus meo nomine infinitas salutes dicito. Iterum vale. Ex Lugduno, vicesima Augusti, anno 1524.

Iohannes Rogerius Brennonius Henrico Cornelio Agrippæ. S. D. LXI.

SAlve mi Agrippa. Quanta me lætitia tuis literis affeceris, ex his facile concipis, qui longo temporis discursu amicorum fruitione destituti sunt. Dolco quippe, quòd pluribus negotiis occupa-

occupatus, ad te plura scribere nunc nequeo, qui hoc festi nostri vigilia apparatu distractus, rhetoricari non valeo. obest & plurimùm festinus nuntii discessus. Vtinam saltem te mecum hac die unà cùm uxore ac liberis congratulari liceret. nam & te salvum & incolumem esse, supra quàm dici potest, gaudeo, ac quòd ad me tandem rescripseris, habeo gratiam. De valetudine nostra nuncius hic tibi satis referet. Mulier quædam apud nos è vita discessit, quæ singula artis impressoriæ instrumenta ac necessaria mihi testamento donavit, quibus per ocium quandoque insudare potero. Noster vero Tyrius labori assueto semper insistit: qui te plurimum salvere jubet. parce, quòd plura scribere nequeo: alias ad te jucundiora felicioraque scripturus. Conjugem quoque tuam meo nomine saluta. Metis vigilia Exaltationis Crucis, anno 1524.

Henricus Cornelius Agrippa Ioanni Rogerio Brennonio. S. D. LXII.

SAlve Brennoni mi, amicorum omnium, qui vivunt, integerrime. Accepi epistolium tuum gratissimum, sed perbreve, quòd negotiorum multitudo nuntiique festinus discessus sic te compulerit: ac me eædem causæ, occupationum videlicet cumulus tabellariique properus nimiùm recessus, breviùs multo, quàm vellem deberemque, tibi respondere cogunt. Relicta tibi typographiæ instrumenta gaudeo: atque utinam essent penes te opuscula mea, ut excuderes: sed deest mihi notarius, & mihi non nisi unica sunt exemplaria. Curabo tamen aliqua duplari, tibique excudenda remitti: imprimis apologiam illam nostram contra Dominicanum illum calumniatorem. Est hic apud nos modò belua illa, sed penitus muta, omnibusque etiam suis offensa: mihi bellorum isti tumultus magno impedimento sunt, & damno, totusque inde pendeo. Si regi bene cesserit, fœlix sum: si malè, propè perii. si quid reliquum bonæ fortunæ mihi accesserit, & ea quoque tua erit. Vale fœliciſſimè. Vxor mea te infinitis bonis omnibus salutat. Iterum vale, amicosque nostros omnes meo nomine bene valere jubeto: inter cæteros D. Nicolaum de Hu, Nicolaum Aquensem, Tyrium atque Tylmannum, Iacobumque atque Mischaulum. Tertiò nunc miliesque valeto. Ex Lugduno, vicesima sexta Septembris, anno 1524.

Agrippa

HAYROPEDIA OVV.ru

Agrippa ad Amicum. LXIII.

DOleo me, præstantissime pater, negligentiæ nomine apud Reverentiam tuam suspectum esse, eo quòd tantisper ad te scribere distulerim: veruntamen spero me hujus culpæ veniam facilè consecuturum, siquidem id nulla tui oblivione factum est, quin mea apud te constaret scribendi fides. decrevi etenim sæpenumero ad te rerum novarum plenissimas literas dare: sed inter hos bellorum tumultus, cùm epistolæ suspectæ essent, atque ego totus aulæ immersus, inter regios consiliarios non mediocri cura frequenter versans, præterea privatis publicisque negotiis aliorsum distratus, ut scribere minus potui, ita etiam minus licere arbitrabar, præsertim Gebennas, ubi tùc hostes nostri canebant encomia, sed (ut est in proverbio) ante victoriam. Iussi autem dominum Iacobum ab Ylens, ut is te adloqueretur, ac rem nostram omnem ordine nunciaret, quod ille, nescio, quia incuria, quáve occasione non præstitit. Non est igitur, quòd de me tanquam tui oblito, aliquando dubites. ea enim est in me humanitatis tuæ beneficentia: ea & in filiolum nostrum liberalitatis tuæ munificentia, ut perpetuò penes me unus omnium mihi observandissimus colendissimusque habeare. Quod autem de fortuna scire cupis, ego certè regis ipsius principiumque cæterorum pollicitis dives sum: sed munificentiam ipsam mihi bella hæc pro maxima parte præripiunt. Vxor mea, tua commater, te fœliciſſimè salvere ac valere jubet. Vale fœliciſſimè cum tota domo tua. Datum Lugduni, vicesimasecunda Novembris, festino calamo, Anno 1524.

Amicus ad Agrippam. LXIV.

ESt, quod meo nomine, si me amas, apud communem amicum nostrum Michaelem expostules. is etenim aut meas non reddidit literas, aut quod ad eas responsi darum est, non misit. Tanta fide spoponderant illustrissimæ dominæ ducis eleemosynarius & alii quidam, futurum, ut suas ad me literas in proximis nunc præteritis nundinis Basilienſibus darent: idque non esse factum satis mirari nequeo. Tu quicquid causæ fuisse resciveris, facies ut intelligam, tuasque literas ad ædes Ioannis Spirers, civis Basilienſis, consignandas curabis. Sperabam ad vos ire: sed quia nihil scriptum est, non veni. Mitto ad te literas Curati sanctæ Crucis, quas nisi tu legeris, Oedypo opus fuerit. mitto item alias, quarum inscriptio satis aperit, cui reddendæ sint.

dæ sint. quod quidem, ut bona fide, qua soles omnia amicorum imperia, procures etiam atque etiam te rogo, & per nostram amicitiam obtestor. Cæterùm qui has tibi reddidit, sororius est domini Ioannis Frobenii calcographorum omniũ facilè principis. is per me te rogat, imò ego te nomine publico rogo, ut, omni cura sepositа, bibliothecam divi Ioannis Lugdunensis, aut, si quam habes vetustiorem, excutias, videasque: an ibi sint aliquot codices Plinianæ historiæ, præsertim posteriorum librorum. Quicquid repereris, huic tabellario credendum curabis. Si fidejussore opus sit, is reperiet. ego, si adsim, meam lubens hac in re fidem Frobenii vice obstringerem. tu curabis, ne videatur nostræ amicitiæ fiducia vana extitisse: atq; adeo ne omnino operam te ludere credas, egi cum ipso Frobenio de tuo opere adversus Dominicanum monachum, imò de omnibus tuis operibus imprimendis. is ait, ubi reddita fuerint, se curaturum ne quicquam eorum quæ ex bono & æquo præstare debuerat, posthabuisse videatur. Vale, conthoralemque nobilissimam plurima salute meo nomine impertias. Basileæ, crastina Martini, anno 1524.

Agrippa ad Amicum. LXV.

LIbrum Aristotelis de Mechanicis, quem toties mihi tam constanter pollicitus es, si ad me misisses, plurimum me tibi obligasses, obnoxiumque perpetuò reddidisses: nunc verò cùm id factum non curasti: nescio, quid aliud de te cogitem, nisi fortè ex hoc hominum genere esse, quos promissa non obligant: nec mihi nunc pro harum responso, si modò me digneris responso, quem tam modico munusculo dedignatus es, cõmenteris vel defuisse nuncium, vel missum libellum non fuisse redditum, sive quid simile nugarum. Quin pollicitum per te librum etiam nunc, licèt post oportunitatem, hoc præsentium latore remittas. Nunc siquidem abs te mihi verba dari non volo. Quin si dare non est animus, præstabat hactenus non promisisse, vel promissi te pœnitentem mox iterum denegasse. Sic namque mihi hactenus frustra expectanti non fuisses injurius. Vale. Ex Lugduno, decimaoctava Aprilis, anno 1525.

Servus ad Agrippam. LXVI.

SAlve Agrippa unà cum conjuge faustissima ac liberis. Cùm nuper Allobroges deserens, unà eum fratre in Perriaco adveni, à casu offendi dominum Iacobum Eylacensem: qui me ex tam longa tamq; novercali ægritudine omnino extinctum arbitra-

arbitratus, hilariter redivivum excepit, tuamque faustissimam fortunam mihi enarravit. nesciebam enim, ubi locorum esses, cùm lectum per annum integrum servaverim. quo fit, ut, veniam petens, has literas unà cum fratre ad te legaverim. retulit enim prædictus, te maximè servo indigere, qui correctè diligenterque scribat. Ille igitur, quem ad te mitto, frater est, illius rei, ut arbitror, satis expertus. Sed tu ipse experientiam facito. quòd si ribi conducat, erit tibi fidelissimus. Ego autem etsi mala persuasione mihi infortunium procuraverim, pœniteo: sed sera pœnitentia ductus, ad te confugio. Nam si aliqua spes esset ab ægritudine evadendi, non solùm operam, sed & vitam pro te exponere vellem, ut etiam longiùs dominus Iacobus in suis literis declarat. Quapropter non amplius recordare, si aliquid offenderim, sed da veniam petenti. mihi voluntatem tuam denuntia. Quòd si tua gratia sanitatem acquirere possem, profectò ipsa ad te venirem. Quanquam gravi ægritudine detentus, neque equum nec asinum haberem. nam diuturna ægritudo omnia consumpsit. ægritudo mea est calculus in collo vesicæ existens. Præterea exigit dominus Iacobus, ut fratrem unà cum tuis literis remittas. & ipse me juvabit, & faciet, quemadmodum rescripseris. Vale. Ex Periaco, vicesimaoctava Aprilis, anno 1525 per tuum deditissimum servum & amicum.

Amicus ad Agrippam. LXVII.

SI vales, bene est, ego quidem, Deo fautore, optimè valeo, vir humanissime. diverti alia die quadam cùm variis ex itinere ægritudinibus essem districtus, in ædes Antonii Pallauchii, viri perquam familiaris, qui equidem, ut erga omnes viros doctos est humanissimus, perbenigne hospitio me suscepit: quûque diu noctuque de tua magnanima loqueretur præstantia, tuum collaudans ingenium quasi divinum, tum operas varias sibi humanissimè impensas, non potui non admirari præcocem hominis Minervam. Quapropter de variis rebus collocuti, quum quàm plurimis de te incidisset sermo, desideràram fœdus familiaritatis, quamvis indignus sim, tecum sancire. Scio enim & cognosco animum hominis. Quapropter indies ex animi desiderio tecum confari collubet. Narravit vir humanissimus, humanitati tuæ se de me aliqua scripsisse: qua ex re mirum in modum sum gavisus: ideoque non potui non aliquid ad te dare literarum. Tu quidem, vir humanissime, eo sis (obsecro) animo omnes me corporis vires (quantulum ingenioli

nioli mei suppetit inopia) pro te impliciturum, & spero me antequàm duo sint elapsi menses, simul apportaturum ad tuas ædes artem cabalisticam, cum quàm plurimis Raymundi Lullii libris. Fortan & humanitas, & omnes cognati mirabuntur adeò me literis, quamvis indoctum, delectari, velimque eo sis animo, ut si quid tibi inservire potuero, sum paratissimus. Vale decus nostrum, & discipulum tuum, ut erga bonarum artium amatores es humanissimus, intimo amore prosequere. Scripsi raptim in ædibus Pallauchianis, Friburgi in eremo Helvetiorum, quartâ die Maij, anno 1525.

Agrippa ad Amicum. LXVIII.

MVlta tibi, præstantissime vir, occurrentium rerum scribenda essent, quæ tua meaque erga Christianissimum regem exigunt fides atque devotio: sed id mihi non licet, qui ad secreta & consilia principis meæ jam receptus sum. quòd si etiam scribere liceret, non expedit: quoniam scio apud vos schismata & factiones esse, & plurimi domum tuam frequentant commensales, non aliam ob caussam quàm novarum rerum aucupio, quas deinde deferant, & vel referant versipelles. Itaq; venam nunc dabis, si abs me & raras & laconicas recipis literas, eamque induas sententiam, scribamus nec ne, sumus qui sumus: hoc est, semper amici. ego quidem erga te talis, de quo omnia tibi polliceri queas, quæ ab homine amicissimo obsequentissimoque præstari valeant. Vale fœlicissimè. Tua commater, uxor mea, te optimè valere jubet. Ex Rupe Lugdunensi, vicesimaprima Maij, anno 1525.

Amicus ad Agrippam. LXIX.

SI pergam tuum silentium accusare, Agrippa doctissime, meque frequentem in literis scribundis erga te fuisse contestari: dices, totum illud esse purgationis argumentum, quo taciturnitatis propriæ culpam in alios rejicimus. ita enim naturæ comparatum est, ut quod plerique omnes facere solent, id nunquam non fieri intelligatur. Hanc ob causam quod ad eam rem attinet: comperendinatione utar, donec rescivero, utrum redditæ fuerint hinc ad te meæ literæ. Quid apud nos rerum agatur, ex hoc tabellario, viro & docto & integro, cognosces. huc enim omnia spectant, ut sub prætextu libertatis evangelicæ insani populi furor & inconstantia grassetur. sed hoc utcunque tolerandum, quando hoc animam & interiorem hominem nihil perstringit. Verùm alia orta est à quodã & nefan-

nefandissima assertio, per quam sacratissimæ eucharistiæ sacramentum elevare contendunt, sed profectò tam coactis contrariis, & impudenter confictis argumentis, ut nemo non intelligat, qui rem diligentiùs expenderit, eos nihil habere sanæ mētis. Priori sic responsum est, ut magis mutus sit, quàm piscis: alteri propediem respondebit qui priorem compescuit. Nescio, an illorum delimarenta & blasphemias legeris. Sed si legeris, arbitror te nihil aliud facturum, nisi quod dolebis unam vel alteram horam te hisce factiosis insaniis legendis nequicquam tribuisse. Vale: & si quid est apud vos, quod me scire sit operæpretium, vide ne te velis papyri jactura vellicet. Iterum vale, præceptor observandissime. Ex Vico, oppido Lotharingiæ, duodecima Maij, anno 1525.

Agrippa ad Amicum. LXX.

TAm multa sunt ac tam magna, quæ tibi significare cupio, ut ne in amplissimam epistolam cogi possent. iccirco parum, vel nihil ad te scribo, nisi ut scias me sanum, salvum, fœlici fortuna, cum tota familia mea bene valere, idemque de te ciere & audire cupio, quò ambo mutuo spiritu omnipotenti Deo debitas agamus gratias. Cæterùm deliberabis cum Claudio Cantiuncula, nostro utrique amicissimo, quónam modo ad me tutò rescribere posses, mutuasque recipere literas. Præterea si tuto posses committere steganographiam, rem mihi optatissimam effeceris. Vale fœlicissimè: & amicos nostros omnes meo nomine bene valere jube. Ex Lugduno, 27. Maij, anno 1525.

Agrippa ad Amicum. LXXI.

QVas scribis mihi reddendas fuisse binas tuas literas, hactenus nullas accepi, præter eas, quas hic tabellarius amicus noster attulit. Scripta Caroloſtadii in eucharistiam vidi, & penes me sunt lingua Teutonica impressa. Zuinglium in hanc rē non vidi, nec titulum scio, ni forte in opere de vera & falsa religione de hoc tractet, qui liber mihi etiam invisus est. Verùm quid illis responsum sit, & abs quo, itidem nescio. Est penes me opus Teutonicum Martini Lutheri in Caroloſtadium, inscriptum Contra imaginum oppugnatores: in quo etiam de Missa agitur, sed de eucharistia nihil. Accepi tamen eundem Martinum alio libello seorsum respondisse de eucharistia. Cuperem ejus videre responsa, & si quis præter illum alius non sophista responderit. Itaque, si potes, si liceat, harum rerum aliquid ad nos remittas, oro. Scribo breve epistolium Curato sanctæ Crucis Metensis, tibi noto & amico communi. cura, ut tutò illi redatur, responsumque illius remittat. quòd si ipse hominem alloqui poteris, mihi gratissimum foret. Vale fœlix. Salutat te uxor mea. Iterum vale. Ex Lugduno, vicesima septima Maji, 1522.

Amicus ad Agrippam. LXXII.

DOctissime D. Agrippa, propterea nunc per literas absens absentem te salutat, tibique dicit vale Hilarius, quòd heri præsens non potuit. Mittit me domina illustrissima Alenconia ad Turonensem urbem quoque cum domino abbate Asalva. Cæterùm tuus ero, quoad vivam. Hic vir probus se tibi commendari cupit impensissimè, ob, nescio, quæ negotia, quæ, ut persuasum habet, poteris conficere minimo negotio, quod si tibi visum fuerit, vel mea causa ei operam præstabis & artificii industriam, meque tibi reddes devinctiorem. Anno 1525.

Amicus ad Agrippam. LXXIII.

RElíquit me Avenione, vir incomparabilis, Domine Agrippa, dominus Claudius Cantiuncula, homo post hominum memoriam absolutissime ad unguem factus. ubi quum præsens esset, omnia erant ubique plena Musarum: nunc, imò statim, quàm abierat, muscarum inveni plena, omnia neque tamen, absente illo, harum tanta vis, quanta illarum eo præsente. Deum immortalem, O Musæ florentes Musæ, quæ delitiæ, quæ lautitiæ tum epistolarum, tum orationum, tum etiam poematum? planè in cœlo mihi esse videbar: quum, haud scio, quibus incuspicatis muscis advolantibus, acerbissimus rumor me tantùm non exanimaret, d. meum Erasmum, immortalitate dignissimum, imò maximè potius immortalem, è vivis excessisse: sed minus ac minus indies vanissimis hominibus credimus, qui vel sui compendii ac lucelli cujuspiam causa hæc confingunt: vel suæ authoritati plus quàm magistrali metuentes, hujuscemodi mendacia consuentes libenter audiunt. Sed quò mihi jam lachrymas? Erasmus toties comploratus ac conclamatus adeò revivisset: quanquam nullis vel in literarum studiis, vel animi avocamentis ante acquiescam, quàm fuero vel abs tua dominatione, vel d. Claudio factus certior. Quòd si id (quod unum abominor) acciderit, ô me longè miserrimum omnium mor-

talium. Dominus meus optat te omnino vel in reditu salutare, acerbeque tulit, se quum Lugduni esset, vel te non vidisse unquam, vel agnovisse. Rex Christianissimus omnino superaturus est Alpes. Borbonius profligatus longè retulit pedem. Plura ex d. Claudio audies: cui meis verbis salutem annuncies, oro obnixissimè. Vale cum consorte thori suavissima, eademque cordatissima, dulcibusque liberis. Anno 1525.

Agrippa ad Amicum. LXXIV.

VIr nobilis, qui hasce tibi redditurus est literas, me tuo nomine salvere jussit, rettulitque filiolum nostrum parvulum Haymonem tua cura impendioque optimè nutriri. Pro quo beneficio tuo debeo tibi infinitas gratias. Cupiebamus autem puerulum ad nos deferri, ne quem gravaret: cupiebamus insuper apud nos fore, eò proximè in Franciam discessuri sumus, ubi illustrissima princeps nobis domicilium decrevit, & impensas, apud Tutonum videlicet, vel Aurelianum, vel Lutetiam. Quod autem tuæ Reverentiæ commodius visum fuerit, facito, & nos quàmprimùm certiores redde, an missurus sis puerum, nec ne. Cæterùm quæ penes nos nova sunt, non habeo, quæ expediat scribere, alia, nisi quod egregiè ludimus Pandoræ fabulam. quæ cum ab Apolline plenam virtutibus urnam accepisset, ea adaperta evolârunt omnes, solaque in labro restitit ἐλπὶς. Spes scilicet, & ea nobis quoque relicta est, & quàm optima. Plura tibi scribere decreveram, sed hic clepsydræ jubet finem facere. ideo, quod superest, in aliud tempus expectabis. Salutat te tua commater, uxor mea, quæ jam partui proxima est. Vale fœliciſſimè. Ex Lugduno, octava Iunii, Anno 1525.

Amicus ad Agrippam. LXXV.

TVa, suavissime Agrippa, prægrandis & divina sapientia adeo ingenti me tibi astringit amoris vinculo, ut diu noctuque tui non possim non esse memor. Scripseram superioribus diebus elapsis parvas ad te literulas: quas si receperis, nec ne, sum animi dubius, in quibus tibi promiseram artem cabalisticam & aliquos Lullii libros, quos velim apud te haberes, sicut sunt jam penes me. Ego enim sum is, qui docto & sapienti cuilibet velim inservire pro ingenii mei viribus. Quid enim, per deos immortales, dulcius? quid suavius? quid

quid denique familiaritate doctissimi cujusque amœnius? Agè ergo, vir doctissime, & hujus, qui tanti te facit, quique diu noctuque insudat, ut tibi servitio esse possit, non oblivisceris. invenies me tibi omnibus obsequentissimum. Vale decus Agrippinum, & Philippum paterno amore prosequere, qui patris loco te habet, unicumque te sibi filium præbet. Iterum vale. Ex Sursacho, 11. Iunii, 1525.

Agrippa ad Amicum. LXXVI.

TVa commater, uxor mea, his proximis diebus peperit nobis tertium filium. compater est illustris princeps, reverendissimus Cardinalis ex ducib⁹ Lotharingiæ, commater est nobilis Domina de sancte Prie. hoc tibi significare convenit, aliud, quod scribam, non habeo, quàm ut, acceptis jam à nobis pluribus epistolis, tandem ad nos aliquid rescribas: idque tutò poteris per præsentium latorem, quem mittimus Friburgum. is reversurus per Gabennas, literas tuas referet. Commendamus tibi nos omnes, & parvulum Haymonem: commendat se tibi commater tua, deprecaturque tibi omne bonum. Vale fœliciſſimè. Vicesima quartâ Iulii, Anno 1525.

Amicus Amico S. LXXVII.

CVm primùm arbitror, Musarum decus, Agrippam illum, qui plurimum pollet cùm Græca, tum lingua Latina, non vulgaris conditionis præsenti tempestate, idiomate inexpolito & extemporaneo extemplò aggredi: jam jam animam è proprio corpore seclusam percipio. abest intellectus. memoria labefactatur. voluntas redditur deambulatoria. ingenioli mei capacitas deprimitur. vires enervantur. oculi caligant. aures surdescunt. nares suo olfactu privantur. labia vix moventur. lingua balbutit. manus fit tremula. genua curvantur. pes privatur incessu. cor ingemiscit. universa tandem corporis mei viscera contremiscũt. nihilominus divino illo afflatu sancti Spiritus minus pertimesco. Nam in castris inolevit consuetudo, quòd impotentiores à potentiorib⁹ sublevantur. ad hæc Palæmonem adire ipse penitus destinavi, ut de ejus opulento, opiparo & pinguiori fonteq; uberrimo imbibere valeam. Nuper enim ex Italiæ partibus solvi Galliam versus, ut hujusmodi sapientis & astronomi percipiam sapientiam, & quem uni-

HATHI TRUST THE UNIVERSITY OF MICHIGAN

versa occidentalis ora non potuit, unius hominis tantùm fama perduxit. O fœlicem & longè beatam Lugdunensem patriam, quæ hujusmodi candelabrum sibi vendicavit. rore etenim & refraganti odore ejus illustrium virtutum, hanc plagam universam illustravit: cujus celsitudinem ego, tanquam tuba ductilis, per orbem terrarum disseminabo. quod quidem sola virtus operatur, quæ in abscondito latére non potest. Bene vale Cherub, diu felix vivens, nostri quandoq; memor. Vicesima nona Iulii, Anno 1525. Lugduni.

Amicus ad Agrippam. LXXVIII.

REdditæ sunt mihi literæ tuæ, Henrice Corneli doctissime, quæ non vulgarem mihi voluptatem haud dubiè attulerunt, ubi præsertim audivi te & perbellè valere, & nova prole fœcundiorem factum esse. quo nihil tibi mortali fortunatius contingere potuisse existimo. Dii concedant, ut virtutem imaginemque patris refutat puer, quæ quandam tibi immortalitatem comparet, sitq; usui & decori seculo nostro: quem admodum tu pater es. Quòd verò filii sacram ablutionem tanta ulterius honestârit nobilitas, habeo profectò gratissimum. sunt enim hæc nonnulla virtutum tuarum merita, non satis quidem digna, ut par est: cùm longè majora tibi debeantur. Non potest enim tanta viri & tam excellens doctrina ad summa rerum fastigia non extolli. Quod ad filiolum nostrum attinet, prospere valet. Mittam enim ad te, dum tamen caloris intemperies paulò remissior facta fuerit. non ferret enim sine discrimine tantos æstus ætas tenella. jam igitur ut valeas, cupio, meque tuis literis nonnunquam revisas. Gebennis, secunda Augusti, Anno 1525.

Agrippa ad Amicum. LXXIX.

A Tempore, quo hinc abiisti, uxor mea peperit mihi filium, compater fuit Cardinalis Lotharingus. Cæterùm expecto abs te Ptolomæum, quem pollicitus es, ut mittas his nundinis, tuumque recipias, qui jamdudum relegatus est. Longiores ad te literas scribere non datur propter occupationes meas occupatissimas. Hodie siquidem recedit hinc Princeps mea, comitaturque filiam ituram in Hispaniam: ego manere jussus Lugduni, donec revertatur, vel aliter de me statuat. Interim oro ad me rescribas, desq; argumentum sæpe & multum deinceps scribendi rescribendique. Vale, & tuos amicos omnes valere jubeto, inprimis D. præsidem Doriam. Salutat te uxor

te uxor mea, atque ego tuam. Antonio physico me commendatum habe. Iterum vale, & fœliciss imè. Ex Lugduno, octava Augusti, Anno 1525.

Amicus ad Agrippam. LXXX.

GRatia & pax à Deo patre & domino nostro IESU Christo. Egregie vir, atque mihi inprimis colende, non aspernaberis, spero, literas meas, cùm non sis dedignatus, dum hîc eras, tam suaviter ac familiariter toties mecum colloqui: qua tua humanitate, mihi satis, ni fallor, cognita fretus, hunc tibi commendo Christophorum harum literarum indicem: qui nisi tantis precibus hoc à me efflagitasset, (tanto etenim tenetur desiderio tui) profectò haud ausus fuissem tantæ eruditionis nec non autoritatis virum nugis meis obtundere. Est autem is juvenis usque adeo ingenuus, non ineruditus, &, quod maximum judico, tam integræ fidei, ut ipsi non admodum sit opus mea commendatione, sed ut seipsum facilè commendare queat: tua verò tanta facilitas, ut etiam à nullo commendatum, non dubito, quin facilè admitteres. Quare, quæ tua est humanitas, hanc meam epistolam æqui bonique consulas, quæso. Christophorus hic tuis usibus, si quid commodare possit, non deerit. Vale, & nostri sis memor, oro. Salutem tibi nuntiari jubent D. Ioannes Vannius musicus, & uxor mea. Ex palæstra mea literaria, Friburgi Aventici, septimo idibus Augusti, Anno 1525.

Agrippa ad Amicum. LXXXI.

LIteræ tuæ, Vlriche amicissime, atque is, qui illas attulit, Christophorus, adeo mihi acceptæ fuêre, ut fatear me abundè debere tibi infinitas gratias. spero siquidem juvenem illum mihi & fidum & diuturnum ministrum fore: cui quod ad victum & vestitum opus est, nihil patiar defuturum. Cæterũ, modò penes me perseveret, nihilo reddetur indoctior, nec incivilior. Vale fœliciss imè, & ad nos sæpius rescribe. E Lugduno, decima nona Augusti, Anno 1525. Communes amicos omnes salvere jubeto.

Agrippa ad Amicum. LXXXII.

TAmetsi occupatissimus, volui tamen vel id tantillum scripti ad te dare, ne me tui arbitrareris oblitum. Deniq; eruditissimus Papilio in suis literis salutem ad me ex tuo nomine scripsit. Gavisa est vehementissimè tota ecclesia sanctorum,

qui apud nos sunt, audientes fructum verbi apud aulicos, itidem apud Galliam ferè omnem. Glorificamus quoque Dominum pro Macrivi servi Dei constantia. Scripsi multis de gloria verbi apud vos, quæ non dubito tibi communia facta esse. Benedico Dominum, quod semper idem es, nempe veritatis amator. prosequere. namque ea ratione felicior es, quàm reliquis omnibus. nam quid simile veritati? Vtinam mihi liceret venire in Gallias, ne semper mutus essem. fiat voluntas Domini. langueo, fateor, quod tamdiu taceam. Non dubito te scire me factum conjugem, & librum meum de conjugio forsan vidisti. Donavit Christus nobis filium vicesimo nono Novembris. Adhuc in puerperio est soror mea. puer Isaac nomine sanus est. Ora, ut vivat in gloriam Dei, illumq; docere possim, ut sit alieniſsimus ab antichristo, & figmentis hominum. Paupertatem multam sustinemus. nam omnia carissima, & obruor ego debitis multis. fratres aulici, & forsan tu cum illis, miserunt mihi aureos solares viginti. nihil opportunius habui unquam. in omnibus benedictum nomen Domini, qui juvit nos. & potens est nos liberos facere à tam extrema paupertate. Gratias ago omnibus, qui dederunt & juverunt paupertatem meam. Salutat uxorcula mea te, & simul salutamus uxorem tuam in Domino. Lætor, si prosperè apud te sint omnia. Salutat te tota Ecclesia nostra per Christum, Capito maximè: & tibi ac omnibus fratribus fœlicia à Domino precamur. Suade pro me bona, quibus potes, & qui possunt. Scribe, quid Gebennis agatur, an scilicet verbum ament. sit quandoq; vicissim literarum consuetudo. Gratia & pax Domini nostri Iesu Christi cum spiritu tuo. Argentorati, ultimo Decembris, Anno 1525.

EPISTO-

EPISTOLARVM LIBER IIII.

ILLVSTRISSIMAE PRINCIPI AC DOMINAE, Dominae Margaretae, è Christianissimorum Franciae regum sanguine, Alenconiae ac Bituricensis provinciarum duci, Armeniacorumq; Comiti, Henricus Cornelius Agrippa S. P. D.

EPISTOLA I.

SI voluntatem erga me tuam pari scientia scribendique otio adimplere possem, Princeps illustrissima, jam arduum aliquod opus aggressus amplo volumine, profundissima sacrarum literarum mysteria, vel difficilimas evangelicæ philosophiæ rationes, & quæ adhuc in tenebris delitescunt, exposuissem: sed domesticis meis hisq; necessariis negotiis incessanter continuoq; occupatus, sine magno rei familiaris meæ detrimento scribendi officio vacare non possum. Scribendum tamen aliquid est ad te, tam beneficentissimam Principem. quod vel egregiam laudem tuam contineat, insignemve doctrinam adferat: Sed ut laudare omnibus facile est, ita docere quàm difficile: Nulli enim, nisi penitus elingui, in tanta virtutum tuarum copia celebranda, deesse posset oratio, quarũ splendor sermonis ubertatem facilè tribuet scribenti: docere autẽ te eò difficilius est, cùm tanta sit in te vitæ morumq; integritas, ut quælibet sublimis doctrina sat esse vix possit. Nobis itaq; donanda est venia, si non tuam excellentiam condecens, sed secundum vires nostras, temporisq; indigentiam debitum munusculum obtulerimus. Accipe igitur benigno animo de matrimonio brevem declamationem, non quod te hanc vitam docere velim, quam tu perfectissimè nosti, & observasti sanctissimè, atq; quod tota oratio verbis eloquitur, tu operibus ipsis hactenus religiosissimè præstitisti, ut non tu docente hac oratione, sed te exemplo hæc indigeat oratio: ideoque tibi præ cæteris dedicanda erat, ut nostris scriptis reddant testimonium opera tua, atque illorum contumelioſæ, ac sacrilegæ objectioni, non tam verbis, quàm operibus responsum sit, qui dicunt, Sapienti non esse nubendum, stultumque esse, qui cùm posset in

НАУКОВА БІБЛІОТЕКА ОНУ ім. І. МЕЧНИКОВА

libertate vivere, conjugali jugo se subjiciat. At hi quantum errent, satis ex ipsius matrimonii dignitate necessitateque probatur. Tantum enim abest à culpa nubere, ut duobus duntaxat hominum generibus exceptis, qui contempto matrimonio nō nupserit, velut Christianæ religionis prævaricator, mortalis culpæ perpetuæq; pœnæ reus, ab omnibus sit contemnendus atque evitandus. Vale, anno 1526.

Ioannes Capellanus Henrico Cornelio Agrippæ.
S. D. II.

SVscepi literas tuas, mi Agrippa, cùm ex Bayona rediremus. salutavi illustrissimam dominam tua ex parte, non sine cō mendatione (ut solitus sum) tui nominis. video rem tuam, quā non solus desideras sed & ego tecum, nōdum fieri posse, quantum ex eadem domina intellexi, quæ in similibus rebus longa nonnunquam esse consuevit. sed ituri sumus brevi Parisios: nunc quantum intelligo iterum redituri Lugdunum, ut Christianissimus rex votum quod in Hispaniis fecit, sancto sudario, quod Chamberiaci apud Sabbatenses asservatur, persolvat. tūc non diffido rem tuam fieri facilè posse. interim, quoties de te inciderit sermo, fungar officio amici. Nonnulli, qui tamen de Christianorum numero censentur, propter nonnullos locos tuum istum laborem de conjugio parum probant: & sunt, quibus non infrequens est cum dominabus collocutio. Itaque veritus, ne in dedecus magis, quàm ad tui commendationem cederet, hactenus libellorum præsentationem distuli. Si tamen jusseris, qualescunque, præsentabo. Hic est quidam senio confectus, in chymica exercitatissimus: cum quo nondum mihi sermo fuit. ægrotavi enim gravi destillatione per multos dies: sed nunc, Christo adjutore, propemodum pristinæ integritati sum restitutus. Vale. Ex Burdegalia, secunda Aprilis, anno 1526. Vidi Natalem nostrum Bayonæ: & pollicitus erat se me hic visitaturum: sed, quantum credo, mutavit opinionem. nihil ab eo accepi.

Suo domino Ioanni Capellano, Physico regio, Henricus Cornelius Agrippa. *S. D.* III.

SCribis ad me, amicissime Capellane, esse in aula nonnullos, qui tamen de eruditorum numero censentur, & quibus non est infrequens cum dominabus collocutio, qui declamationem meam de matrimonio parum probant. Itaque veritus, ne res hæc in contentionem magis, quàm in commendationē mihi

mihi cederet, te libellos illos meos principibus nostris offerendos hactenus distulisse, donec me iterum consuleres. Audi ergo nunc sententiam meam. Inter aulicos magistros sunt, qui fœdas & spurcas scribunt facetias, & de arte lenonica comœdias, & ex penitissimis Veneris armariis deprompta lasciva carmina, ac de bellis amoribus pestilentes libros. Sunt &, qui hæc in varias linguas transfundunt. At hujusmodi libri sine offensa, sine reprehensione offeruntur dominabus, & leguntur avidè etiam à puellis Novellæ Bocatii, Facetiæ Pogii, adulteria Euryali cum Lucretia, bella & amores Tristanni, & Lanceloti, & similia, in quibus nequitiæ assuescunt fœminæ legendo: quarum quæ in his libris plurimùm edocta est, quæ horum jacere scit dicteria, & ex horum disciplina cum procis in multas horas facundè confabulari, hæc demum vocatur fœmina probè aulica. Quo miror, cordatos istos ac nasutissimos censores, qui res parvas tantis sæpe tragœdiis exagitant, circa hujusmodi non modo simulatè, sed & in illis perlegendis, traducendis, exponendis, plurimum occupari, idque etiam capita religionis episcopos. qualis ille Angolemensis, qui amatorias Ovidii Heroum epistolas in Gallicum sermonem convertit. Tales habent aulicæ dominę plerumque sacrorum suorum mystas: qui cùm nullos unquam didicerunt bonos autores, nec tantillum quidem bonæ eruditionis habent, quomodo possunt illi hæc mea probare, ab illorum instituto longè diversa. Tu igitur nunc libellos illos audenter offerto, nec putes Agrippam tuum, cujus nomen Ab ægris pedibus, plerique interpretantur, adeo podagricum, qui non audeat cum illis cordatis aulicis censoribus in arenam descendere. Non sum optimarum literarum tam exarmatus, qui non valeam & hæc mea defendere, simul & adversarios hostes confodere. Vale fœlicissimè. Ex Lugduno, prima Maij, anno 1526.

Agrippa Amico S. IV.

IAm propè annus est, ornatissime vir, quando Lugduni nobiscum fueras, vix ad triduum inde scripsi ad te pluries: accepi autem ex te literarum omnino nihil. nunc iterum nactus hunc oportunum nuntium, virum mihi amicum & fidum, qui iturus redieturusque has tibi defert, tuas ad me relaturus, mitto simul aliquid nugarum mearum, declamatiunculam de matrimonio Latinam, eandemque in vulgare Gallicum idioma traductam. illam tibi, hanc uxori tuæ (cui me plurimum commendari cupio) legendam destino, mitto etiam prognosticum

quoddam, idque meum, ex quo judicabis, quàm egregius evaserim astrologus. tu verò per hunc latorem remissurus es Cosmographiam Ptolomæi, quam Lugduni mihi pollicitus fuisti. denique, si quid penes me est, quod tibi queat conducere, nihil petes abs me frustra. Vale fœlicissimè. Lugduni, decima octava Aprilis, anno 1526. Domino præsidi, cæterisque amicis nostris omnibus me commendari opto, illosq; una tecum optimè salvere & valere jubeo. Salutat te uxor mea, ominaturque omne bonum. Saluta mihi Antonium medicum, virum cyclicè doctum.

Amicus ad Agrippam. V.

ACcepi literas tuas, candidissime vir, & cum eis libellulos, pro quibus gratias agimus & uxor & ego: misissem Cosmographiam Ptolomæi, quam pollicitus sum, nisi ea me fraudasset Martinus Pictor, qui jam decursis octo mensibus commodatò illam à me acceptam necdum restituit. Nec arbitreris me hæc causari, quò revocetur donatio: qui nosti, quàm tenacissimus sim observator promissi. Nisi intra proximas nundinas restituat, accipies à me pro tuo arbitrio aliam, qualem tibi apud bibliopolas delegeris. ego jam ad tres menses ita articulari morbo distorqueor, ut ferè in rabiē deciderim, nec adhuc est ulla certa salus, quanquam dolore jamjam sævire desierint, quanquam adhuc tamen ambulare nequeam. tu si quid certi remedii habes, rogo, ut tibi amico & quidem peculiari communicare velis, & cùm dabitur occasio, vicaria talione rependam. Novi hîc nihil habetur, quod dignum admonitione sit. Si quid interea à me velis, utere & abutere opera mea pro arbitrio. Nihil enim habes in rebus tuis tam tuum, quàm Conradum. Vxor mea tibi mille, & consorti tuæ mille salutes precatur. Vale, & me, ut consuevisti, inter tuos addictissimos adnumera. Chamberiaci, 5. Maii, anno 1526.

Agrippa ad Amicum. VI.

ACcepi literas tuas ex Burdigala ad me datas, Capellane amicissime, idemque semper observandissime, non modicum malorum meorum solamen. nosti enim, quæ me hîc oppugnet fortuna, posteaquam Princeps noster hinc abjit. non est, quod dicam amplius: Pandoræ olim adaperui, bona ferè omnia evolarunt, sola in labro restitit ἐλπὶς, spes scilicet: & huic jam propè crevcrunt alæ. hoc modo absente Principe propè totus perii: nec habeo, qui mihi subveniat, aut capiti, aut pectori, aut pedibus: obstupui cerebro, plus quàm Niobe: cordi nil inest consilii: quò refugiendum sit, ignoro: mustela fiam, an vespertilio, incertum est: illa decies in die mutat locum, hæc lucifuga non audet in publicum progredi, nisi per tenebras, & sese committere nocti: ad Deorum aliquem si convertar, quis me excudiet? nisi tu mihi divus aliquis efficiare, vel Apollo, vel Aesculapius? ac tantorum malorum remedium aliquod non tam vaticineris consilio, quàm re ipsa invenias. Quòd si, juxta mei nominis etymologiam, ægris procedat pedibus, tu Mercurius efficiare, ac pedibus illis alas connecte, & quos mei nominis fautores noveris, invenireque poteris, tibi adjunge, aggredere, corrupe, roga, obtestare, compelle, extorque: adde preces, supplicia, querelas, suspiria, lachrymas, & quicquid est, quo divos flectere solent homines: ego efficiam, ut nec tibi, nec illorum ulli unquam ingratus futurus sim. Cæterùm scribo illustrissimæ Principi, ac dominæ nostræ: ejus epistolæ exemplar his inclusum conspicies. tu literas illi reddito ea opportunitate, ut vel ipsa lectura sit, vel se coram legi audiat. Denique, quid mihi, qua ratione, quo ordine, qua via, quo consilio agendum sit, quibusve auxiliis opus sit, tu apud eandem dominam nostram facilè, quod spero, constitues & impetrabis. Reliquum autem est, ut quæstorem suum Barguinum exores, utin favorem meum scribat Lugdunum ad Martinum Trecensem, quò de constituto mihi à Principe stipendio, quod hactenus debetur, nunc tandem solvat, ni me una litera plus quàm medicum evasurum passurus sit. Vale fœlicissimè. Salutat te uxor mea, precaturque tibi omne bonum. Salutat te etiam Claudius sacerdos meus. deliberavi illum ad te mittere. sic namque & literarum mearum & negotii mei me posse certiorem fieri arbitror, cùm cæteri nuntii omnes ferme dubii sint. Iterum vale. Ex Lugduno, 6. Maij, anno 1526.

Suo Michaeli de Arando, Episcopo sancti Pauli in Delphinatu, pio ac verè theologo, domino suo observandissimo, Henricus Cornelius Agrippa S. D. in omnium salute IESU *Christo.*

VII.

MVlta quondam de conjugio doctissimè scripsit gravis autor Theophrastus: qua occasione meretrices omnes in se concitavit. è quibus prosiliit Leontium Metrodori scortum, quæ contra tantum virum etiam librum ederet, unde tandem

dem proverbium natum est, Arborem suspendio eligendam. Sic scripsi ego præteritis diebus declamatiunculam de Sacramento matrimonii, quam illustrissimæ Principi dedicavi. cujus sermo, ut scripsit ad me Capellanus noster, nonnullos, qui tamen de eruditorum numero censeri volùt, offendit. Verùm ego non video, fortè, ut fieri solet, in re propria cæcutiens, quid illi in libera declamatione tantopere criminari valeant. Quòd si matrimonii sacramentum illis nimiùm extulisse videar, agant ipsi partes castitatis suæ, & facilè concedam illis hanc, licet inter sacramenta non numeretur, tamen esse huic sacramẽto longè præferendam. Si quid aliud est, quod illos malè habet, deberent mihi errata mea, modò publica sunt, in faciem prostituere potiùs, quàm post terga apud aliquot aulicas mulierculas, sive etiam dominas, in calumniam trahere. sic namque illorum monita, qua decet reverentia, benignè exciperem, meque illis vel exponerem, vel purgarem, vel emendarem, ageremque admonitorum condignas gratias. Scio autem, quod duo sunt in declamatione nostra nodi, quorum me modestissimè commonuit reverendissimus Pater Cænalis, Episcopus Vincensis, vir admodum sorbonicè doctis. Vnum, quòd videat asserere, conjuges propter adulterium separatos, posse contrahere cum aliis. Respondi illi, me illud non intendere, sed quod ejus loci præcedens, sequensque sermo ostendit, agere me illic de matrimonii unitate, quę juxta verba Domini individua carnis unione consistit: quam unitatem ego nulla alia divortii causa posse dissolvi ajo, nisi sola fornicatione, ubi caro jam in plures dividitur. Præterea si quis ultra hæc urgeret me alterius sensus interpretatione, dixi illi, scire me, qui hunc quoque tuerentur, Origenem, Ambrosium, Gratianum & plerosque jurisconsultos: sed & Pollentium, contra quem de hac re, citra tamen hæresis crimen, disputat Augustinus, rursus æditis libris suam sententiam sic tueri, ut difficile sit judicare de victoria: habere me præterea exempla aliquorum episcoporum, & factũ ecclesiæ, quæ quod agit, autoritate Dei agit: quæ autoritas non minor est in ecclesia, quàm olim fuit in synagoga. Si ergo Moyses in synagoga contra divinam legem, quæ fuit ab initio, concessit Iudæis quacunque etiam alia de causa, repudiatis conjugibus, aliis copulari, posse etiam Pontificem, post rejectam ecclesiastica autoritate adulteram concedere innocenti alias nuptias. Nequę enim in Evangelio legitur, quòd mulier, quæ repudiato marito alium duxerit, mœchatur, sed quòd qui repudiatam duxerit, mœchatur. Itaque in hoc negotio liberam esse

ecclesiæ autoritatem, connubia hæc pro rationabili causa concedere, sicut adimere. Nam Hostiensis, Panormitanus, Vincentius, & plerique alii canonici juris interpretes non verentur dicere, Papam gravi aliqua de causa posse etiam dispensare contra totum novum testamentum, salvis duntaxat fidei articulis: quos tamen illius sit interpretari. atque hi doctores sic scribentes, interim habentur maximè orthodoxi. Tandem dixi, hanc disputationem non facere ad declamationem meam, sed priorem mentis meæ expositionem: remisique ad Erasmi annotationes, ac ejusdem contra Leum apologias. Alterum verò, quod adnotat dictus Episcopus, id erat, quòd inter eos, quos à matrimonii lege exemptos dixi, ajebam, qui acti spiritu Dei, perpetuam castitatem delegerunt: urgebat eum hoc verbum Perpetuam, tanquam rigidum nimis & asperum his, qui pro tempore experiuntur in sè vires castitatis, nolentes infirmitatem suam adligare perpetuitati. Respondi me iccirco non scripsisse, Qui voverunt, sed Qui delegerunt, aliquo videlicet bono proposito, quo stante & durante exempti sunt à lege matrimonii, nec priùs incipiunt obligari connubio, donec incipiant uri. ni fortè aulici illi mystæ putent, melius esse scortari, quàm nubere. His auditis, Reverendus Pater ille acquievit sententiæ: oravitque & consuluit sic per epistolam declarari, ut auferretur offendiculum: tandem cætera omnia laudavit. Nec cogitare possum, quos offendere possint reliqua, ni fortè aliquos aulicarum nuptiarum consultores, ne dicam lenones. quibus hæc declamatio offam eripere videatur, aut fortè qui lascivia perditi, tanquam insanientes equi, ut ait Hieremias, ad uxores proximi libenter adhinniunt, & adprobari cuperent sua vitia multitudine peccantium. Tuæ autem fortitudini hanc declamatiunculam, illustrissimæ Principi tuæ dicatam, nunc insuper tuendam commendo: teque ad hoc certamen provoco contra ejusmodi Cerberos Herculis instar, pro hujus sacramenti gloria, pro absentis mei defensione, pro veritate ipsa fœliciter validissimeq; certaturum. Vale fœliciss imè. E Lugduno, 7. Maij, anno 1526.

Agrippa ad Amicum. VIII.

SI ab astris est hominum vita atque fortuna, quid sollicitamur? quin Deo hæc & cælis, qui nec errare, nec malum agere possunt, relinquimus? atque homines cùm sumus, nihil ultra vires nostras, sed humana duntaxat sapimus? Quin & Christiani cùm sumus, credentes Christo, linquamus horas, & mo-

mentia

menta Deo patri, qui ea posuit in sua potestate. Quòd si, quæ diximus, ab astris non sunt, ædepol in vacuum currit omnis astrologus. Sed est hominum genus adeo timidulum, qui, tanquam pueri, ad lemurum fabulas plus timent, creduntque magis ea quæ non sunt, quàm ea quæ sunt. iccirco rerum futurarum cognoscendarum nimia aviditate cæcutientes, quò res est minus possibilis, ut reversurum universorum diluvium, hanc eò timent magis: atque quò res est versimilis minus, ut astrologicis delectionibus rerum fatales leges posse defraudari, hanc eò magis credunt: qui, si non essent astrologi, proculdubio perirent fame. Atque hi apud me instant, ut ex me futurorum occultorumque prognosticum accipiant, ac si mea professio ea ipsa sit, nec alia ab astrologia. Hos ergo ne frauder opinione sua, hoc ascriptum prognosticum, idque duplici glossa vestitum, licet post Kalendas editum, illis remitto, ut sciant, qualem me opinantur astrologum, talem esse etiam prophetam, & me scire eorum frui stultitia. Vale.

Agrippa ad Amicum. IX.

NEscio, an planè venia dignum sit, reverende Pater, me, vix trium dierum habita tecum consuetudine, aliquid abste petere, etiam sine ullis meis meritis præcedentibus: sed quia te non latére arbitror, quanta mihi sit fueritque jam pluribus annis cum propinquis & affinibus tuis familiaritatis amicitiæq; necessitudo, confido, quòd me non solùm ab hac præsumptuositate absolvas, sed & gratiam benevolentiamque tuam mihi insuper sis conduplicaturus. Ea spe, quid te oratum velim, nunc aperiam. Rex noster cùm ad Massilienſem obsidionem solvendam procederet, pollicitus erat nescio quod grande bonum: rem hanc pro me procurandam suscepit ex commisso Regis Dominus de Ryans capitaneus cataphractorum: is modò obiit mortem: conscius tamen est regiæ pollicitationis dominus Senescallus Lugdunensis compater meus, cui unà cum istis scribo in idipsum: deinde Princeps mea, Regis mater discedens Lugduno, prohibuit ibi domicilium figere, pollicita, sese evocaturum me in penitiorem aliquam Gallicam urbem, ubi, composita re familiari, paratiorem me haberet in ministerio. Quid de me futurum sit, ignoro, ac dubito: vereorque, ne, occupatis principibus jam maximis negotiis, ego interim absens excidam memoria, quò tandem diuturna expectatio mihi ad famem redeat. Oro itaque humanitatem tuam, ut hanc unam pro me curam suscipere digneris, atque aliquando, & quoties

& quoties tibi oportunum videbitur, apud Regiam Majestatem ac penes Principem meam, Regis matrem, de me mentionem aliquam oriri facias: ostendasque, me illis fore non omnino inutilem, meque illis, qua potes, de meliore nota & charum & commendatum reddas. scio namque, quantum commoditatis mihi commendatio tua adlatura sit, si me hac gratia tua impartiri velis. Sed & illud te admonitum esse velim, mihi non solùm re ipsa, sed rei celeritate opus esse. Si quid ergo de me statuere decreverint, sive Rex sive mater Regis: oro cures id quàm citissimè expediatur: atque ego curabo, quòd tuam Reverentiam mihi profuisse nunquam pœniteat. Vale fœlicissimè, & his audacibus parcito literis. Ex Lugduno, sexta Maii, anno 1526.

Amicus ad Agrippam. X.

QVòd usque in hunc diem distulerim ad te scribere, in causa fuit quæstoris nostri Barguini absentia. is, ut est bonarum literarum, literatorumque amantissimus, pollicitus est facturum, ut Lugduni à Martino à Troia tui stipendii pecuniæ dinumerentur. nihil minus tui absentis, quàm præsentis, rem curavi. domina non denegat se aliquando facturam, quod cupis, sed in longum protrahit, nec putes eam in rebus meis, quàm in tuis, diligentiorem. Vtrumque sollicitabo, urgeboq; Barguinum, ut quàm primum tibi provideat. Ajunt Regem nostrum, posteaquàm Parisiis fuerit, Chamberiacum concessurum, ut sancto sudario vota persolvat. tunc facilius erit rem tuam componere. Literas tuas, quas de operibus Caloni mentionem faciebas, non accepi. Fuimus hactenus, & adhuc sumus in peregrinatione quàm tædiosissima. Vtinam mihi quiescendum esset ab his curiæ procellis. est mihi curialis vita quàm maximè exosa. Natalem Tholosanum vidi Bajonæ. pollicitus erat Burdegaliæ me convenire: sed nec hominem vidi, nec, quò pervenerit, intelligere potui. Gratia domini nostri IESU Christi tecum & cum modestissima consorte tua. Cogniaco, decimaseptima Maij, anno 1526.

Agrippa ad Amicum. XI.

DOlore artetico, quo te adeo distorqueri scribis, adfectum te doleo quàm maximè. Vtinam omne hoc malum, & si quod reliquum est, in N. (hem calamum compesco) de me pessimè meritum, devolasset. Remedium tibi mitto his literis inclusum, videlicet confectionem in tabulis laxativam, quæ

qua cum consilio medici uteris, humorum peccantium subductione, priùs tamen per syrupos jam digestorum præmissa: deinde cataplasma, quo instante dolore intenso pro ejus sedatione, & agitatæ materiæ resolutione dolenti membro applicabis. Porro de secretissimis meis mitto per me jam in pluribus expertum unguentum, quod etiam apud te secretum manere cupio: cujus usu summam assequeris curationis. Cosmographia Ptolomæi, quonam penes te non est, facilè carere possum, usque dum recuperaveris. Si alia quævis bonorum librorum volumina apud te dupla sunt, eorum, quod supereſt, mihi impartiare. scis enim, quàm sim ego helluo librorum, nec ullam supellectilem mihi magis parare curem aliam. Vale fœlicissimè, & valetudinem tuam imprimis & diligenter curato. De Achille nostro scire cupio, num illum pœnituerit adhuc cucullæ, & quòd libertatem commutaverit Calopodus. Vxor mea unà mecum, ambo nos, ambos vos, te & uxorem tuam, optimè salvere atque valere jubemus. Ex Lugduno, decimaseptima Maii, anno 1526.

Amicus ad Agrippam. XII.

LIteras tuas illustrissimæ Dominæ nostræ præsentavi: sed de ea re, quam ego tecum speramus, nihil certi definivit. scis, quanta uti consueverit dilatione in negotiis expediendis. quod ego in re propria satis sum expertus, & quotidie experior. qui jam tot annos eandem solicitavi in re unica, quam necdum sum consecutus, & consequi ferme desperо, etsi non infrequenter pollicita erat se facturam. Ejusdem dominæ quæstor scribit ad Martinum Trecensem pro solvendo tibi tuo stipendio. Tractatur apud nos negotium pacis. quisnam tamen futurus sit exitus, incertum est. Ago gratias de tuis prognosticis. unum illorum dedi Barguino nostro. Die crastina hinc solvemus ad Parisios, exinde ad sanctum Germanum profecturi. Salutari cupio meo nomine modestissimam uxorem tuam, & dominum Claudium sacerdotem tuum, scripsisti, si bene memini, illum te velle mittere ad nos, sed id ne feceris. nam incerta est mihi sedes. Vale. Cogniaci, vicesimasexta Maij, anno 1526.

Amicus ad Agrippam. XIII.

FEstinantia tabellarii effecit, ut nunc tecum paucis agerem. Barguinus tua causa scripsit ad Martinum Trecensem. dominus episcopus Vasatensis in tuam commendationem allocutus est Regem. qui cùm bonam de te haberet opinionem, nunc

nunc meliorem concepit, &, ut uno verbo meum erga te animum intelligas, crede mihi, rem tuam, atque meam, vel multò diligentiùs curabo. Vale Angolisinæ, prima Iunii, Anno 1526.

Amicus ad Agrippam. XIV.

REdditæ fuerunt mihi literæ tuæ, quibus acceptis & intellectis allocutus sum regiam Majestatem de meritis tuis, & promissis tibi stipendiis. Illic mihi optimum dedit responsum, teneasq; pro certo, te apud illum esse in optima æstimatione, & quod stipendia pollicita habebis, & majora. Dominus Capellanus dixit mihi scripsisse se cuidam thezaurario Lugduni commoranti, de mandato ipsius dominæ matris Regis, ut de stipendio tibi consueto solvat debitam pecuniam. Ego semper habeo negotia tua apud Regem commendata: & si quid præterea potero aliud pro dominatione tua, semper ero paratus pro posse adimplere, quæcunque videro esse ad honorem & utilitatem tuam. Tu scribe mihi sæpius: in hoc rem gratissimam mihi facies. Vale. Ex Petragoricensi civitate, secunda Iunii, Anno 1526.

Reverendo Patri ac Domino, Domino Symphoriano, Episcopo Vasatensi, domino suo observandissimo, Henricus Cornelius Agrippa S. D. XV.

VIx eloqui possum, ornatissime Præsul, quanto gaudio me affecerit epistola tua, qua mihi regiæ Majestatis benevolentiam beneficentiamque indicasti: quanta denique me tibi obligaveris observantia, qui tanta pro me apud eandem Regiam Majestatem operatus es, & majora te facturum insuper polliceris. Cogitanti itaq; mihi, quónam studiorum meorum testimonio pro tanto beneficio animi in te mei gratitudinem aliquam ostendere possem, ac circumspectanti, quæ in chartacea mea supellectile recondita tenerem, subitò offerebat sese oratio quædam, sive dicam epistola, qua quondam ad quorundam amicorum improbas preces respondere deliberavi ac illos à gentilis theologiæ studiis dehortari ad evangelicam doctrinam. Hanc itaque relegens pauculis recognovi, dignum arbitratus argumentum, quo te donarem per hoc breve temporis spatium, quo mihi facultas non est ampliora scribere, nec tibi qui ex officio tuo apud Regiam Majestatem nunc aliis studiis ac curis occuparis, otium adest ampliora perlegere. Optimum proinde ratus sum de re utili ac profutura paryum

libellum mittere, quàm de vilioribus & abjectioris momenti amplissimum volumen. Accipe igitur nunc fœlici auspicio nostrum, quantulumcunque est, licèt majora virtus tua mereatur, literarium munusculum: ipsumque non ab exiguitate voluminis, sed ab utilitate ac veritate doctrinæ studiique in te mei observantia existimato. Dehortationem autem hanc ideo tibi inscriptam voluimus, ut te illius argumenti exhibeas patronum, ac Christianissimo Regi vestro persuadeas, ut pro sui nominis præcellentia, quo Christianissimus vocatur, ac debito suo, in hoc Christianissimo regno, Christi literas ab omni gentili, exotica & adulterina doctrina repurgatas, ac etiam à sophistarum laqueis liberas, liberè docere jubeat atque tueatur: in hoc siquidem suo Christianissimo nomini dignissimum piissimumque Regem sese exhibiturus. Vale fœlicissimè, &, quo cœpisti, amore me diligere ne cessa, ac R. Majestati charum commendatumque redde atque conserva. Iterum vale. E Lugduno, decima Iunii, Anno humanæ salutis 1526.

Agrippa ad Amicum. XVI.

OCtava hujus mensis ex præsentium latore laconicâ quandam schedam tuam, quam prima ejusdem festino calamo ad me scripseras, accepi: quas autem priores à decima septima Maji ad me scripsisti, posteriores ego hujus mensis undecima accepi: & simul quas antea misisti, datas Maji 17. omnes quidem literæ tuæ narrant dinumerandam mihi Lugduni pecuniam: sic præceptum à Domina, scriptum à Barguino: idem etiam domini Episcopi Vasatensis, domini Senescalli Lugdunensis, & Baronis Laurencini literæ sonant, atque hac spe sola jam egregiè beatificatus sum: cæterum ne mica quidem pecuniarum hactenus data est: ac Martinus Trecensis sibi nihil à Barguino scriptum, nihilque commissum ait, & mihi res mea jam non (quod dicitur) ad retia, sed ad telam rediit aranearum, ac dimissis bonis avibus, muscas venari cogor. Claudius sacerdos per me missus Friburgum rediit à biduo citrà. quid attulerit, narrare non capit festina hæc epistola. Mitto libellum quendam domino Episcopo Vasatensi inscriptum. hunc oro, ut reddas, ut reverentiæ suæ commendatum facias. Verum tu ad literas meas omnes nondum integrum responsum dedisti: & quid de matrimonio nostro actum æstimatumque sit. Vale. Proximis literis ampliora scripturus sum. tu interim persevera in re mea procuranda, atque ego tibi non verbis, sed reipsa & opera gratias agam, si modò sic

sic Deus ipse nostra direxerit negotia, ut tibi unquam in aliquo prodesse queam. Iterum vale. Ex Lugduno, decima quarta Iunii, rapidissimo calamo, Anno millesimo quingentesimo vigesimo sexto.

Frater Petrus Lasinius, ordinis Prædicatorum, sacræ Theologiæ magister, Henrico Cornelio Agrippæ, Iurisconsulto, Medico & Theologo Trismegisto, eruditissimo & eloquentissimo salutem. XVII.

VIrorum & doctissime & eloquentissime salve. Olim cùm declamationis quadragesimalis officium apud Lugdunenses exercerem, tuam doctissimam dominationem cum aliquot amicis nostris in cœnobio Prædicatorum sæpè sum allocutus: nunc autem quia cognovi, iterum te apud Lugdunum esse, volui præsentium latorem, mei amantissimum, eò sine literis ad te meis accedere. Scripsissem autem literas ampliores, nisi maxima oppressus essem animi angustia, quam referet tibi is, qui has redditurus est literas. cui, ut mihi ipsi præsenti, credas, & si quippiam auxilii impendere valeas, id facias etiam atque etiam oro. utinam hic adesses, ut te & alloqui & amplecti possem. Vale bonarum literarum decus. Ex Matisconensi cœnobio, idibus Iunii, Anno millesimo quingentesimo vigesimo sexto.

Amicus ad Agrippam. XVIII.

VEllem ego, clarissime vir, his meis ad te literarum mearum primitiis me tibi non tristia sed jucunda nunciare potuisse. Nunc verò aliter res sese obtulit, & te hæc scire convenit, quæ contigerunt adversa, si modò ea adversa nominanda sunt, quæ à Deo atque natura, tanquam inevitabili quadam lege, nobis inferuntur. Mortuus est amicus noster Guilhelmus, medicus Divionensis: qui cùm die Iovis præterita plus justo oppleto fructibus stomacho cœnasset, incidit in colicam primò, deinde in iliacam pernitiosam, cui malo ipse non parum addidit (ut solent homines in rebus propriis cæcutire) perverso medendi ordine, adeo quod mirum sit hominem tamdiu versatum intrà medicorum canones, tunc, cùm maximè illi opus esset, potissimum aberrasse. Vocatus fui ego post triduum ægritudinis suæ. veni ad illum jacentem in lectulo & graviter afflictum. aderat febris continua, cum forti caumate atque singultibus: malum in his morbis prognosticum. vocavi Nicolaum medicum, is

occupatus erat alibi. advocavi etiam Dionysium Thurini: is accessit nobis die postera. quid dicam? invenimus signa prioribus pejora: frigescentia extrema, pulsum formicantem, & quæ solet præmittere pernicioſum atque immedicabile, mortis malum: jussimus administrari sacra, & religioni Christianæ illum vota persolvere: sic extinctus est die hesterna hora vespertina, & adpulit quò currebat, & quò eum ipsi sequemur. Tuum nunc est, relictam ejus uxorem consolari & juvare prolem. nihil melius impendere poteris amico defuncto. Nam mœstitia, luctus, vestium umbra & squalor illum nec excitare, nec juvare possunt, & superstiti conjugi ad dolorem etiam damnum adferent. Quid plura? tu in his rebus longè melius consilium præstabis, quàm abs me accipere poteris. Vale fœlix. & dominum Petrum Turrelli meo nomine salvere jubeas. Iterum vale. Ex Lugduno, decima sexta Iunii, Anno 1526.

Reverendo Patri, Sacræ Theologiæ magistro, ac Dominicanæ professionis, in Christo fratri, magistro Petro Lavino,
Henricus Cornelius Agrippa
S. D. XIX.

ASTrologiam divinatoriam, sive (ut dicitur) judiciariam, non aliam esse, quàm superstitioſorum hominum fallacem conjecturam, qui de rebus incertis scientiam fecerunt, in qua decipiantur, in comperto habent fermè docti omnes. hanc præterea rident nobilissimi quique philosophi, repellunt Christiani theologi, sacraque ecclesiæ concilia damnârunt. at tu modò, cujus officium est alios ab his vanitatibus dehortari, oppressus, vel potius cæcutiens, nescio, qua, ut scribis, animi angustia, ad hanc, tanquam ad sacram ancoram, cõfugis, & tanquam non sit Deus in Israel, mittis ad consulendum Deum in Accaron. numne putas juvabunt te astrologi cœlorum, sive aruspices cœli? Esto, per discursum humanæ rationis & sensuum experientiam cùm probatæ sint hæ scientiæ, tamen opinionum varietate, illarumque ambigua obscuritate sic involutæ sunt, ut sæpissimè mentem nostram præstigient, judiciumque rationis pervertant, & deceptos nos difficilè cogant, sicut ait Esaias, in multitudine consiliorum suorum. Esto insuper, multa vera prædicent astrologi: fateor. sed & multa simul profundunt mendacia. ubi autem possunt hæc discerni? Vana sunt omnia & incerta, & quantò plus laboraverit homo ad quærendum, ut ait Salomon, tantò minus inve-

inveniet: & etiamsi dixerit sapiens, se nosse, non poterit tamen reperire. Ne tamen tergiversari videar, & laborem pro amico subterfugere, quò voti tui compos fias, faciam pro te, quantum de his didici & memini, si modò te primùm commovero, nolle me, ut his judiciis plus fidei tribuas, quàm conveniat ab homine Christiano ac religioso atque theologo. Cæterùm verò si quid hæc scripta mea correptionis habere videntur, in eam partem accipe, qua me non modò Iurisconsultum & medicum, sed & theologum salutasti, atque quatenus ego pro Christianæ fidei jurejurando tibi proximo & in Christo fratri teneor inter te & me solum. hæc repentino calamo ad te scripsi. Quod superest, cum eo nuntio, qui tuas ad me detulit literas, accipies. Vale fœlicissimè. Ex Lugduno, decima octava Iunii, Anno salutis nostræ, 1526.

Suo Ioanni Rogerio Brennonio, Curato sanctæ crucis apud Metenses, Henricus Cornelius Agrippa,
S. D. XX.

OCcurrit mihi pridie in via Christophorus præsentium lator, quem nosti. hunc ut conspexi, toto animo exultavi, percunctatus, num quas ex te mihi referret literas, ubi ait, nullas, mox consternatus, nunquid tibi siniſtri aliquid advenerit, anxius exquiro. tandem, intellectis omnibus, & te bene valere & prosperè agere, illumque in culpa esse, qui me anno elapso non, qua debuit, diligentia perquisisset, redii ad meipsum: dolui tamen permaximè, me nullas tuas hoc biennio accepisse literas, nec ullum habere, qui meas ad te curet, fidum internuntium. ea tamen de re diligentius requirens. narravit mihi hic lator, esse, nescio quem, mercatorem apud Burgum divi Nicolai, qui illorum curat ad Lugdunum negotium: tu rem hanc melius percunctare: & si is, vel alius quispiam homo bonæ fidei est, per illum mihi ad proximas nundinas rescribe, & me de omnibus certiorem redde, mittasque librum Stenographiæ Tritemii. Præterea scis me quondam composuisse ac scripsisse currenti mea litera in oblongo volumine quandam Geomantiam, ab ea vulgari longè diversam: hæc penes me periit, nescio quomodo: ánne vel illam dum Metis discederem, penes te reliquerim. si ita est, vel eandem, vel ejus duplum ad me remitte. Cæterùm ego adhuc Lugduni maneo, sed incerta sede. Rex siquidem ipse, ejusque mater, Princeps mea, fortassis in penitiorem aliquam regni urbem traducturi sunt. Quicquid de me futurum sit, scies: modò non desit fidus

nuntius. Tu, quæ ad me missurus es, fac ad manus domini receptoris Claudii Laurencini, qui præceptoris divi Ioannis Metensis frater germanus est, perveniant: simulque quid ex Colonia novi habeas, quid agant mater mea, soror atque nepotes, rescribas: illosque de statu & valore meo certiores reddere cures. Commendo tibi funeralia charæ quondam conjugis in ecclesia tua sepultæ, ne quid circa illa omittatur: quin, ut disposuimus & fundavimus, sic omnia executa sint & exequantur: idque te per ejus, quæ secum tibi mecumque consuetudo fuit, memoriam, perque sacrum perpetuæ amicitiæ nostræ vinculum etiam atque etiam obtestor. salutabis mihi Tilmannum, & Carbonejum, & Tyrium nostrum, cæterosq; amicos omnes: atque auriculas Iacobi librarii. nam (quod audio) ipse pro Lutheranismo illas solas Metis reliquit, reliquus totus absens: attamen ob veterem consuetudinem, vel inauriculatum, salutari volo: quin te inprimis optimè valere jubeo. Ex Lugduno, 23. Iunii, Anno millesimo quingentesimo vigesimo sexto.

Agrippa ad Amicum. XX.

HEri vesperi ostensæ fuerunt mihi literæ reverendi Episcopi Vasatensis ad Petrum Sallam cognatum suum, in quibus mei mentio erat, talis videlicet: Dominam Principem nostram rursus & iterum præcepisse, dinumerandam mihi Lugduni pecuniam pensionis meæ: sed hac spe jam multis literis confirmatus, hactenus egregiè pastus sum: verùm pecuniarum ne semissem quidem degustavi. locutus sum adhuc heri Martino Trecensi: is ait recepisse se à Barguino literas pro dinumerandis pecuniis, nescio quibus: verùm mei in illis nullam omnino mentionem esse: negatque, ad me quippiam se habere mandatorum. Itaq; quid monstri alatur, non satis intelligo: & ego longius absum, quàm ut rem meam procurare possim. Hoc autem non ideo scribo, quod de tua in re mea diligentia & mutua inter nos benevolentia subdubitem, sed quod quæstoris nostri vel aliorum, à quibus res hæc pendet, negligentiam reformidem: quibus ego fortè, tanquam peregrinus homo, atque illorum obsequiis ineptus, posthabendus ac projiciendus censeor: de te verò prorsus dubium mihi nullum est, quin in numero me habeas amicorum. qui cum quo magis esse cupio, hoc avidius literas tuas quotidie expecto, quæ sic me suspensum habent, ut quid agere debeam, prorsus ignorem. Te igitur nunc iterum oro, quapotes,

potes, apud Principem nostram commendatione me adjuves: sin minus, saltem tu me desperare jubeas. Scripsi tibi à decima quarta hujus mensis per servitorem Baronis Laurencini comparis mei, misique unà libellum reverendo Episcopo Vasatensi destinatum: nescio adhuc si receperis: tu rescribas velim, & sæpè & amplè & ad omnia atque singula respondeas, nam de multis ad te scripsi hactenus, atque nihil hucusque respondisti. Salutat te uxor mea, precaturque tibi omne bonum. Dominus Claudius rursum abiit in Germaniam, brevi reversurus, unà cum opere, quod nosti. Vale fœliciss ime. Ex Lugduno, ultima Iunii, Anno millesimo quingentesimo vigesimo sexto.

Agrippa ad Amicum. XXII.

EX literis tuis, reverende Præsul, facilè perspexi, quantum mihi fortuna promittat boni, cum tu me in numerum amicorum tuorum susceperis, ac te mihi adjutorem præstiteris, ac regiæ majestatis gratiam benevolentiamque impetraris. Itaque nunc totum me tibi dedo: tuum consilium tuumque imperium sectari statuo: & quicquid apud Christianissimum Regem nostrum de me statueris, gratissimum acceptissimumque habebo: quin & te pro me fœlicia conaturum non diffido. sed ego fortassis longius absum, quam ut votis meis satisfieri possit. oportet siquidem fortunæ etiam diligentiam præsentiamque esse conjunctam. ego autem detrusus sum in hunc angulum, tantaque indigentia captivatus, ut pedem referre non possim, cùm de pensione mea ne obulus quidem adhuc dinumeratus est, quamvis tua Reverentia, atque Capellanus jam sæpè ad me scripsistis, præceptum à Domina, ut Lugduni solveretur stipendium: verùm qui id facturus erat, negat se quippiam in mandatis habere: præterea si tua Reverentia apud Regiam Majestatem non juverit, periit totus: verùm ego, ut multa quidem à te mihi magna & præclara polliceor, tamen gratius atque optatius, quàm hoc, nunc aliud non expecto. Quod si apud Regiam Majestatem ad præsens magna procurare non liceat, poteris tamen mediocria, quanquam propitio tuo numine temporis accessu, cui inservire semper necessum est, etiam majora non desperem. Vale fœliciss imè. Ex Lugduno, ultima Iunii, Anno millesimo quingentesimo vigesimo sexto.

Agrippæ scribit Amicus, Amico. XXIII.

DEderam literas ad te his diebus, sed antequam mitterentur, periere: in illis continebatur, quæstorem Barovinum cuidam Antonio Bullon Lugdunensi tuæ pensionis dinumerandas pecunias commisisse: libellos tuos de matrimonio susceperunt grato animo illustrissimæ Principes. Audivimus conflictum fuisse inter archiducem & statum popularem: sed, superato archiducis exercitu, quingentos ex nobilibus suspensos vitam finivisse. quid verum sit, tu apud Lugdunum explorato & rescribe: etiam quod intelligere potuisti de statu regis Vngariæ & Turca. Noster Faber Stapulensis hodie hinc discedens, Blesios petit, ubi deputatum est ei domicilium. Vale cum uxore tua. Ex Angolesmo, vicesimanona Iunii, anno 1526.

Amicus ad Agrippam. XXIV.

HIs diebus elapsis, magnifice Domine, accepi libellum tuum mihi dedicatum, ad corroborationem fidei nostræ, validissimum pariter & elegantissimum: pro quo gratias tibi immensas reddo, reddamque in posterum & semper. misi tibi pridie literas domini Capellani amici tui fidelis, virique probissimi. Cæterùm si quid pro magnificentia tua possim aliud, ipsa præcipiat, & ego mandata pro posse meo executioni mandabo. Vale. Exitinere, ex oppido de Maule, quinta Iulii. Rex enim continuat iter versus Parisios. anno 1526.

Agrippa ad Amicum. XXV.

QVas à vicesima nona Iunii ex Angolesmo ad me dedisti literas, Capellane amicissime, has septimo Iulii accepi. est in illis, Barguinum nostrum cuidam Antonio Bullon Lugdunensi stipendii mei solutionem demandasse. Si Barguinus mihi faveret, ut scribis, pecuniasque stipendii mei mihi dinumeratas vellet, non ad illum Antonium, quem hinc absentem novit, me relegasset: quin vel Martino Trecensi, ut jamdudum deliberatum erat, vel alteri cuipiam hic residenti, sive præsenti, negotiũ meum demandasset: ego die illa, qua literas tuas accepi, unà cum domino Ademario de Bellojoco, Castellorum judice, viro ornatissimo, & mihi hic uno omnium faventissimo, vix convenimus Antonii illius fratrem Thomam Bullon: is sibi commissam stipendii mei solutionem tantùm non negavit: ajebat autem, sibi his verbis commissam, putà si posset, si supereſſent pecuniæ: tandem dixit, sese revisurum literas suas, & in crastinum

stinum responsurum: die itaque crastina, dum soliciti hominem frequentiùs quærebamus, is domi latens fingebat absentiam, donec profunda noctis hora magis satiati januam illius relinqueremus: die verò sequenti improvisum illum offendit præfatus Castellorum judex, rogatque & pro me instat: respondet ille, sese mox conventurum me domi meæ & acturum mecum de stipendii rationibus, eoque mendacio sese absolvens, eadem hora conscenso equo abiit, ut fertur, in aulam. Vides, ut ab his nebulonibus deludimur? Cogita, ut oppugnant me mala undique, & illa quidem longè plura majoraque; quàm scribere queam: nec adest amicus ullus, qui re adjuvet: verbis omnes consolantur inanibus, & qui mihi lucro & honori esse debuerat aulæ titulus, damno est, adaugetq; cum invidia contemptum: neque verò æquum est, quod audio, indignari mihi Principem, quia refutato, ut nosti, ampliori stipendio abeuntem illam sæpe recusarem: neque verò ignoro, me in aula majore cum lucro & dignitate degere, ac Principi nostræ pariter diligentiore observantia, promptiore & paratiore obsequio inservire potuisse: neque ego aliud cupiebam magis, modò priùs illa constituisset certum mihi pro uxore & familia domicilium: quam nefas esset me relinquere improvisam: pollicebatur id se facturam recedens. itaque obviam egressura è cæsareis carceribus Christianissimo Regi, manere me jussit Lugduni adhuc ad modicum tempus, nec de figendo domicilio disponendaque re domestica sollicitum esse. nam sese brevi, utcunque sors daret, aut Lugdunum reversuram, aut me evocaturam, re...ducturamque in penitiorem aliquam Galliæ urbem. hac fi... continuò suspensus, nec manendi, nec abeundi ullum nuntium accepi usque adhuc: vivoque cum tam copiosa familia mea, velut peregrinus, in diversorio, idque in urbe omnium dispendiosissima, magno impensarum cumulo, & damno non immodico. Tu scribis, dominam facturam aliquando quod cupio: sed in longum omnia protrahere, nec in tuis esse diligentiorem. Quid, si ego interea periero? Certè nulla me servare poterit tam tarda fortuna, quantumcunque etiam potens dea. Fortè litandum illi dices sacrificio aliquo, ariete, vel tauro, aut potiùs altilibus, ut illi accrescant alæ, advoletque ocyus: sed tanta mihi rerum omnium penuria est, ut ne farre quidem, nec thure id facere queam. Te oro illam pro me implorato. scio nihil non impetrabis, si vota nuncupes. sed nervis tuis omnibus opus est, suasu, precibus, consilio, gratia, autoritate, etiam importunitate, & quicquid est artis, qua divos flectere solent

homines. Insta ergo fortiter & celeriter apud Principem nostram: adhibe amicos nostros omnes: dominum Episcopum Vasatensem, dominum Seneschallum Lugdunensem, & alios quosque quære, arripe, roga, obtestare, extorque, expone illis fortunam meam, monstra testes epistolas meas, communica consilia, adde preces, querelas, lachrymas, etiam minas, & vim, & bellum, & quicquid oportere videbitur inferto: ut unà tecum agant cum Principe nostra, ne me, qui omnem spem in illam locatam habeo, qui propter Regem atque ipsam reliqui omnia, & propè perdidi omnia, in ultimam adducar desperationem. nam crede mihi, eo se inclinant res meæ atque animus, ni tuis precibus illiusque celeri adjuver auxilio, malo aliquo utar consilio. siquidem & malis artibus nonnunquam bona fortuna parta est. Vale, & me serva sine tuo suffragio periclitaturum. Salutat te uxor mea, totaque familia. Ex Lugduno, decimaquinta Iulii, anno 1526.

Ioannes Rogerius Brennonius Henrico Cornelio Agrippæ. S. D. XXVI.

SAlve mi Agrippa. Quam petis abs me Tritemii Steganographiam, jamdudum, ut ad te mitterem, accuratissime paraveram: sed id mihi interea incommodo plurimum fuit, quòd nec aderat fidelis nuntius, cui tutò id negotii committere auserim, nec etiam apud quos vitam ageres, mihi satis certò constabat: sed tandem Christophorus non lætus nuntius de te læta nuntia referens, animum meum abundè explevit gaudio. Siquidem tibi, & uxori, ac liberis bene esse, ut & mihi. Nunc etiam fortefortuna commodum nuntium nacti sumus, præsentium latorem scilicet, tibi olim, apud Italos dum vitam ageres, ut reor, notum, qui utriusque voluptati ac menti pro votis satisfaciet. quem per amicitiam nostram jam olim arctissimo vinculo contractam, commendatum habere velis. Est enim juvenis nequaquam philosophiæ & medicinæ ignarus: cujus consuetudine ac familiaritate per aliquot menses, quod nomen tuum ac famam integerrime apud nos magnificet, usus sum: interea verò ejus probitas, mores & eruditio mihi satis perspecta (ni fallor) fuit. Quapropter audentiùs isti, quàm cuicunque alteri, nostrum istud arcanissimum negotium, quod tu proximis literis efflagitabas, committrere non distuli: atque etiam fiducia quadam ducor, fidelissimè omnia apud te pertracturum. Quapropter etiam te rogatum esse velim, ut eum in servitium domesticum recipere velis, si id commodè fieri

fieri potest. nam & ad majora tuo auxilio promoveri potest. Quòd si id commodè fieri non potest, velis saltem apud quenquam nobilem, aut Principem provehere, ut pædagogus aliquorum nobilium esse possit. Nam in literis Latinis & Græcis nonnihil præstare poterit, ut tu ipse temporis successu meliùs considerabis. Valemus omnes, præter Tilmannum, qui egritudine maxima ac longa detentus, ad tuos ire non potest. Carboneus etiam de tuis nihil scit. Vale. Tyrius noster, qui ad majora semper est paratus, nec desistit, sed frequenter est ebrius. Vtinam daret mihi Deus, ut tecum liceret adhuc per diem unum aut alterum confabulari. quod quandoque fore non diffido. Marianus noster infra quindenam negotiaturus Lugdunum se transferet, per quem rescribam tibi, & tu iterum mihi. Vale. Anno 1526. festo Magdalenæ.

Ioannes Rogerius Brennonius Henrico Cornelio Agrippæ. S. D. XXVII.

SAlve mi Agrippa. Etsi nunc non opus sit, quòd ad te rescribam, cùm pridie, scilicet Magdalenæ, per Ioannem Paulum Flammingum ad te rescripserim, votisque tuis omnibus tutiori secretiorique, quàm potui, via omnino satisfecerim, nihilque sit, quod ab hesterno apud nos novi prodierit: placuit tamen per latorem præsentium, etiam concivem nostrum, qui frequenter apud vos negotia sua pertractare solitus est, has nostras incultas iterum mittere. nam non quòd rethorem, sed narratorem sapiant, sed & præcipuè quod mihi de negotiis nostris respondeas, scilicet steganographiámne receperis, geomantiam pariter, cujus apud nos aliis negotiis distractus, oblitus eras. Quòd si mihi pro votis, prout spero, respondeas, revera beabis. Vxoris tuæ annua obsequia in die obitus ejus, prout voluisti, celebramus: videlicet pridie Mortuorum vigilias, postridie verò missam solemnem facientes, dominica quoque die præcedenti, quàm hoc faciamus, è suggesto nos id facturos in ea septimana, publicamus. Carboneus noster ad Coloniam in brevi se profecturum prædicat, qui de parentum tuorum valetudine (ut ait) perscrutabitur, tuamque eisdem patefacere poterit. Tyrius noster aquam dulcem repperit, in qua omne metallum ad calorem solis facilè dissolvitur. eam autem ex urina esse factam scias. separavit enim quatuor elementa more physico, & ex terra sulphur * naturæ * substraxit. quod dum sua aqua mixtum fuit, omne metallum facilè dissoluit. Idem ex chelidonia probavimus. Credimus igitur

ea omni

ex omni re putrefacta sive ex ovis, sive ex carnibus, sive expane, sive ex herbis quibuscunque, eandem aquam fieri posse. Vale. Die subsequenti Magdalenæ, anno Domini, 1526.

Amicus ad Agrippam. XXVIII.

SAlve mi Agrippa doctissime. Scio te prima fronte miraturum atque cogitaturum, quid monstri est istud, ad me illi ignotum scribentis. verùm ubi totam comœdiam, mihi autem tragœdiam intellexeris, cessabis mirari: & spero innata tibi humanitate annues nostris votis. Accedo igitur ad narrationé, ne diutius te suspendam. Qui ista ad te scribit, adolescens est, annorum juxta viginti quatuor, medicinarum studiosus, atq; abditioris philosophiæ avidissimus, qui mensibus aliquot apud Metenses medicum agens consuetudine Pastoris sanctæ Crucis familiarissimè usus est: forte fortunà dum die quodam unà philosopharemur, adscruntur ex Lugduno tuæ literæ. Ille, ut erat amicus, illas coràm nobis legit. Scribebas autem pro libro tuo Geomantico, & Tritemii Steganographia. cupiebat ille tibi mittere, cogitabundus, quem mortalium ad tam secretioneris habiturus esset nuntium. verebatur enim, ne forte libri i li in illorũ manus inciderent, qui omnia judicant prius quàm intelligant. itaque manet res per aliquot dies suspensa. Ego autem cupidus aliquando videndi te, & qui jam ad dignitatem tuam literas commendatitias habebam à Laurentio Phrysio, post dies aliquot dico nostro pastori me velle Lugdunum invisere, atque experiri, si quid splendoris Gallia mihi posset adferre. Scio autem, quàm arctissimo amoris vinculo tu cum doctissimo hoc Agrippa jungaris: Quæso igitur per nostram conversationem me illi commendes, ut me ad servitium suum recipiat, aut apud alium quempiam promoveat, prout illi idoneus videbor: Ego in illius & in tui gratiam susçipiam meis humeris hos libros illi referendos, nulli alteri daturus, quam illi ipsi meis manibus gaudebat ille. & ego altera die accingo me pedestri itineri. Quid multa? prius quàm ad Lingones veniremus, spoliatus sum à quodam, cui me socium adjunxeram, in itinere. Itaque coactus sum apud Lingonem urbem pedem figere, si fortè praxi medica tantum argenti corradere queam, quo meam inititutam profectionem ad te perficiam. Rogo igitur, mi humanissime Corneli, velis mihi per harum latorem mittere duos coronatos aureos. mox ego unà cum tuis libris ad te volabo, & omnibus servitii modis pensabo. Quòd si aleæ practica, quę mihi, cùm hęc scriberem, adhuc erat incertissima, paulo

paulo fœliciùs arriserit, tuos tibi coronatos sanctissimè restituam. Sed vide, mi doctissime Agrippa, quàm ingeniosa sit paupertas: quales non ludos nonnunquam commentiscitur. Oro tamen te, veniamque precor in isto meo, quod narrabo, temerario quidem, necessario tamen, fuco: Fingo istis Lingonibus, me habere fratrem medicum stipendiarium regium. hoc fuco illis gratior effectus, me satis benigniter amplectuntur: neque sum omnino mutus: ornarem verbis. Te vero nunc oro atque obtestor, qui nostri pastoris sanctæ Crucis amoris vinculum, per tuam Geomantiam & Steganographiam, quæ apud me sunt, & per me sanctissima fide ad te deferentur, ne apud me sunt, & per me sanctissima fide ad te deferentur, ne aliud apud hunc latorem loquaris, patiarisque me simulare tibi fratrem esse. Vale in Christo domino. Ex urbe Lingonum, altera Christophori & Iacobi, anno 1526.

Agrippa Capellano S. XXIX.

SCripsi tibi à decimaquinta Iulii in fasciculis Martini Trecensis, Capellane amicissime, quemadmodum à Thoma Bullon fraudatus solutione stipendii mei, insuper & delusus sim. nescio, an redditæ tibi literæ fideliter fuerint. nam ego, quia illis nondum respondisti, gravem animi dolorem patior: jamque in tot malorum voragines præcipitiaque conjectus sum, ut nec emergere, nec conservari possim, & frustra ventura sint postliminia auxilia: qui dum hinc quidem Principis nostræ promissis impulsus, inde verò spe profuga repulsus, Ixionis more rotor furiis omnibus agitatus, etiam humanitatis sensum propè amisi, & ad omnia factus sum inutilis: ni forte eò aptior sim vaticiniis, quibus plerique plurimum pollere putant furentes: quasi, qui humanos sensus amiserint, assequantur divinos: &, quæ sapiens non videt, prævideat insanus. Quòd si hæc philosophia in me locum habet, convertar ad vaticinia, ut obsequar Dominæ, utinam bona vaticinaturus. sed quæ bona prodire poterunt à furiis & Hecate? Cassandra Trojana, Polybus Corinthius, Rhemigius Rhodius, Cornelius Patavinus, & quotquot alios furentes vates narrat Antiquitas, nil unquã, nisi mortes, cædes, bella, strages prænuntiarunt: neq; verò alia prævidere arbitror posse furentes, quàm quę opera futura sunt furentium. Vereor itaque, ne & ego similia vaticinaturus sim, nisi mihi bonus aliquis Apollo, pulsis furiis, sui solis aureis radiis copiosè illuxerit. At tunc accingar fatidico tripode, & quicquid excussero vaticinii, vel conjecturæ, protinus remittam Principi. Sed interim suspicione ego egregiè famescam: exequar

quar tamen vaticinia astrologicæ superstitionis, quorum Princeps ipsa tam avida existit: sed, ut nosti, invitus & coactus violentis Principis precibus. Scripsi autem Senescallo, ut admoneat illam, ne ad tam indignum artificium ingenio meo diutius abutatur, nec in has nugas ulteriùs impingere cogat, qui multò fœlicioribus studiis illi inservire queam. Vale, & quem præsentia non potes, saltem crebris tuis literis consolare. Salutat te uxor mea, totaque familia, & Claudius sacerdos meus, qui rediit ex Germania. Tu saluta meo nomine Fabrum Stapulensem. Ex Lugduno, tertio Augusti, anno 1526.

Agrippa ad Amicum. XXX.

SCripsi ad te ab ultima Iunii, deinde à decimaquinta Iulii quatuor epistolas uno fasciculo complexas, missas opera Martini Trecensis cum suis fasciculis ad Barguinum destinatis. scripsit & sæpiusculè idem Martinus in mei commendationem dicto Barguino, verùm ille, cùm ad singula alia respõdeat, mei nullam unquam mentionem fecit: quæ res me in suspicionem ducit, Barguinum nostrum vel me penitus contemnere, vel iniquiore in me animo esse, simulque dubitare facit, ne fasciculus literarum mearum inter manus suas perierit, tibique, qua debuit, fide ob mei contemptum, vel odium, non sit redditus. scripsi tibi rursus ab hujus mensis tertio. abs te autem ad omnes has nihil omnino responsum est. quod tuum silentium mihi animum propè enecavit. nam solis tuis literis hactenus vitam produco. Multa ad te scripsi, & de multis nihil superest calamo, nisi tibi regeminatas querelas & lamenta inculcare velim, qualiter hîc vanis expectationibus suspensus, à Barguino contemptus, à Bullione delusus, à Principe neglectus, & quæ una expectantium conditio est, dum inde ventura expecto bona, amitto præsentia: & damnum certum sub ambigua spe pati cogor. Vtinam desperare liceret. Sed de hoc latiùs tibi scripsi in prioribus. Tu si nunc aliud præstare non poteris, saltem animum præsta & calamum, & rescribe, quas meas acceperis, & quas non acceperis epistolas. Cæterùm multa sunt apud me, quæ te scire convenit, & etiam quæ Principem, sed non nisi tutissimis committenda literis. Nihil horum ergo rescribam, nisi tu prior rescripseris, ubi sis, quomodo valeas, ubi mansurus & futurus sis. Exequar astrologicas Regis nostri revolutiones, sed invitus, ut scis, & coactus violentis Principis nostræ precibus: quæ utinam ad tam indignum artificium ingenio meo non abuteretur, nec in has nugas impingere cogeret, cùm

ret, cùm illi longè fœlicioribus in studiis inservire queam. Vale fœliciss imè. Ex Lugduno, octava Augusti, anno 1526. Salutat te uxor mea. Iterum vale, & rescribe celeriter.

Agrippa N. Præsuli S. XXXI.

AB ultima Iunii scripsi Paternitati tuæ, reverende Præsul, nescio, si acceperis. nullum siquidem ex te accepi responsum. Quod si per occupationes tuas factum est, facilè pati debeo: si verò tu literis meis fraudatus fueris, permultum doleo, illas tibi mihique periisse, in quibus tibi omnem animi mei significationem feci. nunc aliud nihil scribo, quam quod scripsi priùs, ut pro me procures apud Regiam Majestatem reddi illum mihi beneficum, quem hactenus benevolum reddidisti. Scio, quantum apud eum valeas & quantum ego mihi de te polliceor, faciamque ut gratitudine & observantia in te singulari à nemine superari possim. Oro Reverentiam tuam, ut cures, quo promissum mihi à Domina stipendium solvatur. Lugduni nihil siquidem accepi abs recessu Domini usque adhuc, & quæstores, quibus mandata est solutio, me mirum in modum deluserunt, sicut latè scripsi ad Capellanum. Vale fœliciss imè. Ex Lugduno, octava Augusti, anno 1526.

Agrippa ad Amicum. XXXII.

POstremas tuas, vir ornatissime literas accepimus à quinta Maii datas: respondimus eisdem decimo septimo, & contra artheticam tuam simul, quæ optima visa sunt, remedia misimus: sed prius quàm literæ meæ ad manus tuas pervenissent, tu è podagrico factus pegasus, etiam altissimos Alpium montes transvolasti: literæ tamen nostræ in manibus uxoris tuæ, cui me plurimum commendari cupio, tibi reddendæ, ad reditum tuum relictæ fuerunt: ad quas quia nondum respondisti, nunc, ut respondeas, tecum expostulo: atque si Cosmographiam tuam recuperaveris, ad nos, ut pollicitus es, remittas, vel aliis quibusdam bonarum literarum voluminibus, quibus facilè carere potes, seu quorum tibi exemplaria dupla sunt, nostræ bibliothecæ supellectilem locupletandam cures. Cæterùm nunc, ut scripsi ad te in prioribus, de Achille nostro scire cupio, quomodo illi conveniat cum cuculla & calopodiis, & tua illa larvatorum familia: an, sicut olim, egregiè percalluit artem placitatoriam, scies ad omne arbitrium uti legibus, casq; adinventis glossis fingere, refingere, flectere, subterfugere, & quamvis opinionem aliam his præstigiis præferre, eamque

HAS OBRA FOI DIGITALIZADA PELA FCSH/UNL E PELO CETEMPS/UFOBA

eamque vel justam, vel dubiam, vel iniquam reddere, ipsaque jura juribus profligare? itáne nunc calleat artem fratricam, sive cucullonicam, hoc est, sycophanticam: sciatque personata sanctimonia, ac impudendi mendicitate quocunque pervolare: & perfricata fronte, importuna hypocrisi undique pecunias corradere, modò non tangat nudis digitis: nullius quæstus pudere in foro, in choro, in templis, in scholis, in aulis, in palatiis, in concilliis, in conviviis, tabernis, tonstrinis, in publicis & privatis colloquiis, in confessionibus, in disputationibus, in concionibus, è subselliis, è cathedris, è pulpitiis, è suggestis impudenter illorum artibus spargere in vulgus indulgentiarum nenias, vendere sua benefacta, emetiri cæremonias, & à mercatoribus usurariis & à nobilibus prædonibus malè partorum prædam extorquere, & à crassis civibus & indocta plebecula superstitiosisque aniculis emungere nummos: &, serpentis exemplo, stultas mulierculas primùm allicere, & per illas sibi aditum parare ad fallendos viros: denique omnium negotiis se immiscere, compingere matrimonia malè cohærentia, intervertere testamenta, componere lites, reformare sacras virgines: sed omnia hæc non, nisi suo compendio. Hæc si sciat, & quæ plura scribere non patitur festina epistola, nunquam pigebit factum fuisse ex advocato fraterculum: sin minus, melius illi foret relegatum εἰς πόρπυρας, vel in triremes potius. Vale fœliciſſimè. E Lugduno, undecima Augusti, anno 1562.

Agrippa ad Amicum. XXXIII.

ACcepi literas tuas, adolescens eruditissime. legi & intellexi quæ narras. nunc meum accipe consilium. habes in civitate Lingonensi præsentium latorem Thomam Pharmacopolam, & alium istum tuarum literarum latore, Nicolaum Gauterottum, viros admodum probos, & qui te amore & benevolentia amplectuntur singulari, atque simul mea commendatione, etiam beneficentia ac omnimoda promotione te juvabunt, modò tu ipse tibi ne desis fide & diligentia. mane ergo illic & persevera, ac prænominatorum virorum consiliis crede, hos audi & sequere, estoque patiens ad tempus: siquidem nemo subitò fit summus. Si Lugdunum veneris, crede mihi, nihil hic proficies, nec ego te juvare potero absente aula. Præterea cùm possis Lingonis in libertate & cum lucro vivere, stultus sanè judicabere, si alibi te servituti impegeris. Libros, quos à Curato sanctæ Crucis unà cum literis ad me deferendos accepisti, occlusos huic Thomæ prænominato trades, qui eos turò satis ad

satis ad me deferri faciet. Præterea sive tu venturus sis ad nos, sive nostro consilio mansurus sis apud Lingones, prænominatus hic Thomas, præsentium lator, meo nomine, si ea te urgeat necessitas, ad duos usque aureos, ut postulasti, tibi subveniet. Cæterùm tu ne me dictorum librorum expectatione fraudaveris: quin illos dicto Thomæ traditos, ad me quàm citissimè tutissimeque mittendos procures atque sollicites. Vale. E Lugduno, vicesima tertia Augusti Anno 1526.

Amicus ad Agrippam. XXXIV.

REdditæ sunt mihi literæ tuæ suaves profectò & eruditæ, quibus sum maximè oblectatus. erant enim plenæ amoris, fidei & charitatis, non ob id tantum, quod tu mei memineris, quem semel atque iterum tantum cum Leonardo Pomaro Lugduni olim vidisti, sed quod in illis me & amicè admones, & si quid ex te velim, operam tuam polliceris. Itaque non me latet, te plurimum admirari, cum sim tam parvo terrarum interstitio à te sejunctus, quod literis tuis ad me ex Lugduno superiori mense Iunii datis, responsum à me longè serius sit, quàm tu fortasse desiderabas, & ipsæ literæ meritò postulabāt. Id cur ita evenit, paucis accipe. In hanc usque diem hujus fidissimi nuntii, egregii sanè viri, & tui amantissimi, ad te profectionem expectavi. ex eo, & quidem verissimè, quæ apud me agutur, cognosces, & quid te velim mea causa acturum. quod ut facias, etiam atque etiam oro. tuos labores sum compensaturus pro viribus. ne dubites. Decrevi aliquibus negotiis terminatis Lugdunum petere, ut te omnigena bonarum literarum eruditione pollentem, & coràm videam & alloquar. nihili enim mihi, eruditissime Agrippa, aut curæ, aut cordi est magis, quàm tecum veras audire & reddere voces. Vale fœlicissimè. Lavinii, tui memor. Ex cœnobio Prædicatorio apud Matiscum, vicesima tertia luce Augusti, Anno Christianæ salutis 1526.

Agrippa Amico. XXXV.

TOties jam ad te scripsi, Natali ornatissime, &, quod doleo, surdissimè tacentissimeq;, ut pudeat te iterare literas, cùm videam eas tibi fastidio simul & ludibrio esse: atque ex tanta literarum mearum copia, præter silentium & contemptum aliud consecutus sim nihil, quamvis multa ob eam, quæ Lugduni inter nos intercesserat mutua benevolentia, de te mihi persuaseram, te pollicitis aliquando satisfacturum putabam,

præcipuè cùm pauca quædam & ea quidem non magna, plenus desideriorum ex te petiissem, qui ea mihi tam liberalissimè promiseras. sed ea omnia nunc, quantum ad te attinet, evanuerunt, cùm videam te hominem, quem promissa non obligant, ac te tua illa chrysosophia adeo elatum esse, ut nos minoris fortunæ homunculos contemnendos censeas. Itaque quid reliquum spei in te habendum putem, non intelligo: nisi tu literis ad te datis, quas ne hostes despicere aut contemnere solent, aliquod remiseris responsum: sin minus, ego hac epistola amplius ad te scribendi mihi modum ponam, finemque faciam, ne surdo fabulas decantare videar. Vale fœlix. Ex Lugduno, vicesima quarta Augusti, Anno 1526.

Agrippa ad Amicum. XXXVI.

ADmirabar hactenus, Capellane suavissime, quid monstri esset, quod tot literis meis nullum remitteres responsum, nec habebam, quod suspicarer: sed à triduo citrà intellexi te absentem ab aula Aurelianum petiisse. Itaque mirari desino. Sed vehementer doleo, si illæ ad te meæ epistolæ perierint, aliorumque in manus inciderint. in illis siquidem tibi omnem fortunam meam, repetitis infœlicibus querelis, declaravi, ac simul Barguini contemptum, Bullionisque fraudem abundè satis exposui: quorum opera non solum principis pensione defraudor, sed etiam alienis beneficiis privor, & quam unicam mihi salutem securitatemque ipsa desperatio præstare potest, ea quoque destituor. nam quamdiu isthic desperare non licebit, aliunde quicquam acceptare nefas est. Sed inani spe captivatus Principis nostræ, fortè nunquam ventura auxilia unà cum præsentibus bonis amitto. Claudius, meus sacerdos, iterum abiit in Germaniam, exploraturus ea quæ nosti, jamque in secundum mensem abest, nondum reversurus, donec cognoverit omnia. Sunt, quæ te scire vellem, sed non committenda dubiis literis. si ita fors nostra tulerit, ut te coràm colloqui liceret, auditurus esses omnia. Perfeci his diebus revolutiones illas astrologicæ superstitionis, quarum princeps nostra tam avida existit. Sed cùm tu absis ab aula, non est, cui tradam mittamque, nisi Princeps ipsa designaverit, cui illas tradi velet. quod an factura sit, nescio. admoneri illam feci per Seneschallum nostrum, si modò ille nostras acceperit literas. Salutat te uxor mea omnisque familia. Vale fœliciss imè. Ex Lugduno, vicesima quinta Augusti, Anno 1526.

Amicus

Amicus ad Agrippam. XXXVII.

NVper ad te scripsi, doctissime Agrippa, literasq; deferendas commisi Antonio Bullion, qui pollicitus est iterum se tua causa scripturum ad fratrem Lugduni commorantem, ut quàm primum tibi persolvatur annum stipendium. Hunc (mihi crede) & Barguinum sollicitavi ad importunitatem usque ac tædium, & id quidem multò diligentiùs, quàm si res mea ageretur, licèt dicerent se tuis votis satisfeciss e. Heri Domina cùm me accersiri jussisset, dixit, se vidisse è manib⁹ Lugdunensis Seneschalli literas tuas, quibus abuti judiciis astrologicis illam, & spe vana superstitiosaque fide duci, insimules. quod eidem submolestum fuit. Iussit itaque scriberem ad te, ut quiescas, quantum spectat ad observationem astrologicorum præsagiorum, sine quibus tamen te plurimi facit: & cum illa de te mihi fuit sermo non sine singulari commendatione, ut hactenus semper consuevi. Rumor est quotidianus, nos Lugdunum brevi profecturos. Laudarem, si per otium id fieri posset, quòd transferres nonnihil de Christianissimo ad Christianissimum Regem, quod illi per dominum episcopum Vasatensem tuo nomine offerri posset. scio enim futurum Regi quàm gratissimum. Non existimes velim ulla locorum distantia, aut diuturni temporis fluxu nostram apud me amicitiam, vel minimo quidem puncto imminutam esse. Quòd autem res tua pro desiderio non promovetur, desines mirari, si meâ fortunam consideres. A Lugduno citrà vix triduo potui esse domi. Sperabam illius repetendæ mihi facultatem dari, sed nequaquam impetrare potui. Quales quantique fuerint mihi labores in hac ultima peregrinatione, tibi considerandum relinquo: & per has miserias nihil mihi lucri accedit, præterquam quòd, quantò magis senesco, tantò plus laborum perpetiendorum superesse video. Faber Stapulensis & Copus noster uterq; jussit te salutarem eorum nomine. Vale cum charissima conjuge, cui me unicè commendo. Ex Blesiis, vicesima octava Augusti, Anno millesimo quingentesimo vigesimo sexto.

Amicus ad Agrippam. XXXVIII.

DAtæ sunt mihi tuæ literæ, doctissime Agrippa, quas ut legi & intellexi, tuum amicum & utilissimum consilium non possum non exosculari, præsertim in tantis rerum angustiis constitutus, ut nesciam, sitne magis consilio, an re-

HAVIOR LIBRORUM OPERA OMNIA

ipsa opus. Tu autem trepidanti mihi utroq; succurristi, nempe consilio saluberrimo, & deprompta etiam pecunia, quæ mihi in hac necessitate multò gratior & commodior fuit, quàm olim ducati triginta. Iam nihil est, quod animum meũ ulteriùs urgeat, nisi quod pro tanta munificentia tua habere quidem gratias, referre autem nequaquam possum. Verùm ut es vir omni humanitate & prudentia plenissimus, ita animum meum remunerandi paratissimum, in his meis angustiis gratanter accipies. Manebo itaque pro tuo consilio apud Lingones, si quid mihi praxis præstare possit. Sed desunt mihi, fateor, præcipua medici ornamenta, ætas videlicet grandior, & cultus pomposior. ex his enim populus judicat medicum. Tradidit huic Thomæ pharmacopolæ tuos libros ad te referendos. is mihi ex gratia tuæ benignitatis duos coronatos aureos tuo nomine dedit, pro quibus utinam sim solvendo. Scribam aliàs ad te latius, si tu modò Lugduno non discedas. Vale. Ex Lingonibus, pridie Kalendas Septembris, Anno 1526.

Amicus ad Agrippam. XXXIX.

SVperioribus diebus accepi literas tuas datas octava Augusti, magnifice Agrippa: & jam paucis antea diebus scripsi tibi, in qua optima æstimatione apud regiam Majestatem habitus sis. Cæterùm Capellanus, ille optimus amicus tuus, scribit ad te literas his inclusas. Crede illius consilio, quia bonus est, & sapiens, & totus tibi deditus. Ego quicquid pro te potero, præcipe: adimplebo enim, nec deero, quoties oportunum fuerit apud regiam Majestatem de tuo valore mentionem facere. Datum Chenonceaux prope Amboisiam, die prima Septembris. Anno 1526.

Amicus Agrippæ suo. XL.

LIteras his diebus ad te deferendas, commisi reverendo D. Vasatensi. Rem tuam nunc Barguinus, qui te (ni fallor) amat, nec Bullionus neglexerunt. quantum mihi persuadent: Vtinam literas tuas Lugdunensis Seneschallus non communicasset illustrissimæ Dominæ: nam illæ nunc me in re tua silere prorsus & obmutescere compellunt. Quanquam ille id per imprudentiam fecerit, ignorans, quam in partem acceptura esset Domina illarum sententiam, sicut ex novissimis literis nostris intelligere potuisti. nihilominus tamen revolutiones illas annorum ad ipsam Dominam, quasi nihil harum rerum

rum intellexeris, mittere non differas. Verùm ego quia in ea re suspectus non videor, ad ipsum Seneschallum dirigas præsentandas. quas ubi Domina acceptas mihi, ut spero, communicaverit, tũ erit mihi pro te legitima apologiæ occasio. Crede mihi, nusquam tibi deerit meus quantuluscunque favor & diligentia. Etsi mihi ipsi sim prorsus inutilis, tamen amicis non inutilis esse percupio. Vale. Ex Chenonceaux, prima Septembris, Anno 1526.

Agrippa ad Amicum. XLI.

AD literas tuas, quas à viceſima octava Augusti ad me dedisti, Capellane integerrime, respondi hoc manè. aliud nil supereſt. sed id ipsum tibi repeto, me ab isto Bullione mirum in modum fraudatum. tuas literas, quas illi ad me deferendas tradidisse scribis, non accepisse me scias: & fratrem ejusdem Bullionis negare, sibi quicquam scriptum, aut commissum. Nisi tu procures, ut à Martino Trecensi solvatur stipendium, ego ab hoc Bullione nihil unquam præter bullatas nugas recepturus sum. Vale fœliciſſimè. Ex Lugduno, undecima Septembris, Anno 1526. Salutat te chariſſima conjunx mea, quæ laborat duplici tertiana, timeoque admodum, ne ob animi mœstitiam labatur in quartanam. Hujus ludi furaciſſimi illi quæstores mihi causa sunt: ut dii deæque omnes illos malè perdant: tu autem iterum atque iterum fœliciſſimè Vale.

Agrippa ad Amicum. XLII.

DIe heſterna conveni rursus fratrem illius Antonii Bullionis tuis literis ac simul viro quodam gravi & amico comitatus, tandemque fassus est ille scriptum sibi à fratre, ubi, nescio, quas pecunias receperit, soluturum se mihi. Cæterùm literas illas tuas, quas tute mihi, Antonio illi Bullioni creditas mandasse scribis, nullas se accepisse ait: tu scis, quantis egeo. Cuperem ego solutionem meam ad Martinum Trecensem potius, quàm ad istos Bulliones relegari. Attamen si isti Bulliones non bullas, sed pecunias mihi pariant, pacatus ero: sin minus, vindicabo me importunis epistolis, nisi quòd has fortè tu fastidies, illi despicient, ego interim fameſcam. De reliquis respondi tibi in prioribus. Salutem dicito Copo atque Stapulensi, offerasque omne meum obsequium. Salutat te uxor mea adhuc ægrotans. Vale fœliciſſimè. Ex Lugduno, decimaquinta Septembris, Anno 1526. festino calamo.

Agrippa ad Amicum. XLIII.

ANnon licebit perfidos nebulones appellare nugacissimos ustos quæstores, Capellane integerrime, qui tibi de solutione stipendii mei tam magnifica mendacia profundunt, rem autem & pecuniam in meam perniciem hactenus continent? quin & literas tuas, mihi etiam pecunia ipsa gratiores, quas scribis te Antonio Bulloni mihi deferendas credidisse, mala sua perfidia interceperunt. Ego à decima nona Iunii nullas, præter has posteriores datas Blesis vicesima octava Augusti, tuas accepi alias: plures autem & sæpe interim ad te scripsi. nescio, si tu pariter omnes acceperis meas. Ego toto hoc quatriduo, à quo tuas accepi literas, fratrem illius Bullionis persecutus sum, à quo præter bullas & nugas aliud refero nihil. Quid monstri alatur, non satis intelligo. doleo & tædet me tot molestissimis meis epistolis quotidie tibi caput obtundere, ac tantum tibi oneris imponere, atque illos furacissimos quæstores te & me gratis ludibrio habere: sed non tantum unquam in nos valere poterit illorum nequitia, ut de tua erga me fide & diligentia vel tantillum subdubitem. Verumtamen adhuc semel & unum hoc te instare oportebit, si quid penes illos autoritatis te habiturum putas. ut videlicet solutio stipendii committatur Martino Trecensi. sic namque fieri poterit, ut hic aliquas accepturus sim pecunias. his siquidem solis egeo, non bullis, non ampullis. Vale fœliciſſime. Salutat te uxor mea. sed languidula etiam, cùm sit gravida: atque certè hic solus hactenus defuit malorum meorum cumulo, nisi hunc etiam adjecisset fortuna colophonem. Iterum vale. E Lugduno, decima sexta Septembris. Anno millesimo quingentesimo vigesimo sexto.

Agrippa ad Amicum. XLIV.

VT ad ea tibi respondeam, quæ de Principis nostræ jussu ad me scripsisti, Capellane amicissime, gaudeo me ab impio illo astrologicorum judiciorum labore exoneratum, atque occasionem supersesse ipsi Principi nostræ, si modò opera uti velit, longe fœlicioribus studiis inserviturum. Veruntamen non parum erravit, quisquis ille fuerit, qui meas ad Senescallum literas ostendit Principi, illamque fortè iniquiorem mihi reddiderit: sed scio nihil in illis esse, quod offendat, modò desit, qui aulica invidia iniquiore intemperamento scripta

to scripta nostra detorqueat. Reliquum verò, quod admones, transcrendum aliquid de Christianissimo ad Christianissimum Regem, res hæc non modicam considerationem requirit, maturaque deliberatione pensitanda est: utrum conveniat magis, vel aliena traducere, vel propria meditata proferre, adhuc hæsito. honestum est propriis armis decertare, aut rutius fortè sub alieno clypeo delitescere: tutissimum autem, tacere. Nam hodie, ut vides, Christiana veritas nullo securiori modo colitur, quàm stupore & silentio, ne fortè corripiamur à Prædicatorum hæreticorum inquisitoribus, ac Sorbonicis illis in Lege, non quidem Mosaica, nec itidem Christiana, sed Aristotelica, doctissimis scribis ac pharisæis: qui nos fasciculorum metu cogant ad palinodias. Scripsi his diebus volumen satis amplum, cui de Incertitudine & vanitate scientiarum, atque excellentia verbi Dei titulum feci. Tu, si aliquando videbis, credo, laudabis argumentum: admiraberis tractationem, & judicabis Regia celsitudine non indignum: sed ego illud Regi dedicaturus non sum. invenit namque opus illud patronum sui cupidissimum, & de me optimè meritum. Verum scribo nunc pyromachiam, & non tam scribo, quàm ipsa experientia ostendo, jamque habeo apud me non modicis sumptibus paratos architecturæ & bellicarum machinarum meæ inventionis modulos admodum utiles simul & pernicioſos, & quales hactenus (quod sciam) nostra non viderit ætas. Hæc fortasis Regi ipsi & cognitione gratiora, & usu adversus hostes multò utiliora futura essent. sed adhuc hæreo animo, ambiguus, quid facturus sim, planeque academicon illud accidit, ut nihil adhuc statuere queam, multis admodum ingratitudinis exemplis, simul atque Periclis mercede Phalaridisque præmiis deterritus. Sed nondum nosti omnia, mi Capellane, quæ & quanta lateant sub Agrippæ tui pallio. Quod si aliquando Sylenum meum explicare liceret, tunc visurus esses, quantum poterit Agrippa tuus præstare Principi atque Regi. Sed de his hactenus. Tu ad me rescribe sæpius, ac simul de aulicis rumoribus certiorem redde. Vale fœliciſsime. Salutata meo nomine Copum & Fabrum. E Lugduno, decima sexta Septembris, Anno millesimo quingentesimo vigesimo sexto.

Amicus ad Agrippam. XLV.

DIci non posset, nec ullis eloquentiæ viribus satis explicari eruditissime Agrippa, quantum gaudii & lætitiæ in cordis mei penetralia incesserit, cùm nuper mihi summo Dei Opt. Maximi beneficio datum est, cùm Lugduni his diebus essem, te & videre & alloqui. Gratias, non quas debeo, sed quas possum, tuæ doctissimæ dominationi ago: si facultas adesset, libentius relaturus, tum ob multitudinem, tum ob magnitudinem tuorum in me beneficiorum. nihil enim prætermisisti eorum, quæ amici causa effici possent, quin hilari admodum facie præstiteris. Quod pollicitus sum munusculum, tibi transmittendum curavi, quo oculorum aciem diurno nocturnoque bonarum literarum assiduo labore penè hebetatam reveles. Cæterùm obrutus negotiorum multitudine tecum longior nunc esse non possum: ero autem, cùm temporis oportunitas occurrerit. Saluta conjugem, cum qua & liberis diu, & quidem fœlicissimè, vale. Ex cœnobio Prædicatorio Matisconsi, decimaseptima Septembris, anno 1526.

Agrippa ad Amicum. XLVI.

EGo, amicissime Capellane, ab hoc Bullione præter bullas nihil accipere queo. sic terminum termino producit, & bullas bullis accumulat, ut mihi res ferè ad laqueum & famem redierit. itaque nisi id efficias, ut mihi à Martino Trecensi solutio destinetur, nihil actum erit: id oro facias, si me salvum velis. Cæterùm nunc alia fortuna in manibus est, quam si tu mihi retinere poteris, profectò beabis. Aegrotat hic vir quidam, imò jam fermè moritur: huic officiū quoddam est. id si intercessione Principis nostræ, seu alio quovis medio pro me impetraveris, salvus ero. Vtere ergo omni tua industria, & festina diligentia, atque unà cum domino Vasatensi, cui simul in hanc rem scripsi, illius negotii curam habe, & me quàm primùm certiorem redde. ad reliqua jamdudum respondi. Vale fœliciss imè. E Lugduno, decimaoctava Septembris, anno 1526. rapidissimo calamo. Nomen viri atque officii in hac incluſa schedula conspicies.

Agrippa ad Amicum. XLVII.

SAlve Antistites integerrime. Hac hora admonuit me vir quidam amicus, & mihi ex animo bene volens, quendam hic ad mortem usque graviter ægrotare. est autem illi officiū. id pro

id pro me apud regiam Majestatem facillimè impetrare poteris, vel ut Regia Celsitudo id ipsum pro me reservari faciat. quod si effeceris, perpetuò me beabis, tibique ex obligatissimo multò adhuc obligationem reddideris. De reliquis, quæ ad me scripsisti, ex Capellano nostro omnem accipies sententiam. Illud te præterea precatum cupio, ut agas, quò solutio stipendii mei committatur Martino Trecensi. nam ego ab hoc Bullione, cui hactenus res commissa est, præter bullas & inania verba nihil accipio. Vale fœliciss imè. E Lugduno, decimaocta va Septembris, anno 1526. festino calano.

Amicus ad Agrippam. XLVIII.

EA ipsa hora, qua triplices literæ tuæ venerunt ad me, paratus eram scribere ad te. His diebus illustrissima Domina inquisivit à me, scripsissem ne ad te, quod jusserat: cumque viderem oportunam mihi oblatam occasionem, qua possem in tui commendationem deflectere, cœpi omni ex parte, & id quoq; admodum copiosè & appositè, enarrare ingenii acumen, dexteritatem, diligentiam & multifariam doctrinam, qua polles: propensam etiam animi tui voluntatem erga ejusdem Dominæ servitium: sed nescio quis malignus spiritus, & si conjectura mihi illum indicare & depingere videatur, partam illam gratiam apud Dominam sic obliteravit, ut subdubitem de continuanda pensionis solutione. Vnum huic malo remedium superesse video, si scilicet, tanquam hujus rei nescius, ad eandem scribas, tibi nonulla esse in componendis bellicis machinis, in ædificandis propugnaculis, quæ tibi in animo sunt præsentare Christianissimo Regi, modò illa jusserit: si etiam de annorum revolutionibus ejusdem Domini nōnulla jam tibi parata sunt, ne te existimet per ejus absentiam fuisse negligentiorem, eadē ad eam mittas: & si eā irritaverit, quod ad Seneschallum Lugdunensem scripseras, veruntamen, quantum confido, videbit æquo animo. Sed hæc, aut similia nullo pacto ad me mittas præsentanda, ne horum consiliorum suspicionem ingeras, sed potiùs ad dominum episcopum Vasatensem, qui te unicè amat & qui pollicitus est mihi, se præsentaturum, quicquid miseris: aut, si videbitur, potes scribere ad eundem reverendum Dominum, dicat regiæ Majestati, rerum bellicarum multa apud te esse, haud vulgaria & hactenus incognita. scio Regem harum rerum cognitione incredibiliter delectari, & in omnibus iis, quæ sunt architecturæ. Consulo tamen nullo pacto prætermittas, quin ad Dominā scribas, tibi in omnibus promptum,

& paratum esse animum, ad quæcunque jusserit, sed de astrologicis judiciis contemnendis nihil prorsus scribas. Barguinus noster est Turonis, ad quem unas tuarum literarum hodie mittam. Scribam tuam solutionem committat Martino Trecensi. Domina nunc affligitur atroci junctura rum morbo, aut veriùs rabie: totam noctem duxit insomnem, cum clamoribus ferè continuis. Considerare potes, quantum nunc otii mihi sit insuper & tædii, qui plus quàm per annum non nisi triduo fui domi: & cùm quiescere tandem spero, insperatis negotiis desperandi oboritur occasio. Saluta modestissimam tuam consortem nomine meo. Salutabo tua ex parte Fabrum & Copũ: Audivimus Turcam, victoria potitum adversus Vngariæ regem, universum regnum occupare, & eundem Austriam versus castrametari. Scripsit Langeus ex Vrbe ad regem, in Apulia innumeratæ multitudinis corvos, ita ut solis radios interciperent, crudelissimè belligerasse, & ne ingens cadaverum copia pestilenti contagione aerem corrumperet, coacti sunt inde corpora in terram recondere. In Sicilia tanta locustarum copia fuit, ut omnia virentia abroderent, solis viribus intactis: cumque eis deficeret victus, pars in mare sese dedit præcipitem: pars inedia periit. Hoc quid portendat, nemo te melius judicaverit. Si nonnulla sint rerum novarum apud te, quæ mihi communicaveris, dabis mihi occasionem tui memoriam faciendi. Vale in Christo domino. Ex Chambourg, vicesimasexta Septembris, anno 1526.

Agrippa ad Amicum. XLIX.

QVas ex Ambrosia à prima hujus mensis ad me dedisti amicissimas literas, integerrime Præsul, ob eas gratiam habeo immensam. Sed vereor admodum, ne prius quàm tua humanitas mihi à Rege nostro bonum aliquod expresserit, ego antea perierim. sic namque toto hoc anno meus me exercuit genius malus, ut nisi Christus Opt. Max. infractum servasset animum, jamdudum fabulam agerem apud manes. Tragœdiam malorum meorum cognoscere poteris ex tam multis meis ad Dominum Capellanum hactenus datis literis: & quemadmodum, dum Principis nostræ pollicitis confisus, rejectis omnibus aliis conditionibus, illius beneficentiam expecto, jussus ab illa Lugduno non discedere, interim hic pensio Principis non soluitur, & quæstores me ludibrio habent. Thomas Bullon, cui à fratre Antonio Bullon jã ante menses aliquot solutio mea commissa fertur, verba dat, & chimæras fingit, luditque

ditque procrastinando ad Kal. græcas. Accepi præterea Principem ipsam mihi nõnihil indignari idq; sine culpa mea: sed ob, nescio cujus, improvisum errorem. Rem ipsam ex Seneschallo Lugdunensi, compatre meo, atque ex D. Capellano lucidiùs cognosces. Cæterum scripsi ad eundem dominum Capellanum ab hujus mensis decimasexta, cujusmodi Palladis Belloneque opus Regi nostro paraverim, & quæ reliqua penes me latent, hactenus non visa, cùm ad defendendum tum ad offendendũ, validissimæ, pernicios issimæq; architectrices & bellicæ machinæ, quas in Regis nostri adsetvo adventum, nisi me tanta subsidiorum mora cum his aliò cogat deficere. Nam si sic futurum est, aliquo saltem etiam vel malo consilio vivere oportebit esurientem, & à perfido Samaritano accipere, quod non accepit à suæ religionis sacerdote & levita. Atque jam aliàs ego & sæpe ab aliquibus principibus in gentibus promissis peritus sum, etjam ab hostibus: sed ego hucusque Regiæ Majestati ejusq; genitrici Principi nostræ me devovi, nec me aliorum quorumcũque promissa, non ulla proposita præmia, nulla dona, nulla lucra ab hoc instituto avertere hactenus potuerunt: poterunt aũt aliquando iniqua Principis indignatio, atq; meus justus dolor, coactaq; vivendi necessitas. Quocirca nunc ex reverenda Paternitate tua scire cupio, quæ spes in Rege nostro atq; ejus matre mihi reposita est, atq; quo subsidio interim vita producenda sit. nam otiosa Principum benevolentia, quæ videlicet rem & pecuniam continet, spem solam inanibus promissis producit tanquam crocodili lachrymis, ac veluti risu Sardonio, nihil crudelius ego nunc, atque illius aculeum, sentio ad medullas: cùm ea spe atq; expectatione jam res meæ omnes ac præteritorum præsentiumq; bonorũ fortuna tota conciderint. Quocirca nunc iterum atque iterum oro reverendam Paternitatem tuam, ut qui mihi regiam Majestatem hactenus benevolam reddidisti, nunc mihi reddas etiam beneficam: atque quamdiu hinc absens est, aliquo interea mihi provideat subsidio quo alere possim familiam, eaque inceepta perficere, quæ suæ Majestati gratissima sunt futura, & simul profutura. Verùm hoc nisi citissimè feceris, nihil feceris, adeò me urget celeritas, æquè atque rei necessitas. Præterea si efficere poteris apud Barguinum atque Antonium Bullonum Principis nostræ quæstores, ut solutio pensionis ab illa mihi deputatæ solvatur Lugduni per Martinum à Troja, sive Trecensem, quæstorem Regium, magno me affeceris beneficio. nã ab hoc Thoma Bullione, illius Antonii fratre, præter inanes bullas nihil extorquere valeo.

Iam

Iam veniam abs te postulo, qui Reverentiæ tuæ tantum oneris impono, idque absque ullis meis meritis: confidoque fore, ut pro solita tua clementia huic necessariæ audaciæ ac insolentiæ meæ non solùm parcas atque ignoscas, sed inconstantissimè quoque enitaris, ut quæ ego per hæc scripta mea confidenter spero, tua opera confidentiùs etiam accepturus sim. Vale fœliciſſimè. Ex Lugduno, penultima Septembris, anno 1526.

Agrippa ad Amicum. L.

NIl nisi meras nugas tibi abs Barguino & Bullione persuasas, Capellane amiciſſime, res ipsa palam testatur. siquidè in tot ærumnis constitutus, ne obolum hucusque ab hoc Bullione potui exprimere, sed procraſtinando solutionem producit ad Kalendas græcas. nisi Martino Trecensi committatur negotium meum, nihil fiet, & mihi ex hac dispendioſiſſima urbe aliò demigrandum erit, fortè vel ad hostes Principum nostrorum redituro, quos nuper pro illis deserui meo magno malo, eò me impellente Principis nostræ promissa speratáque gratia, ut malo consilio bona fortuna mihi quærenda sit. Vale fœliciſſimè. Ex Lugduno, penultima Septembris, anno 1520. Salutat te chariſſima conjunx mea, fortunarum mearum patientiſſima comes.

Agrippa ad Amicum. LI.

REsponsurus tibi ad ea, quæ de Principis nostræ erga me indignatione jam duplicatis literis nuntiaſti, Capellane amiciſſime, scito non esse animum meum velle vivere in illius odio, nulla aut tam leviſsima occasione concepta. Dicat ergo sententiam, & pectus aperiat, si culpam habeo, pœnam non deprecor: sin minùs, quid ob nullum crimen, ob nullam culpam, sed ob literas nulla malevolentia, nulla perfidia, sed fortè improviso errore, ac inconsiderata linguæ libertate scriptas, hac plumbea indignatione plector. Fortè adfuit canis quispiam aulicus, qui illas malignius interpretatus est. At scio quàm difficile est cani lectum sternere, quia accubiturus huc illucque in gyrum voluitur, ut nescire cogamur, ut capiti pulvinar supponendum sit. Sic aulici isti canes, literarum venatores, qui Principibus à secretis sunt, in tot sæpe sententias vertuntur, ut quam in partem casuri sint, nesciamus. hi si cui sint malè propitii, nihil erit tam bene, tam sanctè, tã castè, tam fideliter, tam simpliciter scriptum, quod illi prorsus suis interpretamentis non faciant iniquum, perfidum, criminosum. Vnde fit, ut dum Principi

Principi servire cupimus, dum placere putamus nihil ritè fecerimus: omnis labor perierit, omne corruerit obsequium. At ego, quæ scripsi, scripsi zelo amoris & fidelis obsequii cupidiſſimus, Principi nostræ melioribus & honestioribus, eisdemque etiam gratiſsimis & utiliſsimis, cùm sibi tum regi totique regno studiis operibusque inservire. quod quidem facere & scio, & possum, & valeo, &, si ipsa patiatur, etiam volo: atque hoc zelo jam omnem illius in me benevolentiam obliteraſſe videor. Si sic est, atque eò me nunc vocant adversa fata mea, impetranda est venia, quòd me abdicet, ut me ad malorum meorum patientiam meliori modo parare queam, quàm inani spe tam infirmæ tamque offensibilis benevolentiæ recuperandæ perire insontem. Hæc tecum amiciſsime Capellane, fari libuit audaciùs, quòd conscius mihi sum nullius erga Principem nostram commiſsi, aut cogitati facinoris. Cæterùm nunc, quod consulis, de mittendis prognosticis, mihi secus videtur, cogitans, ne plus inde offendatur, cùm in his lectura sit, quæ malit ignorare: atque ego, ut nosti, adulari nescio. Ego præterea, acceptis de his prioribus literis tuis, mox destiti ab opere & abjeci, gaviſus etiam me de his sortilegis nugis utcunque exoneratum. Reliquum ad ea quæ per Reverendum dominum Vasatensem ad me mandaſti, respondi tibi nuper, literasque deferendas tradidi cuidam à quæstoribus (si rectè memini nominis) Ioanni Laurino, qui sub Barguino agere solebat, dum esset aula apud Lugdunum. Vale fœliciſsimè, & me de singulis certiorem redde. E Lugduno, ultima Septembris, anno 1526.

Agrippa ad Amicum. LII.

HEri manè deambulans in templo D. Ioannis, Capellane amiciſsime, arripuit me vir quidã, ut videbatur, haud inimicus, deducensque in angulum, percunctabatur de statu meo aulico, an quid haberem certi? Retuli, quæ scire putabam. At ille inquit, ego sum Barguino quæstori à ministerio, & te amicè admoneo ne inani opinione seducaris, sed rebus tuis tutiori via consulas. Iam nuper enim vidi te in pensionariorum regiſtro cancellatum. Egi homini gratias amicæ commonitionis, jamque post eventum vates esse cœpi, & his stultus sapere didici, cognovique, verum esse, quod vulgò dicitur, hanc Principis tuæ (jam enim mea esse desiit) benevolentiam non nisi beneloquentiam ac muliebrem simultatem esse. Memini ego scriptum in divinis literis: Nolite confidere in Principibus legi apud philoſophos, Non esse confidendum in mulieribus, & sub

ferula quondam ex Vergilio didici: Varium & mutabile semper fœmina. Atq; ego bis stultus, divinorum humanorumque monitorum immemor, me & Principi pariter & mulieri in uno (ut So. bonicè loquar) suppositio, tanquam ex hippocentaurorum genere, copulato concredidi: & tanquam jumentum & asinum aurigandum dedi. O terq; quaterq; stultus Agrippa, qui clarus imaginibus avitis, clarus propriis titulis, militia, doctrinaq; partis, clarus tot publicis muneribus pace & bello optimè gestis, qui tandem, quò liberiùs vivere possem, à publicis muneribus me sequestravi, & ad quietiorem hanc medicæ artis, & quam hactenus celebri fama ad miraculum usque cum multorum salute exercui, professionem me contuli: iterumq; à Principibus & Regibus ad honores & stipendia expetitus, diu abstinui, donec uni huic & Principi & mulieri ultrò me obtuli mancipium, abs qua nunc hospitior, ac si ad nullum aliquod egregium facinus utilis sim, nec aliarum rerum aliquid scire aut agere possim, medicus cùm sim & cum stercoribus & urinis rem habeam, adeò non clarus, non liber, sed obscurus, etiã stultus bisque stultus factus sum, dum saniore consilio mederi studeo insano mulieris animo, quodq; nunc ulcus acu tetigerim, admonens, ne esset plus æquo superstitiosis vaticiniis dedita, ne nimium ex illis pendeat, ne pateretur in his nugis meum conteri ingenium, ne animum meum sublimioribus studiis aptum, rebusq; bene gerendis, idoneum, vanitate illarum macescere sineret, sic indignationis facilitate ebulliit, ut repente pensione privaret, indignumq; præmio judicaret: sic ad nomen meum obsurduit, ut ne terebro quidem aures ejus amplius aperiri queant: adeoq; intractabilis facta est, ut tu etiam illi familiarissimus cogare in re mea obmutescere. Atque hoc nunc tecum expostulare habeo, Capellane amicissime, non, quòd ademptum stipendium: non, quòd privatus Domina: sed quòd hæc, si scivisti, non admonuisti: non indicasti. quod si fecisses, jamdudum finem haberet hæc tragœdia, & ego habere Principem fortè inter hostes vestros, qui ministerio meo indigens, servitium meum perlibenter sibi delegisset, qui per hanc æstatem me omnibus votis & promissis exposcebat, ubi etiam hoc lucrifecissem, quod crassiori stipendio exceptus, ac digniori officio functus fuissem, virumq; pro fœmina commutassem, hoc est, quod toties præsagiente animo ad te scripsi, scilicet quandiu hîc inani spe hærerem, oblatam aliunde rem certam amitterem, admoramq; proximè bonam fortunam Tantali instar non possem capessere, atq; non modò Principis stipendio hîc fraudari,

fraudari, sed & inani spe delusum, simul etiam alienis bonis destitui, ac damnum certum perpeti sub ambigua spe, dimissisque bonis avibus, muscas venaturum. Vides nunc, ut ego malorum istorum pulchrè mihi vates fuerim, atque tu me in morem terrestris ranæ sitientem, tot tragicis epistolis frustra vociferari passus sis? hæc te cum. Proinde pro hac fide Dominæ tuæ servata remuneror perfidiâ, videlicet non admonitus, sed clanculum & post terga abdicatus. Si mihi herus fuisset mercator, vel lanio, vel aliquis infimæ sortis rusticus, heráve consimilis, nunquam me servum suum pepulissent non præmonitum, etiamsi culpa non vacassem. Verum hac aula sine culpa, sine crimine, clam me, extrusus sum, atque deinceps spe vana interim, lactatus, & omnibus optimis aliunde conditionibus renuntiare passus, ad omnium fortunarum mearum naufragium propè adactus sum. Ad hunc modum me probitas & servata Principi tuæ fides evertit, atque hæc (si diis placet) Principis tuæ nominabitur autoritas, quæ in privata quavis persona vocaretur perfidia & proditio. Neque verò hæc ego de principe ipsa vel dixisse vel cogitasse volo, sed de illis aulicis harpyis, quæ suadelis suis Principis nomine autoritateque abutentes, quibus non nisi detractiones, fraudes, sycophantiæ, & quæque similia profunt nequitiarum genera, qui huic pensiunculæ meæ inhiantes, hanc mihi velut Phyneo obsonium, ipsis è faucibus præripuerunt. Iam tandem, mi Capellane, hic finis est hujus tragœdiæ videlicet. Ego destitutus hac Principe, & aliis conditionibus stultè refutatis, omnibus vestris offensus, sola innocentia tutus,

Cantabo vacuus coram latrone viator,

animosiusque deinceps & loqui audebo & scribere. Quem enim metuam amplius, qui cum fortuna ipsa ad extremum usque essem luctatus sum, qui spem ipsam desperando jam vicerim, ac tanquam Anteus in terram prostratus, fortior resurgam, adeò ut nemo ultra vincere me poterit, nisi fortè Hercules aliquis me tollat. Forsan rides me, Capellane, tanquam Ajacem abjudicatis armis insanitatem, ac armenta hominum loco trucidantem: sed legisti, puto, aliquando, quid mus contulerit leoni, quid scarabeus nocuerit aquilæ. Nolim ego tamen nunc in murem, aut scarabeũ transformari, sed in Timonem aliquem misanthropum verti, si modò Mercurius aliquis missus abs Iove novum Plutum adduxerit, illisque aulicis corvis, qui iniquis obtrectationibus, insidiis, sycophantiis Principem corrumpentes, illius odium mihi conflârunt, & insontem me

BIBLIOTECA CENTRALA UNIVERSITARA

tem me illius odio obnoxium reddiderunt: denique post terga clandestimè, adeo repentè, tam perfidè, & proditoriè ejecerunt, ac immedicabilium malorum illorum autores sunt, ligonea liquo cominus caput tuberibus opplere congestisque saxis etiam eminus & procul lapidum grandine petitos obruere, corumque fucos, adulationes, detractiones, furta, proditiones, nigro calculo signare, & chartis illinita atris, omnibus linguis evulgare, illosque sub diali loco palàm catamidiandos exponere. atque hic finis esto tragœdiæ. Quod superest, mihi uni nunc cogitandum & agendum relinquitur, atq; primum, ut, quemadmodum à stipendio, à præstito Dominę fidelitatis sacramento æquè pariterque liber sim, ut si alia quævis me respexerit bona fortuna, liceat hanc vel cum illius offensa apprehendere. Tu nunc, amicissime Capellane, fœlicissimè vale, & me literis tuis, quocunque futurus sim, sæpissimè alloquere, in hoc mihi rem facturus omnium gratissimam. Salutat te charissima mea conjunx. Ex Lugduno, octava Octobris, anno 1526.

Agrippa ad Amicum. LIII.

ACcepi hodie literas tuas, colendissime Præsul, datas à vicesimasexta Septembris, quibus respondes ad illas, quas festino calamo scripsi reverentiæ tuæ à decimaoctava ejusdè. Cæterùm scripsi adhuc Reverentiæ tuæ & domino Seneschallo ac domino Capellano ab ejusdem penultima satis longas epistolas, quarum responsum ex die in diem expecto, Quod officium desideratum pro me impetrare, visum tibi non esse, doleo: siquidem vacat nunc, & jam ab aliis sublatum erit, mihique vix unquam similis arridebit occasio. de reliquis omnibus ex domino Capellano accipies meam sententiam. scripsi siquidem illi & pridie & hodie per amplas literas, animumque omnem detexi. tua dominatio instet pro me apud Regem. nam apud Dominam nulla spes mihi reliqua est. Verùm illud præcave, ne sicut hactenus, in otiosam benevolentiam inani spe confisus, Aesopici canis instar, & umbram perdam & obsonium. Cæterùm verò eorum quæ scribis, ego Regi nihil mittere queo, cùm hæc non modico dispendio priùs instruenda forent, & ornari deberent. quod mihi nunc difficillimum est. nam quod mihi expensione debebatur, non solvitur, & reliquum totum cancellatum intelligo: & quas alias conditiones mihi externi principes quidam hac æstate obtuleruat, propter fidem Dominæ datam servatamque refutavi: & qui pluribus sellis sedere poteram, omnibus excussus in nudo solo derelictus sum. Quicquid

quid ergo facturus es, fac citò: & me de actis & agendis quàm primum certiorem redde. Habeo jam nuper per me excogitatos modos aliquos, quibus possim regio ærario quotannis nō modica pecuniarum talenta applicare, etiam absque populi gravamine, sed & magno cum reipublicæ commodo plebisq; congratulatione: sed non sum illa dicturus, nisi ipsius ego primùm de hujus inventionis meæ præfectura certus sim. Scribo ad Dominam, literarum illarum exemplum simul mitto, ad Capellanum, quod in suis manibus videbis & leges: deinde, si videbitur, poteris illas literas opportuna hora offerre ipsi Dominæ, ita tamen, ut vel ipsa legat, vel de verbo ad verbum legi præsens audiat, ne quando quis aulicus canis aliter, quàm scriptum est, recitet. Vale fœlicissimè. Ex Lugduno, decima Octobris, Anno 1526.

Agrippa ad Amicum. LIV.

SCripsi ad te pridie, Capellane amicissime, quibus tibi totius tragœdiæ meæ extremum actum peroravi. Hodie aliæ mihi sunt redditæ literæ tuæ, & à reverendo Domino Vasatensi una cum suis ex Chamburgo à vicesima sexta Septembris trantinissæ. Hæ jam nova adferunt consilia, nescio quanti valitura, obtemperabo tamen, quatenus citra damnum facere potero. scribo ad Dominam, cujus epistolæ exemplum hic inclusum conspicies. valeat, quantum possit. Si quid inde boni sequetur, præter spem eveniet. ego nihilominus etiam aliunde venabor prædam, nec fidem illi debebo, quæ mihi non debet stipendium. nam ubi illa me rejecit ex aula, ego illam abjeci ex animo, nihil unquam spei, nec fidei habiturus in tam levem, varium & mutabilem fœmineum sexum, nisi quantū reipsa videro, palpitansque deprehendero. Proinde jam, qui novis consiliis revocor in aulam, accipe, quas mihi leges præscripsero: Vt probè aulicum agam, egregiè adulabor, fide parcus, verborum prodigus, consilio obscurus, oraculorum instar ambiguus, sed lucrum sequar, meumque commodum præferam omnibus: amicitiam nullam, nisi lucri causa, colam: mihi ipsi sapiam, neminem laudabo nisi artificiosè, cuilibet detraham, sed & cum meo compendio, quos potero, protrudam: ipseque pluribus sedebo sellis: aulicos hospites & cæteros, qui lucrum non adferunt, tanquam steriles arbores, despiciam omnes: nullius fidei credam, nullius amicitiæ fidam, conjectabor omnia in malam partem, meditaborque vindictam, Principem observabo tantum & adorabo, sed non nisi aut timo-

re aut meo compendio illi adulabor, adsentabor, parasitabor: his decretis me rursus in aulam recepero. Tu quoque, Capellane amicissime, si aulicè sapere vis, tibi vel eadem, vel similia statuas: aliàs profectò similes evademus jumentis senio confectis, quorum ne pellis quidem perinde, ut aliorum animantium, est usui. En vides, ut emancipatus aulâ, miro quodam prodigio protinus effectus sum aulicus. Scribit ad me dominus episcopus Vasatensis, esse tui consilii, mittenda Regi instrumenta Pyromachiæ atq; librum. Verùm tu scis me Matrimonii mei nuper jacturam fecisse, à quo dum gratiam expectabam, calumniam passus sum, vereor, ne in isto mihi accidat simile. Præterea liber hic in volumen satis amplum excrevit, & architectrices illæ poliorceticarum organopoceticarumque machinarum moduli, cæteraque pyromachiæ instrumenta hactenus per me magnis laboribus & sumptibus perfecta, non tam facilè emittam è manibus: & nisi citò me præveniat Regis beneficium, aliis hæc, etiam vel hostibus profutura sunt. Astrologica judicia, sicut scripsi tibi antea, neque perfeci, neq; perficiam, donec Domina nostris literis responsum remiserit, atque jusserit. Vides, mi Capellane, quale monstrum evaserim, supraque humanam capacitatem miraculum factus sum, religiosus videlicet & aulicus, utrorumque contrariorum rituum tam pertinax observator, dum hinc quidem juxta verbum Scripturæ nolo confidere in principibus, in quibus non est salus: inde verò ex aulica disciplina nihil pro illis facturus sum, nisi prævio lucro. Cæterùm verò scire ex te cupio, quisnam sit ille meus genius malus, qui Principis animum sic obsedit, ut omnem partam nobis dudum gratiam obliterarit: quò illum religioso aliquo exorcismo exterminemus, vel magico aliquo sacrificio placemus, vel nos barbaris deorum nominibus cabalisticisque pentaculis contra illum muniamus. Vale. Salutat te amantissima mea conjunx. rursus vale, & si quis rumor est Regem hue venturum esse, quàm ocius rescribe. Ex Lugduno, decima Octobris, anno 1526.

Ioanni Capellano, Physico regio, Henricus Cornelius Agrippa. S. D. LV.

QVæ de Siculis Neapolitanisque prodigiis per Langium ex urbe Roma regi tuo nunciatis ad me scripsisti, Capellane amicissime, fuere quàm gratissima. Fortè meum aliquod de illis expectatis judicium. Audi igitur, si vera sunt prodigia hæc quid

quid ex biblica mea astrologia de illis conjectari posse visum est. Locustas à loco usto & vastato (sic nuncupari pleriq; non inelegantes putant Grammatici quia virentia omnia vastant exuruntque) regem non habent, testante id Salomone in Proverbiis, sed turmatim volant: mirum tamen ordinem servant, adeoque in nocendo potentes sunt, ut ne homines quidem illis quovis ingenio queant obsistere. has autem Auster adducit ventus urens, ut ait Exodus. Quin & Plinius Italiam ex Africa illarum cohorte infestari scribit. Ventus autem ex occidente flans, illas in mare præcipitat, ut est in eodem Exodo: rursusq; per mare ejectæ, sæpissimè pestilentiam excitant. Autor verò Apocalypsis regem illis præfecit Angelum abyssi, hoc est, Satanicæ religionis pseudoprophetam, cui nomen Hebraicè Abbadon, Græcè autem Apollyon, quod interpretatur Perdens, dissipans & exterminans. Hieronymus quoque per locustas Medorum & Chaldæorum imperium exponit. Ex his itaq; nunc prodigii illius sensum facilè colligimus, quoniam ex Asia & Africa venturi sunt crudeles populi, qui, locustarum instar, multitudine & celeritate sua cooperient terram, occupabuntque illam, deprædabuntur & devastabunt, videlicet Mauri & Turcæ Mahumeticæ sectæ gentes, quibus vinum gustare nefas est: (ideoque locustæ illæ, quod scribis, virentibus omnibus erosis, solas vires reliquerunt intactas.) saturatique præda, pars illorum regrediens alias terræ plagas infestabit, remeabitve ad suos, pars occupatam Siciliæ insulam, seu aliam ejus Trigoni provinciam possidebit: nec poterit inde, nisi valida ex occidente Hispanorum manu propelli.

Sed jam ad corvos vadamus. hi funesto colore atri, rapaces, immundi victus, carnivori, morticiniis semper inhiantes, voce inamœna & expavescibili, tristis auspicii, nil nisi nocere norunt, omnibus infensi, ne propriis quidem parentibus parcentes, quos etiam famescentes concerpunt: solis proditricibus vulpibus amici: tauros autem præ cæteris animantibus maximè invadunt: ex omni autem corpore oculos præcipuè appetunt: præterea super omnia animantia habentur contumacia insignes: quod Noæ historia & Apollinis fabula utrobique attestantur. His itaque consideratis, non dissonum videbitur, illos cum pravis sacerdotibus componere, nam illi etiam rapaces, avari, funeribus inhiantes, ex mortuorum exequiis, veluti morticiniis, victum divitiasque sibi vendicantes, ex toto ecclesiæ corpore oculis maximè illu-

dentes, superstitiosi sua hypocrisi, vanisque cæremoniarum pompis plebem excæcantes. Per corvos itaque plerique doctores malos sacerdotes exponunt, utriq; siquidem atri, fusci, funesti & immundi sunt. Ob easdem similitudines Scriptura corvos interpretatur immundos peccatores, gentesq; rebelles ac contumaces, & inobedientiæ populos plebemq; cruentam, factiosam ac dominorum suorum contemptricem, quã semper comitatur desolatio atq; destructio. Quæ omnia pulchrè & clarè ex Mose, Osea, Sophonia prophetis, & ex Salomone colligimus. Ejusmodi autẽ plerique sunt Italiæ prælati, proceres & populi, qui in se conversi civilibus armis non procùl Neapolitano regno intestino bello cadent, illicq; omnis concidet utriusq; factionis Italica improbitas. Vt autem hæc tibi exemplis aliquibus clariora sint: en, legitur apud Sabellicum, pridie quàm essent Veneti ad Sapientiam oppidum Liguslico bello victi, coruos adversis inter se agminibus conflixisse, cadaveraque supra eorum classem triremesque respersa. Legitur etiam in Pii papæ Cosmographia, cruentum illud bellum, quo magnanimus ille Ioannes Burgundiæ dux contra Leodienses populos, collatis signis pugnans, hostium plus triginta millia cecidit, paulo ante falconum corvorumque prodigiosam pugnam præcessisse, victoria penes falcones manente, corvis omnib. ad internecionem deletis. Est etiam, quod præterii, Romanis & Hungaris nonnihil cum corvis commune, ut quia aliquando corvus civitate donatus, ac moriens civili pompa publicis exequiis cohonestatus. Erat etiam Romæ nobilis admodum Corvinorum familia, ex qua rex Hungariæ Matthias se descendisse gloriabatur, cui involans in galeam Valerii Tribuni corvus, Galliumque hostem pariter expugnans, nomen dedit. ex quo hæc ales Gallis ipsis inauspicatissima habita est. Quid autem id, de quo nunc agimus, prodigium vestris Gallis portendat, exquirere nunc mea indignatio prohibet, indignitasque illorum non admittit. Indignatus siquidem eos prodigiorum autor, sive Natura is sit, sive major illâ Deus, passam hactenus cladem turpem, exercitus fugam, ducum miserabilem cædem, regisque dedecoram captivitatem, nullo cometa, nullo portento, nullo ostento, nullo omine, nullo prodigio præmonstrare præmonereque dignatus est. Sed ite nunc oppugnaturi Neapolim, & cum Achab vestro ascendite in Ramod Galaad. nam corvi ominantur vobis victoriam. vix redibit mingens ad parietem. Hæc tibi repentino hoc calamo scribere dedit animus tanquam intelligenti satis, quæ principibus tuis

tuis longiore sermone numerationibusque Scripturarum testimoniis allegoriisq; ac typis recensenda forent, ni fortè obsit illis, quòd hæc astrologia non sonat illorum auriculis, sicut Ethnica ariolorum tintinnabula. Dei enim comminationes, tanquam Pharaoni & Aegyptiis, surdis illis fabulæ sunt. Nunc autem, ut & ego tuis novis nova rependam, accepi hoc manè apud Basileam, insignem Germaniæ civitatem, lucente sole claro & quieto, medio die ignem è cælo decidisse in civitatis illius armamentarium, idque cum omni apparatu machinarum, tormentorum, pulveremq; ac reliqua munitione conflagrasse: etiam homines aliquot in hoc incendio unà periisse. Hæc si vera sunt, quid indicent, conjectare poterimus exemplis: uno ex Livio narrante, quemadmodum Macedonio bello regis armamentarium conflagraverit, de quo postea Romani egerunt triumphum: alio autem proximis annis viso in arce Mediolanensi, ubi per omnia simile accidit paulo antea quàm pulsis Gallis in Hispanorum manus veniret. Indubiam itaque status principatusque mutationem portendere videtur. Verùm quia Hebræorum doctores per ignem exponunt regnum Macedonum, cui hodie Turca præest, Basilea autem unica inter Germaniæ civitates regium nomen obtinet, caveant sibi Germani à Turca. Siquidem hoc prodigium alicujus regni sui comminatur excidium. atq; fortasse nihil hoc ad Basilienses Sed audisti, arbitror, quæ illic circa fidei nostræ mysteria versetur contentio. Igne igitur illic opus est cælesti, ceu qualem Dominus aliquando misit in os Hieremiæ, ut sit credentibus lumen incredulis verò supplicium, bonis omnibus ignis pacis, accendens charitatem, & consumens arma instrumentaque contentionum, malis autem incendium & vastatio. Vale fœliciss imè. Ex Lugduno, undecima Octobris, anno 1526.

Ioanni Capellano, Physicõ regio, Henricus Cornelius Agrippa. S. D. LVI.

SAlve mi amicissime Capellane, & ter quaterque salve. Valeant principes, valeant reges, valeant Nini, valeant Semiramides, valeat omnis robusta improbitas. Benedictus Dominus. Divites facti sumus, modò vera sit fabula. Vir quidam gentilitius, mihi à multis annis amicus, auri semina ad nos detulit, eaque in oblongi colli cucurbitula, in forniculam nostrã, cæparum in agris instar, plantavit, igniculoque, ceu phœbæo calore, atque, ut gallinæ solent ova incubantes, die noctuque

fovemus, expectamusque propediem nascituros ingentes fœtus aureos. qui si ritè excludantur, Midam ipsum vel auro superabimus, vel saltem auriculis, illisque giganteis Ninis ac Semiramidibus Longum valere dicemus: & tu nunc ditissimè fœliciss imeq; vale. Ex Lugduno, abs tuo auratissimo, vel auriculatissimo futuro Agrippa, 21. Octobris, anno 1526.

Agrippa ad Amicum. LVII.

TOties jam frustra ad te literas dedi, etiam de tanto silentio tuo frustra tecum expostulatus sum, ut ipse mihi ulteriùs tacendum decreverim, nisi reverendus Pater Navarrenorum regis confessor, cujus opera istæ ad te deferuntur literæ pridie mihi benevolentiam tuam integritatemque testatus fuisset, ac te mearum literarum hactenus accepisse nullas. Hinc resipiscens, stomachum omnem inter sceleſtos illos literarū nostrarum cōpilatores, qui nos tam nequiter desideriis nostris fraudārunt, evomui, ac te ab imputato crimine jam absolvo: idque duntaxat ratum esto, si ad istas quam proximè respondeas Cæterum nunc longiores ad te literas dare, & quæ in prioribus scripta sunt repetere, festinus harum latoris recessus non patitur. Tu scis, quæ mihi discedens Lugduno pollicitus es. si nunc miseris, rem mihi feceris omnium gratissimam: egoque fidem tuam probatam habens, ero tibi ad omnia in omnibus semper obligatissimus. Vale fœliciss imè. Salutat te chariss ima conjunx mea. Iterum vale. Ex Lugduno, 15. Octobris, anno 1526.

Agrippa ad Amicum. LVIII.

LIteras tuas, quas ad me scribunt Curatus sanctæ Crucis atque Laurentius Phrysius, unà cum libris nostris accepimus. duos aureos coronatos & quinque solidos persolvimus. tibi gratias habemus, & si qua via consilioque & juvamine prodesse tibi poterimus, perlibenter tentabimus, faciemusq;. tu si ad Mediomatricos revertere, Curatum meo nomine salutabis. nullum adhuc illi responsum remisimus, idque excusabis. Scribere tamen eum ad me jubebis. Responsurus illi sum ad proximas nundinas. Laurētium Phrysium meo nomine salutandum cures. scriberem illi & sæpius & libentissimè, si scirem, quis mediis tutas nostras ad illum dirigere possem epistolas. Cæterùm vale. Ex Lugduno, 16. Octobris, anno 1526.

Agrippa

Agrippa ad Amicum. LIX.

SÆpè ad te scripsi, amantissime vir: tu verò ad nostras literas sic obsurduisti, ut præter silentium nihil remiseris aliud. hoc nunc tecum expostulo, ac te læsæ amicitiæ reum ago: quo crimine si te non purgaveris, si non rescripseris, si non responderis, bellum tibi omnino indictum sciat, moxque tragicis epistolis te oppugnare adoriar. Vale fœliciss ime, sed rescribe, & Ptolomæum mitte. Saluta mihi conjugem tuam. E Lugduno, vicesimasecunda Octobris, anno 1526.

Amicus ad Agrippam. LX.

FAc tantum pro me, ut tractatum, quem aliàs edidisti de Peccato originali, paulisper accommodes. Cæterùm non dedi oblivioni in negotio tuo allioqui Thomam Bullionum, qui mihi spopondit traditurum totum negotium tuum illi domino electo Verando Chalendato. Si aliquid ab aula habueris, mihi rescribito. Saluta meo nomine, si oportunitas adsit, militem illum à Vauzellis, nec propterea negligas me recommendatum facere tuæ chariss imæ uxori. Vale. Ex Condriacho, die secunda Novembris, anno 1526.

Agrippa ad Amicum. LXI.

SAluto te, & salutat te uxor mea. Militem Vauzellum non vidimus à quatriduo. Ex aula nec rem, nec verba accepi. Thomam Bullonum pro mendaci nebulone habeo. Electum Chalendatum probum virum existimo. Sed ego inter illius bonam voluntatem & Bullionis fraudulentam sponsionem, tanquam hircus in vepribus, hæreo. Librum nostrum abs te postulatum mitto. Sed, heus tu, nullum mihi aliud exemplar est Dominus Sancti Valerii ad biduum hinc discessurus est. hunc si tu in tempore pro me alloqui voluisses, bene mecum egisses. nunc mora tua subvertit negotium. Dices mihi, te melius hoc in aliud tempus effecturum. Respōdet tibi vetus proverbium Intempestivum beneficium non est beneficium, atq; ego interim spe illa non alo familiam. Vale. Ex Lugduno, tertia Novembris, anno 1526.

Agrippa ad Amicum. LXII.

COgitabundus his diebus, Capellane amicissime, quòd nam hoc esset meum in epistola ad Seneschallum scriptum, quod adeò offenderit Principis tuæ, aliàs mite & tra-

ctibile ingenium, ut subita indignatione, tanquam furore percita, nullo animo suo deliberandi dato spatio, me qui ad calamitatem usque suam secutus sum fidem, cùm potissimè beneficium expectarem, tam repente abdicaret stipendio, in eaque præcipiti ira sic perseveret, ut amicis meis omnibusq; pro me dicentibus suæ clausæ sint aures, ad detractionem verò invidorum sint apertæ, qui sic jam naturâ illius perverterunt, ut plus liceat apud illam alienæ credulitati, quàm suæ innatæ quondã clementiæ meæque innocentiæ: non potuit tanta culpa esse si ad monui, ut divinæ providentiæ patientes, astrologicas pernicioſas nugas relinqueret, nec meum ingenium honestarum artium disciplinis præditum, hac superstitiosa professione pateretur corrumpi: quippe qui possem illi melioribus prodesse studiis, si me illorum potius, quàm astrologicæ artis, si modò ars est, ac non inane ludibrium, exercitio malit experiri. Esto hæc, ut honesta cẽsebam forte libertiùs, quàm par erat: attamẽ fideli mente sic suasi: atque hæc suadendi licentia, sic ut & potuit & debuit zelo fidei imputari, sic nec potuit, nec debuit tam pertinaci indignatione ira in rabiem versa ulcisci. Quis enim Principi cuicunque suasurus foret, quis cum illo consiliorum sermonem sociare auserit, si suasisse periculum erit, & consiliũ dedisse pro crimine habendum est, idque fortè, si stolidum, inutile, aut inefficax: pœnis & supplicijs luendum sit? nova profectò hæc & inaudita tyrannis esset. cogitavi ergo subesse oportere altius quoddam malum, quod animum Dominæ sic urat: idque cùm profundiùs cogitando fruſtra inquirerem, ipsa cogitatione fatigatus, fortè, levandi animi gratia, ut soleo, sacrum Bibliorum volumen arripio, idque aperiens protinus occurrit ad manum historia Iezabel, juxtaque verbũ Achab de Michea propheta inquiente, odi eum, qui non prophetat mihi bonum. Attonitus de improviso oraculo, rediit in mentem scripsisse me Seneschallo, comperisse me in Borbonii natalitiis revolutionibus, illum, fruſtratis vestris exercitibus, etiam in hunc annum victorem fore. erupi in risum, sed Sardonicum: dixique intra me: O in felix propheta hoc vaticinio: jam omnem Principis tuæ gratiam concacasti: hoc est ulcus, hic antrax, hic carbo, hic cancer ille, quem Noli me tangere dicunt, quem tu imprudens tetigisti etiam cauterio. profectò hinc fenestra, hinc posticum, hinc ostium, hinc janua, hinc porta, hinc valvæ adulatoribus, assentationibus, detractoribus, cæteroque tempestatum populo contra te adapertæ sunt: jam livor occupat Principis præcordia, ideoque aures non recipiunt consilium, & verba

pacis pro te dicentium ira vertit in scandalum, cœpique & ego aulico ingenio conjectari omnia in priorem partem. Miserum me, qui hactenus non didici illius & hujus aurium voluptati, sed nudæ rerum veritati studere, ac tamdiu fruſtra inter aulicas artes versatus: qui, cùm his mihi maximè opus fuerat, tunc potissimùm neglexerim. Sciebam Borbonium hostem esse, sed ignorabam illum tam pestilentem hominem, & plusquàm olim Telchines, Illyrios, Thessalosque noxios populos, & quàm Scythicas pernicioſas fœminas, periculosiorem, ut etiam solũ nomen ejus secum ferat venenum. Sed & nesciebam me prædariò astrologum conductum, quodque mihi, quod ars illa dictat, monendi dicendique jus relictum non esset, occurritq; extemplò Orontius Parrhisiorũ insignis mathematicus & astrologus, qui dum veriora, quàm poterat, vaticinaverat, iniquissima captivitate diutinè vexatus est: jamque ajebam ad me, quid, si reliqua mihi fisses prognostica? proculdubio ex fumo in flammam te conjecisses. Nam quæ tu de Borbonio imprudens vaticinasti, fortè nimis vera res ipsa jam manifesta facit. Quid, si cætera mala ominatus fuisses, proh deum atque hominum fidem, nunquid, quæso, sicut Micheas, non sum mentitus regi bona, aut sicut Balaam nescivi maledicere Borbonio, iccirco reus sum? Non inficior astrologiam daturum fuisse spiritum mendacem in ore omnium prophetantium per illam: sed quis Balaam poterit detestari, quem Deus non detestatur: aut maledicere, cui non maledicit Deus? Nónne victoria Principum est in manu ejus, & ipse affert suppresso potentiam adversus eos, qui deprimebant eum: & mendaces ostendit, qui maculaverunt illum? Nunquid pro Deo ego sum, ut immutem verbum veritatis? Hoc illud crimen meum, hoc scelus, hoc facinus, hoc venenum, hic aculeus, hæc spicula, quæ Principis tuæ animum vulnerarunt, quæ exulcerarunt, quæ tabefecerunt: jamjam reus sum, indicio Borbonius sum, hostis sum. Si Borbonius ego sum, ipsi testari possunt tanti ducis plerique proceres, qui me, cùm Friburgo Helvetiorum discederem, importunis precibus magnisq; pollicitis præmiis, in illius obsequium traducere conabantur. Quid illis tunc responderim quidque egerim, testabuntur cùm ejusdem ducis aliquot capitanei, tum illi primipilares nobiles ab Eylens, agnati mei, qui cùm Borbonio faverent, ego illos cum quatuor millibus expeditis peditibus Borbonio adduxi: induxi autem devotos Regi, omnemq; meam fortunam in hoc expositi ac simul ære alieno obstrinxi, pro quorum remuneratione, cæteris nostris, & uno agnatorum

meorum desiderato, altero graviter vulnerato, insuper neque pactorum, neque promissorum, neque sub schedis publicis militari lege obligatorum fides nobis servata est: ubi si Borbonii partes secuti fuissemus, vestris spoliis divites essemus, insuper & victoria fœlices: nec opus fuisset, me hic ex anrato milite Principis tuæ scatophagum medicum fieri: at sperabam benevolentia illius, quemadmodum ipsa pollicita erat, me apud regem instauraturum. Verùm Rex me hactenus oblivione neglexit absentem, sed Domina tua, cujus fidem præ cæteris secutus sum, quia illam paulo liberiùs admonui futurorum malorum, impatiens veri, incontinens iræ, intemperans vindictæ, jam me contemnit, abdicavit, repulit, expulit, vicitque gratiam meriti detractorum atrocitas: atque ego, qui, destituto Borbonio, meipsum, quò pro omnibus viribus regem juvarē, fortunis meis omnibus exui, nunc illi Borbonius sum. At non sunt Borbonii trigaleati illi lepores ac transfugæ desertores, qui relinquentes captivandum Borbonio regem suum, ipsi, vix conspectis hostibus, sanis membris, integris armis, salvisque rebus profugerunt in patriam, jamque actum erat de Gallorum regno, nisi Dominus misertus fuisset vestri. Ite ergo nunc, & adorate ariolos cælorum, à quibus veniant vobis, quæ ventura sunt. Nónne Deus exercituum est, qui benedixit vobis? ut capto rege vestro infelix regnum salvaret in manu mulieris, atque, sicut in Isaël tempore Deboræ, deficientibus viris mulier egerit imperium Galliæ, ac tam prudenter strenuèque rexerit, ut non meliùs olim Semiramis, aut Athalia. atque hæc, ut egregia Dominæ tuæ laus est juxta verbum Scripturæ, sic universorum Galliæ procerum insigne est opprobrium, totiusque populi ac regni infœlicitas, quia non est in illis inventus princeps dignus pro imperio: & defecerunt sapientes à consilio, & fortes eorum profugerunt à bello, & requierunt sub stola mulieris. hæc laus est Principis tuæ. Nec mihi hic aliquis ingerat pro lapidothe, sive baruchia ventricosum illum rabulam, cujus consilia, tanquam Pythonis, sunt in ventre, & virtus ejus est in patinis, non est galea salutis in capite ipsius. De his autem, quod reliquum futurum supereſt, manet alta mente repostum. Vides, mi Capellane, cujusmodi sim prophetа. si quis hac arte me conducere velit vatem, patiar me vel pontificem ariolorum fieri. Cæterùm contemno omnes Baboynos & Bulliones & quoscunque similes, superbiæ, invidiæ, detractionis, dissimulationis, assentationis, adulationis, proditionis, cæterorumque aulicorum vitiorum ideas: mihi satis est ex-

est extrusum me alieno scelere, non meo crimine. Quid autem aliud fecerunt postici illi nebulones, nisi quod me Principis iræ obtulerunt: ipsam autem Principem mihi ludibrio exposuerunt, quippe quæ me quondam in delitiis habebat, nunc odit, & pro ignavo, inerte, inutili aspernatur, etiam vel pro hoste habet: Ego contrà, qui promissa ejus hactenus pro oraculis habenda putabam, nunc didici, dictis, promissis, scriptis, literis, sigillisque illius fidem nullam esse habendam, nisi ex illorum nebulonum arbitrio: illam tamen egregiam Principem fatebor, sed sui sexus levitate illorumque assentatorum fraude pernicioſa, principum teste, timendam: jamque, quod aliquando in Antiquorum traditionibus didici, facto insuper in me periculo, verum comperi, Principes esse omnium hominum genus ingratissimum, qui nullum amant ex animo, nulli fidem se debere putant, nisi ex sua libidine: nullius malo, etiam ne de morte pro illis susceptа, compatiuntur: quin & sæpe affligunt bene meritos, illisque non modò gratiam conferre non cogitant, sed insuper persequuntur injuriâ, nonnunquam proscribunt & bonis omnibus spoliant, etiam vitam adimunt, sicut in Barone Planceiaco nuper omnibus cognitum & manifestum est. Possem alia hujus crudelitatis exempla recentissima ante oculos ponere, si, ut clara, sic tuta illius esset veritas. Quare & nos nec Principes ejusmodi amare debemus, nisi pro compendio: nec fidem illis habere, nisi pro jam acceptis: nec de calamitatibus illorum dolore, sed gaudere, quia manus Domini est, quæ tetigit illos, salvum facere volentis populum suum à manibus illorum. Atque hæc, mi Capellane, olim meminisse juvabit. Erunt adhuc nostra sydera, vivemusque fœlicioribus astris, qui nunc vivimus adversis. Sæpè namq; desperatio melioris spei causa fuit, & vexatio acuit ingenium. Strenua enim ingenia non tam secundæ pugnæ, quàm adversa, ipsaque rerum desperatione efferuntur. Hactenus ut gregarius miles dimicavi, mox pugnabo cataphractus: animosiùs deinceps agere videbis, animosiùs loqui. Sed tu parce iræ nostræ. nullum siquidem animal tam invalidum, quod iratum non excandescat. Nisi integritatem animi erga me tui notam haberem, non tam periculosa libertate ad te scriberem. Scis, quoniam angustiati animi nullum majus solatium est, quàm habere amicum, qui cum, ut tecum ipso, loquaris. talis tu mihi es, quem scio non minus pro mea salute, quàm pro tua propria, esse sollicitum. tu unus mihi pluris es, quàm Princeps cum tota reliqua aula. Esto bono animo, & noli

& noli pro me amplius loqui ad Dominam, nec immedicabilem iram illius mitigare coneris. faciat hoc, si velit, Seneschallus noster, qui huic iræ, licet sine culpa sua, occasionē præbuit. Præterea cave tu ulteriùs mihi inscribas consiliario, aut medico Dominæ. detestor hunc titulum, omnemque spem, quam ex ea conceperam, damno: omnem fidem, quam illi juravi, revoco: nec ultrà illam ego pro principe mea, (jam enim esse desiit) sed pro atrocissima & perfida quadam Isabele mihi habēdam decrevi: si quatenus animum ejus citiùs assentatorum detractio, quàm mea offensa evertat, si tantum potest in illam detractorum nequitia, ut sit illi veri ratio virtutumque disciplina contemptui, si fidele obsequium compensāt odio, si benemeritum beneficio indignum judicat: si sua causa egentem, ope, auxilio & benevolentia spoliat: sedeat nunc medius quiscunq; vir probus, & judicet: proculdubio in illis animi nequitia comprehendetur, in me non nisi fortuna poterit accusari. Vale fœlicissimè. Sed & salutabis mihi Fabrum & Copum & Budæum literarum & virtutum patriarchas, cæterosque, quicunque te & me amant: opto illis omnibus, salvi sint, & prosperentur: reliquos aulicos dii perdant. odi enim jam ego pariter & principes & aulas Iterum vale. Salutat te charissima conjunx mea, fidissima nostræ fortunæ comes. E Lugduno, die tertia Novembris, anno 1526.

Amicus ad Agrippam. LXIII.

SI vales, gaudeo, mi colendissime Agrippa: ego quidem valeo, utinam ex sententia. subtraxi me à Lingonibus, quòd ibi diutius esuriem pati non possem. contuli me ad oppidum, cui nomen Novum castrum apud Lotharingos, ubi melioris fortunæ spe Principis adventum indies præstolor, à quo mihi stipendiū promittunt ejus oppidi magistratus. Te igitur nunc rogo per tui ingenii candorem, industriam, solertiam, sagacitatem, modestiam, & deniq; per magnum illum heroem, quem Amorem vocat Plato, vel istuum Ioannem Paulum commendatione tua promovere apud aliquem ex his satrapis, qui Duci à latere sunt, qualis est ille tui observantissimus abbas sancti Antonii, qui præterea omnes studiosos, ut mihi dictum est, summa humanitate amplectitur. scio enim, quemcunque tu illi commendaveris, fore illi commendatissimum. Age ergo, mi doctissime Agrippa, atque omnium studiosorum patrone, respice tuum amicum, licēt de facie tibi ignotum, animo tamē notissimum, & literis non cōtemnendorum virorum tibi commendatum. Literas si quas misisti per latorem tuorum librorum, non accepi, eo quòd tunc à Lingonibus discesseram. argumentum earum mihi, si molestum non sit, per harum latorem rescribito. Vale. festino calamo ex Novo castro, sexto nonas Novembris, anno 1526.

Agrippa ad Amicum. LXIV.

IN quo articulo rerum mearum fortuna constituta sit, jam sæpe vos & amplis epistolis commonui. Reverendissime Pater, tuque amicissime Capellane. Vos autem hactenus obdormisti actionem meam totam, atque nec rem, nec verba remittitis integra: cumque, ut sæpissimè ad vos scripsi, omnia facilius, quàm moram, perpeti potero, vos mora vestra insuper augetis periculum. Quia itaque me jam & Principis stipendio illiusque magnificis plus quàm veris promissis destitutum, & furacissimorum quæstorum & bullificorum fraude circumventum, & amicorum intempestiva postergatum opera video, ipse mihi tale consilium constitui, Satius esse inter optimam conscientiam & iniquissimam fortunam strenuè perire, quàm tardè convalescere: atque cùm hactenus pro me nihil effeceritis, jubeo vos deinceps quiescere, nec ulteriùs ullam mei curam agere, quippe segnes medicos & lenta remedia meus morbus non expetit, atque Hippocrates vetat desperatis adhibere medicamina. Vos itaque valete aulicè, sed fœlicissimè: & mei obliviscimini. Valete. Abs Bullione nihil unquam accepi, nec accepturum ultrà confido. Vtinam Barguinus negasse mihi solutionem apertè, & non sic, hoc interposito nebulone, me lusisset. Iterum valete. Ex Lugduno, decima Novembris, anno 1526.

Amicus ad Agrippam. LXV.

SAlve, mi cognate fidissime. Iam tempus est & occasio opportuna vindicandi nos de Gallorum perfidia, quibus nobis tam nefariè illuserunt. Tu igitur, visis præsentibus, quàm primùm te itineri accinge, & cum hoc meo servulo protinus ad me veni. eundum enim tibi est celerrimè in castra Cæsarea, & conveniendus Borbonius, futurus illi gratissimus nuntius. cætera coràm intelliges. Vale, & capitaneo Claudio, Ottoni, Ioanni, Francisco, fratribus tuis germanis, mihi cognatis, & meo & uxoris meæ nomine infinitas salutes dicito. Datum apud montem Legionum, sive, ut vulgò vocant, Montlaii prope Lugdunum.

Agrippa

Agrippa ad Amicum. LXVI.

SApiens mulier,& mihi amica soror, D. episcope Vasatensis, uxor Petri Salla, tantum tandem effecit apud Thomam Bullionem,ut ille incautus sibi ostenderet, quas habebat meæ solutionis literas, illasque corripiens illa, mox ad me transmisit:erant autem literæ cujusdam donationis factæ quibusdam aulicis, domino Roberto de Caulx & Loysio Faron, ut latiùs Seneschallo nostro jam antea scripsi. Iratus Bulleus, & mulierbri astutia se circumventum dolens,repetit abs me literas, primùm ad paucos dies solutionem pollicitus,deinde additis etiam minis, ni reddidero,effecturum se ut ne obolum unquam pecuniarum illarum accepturus forem. Ego contrà, me sibi literas non redditurum , qui me tot mendaciis fefellerit, sed judicii tenore executioni mandaturum : quòd si, quò minus succedat,ipse in causa sit,me literas illas remissurum Dominæ, ostensurum quæstorum illorum fraudes,qui retentis meis pecuniis, mihi alieno debito eoque coram judicibus litigando imponant. hoc metu atque aliquot gravium virorum improbrio victus,ille bullator nequam post quatriduum sub ipsa divi Martini vigilia pudore & ira prægnantissimus numeravit partu admodum doloso: etiam fortè doloroso, si Latinè loqui liceat, scribere debui. Sed audi dolum, reliquamque quæstorum fraudem. Protulit nostra bulla ex aula missam schedam, ad cujus exemplar recognitionis literas, quas quittantiam vocant, coram duobus notariis per me fieri postulavit : erat scriptura adeo fraudulenta, aulicis dolis & furacium quæstorum technis sic conflata, ut ab omnibus (ostendi siquidem, quot potui, voluique eorum nequitiam palam esse) Iurisconsultis ac tabellionibus exposa pro iniqua,captiosa & circumventiua damnaretur.Iamque Bulleus eo pudore ac tot Iurisperitorum sententia denuo victus , coactus est consueti styli æquam quittantiam abs me recipere , atque sic tarda noctis hora peracta fabula est,& quisque domum suam abimus , ille cum suis bullis & ampullis,ego cum meis posthumis pecuniis , gratias Deo agens,quod me liberaverit ab ore leonis,oransque, ut sic mihi deinceps provideat , ne cogar rursus descendere in infernum vivens. hanc comœdiam te scire volui. Vale fœlicissimè. Ex Lugduno, decimaquinta Novembris, anno 1526. repentino calamo. Salutat te uxor mea,

& valere jubet.

Agrip

Agrippa ad Amicum. LXVII.

TAntis curis nunc premor,ut vix otium detur ad te scribendi. scripsi autem ad te diebus præteritis , dum arbitror te adhuc Lingonis esse. Nunc cum ex literis tuis acceperim , te in Novo castro Lotharingorum degere, jubeo te priùs ad Lingones epistolas nostras recuperare. Cæterùm commendo te duobus amicis meis,& apud Principem acceptis potentibusque,uni Abbati , alteri equestris ordinis nobili : apud Abbatem divi Antonii non est mihi tanta familiaritas : sed is,cui scribo,illis à sacro fonte filius est : tum exemplum literarum ad te simul remitto. Vale fœlix. E Lugduno, decimanona Novembris anno 1526.rapidissimo calamo.

Agrippa ad Amicum. LXVIII.

QVi hasce vobis reddit literas,colendissimi Viri, adolescens est,nomine Ioannes Paulus,natione Flandrus, professione physicus, mihi autem aliquot eruditorum virorum literis non sine singulari virtutum nomine commendatus. is cùm ad me, ut accepi, contenderet , spoliatus in itinere restitit apud Lingones:exinde se contulit in Novum castrum Lotharingiæ. hunc itaque sic mihi commendatum , ob amicitiam Lugduni vobiscum contractam , vobis rursus commendo , ut sic illi vestris ope, auxilio , commendatione assistatis , ut intelligat me etiam,licèt apud Lotharingos non sim,tamen non segnes illic amicos habere , nec vos (quod confido) me hoc amoris vestri experimento fefelleretis. Cæterùm quod vos scire volo , hoc est. Inveni tandem projiciendorum igneorum globorum machinam , cui in velocitate , in facilitate , & in compendio non est par : quin & alia his similia plura. sed de his nihil , nisi coràm,vobiscum acturus sum. Valete ambo, & fœlicissimè. Ex Lugduno , decimanona Novembris,anno 1526. rapidissimo calamo,ut videtis,apud noctem cæcutientibus luminibus.

Amicus ad Agrippam. LXIX.

MAgnifice Domine, his diebus elapsis accepi literas tuas quas reddidit mihi dominus Seneschallus Lugdunensis, sed & heri in alio fasciculo accepi alias literas tuas, quarum unæ directæ erant domino Capellano , & aliæ sibi mihique simul : ex quibus videtur , dominationem tuam nobis subitatam, atque imputare nobis negligentiam. In quo certè de nostra

HAVE COPIA DIGITAL. FUNDACION JUAN MARCH

de nostra optima voluntate & affectione erga dominationem tuam non rectè æstimasti. nulla in nobis culpæ est: sed hujus curiæ consuetudo, in qua nihil repentè expediri potest. Verùm ego, quantum in me est, relictis omnibus aliis curis, instabo pro negotiis dominationis tuæ pro toto meo posse. Dominus Capellanus idem pollicetur, qui & ipse infra biduum dominationi tuæ respondebit. Vale. Datum apud sanctum Germanum, vicesima Novembris, anno 1526.

Amicus ad Agrippam. XXX.

TErnas literas tuas simul complicatas nudius quartus recepi, & heri eas legi, quas ad reverendissimum dominum Vasatensem & me destinasti. Procul omni dubio, si qualis sit mea in curia miseria & calamitas, conspicari posses, non posses non compati, & eam, quam de me lenitatis & negligentiæ suspicionem jam concepisti, protinus exueres. sum enim non Tantalus alter, sed ταλάντατος, qui in re aliena multò vigilantior esse cõsuevi, quã in propria, præsertim in tua. nec meminisse possum de alio, aut consanguineo, aut affine, aut alia quacunque necessitudine mihi conjuncto, pro quo tantum fuerim solicitus. Per hos etiamnum dies continuò exploravi opportunitatem tui memoriam adhuc refricandi apud Dominam, occasionem sumpturus ab illa ingeniosa tua conjectura de iis portentis, quæ in Parthenopeo & Siculo regno apparuerunt. Si post hanc hyemem, quod suspicamur, Lugdunum profecti fuerimus, poterit facilè, quantum confido, apud regiam Majestatem aliquid impetrari. Scis, quod desideratur in curia, non fieri pro arbitrio. quod meo magno damno hactenus sum semper expertus, etli non vulgaris de mea quantulacunque doctrina & industria habeatur opinio. sed (ut est in adagio) non omnibus datum est adire Corinthum, nec Gallis facile est in Albionem trajiciendi facultas aquilone sæviente, & mari procelloso & tempestuoso. Reverendissimus dominus rem etiam tuam non minus cordi habet, quàm ego. At idipsum nemo est mortaliũ, qui hoc negotium expeditius & efficaciùs tractare & curare possit R. D. Bituricensi, qui te plurimi facit, quemque audio in curiam propediem rediturum. Vale, simulque valere percupio modestissimam filiam. Ex sancto Germano vicesimaprima Novembris, anno 1526.

Hiero-

Hieronymo Montio, Physico, Henricus Cornelius Agrippa. S. D. LXXI.

GRatissima mihi fuit epistola tua, Hieronyme mi amicissime: gratumq; munusculum tui ignivomi fontis commẽtarius, licet jamdudum libellus ille inter bibliothecæ meæ ornamenta abs me locatus esset. De aqua illa mirifica gauderem effectum aliquem vidisse. nam opiniones ut rem non probant, nec mutant, ita nihil mihi persuadere possunt. Phialæ fragmẽta conspexi variis coloribus aspersa. Verùm ego jamdudum hæc figmentorum ostenta in multis comperio, in quibus impostorum illorum vulgus laborat. Verùm quo tu subjecto agaris, decipiarisve, scire delectarer, quò crebrioribus literarum certaminibus tecum agendi haberemus argumentum. Vale fœliciss imè. Ex Lugduno, vicesimatertia Novembris, Anno 1526.

Agrippa ad Amicum. LXXII.

QVòd ad me hactenus non scripsisti, nec ullum tot tantisq; meis literis dedisti responsum, vir amicissime, & admirabar taciturnitatem tuam, & irascebar negligẽtiæ. Verùm cùm nuper occurrisset in lectione Evangelium illud de Divite epulone sepulto in inferno, & nuncios ad fratres postulante, mox & admirari & irasci desii, cogitans & te in inferno esse, unde juxta evangelicam lectionem nefas est nũtium remittere. An non in inferno es, mi amice, qui es in aula? ubi dæmonum habitatio est, qui illic suis artibus, humana licèt effigie, regnant, atque ubi scelerum schola est, & animarum jactura ingens: ac quicquid uspiam est perfidiæ ac doli, quicquid crudelitatis & inclementiæ, quicquid effrenatæ superbiæ & rapacis avaritiæ, quicquid obscœnæ libidinis ac fœdissimæ impudicitiæ, quicquid nefandæ impietatis & morum pessimorum, totum illic acervatim cumulatissimè ineſt: ubi stupra, raptus, incestus, adulteria, principum & nobilium ludi sunt: ubi fastus & tumor, ira, livor, fœdaque cupido cum sociis suis imperant: ubi criminum omnium procellæ, virtutumque omnium inenarrabile naufragium. Quò palàm videre possumus, non aliter quàm olim Pharaoni atque Ægypto, iratum illis Deum & mittentem in illos iram indignationis & tribulationis, immissiones per angelos malos, tradens eos in desideria cordis eorum, in immunditiam, in passiones ignominiæ, in reprobum sensum; ut faciant ea quæ non conveniunt, repletos omni iniquitate,

HAYWOOD HUNTER OHY im. M. CHRZANOWSKA

malitia, fornicatione, avaritia, nequitia, plenos homicidiis, cõtentione, dolo, malignitate, susurrones, detractores, Deo odibiles, contumeliosos, superbos & elatos, inventores malorum, & quæ reliqua Paulus commemorat ad Romanos. Quicquid cogitant, vanum est: quicquid loquuntur, fraus est: quicquid laudant, turpe est: quicquid probant, malum est. siquidem jã jam virtutum & bonorum hostes esse decreverunt: quorum promptus ad omne flagitium animus: quorum quò pollutior vita est, eò clarior: quò plus scelerum, eò plus gloriæ & præmii. Pessimus quisque illic provehitur, optimus quisque opprimitur: simplices irridentur, audax inertia erigitur, sapientiæ nullus locus est, & rationis imperium fortunæ traditum, qua omnes temere præcipitesque, Ixionis instar, voluuntur. Malitia scientiæ nomen habet, & pro consilio amentia est, omnia bona ex ordine. Spes, fides, charitas, pietas, justitia, libertas, prorsus extincta & jampridem sepulta sunt. Veritas pro summo & multis crucibus expiando crimine est. siquidem tales sunt vestri aulici, quibus nemo veritatem dicere possit absque gravi convitio, sed tanquam antiqui gigantes (ut ait Ecclesiasticus) extollunt se in peccatis suis. quos rursus in Proverb. vocat Scriptura convivas inferorum, & habitationem eorum profundum inferni. An non illic infernus est, ubi tot parentes à sectis gigantes, ubi robustus contra Deum venator, & superba Babylone cœlum petens turrificus Nemroth, & pharetrata filia amore æstuans terribilisque Semiramis, ubi templorum prædo deorumque contemptor, & pastus cæde suorum vesanus Cambises, & prophetarum Domini persecutrix atrox Iesabel, ubi Ilii eversor, spreto Cassandræ fatidicæ sororis cõsilio, adulter Alexander, & infœlix in rabiem versa mater Hecuba, ubi impius fratrum occisor spurius Abimelech, & infesta regio sanguine scelerata Athalia, ubi pinguis & ventricosus viduarum & orphanorum artifex Amalechites Agag, ac molli sermone viri proditrix fraudulenta Dalila, ubi impetuosus Nero, & imperiosa senatrix Semiamita cum suo Heliogabalo, ubi flagitio celebris Pausanias & Erostratus ac postergato pudore famæ suæ prodiga posteritatisque contemptrix impudica Messalina, ubi tenebricosus Pluto circumfusus sceleratissimorum nebulonum frequentia, acieque pessimorum satellitum, & stipata furiis atra Proserpina, ubi fœdifragus Antiochus & prostitutæ fidei stuprata Cleopatra, ubi omnia consumens vorax tricerberus, & infensa superis tabida pallentique forma persomata Hecate, ubi sævus Rhadamanthus & crudelis Clytæmnestra, ubi

stra, ubi tremendos Minos urnam versans hominumque fata permiscens, & inexorabiles Parcæ intempestivum stamen abrumpentes, ubi Dei odium rufus & hispidus Esau, & naturæ improperium terrifico tauro supposita Pasiphae, ubi tenebrosa domus, carceresque horrendi quibus

—— Mixtumque genus, prolesq; biformis

Minotaurus inest, Veneris monumenta nefandæ, ubi immanis Tition, ubi centimanus Giges, ubi perfidus Busiris, ubi tristis tremensque Cacus, ubi inflammabilis Liacon, ubi exitialis Procrustes:

Multi præterea, quos fama obscura recondit:

denique, ubi furens Medea, ubi præstigiatrix Circe, ubi pernicioiæ Gorgones, ubi insanientes furiæ, ubi fœdæ harpyiæ, ubi improbæ tyrenes, Scyllæque biformes, ubi horrendi struthiones, ubi rapaces gryphi avidique dracones, ubi Cete, ubi Behemoth, ubi Leviathan, & quicquid fatalium monstrorum uspiã apud veteres legimus scriptores, & quicquid infelicis portenti uspiam stupet coacta natura, habitat atque visitur: ubi repunt aviculæ, volant asini, vulpes in equis ambulant, & trunci incedunt pedibus, lupi in subselliis, oves in vinculis, corvi in tectis, sues in lectis, columbæ in stercoribus:

Centauri in foribus, atq; in præsepibus ursi:

ubi omne virtutum genus suos patitur carnifices atque tyrannos.

Non, mihi si linguæ centum sint, oraq; centum,
Ferrea vox, omnes scelerum comprendere formas,
Omnia pœnarum percurrere nomina possem.

Sed quò me rapit furor? quò me oblitum periculi proripuit audens veritas? quò me malorum impulit odium: quid dixi: quid ad te scripsi? Fortè tibi ista audire nefas est, & mihi illa tacere onus est: nec habeo, quò illud fidentius, quàm in tuas aures, deponam. Sed an hæc audias, ignoro: certè multa ad te locutus sum hactenus, quæ frustra audisti. Sed jam tandem audi, & para te ad exitum. Propè est Ariadne, quæ salutare filum texit, & perplexum ire irremeabilis labyrinthi tacita ope ostendet: aderunt & Dædali artes & Vlyssea consilia. his stipatus auxiliis,

Maturato fugam, atq; ab littore rumpito funem:
Heu fuge crudeles terras, fuge littus avarum:

Fuge Æthneos fratres, concilium horrendum, fuge truces populos, nefarias aulicorum cohortes: festina omni studio, generosoque hujus inferni contemptu remeare ad superos. Redde

te nobis affabilem noſtrisque tam multis ſcriptis ſaltem vel paululum reſponde, nec me, licèt cæca fortuna vexatum, contemnendum putes. Sunt mihi alii, qui me vindicent, divi quos inferorum veſtrorum portæ per ſe contremiſcunt. ſunt, qui me adjutent amici, quos inferi veſtri ignorant: ſunt aliæ vires, quas ne ſuſpicari quidem poterunt. Vale fœliciſſimè. ſed nomen, ac locum, inſcriptionem ac manum & annulum ne quære. Scis, ubi ſum, & vocem loquentis & ſcribentis ſtylum noſti, penultima Novembris, anno 1526.

Ioanni Capellano, Phyſico regio, Henricus Cornelius Agrippa. S. D. LXXIII.

NVper ex homine in Salamandram migrabar, Capellane amiciſſime, & regi tuo Pyromachiam ſcribere mittitur: ſed ſupervenerunt mihi heri domini Seneſchalli literæ: is ſcribit non licere Plutonem noſtrum aggredi niſi placata prius Proſerpina, tum & aliis quibusdam divis. Cogitavi itaque, ſi tot deos dæmonesque placare atque ex tam tenui ſupellectile mea Charonti ſtipem, Cerbero oſſam, Proſerpinæ ramum offerre oporteat, ipſum me, conſumpto omni oleo, Plutoni pro flamma vix fumum allaturum. Præterea admonitus ab amicis & probis viris, & ſtultum & impium eſſe, ignem inferno addere, agnoſcens impietatem meam, deteſtari cœpi.

Tartareos ſine fine deos, & lumine cæcum
Infernum, atq; ignem infandum & gelidam Salamandrã.

Nihil ergo de mea Pyromachia polliceare. mutavi enim conſilium, & non eſt ultrà, qui ſuit animus. Vale ex Lugduno, ſecunda Decembris, anno 1526.

Agrippa ad Amicum. LXXIV.

ANnon jam illud ipſum verum facitis, R. P. tuque amiciſſime Capellane, quod ſcripſi, vos ſcilicet neque rem, neque verba remittere integra? En, fatemini vos literarum mearum faſciculos, quos miſi à fine Septembris, à medio Octobris, à principio Novembris, accepiſſe omneis: verùm ad unam poſteriorem, quam ambobus junctim ſcripſi, tantùm reſpondetis, &, tanquam ab echo progeniti, duntaxat ultimas ſyllabas refertis, & me tot tantisque literis ad vos ſcribentem clamantemque non exauditis, veſtroq; officio me ſimul ac literarum veſtrarum voluptate deſtitutis. Profectò haud æquum facitis, qui tam inhumaniter mecum agitis, qui literas meas, quas ne hoſtes quidem deſpicere ſolent, contemptui habetis & ludibrio:

brio: &, ubi vos ad vivum tetigi, iraſcimini. ego autem nunc vobis iterum mando, ut à ſollicitudine mei quieſcatis. nolo ſiquidem operam veſtram vobis mihique perditam eſſe, nec quicquam vobis oneris ultrà abs me impoſitũ volo, niſi quod amicitiæ jure mihi debetis, ut ſcilicet reſcribatis, & ad ſingula reſpondeatis. quod ſi facere contemperitis, per has ſeciales bellum vobis indictum eſto. Et ſi hactenus ſatis infœliciter pugnaverim in veſtra gallinaria, & me malè habuerit gallina veſtra, tamen non verebor, ſi oporteat etiam vos teſticulatiſſimos gallos gallinaceos aggredi, obruamq; vos literarum mearum cumulis, donec vos ad omnem horam canere faciam, vel victos comedam in patinis. Interea valete, & gaudete apud gallinas veſtras: ſed cavete, ne vos ex gallis faciant capos. Hæc vobiscum jocari libuit, ut cognoſcatis, me nunc apud ſuperos agentem bilem omnem evomuiſſe in infernum. Iterum valete, & fœliciſſimè. Ex Lugduno, tertia Decembris, anno 1526.

Agrippa ad Amicum. LXXV.

PRofectò perpulchrè aulam veſtram Corinthio lupanari aſſimilâſti, Capellane amiciſſime, ſcribens ad me, non omnibus eſſe integrum Corinthum petere. At, mehercle, jam Corinthia illa Lais nimium ſupraque vires conſtitit, & quid ultrà humanitatis, aut clementiæ, aut gratiæ inde ſperare poſſem, ignoro: melliti ſunt ſermones ejus ſupra oleum, & ipſi ſunt jacula. Quæ ſcribis de reverendiſſimo D. Bituricenſi, tibi hoc in manu eſto, adire hominem, narrare omnem fabulam, oſtendere etiam (ſi videbitur) tot meas epiſtolas. poteris autem oſtendere omnes, præter unum infernum. Si ille quippiam pro me, quod ſentiam, prius quàm alio devolutus aliis fidem dedero, effecerit, habeo in promptu, quo illi condignas queam referre gratias. Sed tu nihil reſpõdes, quid actum ſit de his literis, quas ſcripſi Dominæ tuæ, quarum ſimul ad te exemplar miſi. Cæterùm ſcripſi ad te diebus proximis: res omnis bellè procedit, ſed modicè. Sed ego te nunc per omnes ſuperum inferumq; deos deasque adjuro perque mutuæ amicitiæ ſacratiſſima jura obteſtor, ut mihi reſcribas, nec me celare velis, quisnam ſit ille malignus diabolus, qui, ut aliàs ad me ſcripſiſti, ſic omnem apud Principem tuam gratiam meam obliteravit. hoc ipſo nihil mihi facere poteris gratius. Vale nunc apud tuam Corinthum vel ſalaciſſimorum hircorum ſtabulum. Sed te flumine vivo, aut Tantali fonte potiùs ſæpiſſimè continuoque abluito, ne loci viciniæq; contagione ipſe quoque Corinthium hir-

cum nobis oleas. Iterum nunc fœlicissimè vale è superis. Ex Lugduno, tertia Decembris, anno 1526. Salutat te charissima nostra conjunx.

Amicus ad Agrippam. LXXVI.

HOdie literas tuas recepi die tertia Septembris doctissime Agrippa alteras, & ipsis quidem geminas recepi Parisiis, ubi plus quàm per mensem à curiali tædio secesseram, recreandi animi gratia. Scis, quàm assiduus fermè & totus sim curialis, & quàm mei quantulacunque ingenioli & doctrina & in mordendo dexteritas, non omnino nihili pendatur. cui tamen sic fortuna adversata est, ut post tot annos ex meis laboribus præter annua stipendia nihil obtigerit, & utinam pro te absente fœliciùs, quàm pro me ipso præsente, patrocinari possem. quod quidem efficere conabor pro virili parte, quoties occasio se obtulerit, suspicaberis forsan, negotium tuum apud me tractari verbis tenus, factis procul, quanquam mihi hactenus semper fuerit longè alia de amicis solicitudo. Rumor est regem nostrum brevi concessurum Lugdunum, ubi omne hoc negotium exactiùs tuorum amicorum auxilio dirigi poterit. Si tamen interim jusseris me aliquid moliri, minimè recusabo. De tuis ad D. literis, quo animo acceperit, nihil habeo compertum. Archiepiscopo Biturigum melius esset, & eidem gratius futurum, quòd tu ipse ad illum scriberes, quàm illi ostendere eas literas, quas ad me scripsisti, in quibus omnibus non nihil est amatoris. Scis rerum universarum seriem pro divina voluntate, non pro desiderio nostro continua successione procedere, & nunc suas directiones, nunc retrogradationes obtinere. Vale cum modestissima tua consorte & universa familia. Ex sancto Germano, vicesimanona Decembris, Anno 1526.

EPISTO-

EPISTOLARVM LIBER V.

HENR. CORNELIVS AGRIPPA ad Amicum.

EPISTOLA I.

SALVE spectabilis atque ornatissime Francisce, Constat, Sassones, quos vulgò nũc Saxones vocamus, gentes vetustissimas, quemadmodũ & Francos, utrasque vera origine Germanas fuisse indigenas, & nequaquam à Trojanorum aut Græcorum (ut multi fabulantur) profugis reliquiis traxisse originem. quam sententiam non parum promovent, etiam, quæ in hunc diem extant insculpta saxis eorum antiquissima monumenta. Erat autem prima Sassonum sedes ea provincia, quæ hodie Vuestphalia dicitur: Francorum autem Sicambria, Germaniæ provincia, Sassonibus vicina. Nam de Scythica illa Sicambria quæ scribit, nescio quis, barbarus Hunnibaldus, præter ipsum nullus alius prior meminit historiographus. Sic etiam de Macedonica Saxonum origine principium dedit Vitikindus quidam, cujus fabulam tuus secutus est Petrus Cara orator, sive adulator: quemadmodum Hunnibaldum sequuti sunt Gregorius Turonensis, Rhegino atque Sigebertus. Verùm licèt gentes has constet fuisse in Germania antiquissimas, & primos incolas, nomina tamen eorum atque limites (ut quotidie adhuc fieri videmus) variis eventibus sæpe mutata fuisse, non ambigimus. Nam Sicambri primùm sub Antonio & Probo imperatoribus Franci appellari cæpti sunt: sicut de his apud Trebellium Pollionem legimus: & Thuringorum, qui ab antiquo Saxones fuerunt, nomen sub Valentiniani imperatoris temporibus emersit. Saxonum autem nomen in Germania vetus, cujus omnes veteres meminére, & ante omnium scriptorum memoriam antiquissimum est, & in hunc diem indelebile perseverans, ut non difficile sit illorum nugas convincere, qui Vitikindum secuti, Saxones Macedonum soboIem ajunt, pulsisque Thuringis eas regiones occupasse. Fateor autem & Saxonum & Francorum & Suevorũ limites mutatos sæpè fuisse, non autem gentem. Sed & genus hominum

НАУКОВА БІБЛІОТЕКА ОДЕСЬКОГО ЛІТЕРАТУРНОГО МУЗЕЮ

quadam gloriæ cupiditate inductum, ut ad antiquissimos duces originem suam extendere conentur: quorsum cùm in sua gente pervenire nequeant, ne cum aliis quicquam habeant commune, ad externas origenes fabulasque recurrunt, nihil non commentientes, quò generis sui claritatem astruant, non intelligentes, longè præclarissimum esse, Ab antiquissima & suis sedibus invicta gente originem ducere, quàm ab externis exulibus profugisque latrunculis processisse. Cæterùm quod de Cattis quæris, hi fuere etiam antiqui Saxonũ populi. Quos hodie Moranos nominamus, de his quod superest, non capit epistolaris angustia, & plura scribere temporis inopiâ non conceditur. Comperies autem, quæ desiderio tuo satisfacere poterunt, apud Procopium, Hermannum, Vrspergensem, Sigebertum Geblacensem, Ioannem Grammaticum Saxonienſem historiographum: item apud Irenicum. Nauclerum & Tritemiũ, &, quem vidisti, Albertum * qui historiam suam ex antiquissimis Saxonum archivis collegit. Verùm si vel tibi liceret Lugdunum petere, vel mihi Amniacũ, plura coràm differeremus. Quin & habeo alia tibi dicere, si cæli non mentiantur, D. comitis Principis tui negotia ac bonam fortunam concernentia cui & ego hanc optimam fœlicissimamq; ominor. Reliquum commendabis me eidem D. comiti, offeresq; ei omne meum obsequium. Salutabis meo nomine Dominum de Costis: & Vincentium physicum, cæterosque, quos nosti, amicos meos omnes: & tu nunc fœlicissimè vale: sed & sæpe ad nos scribe, in hoc rem mihi facturus gratissimam. E Lugduno, tertia Ianuarii, anno 1527.

Amicus ad Agrippam. II.

TVæ mihi literæ, doctissime Agrippa, multis modis jucundissimæ fuerunt, ad quas non licuit mihi per mea negotia respondere: hactenus enim Vienna abfui, ut cum parentibus, qui te plurima salute impertiunt, menses aliquot agitarem. Cæterùm quod de me quæris, ex qua scilicet materia illud (ut sic dicam) ἀλιξιτήριον efficitur, id coràm atque viva (ut ajunt) voce exponam, quandoquidem ad te brevi accedam. Veruntamen quò honesta literarum velitatione, qua etiã Socraticos emunctæ naris homines uti solitos ferunt, mecum agas, ecce tibi argumentum: Ex uno secundum sensum simplici mixtum, quale ἀλιξιτήριον, sive aurum est, fieri potest. nec istis, ut opinor, reclamat Aristoteles, cujus, si memini, hæc sunt verba quarta Metaphys. Fit naturale mixtum ex humido siccoq;.

Præterea

Præterea ex occasione hujus citationis venit in mentem locus quidam, qui me diu torsit, libro de Sensu & sens. ubi scribitur, Menses patiuntur viri suo modo, ut mulieres: cujus interpretationem à te omnifaria prædito doctrina audacter petam, quoniam de me polliceri tibi nihil non potes, quod ego possim. Vale diutissimè tua nobili cum familia. Ex Vienna, vicesima quarta Ianuarii, anno 1527.

Agrippa ad Amicum. II.

QVia aulicæ illæ nugæ etiam penes nos rumorem sparserãt, venturos vos Lugdunum: iccirco, Capellane amicissime, distuli ad te scribere usque adhuc: nunc verò nugis illis in ventum suum reversis, oblatoque mihi fido hoc nuntio, scribere ad te constitui, & literis tuis respondere, quò me sanum esse scias & salvum, & auram haurire inter superos, qui jam apud manes in umbram propè versus eram, quoniam contra Scripturæ monita audivi mulierem alienam & extraneam, quæ mollit sermones suos, & verba dulcia facit, & declinavi ad illam, & de calice ejus bibi aquas furtivas, & de manu ejus comedi panem absconditum, & non consideravi, quòd ibi erant gigantes, & in profundo inferni convivæ illius, & qui applicatur illi, descendet ad inferos, & qui abscesserit ab illa, salvatur, atque ego stultissimus hominum in hac dura gravique necessitate constitutus, oblitus originis meæ, inops consilii, adversus hostem, non nisi ab ipsa hoste, opem poscebam atque sperabam, donec omnium amicorum opera, omniq; hominum auxilio destitutus, venit ad me angelus Domini, & eripuit me ab ore inferni, & dedit videre lumen cæli, & bonis omnibus per eum repleti sumus. hic est vir ille, de quo aliàs ad te loquuti sumus. Nihil itaque te nunc ultrà pro me in aula moliri volo, nec quicquam aliud abs te postulo, nisi, quod jam pluribus literis postulavi hactenus, ut significes mihi, quis fuerit spiritus ille malignus, ut tu aliàs ad me scripsisti, qui sic apud Principẽ tuam gratiam meam obliteravit. hoc solum, nec aliud quicquam, abs te scire cupio. hunc nosse mihi optatius est, quàm omnes regis tui atque ejus matris Principis tuæ, omniumq; aulicorum gratificantes gratias, quarum commodo necessitatis tempore defraudatus sum, atque nunc ultrà non egeo: &, si egeo, amodò nec spero, nec confido: nec volo. Ingenuus enim animus semel justè iratus, nunquam mitigatus in naturam revertitur. Nihil itaque aliud nunc animo meditor, quàm vindictam, hoc est egregium aulicarum injuriarum contemptum.

НАУЧНА БИБЛИОТЕКА ОЦ "Д. МЕЛНИЧКОВ"

Etsi non desit nobis ingenium nocendi doctum etiam potentioribus, muliebris tamen injuriæ contemptu meliùs, quàm ultione, mihi plectendæ videntur. Nec me fugit Ecclesiasticus, qui inquit, Non esse caput iniquius super caput colubri, nec iram super iram mulieris: quin & melius cohabitare leoni & draconi, quàm cum muliere nequam. Sicut igitur animalia venenosa tutius est vitare, quàm capere: sic hostem mulierem nullo meliùs modo vinci posse arbitror, quàm fuga & latebris. Ne autem quis putare queat, tacitum aliquod esse in me vitium, quod Principis tuæ aula indignum me fecerit, atq; propter quod sic absens & clandestinè abdicatus ejectusque sim: (nam etsi nulla certa culpa accusatus sim, pulsus tamen hoc ipso omnibus accusari judicarique videor, &, ut est in proverbio, Trahitur in pejus, quicquid non exprimitur.) ipse igitur totius negotii illius seriem prodere constitui. Siquidem æquè generosi animi officium arbitror, nullam velle pati calumniam, nec injuriam, atque vitæ innocentiæque suæ omnibus rationem reddere, idque jam nullo melius modo posse facere visum est, quàm publicatis illis familiaribus nostris epistolis, quæ hanc tragœdiam in omni vico & platea palàm ludant, nullusque futurus sit locus, ubi illustris hæc fabula non innotescat. Displiceat, cui velit, incurram aulicorum omnium, etiam & regis & Principis tuæ implacabilem iram perpetuumque odium, ne flocci hæc facio, modò res ipsa pateſcat. Vtcunque enim cesserit res, modò æquè periculosum est tacere ac dicere. Omnia pati paratus sum potius, quàm famæ facere jacturam, pondusve suscipere infamiæ. Quin & quæsitum virtute odium, partamque veritate invidiam inter titulos honoresq; numerabo. Denique, ubi, quod expecto brevi, tutus in portu navigavero, ostendam tunc tuæ Semiramiæ qualem illa hominem projecerit. Cæterùm scripsi ad te à die penultima Septembris anni elapsi, & alias eodem die de eadem re ad D. episcopum Vasatensem longas epistolas, sed illas omnes jam ex literis tuis interceptas intelligo, & fortè alias meas plures tibi non esse redditas: sed ut est in vulgari proverbio, animalia quæque tandem in officina pellionum congregari, sic & epistolæ illæ omnes redibunt sub prælo. Vale fœlicissime. E Lugduno, quinta Februarii, anno 1527. ad Romanum calculum. Salutat te uxor mea. Salutabis meo nomine D. episcopum Vasatensem, ac dominum eleemosynarium Ponterasium: quin & Fabrum & Copum.

Illustris-

Illustrissimo Principi, Carolo, Borbonii duci, & Cæsarei exercitus per Italiam imperatori strenuissimo, Henricus Cornelius Agrippa S. D. I V.

REm mihi ab Excellentia tua injunctam, Princeps illustrissime, licet multum temporis postulabat, tamen magnitudine studii ac diligentiæ brevissimo tempore peregi. Quòd si non in reliquis desiderio tuo meæq; voluntati satisfacere potui, scis, non mea culpa, sed temporum præcipitio tuorumque negligentia actum esse. Veruntamen res adhuc in eo statu sunt, ut nondum opera omnis, tempusque deperierint. Itaq; ignosces, & non tam quid egerim, quàm quid facere voluerim, expendas. Cura autem ad me quàm primùm rescribere, quid ultrà me facturum velis, & ubi perfecero, residua quoque negotia illa dirigenda sunt. Atque ego interim cum omni conatu laborabo, & aut immoriar, aut perficiam, quod tua Excellentia tam avidè desiderat: atque ego tuo desiderio satisfacere tam vehementer cupio & volo, maximè contra tales hostes. De oblata mihi ab Excellentia tua præfectura infinitas gratias ago. Siquidem mihi jam pax est in castris, bellum atque præda in libris est. Venire ad te nequeo, causas tibi narrabit hic meus affinis, per quem tibi cum postulata expeditione simul etiam consilium meum transmitto, quid videlicet facturus sis extremo tempore. Vale. Ex Lugduno, vicesimasexta Februarii, anno 1527.

Amicus ad Agrippam. V.

LEvandi animi gratia & corporis valetudini consulendi causa plures dies absens fui à curia, doctissime Agrippa, nunc ruri, nunc in Parhisina urbe, ubi mihi cum humanissimis viris & clarissimis quàm gratissima & suavissima fuit consuetudo. à quibus utinam nunquam separari liceret. quoties verò ab eis discedens regredior in curiam, toties ab illa animi tranquillitate & corporis integritate transferor in animi tædium & corporis languorem. Quòd rectè & feliciter valeas, admodum gaudeo. Quem autem nosse cupis, indignus est, de quo cognoscendo sis usque adeo solicitus. Desiderarem etiam generosi & fœcundi ingenii tui dexteritatem ad meliorem frugem potiùs converti, quàm ad hæc, quæ tractanda tibi, & dicato volumine exaggeranda polliceris. Vale quàm fœlicissime cum modestissima filia, mihi etiam quàm charissima. Ex sancto Germano, decimo Martii, anno 1527.

Ad Bar-

HARVARD COLLEGE LIBRARY

Ad Barbonium Ducem Agrippa. VI.

ACcepi rursus nuntium tuum cum tuis credentiarum literis, Princeps illustrissime. intellexi mentem tuam, & gavisus sum, & tibi gratias habeo: laudoque quòd, quid hostes facturi sint, prævideris, quodque consiliis eorum preveniens, occurristi. Verùm memineris, tibi non tam viribus & armis cum hostibus, quàm etiam ingenio & prudentia cum Fortuna esse decertandum. Atque in his quantum tibi præstare valeam, hic præsentium lator indicabit, atque alia multa. cui in illis, tanquam mihi ipsi præsenti, plenariam fidem habeto, sicut & tua excellentia tuorum me illi mandatorum fidem habere jussisti. Non te conturbet hostium illorum potentia, quæ non in propriis viribus, sed in aliena fragilitate & mutua inter se diffidentia fundata est: jamque fata illis propinquam stragem suamq; perniciem denuntiant. mox illa superba mœnia vix oppugnata corruere videbis. Eia ergo nunc, strenuissime Princeps, quę tantæ victoriæ ducem fata constituunt, rumpe moras: perge intrepidè, quò cœpisti: i prosperè: aggredere fortiter, pugna constanter. habes electissimorum militum armatas acies. adest cælorum favor, aderit & justi belli vindex Deus. nihil formidaveris. ingens siquidem te manet gloriæ triumphus. Vale. Ex Lugduno, penultima Martii, anno 1527.

Agrippa ad Amicum. VII.

INstans hujus latoris recessus, Capellane amicissime, non patitur longiorem epistolam scribere. Quòd autem ad tuam postremam à decima Martii ad me datam, hactenus non respondi, causam accipies à D. Seneschallo nostro compatre, & reliqua alia, cui satis longas literas remitto. Quod scribis, virum, quem tantopere nosse cupio, indignum esse, de quo cognoscendo usque adeo sim sollicitus, jam injurius mihi es, si pluris penes te potest nebulonis illius vilitas, quàm meum tibi amicissimi desiderium. Esto ille, quisquis est, certè nequam non esse non poterit sed tu hominem ipsum tandem edicito, jam toties per me adjuratus. Cæterùm vale fœliciss imè. salutat te uxor nostra, quæ hac Quadragesima jam quartum nobis filium peperit. Saluta nobis R. D. Vasatensem quin & Fabrum atque Maurinum, ipsumque Ioannem Parisiensem Pictorem. Iterum vale. E Lugduno decimaseptima Maii, anno 1527.

Agrippa

Agrippa ad Amicum. VIII.

DIonysius Thurini, doctor physicus Lugdunensis, tibi natus & amicus, de me autem taliter benemeritus ut nihil illi, quod sibi conducere queat, negare debeam, nunc litem habet, nescio quam, devolutam ad senatum Parisiensem. agitur autem inter fratres magna contentione, nec minore periculo. patronum habet illic, qui suam partem tueatur, neminem. instat apud me, existimans causam totam in tua manu positam, ut se tibi meis epistolis commendem, dignus haud dubio omnium commendatione, sed & dignus ope & patrocinio tuo. Oro itaque humanitatem tuam, ut, sublatis iniquis delationibus, semotis quibusdam juris diverticulis, justitiam, illi, æquitate juris postulante, facias accelerari: omnemque illi favorem tuum, servata integritate, ut præstes, vehementer oro. majora siquidem ultra hæc cùm præstare iniquum foret, non petimus. in hoc me tibi plurimum perpetuoque obligabis obnoxium. Cæterùm verò Ioannem Parisiensem nostrum optimè valere cupio, sed & Lugdunum ad nos reverti, vel me aliquando ad illum posse transferri. Quid autem agat ipse, & quid agam ego, nescit ille, nec ego scio, adeo nulla afficimur scribendi molestia. Quòd autem ego illi non scripserim, est, unde spero veniam, à sua scilicet tantundem taciturnitate: quæ etsi mihi molestissima sit, in hoc tamen plurimum auxiliabitur. Vale fœliciss imè. E Lugduno, tertia Aprilis, anno 1527.

Agrippa ad Amicum. IX.

SI unquam quicquam penes te valent, aut valituræ sunt preces meæ, Capellane amicissime, nunc nunc te oro, supplicio, deprecor, obtestor, ut licentiæ ac emancipationis meæ ex aula Dominæ tuæ rescriptum impetres, idque protinus remittas. in hoc siquidem me non tam fœlicem, quam beatum simul effeceris, nec minus, atque olim Gregorius Papa, si vera est fabula, Trajanum, quem ex inferis revocatum in beatorum choros remisit. Salutat te uxor mea. Vale fœliciss imè. Ex Lugduno, decimaseptima Iulii, anno 1527. festino calamo, latus scripsi D. Seneschallo, compatri meo, conscium te confore velim.

Agrippa ad Amicum. X.

IAm sæpe ad te scripsi, Capellane amicissime: & tu egregiè conticescis, nec respondes quicquam. Verùm hæc non tua culpa

HAS OMNES OPERA CHARTOLOGICA INVENIES IN BIBLIOTECA

culpa,sed mea infœlicitas,si modò inferi sine culpa sunt, & infœlices sunt superi. Scio enim,sacris edoctus eloquiis, quia ex inferno nefas est nuntium remittere, & tu eò fortè etiam ultrà lethæum gurgitem transvectus es,quia minus nostri meminisse queas. ideo hoc tuum silentium,non tua culpa est. Mihi verò nec Hercules ullus,nec Orpheus aliquis pro nuntio est, qui ad te vivus descendat in infernum,& revertatur incolumis. Atque hæc mea infœlicitas est. Quòd si nunc literæ meæ tibi molestæ sunt, & tu respondendi afficiaris tædio, agamus deinceps, ut quid agas tu,& quid agam ego,nec tu,nec ego sciamus: verumque reddemus proverbium illud, quo dicitur : Vera amicitia non habitat aulas. Cæterùm nobis nec Proserpina,nec Plutone ulteriùs opus est. Ideoque cupio te perficere,quod scripsi tibi à decimaseptima Iulii. Salutat te uxor mea. Vale fœlicissimè. E Lugduno,duodecima Augusti,anno 1527.

Agrippa ad Amicum. XI.

VIx tantum ocii est, ut petitioni tuæ vel tantillum respondeam,vir ornatissime. Itaque quod præsentibus his literis non datur absolui, coràm expediemus, si modo tu, ut scribis, brevi apud nos adfuturus sis. Mittimus Nauclerum, Irenicum & Gebacensem,numerati sunt pro pretio quinque,ut vocatur, Franci. Cæteri autores non reperiuntur,verum curabo adferri ad proximas nundinas. Cæterùm scio, quia annalia vestra Principes tuos ab Ottonibus derivant : quod si verum est, falsò illi hic Saxonum arma gerunt, quæ suis vulgò inscribunt clypeis. siquidem hæc non Ottonum, neque priscorum Saxonum insignia erant,sed alterius tribus, cui post pulsum Henricum Superbum Saxoniæ ducatus commissus est. Priores enim albicantem equum in rubro ferebant. Sed de his latius coràm differemus, ostendamque simul, ex quo duce Saxones nomen ducant. Reliquùm Ioanni Alemanno à Voseri ad præsens non scribo : tu me illi & excusatum & commendatum habe,illudq; meo ex consilio referas, illum & honori & utilitati consulturum,si parumper ad nos concesserit. ego illum usque adhuc non absque mei ignominia, sed & totis viribus propugnando tueor, ac tantam illius moram defendo. Verùm ipse neq; venit,neq; scribit,& me suæ culpæ obnoxium reumq; facit & mendacem. Præterea quæ mihi toties & verbis & literis pollicitus est, atq; ego non minori desiderio postulavi, amicitiæ omnis immemor,aut velut desertor nec præsentiâ præstat, nec literis. hæc illi meo nomine referas, ac erratorũ in amicum amicè

amicè corripias. sed & bene valere jubeas, & tu nunc fœlicissimè vale. E Lugduno,decimasexta Septembris,anno 1527.

Agrippa ad Amicum. XII.

DEsperabam ego jamdudum de tua erga me benevolentiâ recordationeque, Narali ornatissime, ut qui tot ac tantas ad te dederim literas,ac nihil unquam ex te acceperim responsi. Verùm cùm pridie ostendisset mihi literas tuas reverendus P. confessor regis Navarræ, in quibus erat, te terras ad me dedisse epistolas,ac simul misisse,quæ tanto desiderio ex te postulaveram, secreta quædam, mox totus revixi, spemque omnem receperam : sed dolore maximo afficior, quum ego nec literas illas tuas,neque secreta illa undecunque acceperim. neque Capellanus in suis ad me literis de his ullam mentionem facit. Nunc ergo te rursus oro,deprecor,obtestor, ut quàm primùm ad nos rescribas,secretaque illa rursus remittas, eaq; fido nuntio Lugdunum dirigas. ibi siquidem maneo usque adhuc, hospitatus in domo episcopali apud conventum fratrum Augustianorum. Cæterùm secreta illa quò minùs divulgentur, secreto charactere,ut nosti,ad me remittas. Oro autem iterum, ut hæc quàm citissimè expedias. incertus siquidem ego sum, quandiu hîc mansurus sim : nec,quò mihi migrandum sit,satis scio. Vale fœlicissimè cum tota familia tua. Salutat te uxor mea. Iterum vale. E Lugduno,vicesimaprima Septembris, anno 1527.

Agrippa ad Amicum. XIII.

SÆpe jam ad te literas dedi frustrà, Capellane amicissime, & tanquam surdo tragœdiam lusi: & quia non respondes, deinceps tacere decrevi, nec ulteriùs silentibus apud inferos umbris tuis meis strepitibus obturbare. Sed pridie nova occurrit scribendi occasio,quæ rursus contra hoc institutum meum cogit tartareas sedes inamabiles aulæ hoc epistolio repetere. Hæc autem ea est : scripsit ad me his diebus Natalis Tolesanus, esse plures ad me dedisse literas, simulque misisse secreta quædam, omniaque hæc ad manus tuas in aulam direxisse. Restat ergo, si hæc accepisti,ut ea ad nos,qua decet, bona fide remittas : sin minus acceperis, de his diligenter inquiras, & literis tuis me certiorem reddas. Quin etiam ad ea,quæ prioribus literis ad te scripsi,respondeas. Cæterùm vale & aulicum illum infernum aliquando desere,teque refer cæli melioris ad auras. E Lugduno,vicesimatertia Septembris, anno 1527.

Vene-

Venerabili patri, sacræ Theologiæ magistro, Aurelio ab Aqua-pendente, Augustiniano, Henricus Cornelius Agrippa. S. D.

XIV.

EX literis, quas ad me à secundo hujus mensis dedisti, perspexi erga me animi tui candorem, P. R. & cognovi te virū cyclice doctum, eorumque, quæ adhuc in tenebris delitescunt, curiosum exploratorem, gavisus sum illico, atque mihiipsi gratulor, nactum me amicitiam talis viri, qui cum possem aliquādo & genium & ingenium excolere, teque nunc, teste hoc chirographo, inter amicissimos recipio. Sed, heus tu, qui sunt duces tui, quos sequeris? tu qui audes irremeabilem domum intrare Dædali, atque tremendi Minois ire per excubias, & te committere Parcis? Qui sunt magistri tui? tu, qui versaris circa immensa, ausus conari vagum stabilem, perfidum, affidum, ac deorum omnium fugacissimum reddere vel ipsa Adrastia cōstantiorem? Cave, ne decipiare ab his qui fuerunt decepti. Neque enim hîc te dirigere poterit quantacunque librorum lectio, quum non nisi mera ænigmata sonent. O quanta leguntur scripta de inexpugnabili magicæ artis potentia, de prodigiosis astrologorum imaginibus, de monstrifica alchimistarū metamorphosi, deque lapide illo benedicto, quo, Midæ instar, contacta æra mox omnia in aurum argentúmve permutentur: quæ omnia comperiuntur vana, ficta & falsa, quoties ad literā practicantur. Atque tamen traduntur ista, scribuntur q; à magnis gravissimisque philosophis & sanctis viris, quorum traditiones quis audebit dicere fallas? Quinimo credere impium esset, illos data opera scripsisse mendacia. Alius est ergo sensus, quàm literis traditur: isque variis obductus mysteriis, sed hactenus à nullo magistrorum palàm explicatus, quem, nescio, si quis sine perito fidoque magistro, sola librorum lectione possit assequi, nisi fuerit divino numine illustratus. quod datur paucissimis. Ideoque in vacuum currunt multi, qui hæc secretissima Naturæ arcana persequuntur, ad nudam lectionis seriem referentes animum. Nam inauspicato ingenio à vero intellectu prolapsi, in falsas imaginationes exteriorum spiritū vaframentis irretiti, illorum, quorum dominari datum est, periculosi servi effecti sunt, & ignorantes semetipsos abeunt retrò post vestigia gregum suorum, quærentes extra se, quod intus possident. Atque hoc est, quod te nunc scire volo, quia nobis ipsis est omnium mirabilium effectuum operator: qui, quicquid

quid portentosi mathematici, quicquid prodigiosi magi, quicquid invidentes Naturæ persecutores alchimistæ, quicquid dæmonibus deteriores malefici necromantes promittere audent, ipse novit discernere & efficere, idque sine omni crimine, sine Dei offensa, sine religionis injuria. In nobis, inquam, est ille mirandorum operator,

Nos habitat, non tartara: sed nec sydera cæli.
Spiritus in nobis qui viget, illa facit.

Verùm de his nobis quàm lautissimè tecum conferendum esset, & coràm. Non enim committuntur hæc literis, nec scribuntur calamo, sed spiritu spiritui paucis sacrisque verbis infunduntur, idque, si quando nos ad te venire contigerit. Cæterùm quos postulas libros, aliqui illorum aliquando fuerunt penes me, sed jam non sunt. Qui verò penes vos circumferuntur libri adolescentiæ meæ de Occulta philosophia intitulati, horum priores duo in multis deficiunt: tertius totus mancus est, nec nisi scriptorum meorum epitoma quoddam continet, Sed ego totum opus, favente Domino, integrum recognitumque aliquando in lucem dabo. Clave tamen operis solis amicissimis reservata, quorum te unum esse ne dubites. Vale fœlicissimè. E Lugduno, vicesimaquarta Septembris, anno 1527.

Amicus ad Agrippam. XV.

SAlutem plurimam. Prælegit mihi tuas literas Aurelius noster, imo utriq; communis amicus, quibus mirè me adfecit. Verùm illud imprimis mihi fuit gratissimum, quòd te intelligam haudquaquam abhorrere à nostra Antuerpia. quòd si adveneris, crede mihi, longè gratissimus advenies. & ausim polliceri, te inventurum amicos tui & observantissimos & integerrimos Quantum ad me spectat, non deero officio candidissimi amici: imò fratris amantissimi. nec video causam, cur mavelis manere in Gallia Lugdunensi, quàm tua Belgica, quæ te produxit. Consentaneum enim est, ut patriam illustres, & Spartam, quam nactus es, exornes. Persuasum mihi planè habeo, Augustinum Furnarium non improbaturum invitationem meam. tu vide, ut quàm mox advoles. Raptim. Antuerpiæ, è curia nostra, decimaseptima Octobris, anno 1527.

Amicus ad Agrippam. XVI.

SI animi mei fœlicitatem, quam ex tuis literis nactus esse videor, doctissime Corneli, absens penetrares, introspiceres, nulla me alia re longiùs abesse ab his, quos beatam vitam de-

gere existimamus, præterquam quod insignem hanc animi tui in me humanitatem non modò re, sed nec ipsa cogitatione superari posse opinor. Nam ut solidam eruditionem, qua pleno undiq; feruntur alveo, ut candorem illum in scribendo tuum quo abstrusissima philosophiæ arcana exultare videntur, in ipsa quidem literarum salutatione ita omnia humanitatis odore refragabant, ut continuò ad te unum inter tot hominum millia, velut ad Deum cælitus demissum, victus ac consternatus suspicarer: quæ illa est humanitas, ut me non solùm moribus & doctrina tibi longè inferiorem, sed nulla ex parte conferendum in amicorum tuorum cætum & admiseris & cooptaveris? Quid, quòd ea demum pollicearis, quæ nec auro, nec lapillis non ulla ingenii aut ubertate aut diligentia consequi possumus, quæ vel sublimia ingenia in admirationem rapiut, quæ item ad longinquas regiones philosophorum coronam impulerunt. O utinam istis tuis moribus quandoque fortuna respondeat: Ego quidem, qui tanti muneris particulam deleri nunquam posse arbitror, si memoriam gratiamq; perennem pollicear, in quod vulgares omnes subterfugiunt, dilaberer, qui dum beneficium rependere tergiversantur, ad animum memoriamq; fugientes, cuncta in se collata, etiam si maxima fuerint, officia referre putant. Vnum tamen certò habeas velim ideinq; mihi maxime est in votis, ut me pluris, quàm cæteri mortales opes, regna, imperia, hanc tuam erga me benevolentiam facere existimes. Ipsa hæc, si dabitur occasio, testificabitur. Nunc autem in tua juratus verba, tibi me fidissimum militem dedo, condono ac commendo, ac mihi posse gratius contingere scias nihil, quam si vitam spiritumque meum tibi consecratum, eadem, qua sese offert, animi magnitudine recipias. Petis, quos ad explicandas Labyrinthi domos, seu ambages, duces delegerim: quasi ego vel Charonta amatus, vel sine offa soporifera Cerberum adortus fuerim, atque intrepidus hæc subterranea regna obturbare ausus, illud non præsenserim,

—— Facilis descensus Averni:
Sed revocare gradum, superasq; evadere ad auras,
Hoc opus, hic labor est ——

Non mea me adeo effert opinio, qui natatore Delio hæc profundissima Naturæ fluenta ingredientem me indigere nõ percipiam: sed ab ineunte ætate cùm insana hac animi mei cupiditate laborasse fateor, ut, quod maximè ridendum, fatigatum animum quantacunq; futilium librorum lectio præstiterit nunquam, sic eò sæpius ventum, ut nihil ea re puerilius, &

stultius esse judicaverim, ac in Plinii multorumq; aliorũ doctissimorum sententiam non solùm manibus, sed etiam pedibus irem. Incidi deniq; in libellum tuum de Occulta philosophia, quem in adolescentia scripsisse te ais. O doctam divinamq; adolescentiam: submonuit me illico titulus: tum paulò intentius ac avidius perlegens principia, media ac finem, animum admiratione consternarunt: sic victa deniq; fides, auctus amor. Quòd si ex pectore est, quod literis testificaris, hoc est, quod me in amicissimorum tuorum numerum adscripseris, jam mihi liceat effari, quod fermè est apud poetam:

Hic mihi dux, autor, deus hic cursumq; per auras
Dirigat in lucos, ubi pinguem dives opacat
Ramus humum ——

Quo fit, ut si Antuerpiam, quæ tibi simul perdulce ac gratum pollicetur hospitium, veneris, si mea fundamentis initiandũ susceperis ut ille inquit, in cœlo sum. Vale. Antuerpiæ, die decimanona Octobris, 1527.

Agrippa ad Amicum. XVII.

SI, quod Domina mihi sæpe pollicita erat, mansisset integrum, R. P. ac domine colendissime, certe ipse ego meo functus officio venissem, & me tibi exhibuissem coram: sed cùm, ut est anilica perfidia, in hoc angulo relictus fui, non potui hactenus pedem referre absq; gravi meo incommodo, coactusq; sum iter meum differre in meliorem occasionem. atq; hæc nunc in manibus est. quamobrem, favente Deo, intra paucos dies cum tota familia & suppellectile hinc migrabo, hæc natalitia Domini festa acturus apud Parisios, ni forte contingat longiùs ire. nam longius instat iter, & ultra Parisium progrediendum est. Agam autem iter per Ligerim fluvium, & Briaram. qui locus, ut audio, tibi vicinus est. illic, aiunt, trajiciendum esse unius diei itinere in aliud flumen, quod nos Parisium usq; devehit. fac ergo, ut cùm Briariam venero, nova de te intelligam ab hospite, aut alio quovis, cui id commiseris. Nam morari illic diutius nõ potero. instat enim iter grãde & magni dispendii. Cæterùm gaudeo me tanti esse apud te, quòd tenearis mei desiderio, habeoq; tibi gratias, & paratus sum tibi huius benevolentiæ vices rependere: & si quid aliud penes me est, quo tibi gratificari queam, nec eo quidem frustraberis. De reliquis coram, tu fac, te ut inveniam, aut tu me invenias. Valeat fœlicissimè R. T. P cui me plurimũ cõmendo. Salutat te uxore mea, & precatur tibi omne bonum. Iterum

vale. Ex Lugduno, decimaquinta Novembris, anno 1527. festino calamo. Si ex abbatia divi Benedicti, ubi tu habitas, æquè bene trajicere valeam ad alterum illum fluvium, qui Parisium ducit, & tibi gratum facere potero, descenderem istuc usque. tu fac mandata tua apud Briaram intelligam, & ego pro posse obsequar in omnibus.

Agrippa ad Amicum. XVIII.

INgratissimus ego sum omnium, qui vivunt, hominum, spectabilis & doctissime vir, si tuum in me amorem, si tua in me studia, si tua optima monita atque consilia non obviis manibus acceptem, si non agnoscam, si non etiam sequar, qui priùs abs te fui amatus propè, quàm cognitus, qui absenti mihi ac nondum noto amplissimorum virorum cohortes in amicitiā sollicitas, quique ad meam me fœlicitatem vocas, & ad patriæ gloriam hortaris. quid facere potero, aut dicere, aut respondere? vicisti me, fateor, benevolentia tua, quia prævenisti me & me captivum abducis. sed utinam ego in eo statu aliquando futurus sim, ut possem tecum hac pugna benevolentiæ contendere, quò abs te videri nequeam superatus. Veniam igitur Antuerpiam, quanto celerius præcommoditate familiæ per hanc hyemis tempestatem licebit, & me tibi exhibebo, ut me protinus redimam, non montibus, nec auro, sed fide, observantia, vigilia in tuum obsequium & honorem quàm amplissimis: interim veniam dabis tarditati meæ. Nam est mihi imbecillis traducenda familia, ac iter difficile, tempus grave, & facultas exigua, eaq; Gallorum perfidia exhausta. Sed Augustinus Furnarius, mihi æterna memoria colendus, tibique non vulgaris amicus, omnem pollicitus est operam, cujus auxilio mox & ingrediar iter, & ingressum maturabo. tu age, vir humanissime, perstа in sententia. faciam ego, quò in tua de me opinione tu minimè fallaris. Vale fœlicissime. E Lugduno, decimaseptima Novembris, anno 1527.

Venerabili Patri, Sacræ Theologiæ magistro, Aurelio ab Aqua-pendente, Augustiniano, Henricus Cornelius Agrippa. S. D.

XIX.

EX humanissimis tuis literis, venerande pater, quasi ad speculum animum tuum introspexi totum, illumque amplector totus, voloque sic tibi persuasum habeas, te mihi suprà, quàm literis demonstrari possit, gratissimum fore, altissimeq; insidere

insidere animo: me verò talem esse, qui ex abundantia cordis hoc scribam, quique eos, qui se meæ amicitiæ commiserunt, nulla unquam tempestate soleam deserere. Quare ut tu vota consequaris tua. meis non minora, ego propediem ad te veniā: ubi, cùm coràm dabitur mutuas audire & reddere voces, scio amicitiam nostram indissolubilem fore, perpetuoque duraturam. Iam verò quod ad postulatam philosophiam attinet, te scire volo, quod omnium rerum cognoscere opificem ipsum Deum, & in illum tota similitudinis imagine ceu essentiali quodam contactu sive vinculo transire, quo ipse transformeris, efficiareque Deus, ea demum vera solidaque philosophia sit: quemadmodum de Moyse ait Dominus, inquiens: Ecce ego constitui te Deum Pharaonis. Hæc est illa vera & summa mirabilium operum occultissima philosophia. Clavis ejus Intellectus est. quanto enim altiora intelligimus, tantò sublimiores induimus virtutes, tantoque majora & faciliùs & efficaciùs operamur. Verùm intellectus noster carni inclusus corruptibili, nisi viam carnis superaverit, fueritque propriam naturam fortitus, divinis illis virtutibus non poterit uniri, (non enim, nisi sibi quàm similibus congrediuntur) ac pervidendis illis occultissimis Dei & Naturæ secretis omnino inefficax est: atq;

Hoc opus, hic Labor est, superas evadere ad auras.

Quomodo enim qui in cinere & mortali pulvere seipsum amisit, Deum ipsum inveniet? quomodo apprehendet spiritualia carni immersus & sanguini? an videbit Dominum homo, & vivet? Quem fructum adferet granū frumenti, si priùs mortuum non fuerit? Mori enim oportet, mori, inquam, mundo & carni, ac sensibus omnibus, ac toti homini animali, qui velit ad hæc secretorum penetralia ingredi: non, quòd corpus separetur ab anima: sed, quòd anima relinquat corpus. de qua morte Paulus scribit Colossensibus: Mortui estis, & vita vestra abscōdita est cum Christo: & alibi clariùs de seipso ait, Scio hominem, in corpore, vel extra corpus, nescio (Deus scit) raptum usque ad tertium cœlum: & quæ reliqua sequuntur. Hac, inquam, pretiosa in conspectu Domini morte mori oportet, quod contingit paucissimis, & fortè non semper. Nam id pauci, quos æquus amavit

Iupiter, aut ardens evexit ad æthera virtus,

diis geniti potuere: primùm, qui non ex carne & sanguine, sed ex Deo nati sunt: proximè, qui Naturæ beneficio ac cælorum genethliaco dono ad id dignificati sunt. cæteri meritis nituntur & arte, de quibus viva vox te certiorem reddat. Verùm hoc

te admonitum volo, ne circa me decipiaris, ac si ego aliquando divina passus, tibi ista prædicem, aut tale quid mihi arrogare velim, vel concedi posse sperem, qui hactenus humano sanguine sacratus miles, semper fere aulicus, tum carnis vinculo charissimæ uxori alligatus, omnibusque instabilis fortunæ flatibus expositus, totusque à carne, à mundo, à domesticis curis transversùm actus, tam sublimia, immortalium deorum dona non sum adsecutus: sed accipi me volo velut indicem, qui ipse semper præ foribus manens, aliis, quod iter ingrediendum sit, ostendo. Cæterùm de amore in te meo tu quidem minimè falleris. beneficiis meis quid debeas, non video, quippe qui non contulerim in te quicquam, nisi quòd paratus sum, dum dabitur occasio, conferre omnia. Tu nunc fœlicissimè vale. E Lugduno, decimanona Novembris, anno 1527.

Agrippa ad Amicum. XX.

SAlve Augustine, mihi in omne ævũ observandissime. Quod ad te scribam, te dignum non habeo. Ego, à quo die hinc abiisti, circa iter meum tota solicitudine in componendis sarcinulis, disponendo familiæ, redimendis negotiis occupatissimus, hodie primùm rem omnem absolui, tuo adjutorio, tuo juvamine, tua opera: sine quibus ego jam non tam fabulam agerem, quàm tragœdiam. Cras igitur tuo fœlici auspicio iter ingrediar Antuerpiam. quò cùm faventè Deo, salvus venero, crebras & longas rerum omnium ex me recipies epistolas: nec epistolas modò, sed & magnarum rerum volumina, quæ te immortalem reddant, ac posteritati omni semper desideratissimum. Salutat te uxor mea, precaturque omne bonum: optamus autem ambo, ut cum tuo commodo & integra prosperitate brevi revertaris Antuerpiam. Mittimus tibi cum residuis machinis pontem nostrum, opus quidem rude & abortivum ac proportione carens, ingenio tamen & industria facilitateq; haud contemnendum. Sed ubi Antuerpiam venerimus, ego hanc machinam novam omnibus numeris denuo absolvam. Scripsit ad me ex Parisiis Ioannes Stratius, eruditus adolescens, qui tibi collati in me beneficii infinitas gratias agit. Vale. Ex Lugduno, quarta Decembris, anno 1527.

Agrippa ad Amicum. XXI.

HEri vesperi, P. R. veni Briaram cum tota familia, ubi cùm de te per singula diversoria inquirerem, nec literas ullas, nec verbũ ullum de te comperi, præterii itaq; usq; Guiennam, neque

neq; istic ullum de te nũtium percepi. hodie igitur iter meum continuo usque Motargum: exinde per flumen ad Parisios, sicut ad te scripsimus nuper. illic me invenies, si me colloqui cupis, auditurusque es reliqua. hospitabor autem in vico divi Martini, in diversorio cui aureum prælum index est, ibi te expectabo per biduum, aut triduum. Vix diutius morari potero. Nam, sicut scripsi ad te, longius iter mihi agendum est. remigro enim in patriam meam, tu nunc optimè vale. Ex Guienna, è diversorio trium Regum, decimasexta Decembris, anno 1527.

Amicus ad Agrippam. XXII.

NOn potui per occupationes, in curando affectu regiæ Majestatis & ejus matris, quæ nonnihil tædii in rebus sensit, tuum tractare & prosequi negotium: nec putes me negligentiæ criminandum, verùm intra biduum ipero me satisfacturum tuo desiderio. desideràram, ut citiùs id fieri posset, &, ut Parisiis te commonueram, Biturigensem præsulem salutares, & dominum Seneschallum, qui te unicè amat, aut uterque, aut horum alter in gratiam regiæ Matris te insinuaret. quod per facile factu judicarem. qui enim pollent ingenio, præsertim in iis artibus reconditis, quibus cæteros vincis, magni semper ab eodem rege æstimari consueverunt. Rogo, ut digneris mihi communicare literarum situ obliteratarũ recognoscendi modum, ut is liber Græcus, qui apud me est, non parum medicis necessarius, suo autori restituatur. Vale. Ex sancto Germano, ultima ultimi mensis. anni 1527.

Agrippa ad Amicum. XXIII.

QVid hoc est consilii, Capellane amicissime, ut qui ipse rogandus nunc est, atque donis stipendiisque devinciendus, illi suadeas, ut, imploratis mediatoribus, sese regis gratiæ insinuari faciat? tantùm hoc abest animo, ut malim me vel cum regis indignatione proscriptum iri, modò semel nunc hoc regnum tutò egredi liceat, quàm sic animo deiici. Ego cum salvo conductu licentiam meam scripto accipere cupio, hanc postulo, hanc volo, propter hanc ab itinere meo plus quadraginta leucis huc diverti, non absque multo dispendio, hanc istic expecto dispendio non minori, siquidem jamjam vicesimos fermè coronatos aureos expendi in diversorio. hanc si Princeps tua principum more mihi datura sit unà cum decenti viatico, sive muliebri avaritia me tot damnis onustum dimissura sit vacuũ, scio ego, quas pro alterutro illi relaturus sim gratias.

Quòd si me quid velit, ego rogandus venio, non mè rursus illi insinuare debeo: si me ignorat illa oculatissima mulierum, qui sim, quæ sciam, quid valeam, quæ possim, discat ab his, qui me norunt, vel hactenus me experiri debuisset, aut jam experiatur vel apud hostes. Sed ego illi melius consultum volo, ut videlicet virum semel malè demissum nunquam denuo recipiat in ministerium. ea siquidem est ingenui animi integritas, ut semel justa ratione iratus, nunquam mitigatus in naturam revertatur. Cæterùm tu boni consule, & quid actum sit, aut fieri possit, remitte. Mitto tibi, quæ postulasti. Vale. E Lutetia Parisiorum ipso die Kalendarum Ianuarii, anno 1528. Romano calculo.

Agrippa ad Amicum. XXIV.

VEnturum me Antuerpiam scripsi tibi ex Lugduno à decimaquinta Novembris: recessi autem inde sexta Decembris, præmissâ bibliotheca mea per Lotharingiam, quam nunc Antuerpiam in domum d. Augustini Furnarii adplicuisse puto. Ego autem cum uxore & familia per Ligerim & Sequanam fluvios descendens, vicesima die ejusdem mensis veni Lutetiã, atque istic maneo, mansurusque adhuc ad paucos dies. Nam sunt mihi expedienda hic aulica quædam negotia, atque expecto simul, quas peto à rege, ejusque matre, literas dimissorias, & alias, quas vocant salvi conductus. Ipsi autem nova eaque aucta pollicentur stipendia, quò me retineant: Verùm ego nullis promissis, nedum collatis etiam vel aureis montibus, à proposito itinere dimoveri potero, etiam licet maximè egeam, ac quasi defecerit viaticum, quod me corrasso interim isthic lucello aliquo, novum conflare opus est, quò residuum iter perficiam Antuerpiam: quò cùm venero, tuo fretus consilio, facilè me fortunæ ipsius victorem triumphatoremque evasurum spero: tu interea hanc meam moram æquo animo feras. Vale. Ex Lutetia Parisiorum, à decimaseptima Ianuarii, anno 1528.

Agrippa ad Amicum. XXV.

SI his, quæ hinc recedens mihi pollicitus es, atque deinde literis quoque tuis confirmasti, mi Capellane, procuraturum te meas literas dimissorias, quas jam Domina tua annuerat sese mihi daturam, his, inquam, si satisfactum esset, laudarem operam tuam, haberemque tibi condignas gratias, atque ego jam iter meum prosequerer, neque istic absumerer in diversorio: sin minus, quid monstri alatur, scire velim. Neque enim causam video ullam, cur me in tuam operam sic frustrà confidere passurus sis. Non te excusare poterit Regis tui immedicabilis languor, minus ejus mors, si salva intercesserit, quin amicitiæ nostræ prævaricator desertórve habeare. Nunc ergo responde, an pro me quicquam facturus sis, an ego alium procuratorem invocaturus sim. sat enim jam & ultrà in diversorio mihi expensum est, tempusque perficiendi incepti itineris instat. Scripsi Dominæ tuæ jam literas, nihil accepi responsi. ex te scire vellem, quid illa ad meas literas. Sed & Cancellarius vester nescio quid olfecit. sunt, qui ejus nomine me nunc magnis promissis & ingenti spe futurorum bonorum adoriantur, etiã de suo stipendio offerentes ut maneam: verùm ego his gallicis nugis jamdudum satiatus, nullis promissis, nedum collatis aureis montibus retineri potero: siquidem alia promissa, quò illas opes jam facilè contemnere & vel superare valeam. Cæterum tu mihi literas salvi conductus à Domina tua curato. id si feceris, est, quo te remunerer: si deseris, est &, quo ego te destituam. Vale fœlicissimè, & jam tandem respondè, qui ad priores literas meas adhuc respõdisti nihil. Ex Lutetia Parisiorum, vicesimaprima Ianuarii, anno 1528.

Amicus ad Agrippam. XXVI.

SOlebant veteres edito Proverbio insignem stultitiam notare, Noctuas Athenas inferre. Sed non minoris stultitiæ est, impietatis autem maximæ, dæmones inferno addere. Scis, quẽ dico infernum, illam inquam, scelerum scholam, quam indignatus alibi suis coloribus egregiè depinxi. Quam. Sed nunquã antea tam justa scribendi simul & indignandi occasio data est, atque nunc, si per occupationes liceret rem pro dignitate tractare. Continere tamen nequeo calamum, quin argumentum ejus tibi exponam. Audi nunc igitur rem stultam simul & impiam. Accersitus est è Germania non modicis sumptibus vir quidam dæmoniorum, hoc est magus, in quo potestas dæmonũ inhabitat, ut, sicut Iamnes & Mambres restiterunt Moysi, sic iste resistat Cæsari. Persuasum enim est illis à patre mendaciorum, illum futurorum omnium præscium, arcanorum quorumcunque consiliorum conscium, ac deliberatarum cogitationum interpretem tanta præterea prædictum potestate, ut possit regios pueros reducere per aëra, quemadmodam legitur Abakuk cum suo pulmento traductus ad lacum leonum, possetque, sicut Helisæus obsessus in Dothaim, ostendere mon-

IN FOBA LIBERA OR. LEMOVICARUM

tes plenos equorum & currum igneorum, exercitumq; plurimum: insuper & revelare ac transferre thesauros terræ, quasq; volet, coget nuptias amoresq;, aut dirimet, deploratos quosq; curabit morbos stygio pharmaco, putà radicatam ethicam, confirmatam hydropen, inossatam elephantiam, & quam

Solvere nodosam nescit medicina podagram:
Multaq; præterea, quæ fama obscura recondit.

Vides, ubi fides eorum locata est, ubi spes reposita, qui elementa, cœlum, fata, naturam, providentiam, Deum, omnia unius magi imperio subjicere conantur, & regni quærunt salutem à publicæ salutis hostibus, dæmonibus, dicentes in corde suo cū Ochozia. Non est Deus in Israël, eamus ad consulendum Belsobub deum Acharon, & sicut Saul locutus ad Pythonem, Philistiii impugnant adversum me, & dominus recessit à me, & exaudire noluit: vocavi ergo te. Adeóne & penes istos desperatum est de Deo, ut requirenda censuerint auxilia dæmonum? Nónne hoc est juxta verbum Iudæ & Petri, Dominum nostrū IESUM Christum salvatorem, & qui nos redemit, Deum abnegare, & superinducere sibi celerem perditionem? Nónne thesaurizant sibi iram indignationis Domini, mittentem in eos immissiones per angelos malos? Nónne traditi sunt in reprobum sensum, qui veritatem arcani consilii petunt à patre mendaciorum diabolo, & victoriam postulant aliundè, quàm à Domino exercituum? Atque tamen huic tam nefario idololatriæ & sacrilegiorum artifici audaciam præstat, quæ istis tam impensè favet orthodoxa illa mater, & Christianissimi filii accommodatur autoritas, & è sacris pecuniis largiuntur munera, conniventibus etiam atque tam nefariam operam concentibus columnis ecclesiæ, episcopis & cardinalibus, & impietatis ministro impii applaudunt proceres, quemadmodum operibus lupi congratulantur corui. Quod magis peccatum commiserunt Pharao, Balach, Saul, Achab cum sua Iezabel, Ochozias, Nabuchodonosor, Balthasar, Sennacherib & cæteri cultores Baal? Vocavit Pharao contra Moysen magos suos, & illi victi in tertia plaga, confessi sunt digitum Dei: rex autem obstinatus per decem plagas, periit in mari rubro. Vocavit Balach Moabites Balaam ariolum, ut malediceret Israel, & Deus ipse maledictionem convertit in benedictionem: Balach verò maledictus est. Quid Saulo Samuelis sui, aut Pythonis profuere responsa? Nónne confessus est in monte Gelboe? Achab & Iesabel nefariis nuptiis conjuncti, confidebant in prophetas Baal, & juxta verbum Dei egressus est spiritus mendax in ore omnium

omnium prophetarum Achab ascensuro in Ramo Galaad prospera promittentium, ceciditque Achab, & Iesabel præcipitata est, & canes comederunt eos. Corripitur Asa rex Iuda à prophetа Domini, quia in ægritudine sua non quæsivit Dominū, sed in artem medicorum confisus est. Nónne majus peccatum habituri sunt, qui relinquentes Deum salvatorem, & salubres naturæ vires salutem quærunt à Sathana? Fecit ita quondam Ochozias, propterea que audivit à prophetа Domini, Supra lectum, quem ascendisti, non descendes, sed morte morieris. Percurratur cæterorum infidelium regum series, etiam gentilium historiæ. Zoroastes, Dictherus. Crœsus, Pompeius, Pyrrhus, Crassus, Nero, Iulianus: quid lucrati sunt in magis & divinatoribus suis, qui mentiti sunt illis fœlicia? nónne omnes ad nihilum redacti sunt, & malè perierunt in peccatis suis? Sic solent impiæ illæ nugæ semper perniciem suis adferre cultoribus, quibus profectò qui maximè confidunt, maximè omnium redduntur infœlicissimi. Non inficior, sunt artes, sunt ingenia, quibus citra Dei offensam, citra fidei & religionis injuriam fieri possunt regna, explorari consilia, vinci hostes, eripi captivi, adaugeri divitiæ, conciliari hominum benevolentias, depelli ægritudines, conservari sanitas, prolongari vita, restitui juventutis robur: sunt insuper sacræ religionis intercessiones, publicæ supplicationes, privatæ bonorum preces, quibus non solùm iram Dei flectere, sed & simul illum nobis beneficium impetrare possumus. Quòd si præterea ars quædam est præscientiæ & mirandorum operum, certè hæc istis nugatoribus & dæmoniorum mancipiis incognita est: quippe explorare de futuris, aut imminentibus, aliisve occultis, & quæ hominibus divinitus portenduntur, Veridicas sententias, atque operari virtutum communem Naturæ consuetudinem excedentia, non nisi profundæ & perfectæ doctrinæ, integerrimæque vitæ ac fidei est, non hominum levissimorum ac indoctorum. Hominibus autem innocentibus & doctis in lege Domini pro voto fidei servit omnis creatura, & exaudiuntur ad omnia quæcunque perierint. Sic Heliam coruus pavit, & ad preces ejus terra fructus retinet, cœlum negat pluviam, & in impios evomit ignes suos. Sic Helisæo serviunt ursi, militant angeli, flumina siccis transeuntur pedibus Danieli, posita ferocitate neglectaque fame, adblandiuntur leones: & succensus in fornace ignis non urit pueros. Ejusmodi sunt non magorum, non dæmoniorum, sed fidelium divinorumq; hominum opera. Non enim dæmones, sed spiritus

Dei

BIBLIOTECA CENTRAL UCLM

Dei miniſtrant illis. Sunt, fateor, aliqui, etiam in hunc diem, & fortè plures, viri ſapientia graves, ſcientia inſignes, virtutibus & poteſtatibus pollentes, vita & moribus integri, prudentia invicti, etiam ætate & robore diſpoſiti, ut reipublicæ conſilio & opera plurimorum poſſint prodeſſe, ſed hos aulici veſtri cõtemnunt, ut ab inſtituto eorum longè diverſos, quibus pro ſapientia malitia eſt, fraus & dolus pro conſilio, aſtus & calliditas proſcientia, deceptio & perfidia pro prudentia eſt: religionis locum poſſidet ſuperſtitio, & in afflictionibus blaſphematur Deus, & quæ, ut ait Apoſtolus, in infirmitate perficitur, fides contemnitur, ſed recurritur ad invocamenta dæmonum: bonus quisque apud eos irridetur, audax hypocriſis provehitur, veritas pro crimine eſt, laus & præmia ſtultitiæ & ſcelerib. repoſita ſunt. O ſtulti & impii, qui his artibus ſtabilire vultis regnum, quibus olim potentiſſima imperia ceciderunt, funditusque everſa ſunt, de quibus verè dictum eſt per Hieremiam: Cecidit corona noſtra: væ, quia peccavimus. Quod utinam nõ tam verè, quàm excogitata ingenioſa ſorte in vos quadraret. Siquidem ille verſiculus, collectis invicem numeralibus literis, MCVI, annum exprimit M. D. XXIV. quo juxta veſtrum calculum rex veſter apud Papiam captus eſt. Nónne hæc vidiſtis, & admirati eſtis, quæ antè facta quam fuiſſent, impoſſibilia judicaſtis? & adhuc ſuperbitis & obdurati eſtis in infelicitatibus veſtris, contemnitis prophetas, & Dei comminationes vobis pro fabulis ſunt. En propè eſt, & adhuc videbitis, & ſentieris magnalia Dei in orbe terrarum, & collapſi in fata contremiſcetis, quia veniet ſuper vos repentè miſeria, quam neſcitis. quò tunc fugietis? State cum incantatoribus veſtris, & cum multitudine maleficorum veſtrorum, ſi fortè quid proſint vobis, aut poſſitis fieri fortiores. Nónne accerſitus germanicus magus ſalvabit vos, & mendaces facier prophetas, ac prævalebit contra iram Domini, & liberabit vos à malo? Non ſic impii, non ſic: niſi Dominus ædificaverit & cuſtodierit civitates & regnum, in vanum laborant & vigilant omnes cuſtodes ejus. Solius Dei eſt, non dæmonum, non magorum, ſuſpendere aut mutare prophetarum ſententiam. Si vos toto corde converſi ad ejus miſericordiam, veſtram mutaveritis malitiam atq; perfidiam: & is ſe ad vos convertet miſericors. Sic nanq; Nabuchodonoſor Danielis conſilio peccata eleemoſynis redimens, & iniquitates in miſericordiis pauperum, imminentem Dei iram ad tempus effugit, donec in aula Babylonis voce elationis ſuæ rurſus illam in ſe revocavit. Achab impiiſſimus cum ſua Ieſabel, cui

bel, cui mortem per Heliam Dominus nunciavit, quia converſus eſt ad Deum, factus eſt iterum ſermo Domini ad Heliam, quia reveritus eſt Achab faciem meam, non inducam malum in diebus ejus. Ninivitæ, quia ex edicto regis & principum egerunt pœnitentiam ad prædicationem Ionæ, ab imminenti protinus excidio liberati ſunt. Intimavit Eſaias Ezechiæ ſententiã, ut diſponeret domui ſuæ, citò moriturus: ille oravit, & flevit, & ſanatus eſt, adauctis ei annis vitæ quindecim. Sic enim ad eum per eundem prophetam locutus eſt Dominus: Vidi lachrymas tuas, & exaudivi orationem tuam: ecce ego adjiciam ſuper dies tuos quindecim annos. Inſuper & de manu regis Aſſyriorum eruam te, & civitatem iſtam, & protegam eam. Tantum potuit converſio & oratio pii regis, ut qui pro ſe ſolo oravit, tamen non pro ſe ſolo impetravit, ſed etiam pro civitate & populo. Solus Dominus eſt, qui ſalvum facit regem, & qui ſapientiam dat filio regis. Ad hunc magiſtrum noſtrum confugere oportet, qui quærunt ſalutem, non ad magos & ariolos. Induimini juſtitiam, & timete Dominum vos, qui quæritis fœlicia: ſi regni firmitas quæritur, ſcriptum eſt, Iuſti hæreditabunt terram. In memoria æterna erit juſtus, & in æternum non commovebitur. Si ſecuritas quæritur, qui timent Dominum, ab auditione mala non timebunt, ſed & omnes deſpicient inimicos: ſi honor & opes quæruntur, gloria & divitiæ in domo ejus: ſi laus & fruor, generatio rectorum benedicetur: ſi potentia, potens in terra erit ipſe, & ſemen ejus, fortitudo ejus exaltabitur in gloria: ſi nuptiæ, & conjugii proſperitas, uxor ejus, ſicut vitis abundans in lateribus domus, & filii ejus, ſicut novellæ olivarum: ſi corporis ſanitas & robur, non dabit Dominus ſanctos ſuos videre corruptionem. In omnibus beatus eſt vir, qui timet Dominum, qui immaculatus in via, qui non abiit in cõſilio impiorum, qui miſeretur ſuper egenum & pauperem. nam in die mala liberabit eum Dominus, & non tradet eum in manus inimicorum ejus. Peccatores autem videbunt, & iraſcentur, dentibus frement, & tabeſcent. deſiderium eorum peribit. Hæc nunc admoniſſe ſatis. Nolo enim curioſius hanc rem proſequi, ne fortè malitia ſubjectæ materiæ calamum protrudat, quò non expedit. Vale. Ex Lutetia Pariſiorum, decimatertia Februarii, anno 1528. Romano calculo: Gallico autem adhuc anno 1527.

Agrippa ad Amicum. XXVII.

SCripſi humanitati tuæ in prioribus, Paule mi obſervandiſſime, quemadmodum à Lugduno diſcedens ſalubri aura & amœna

amœna tempestate, prospero itinere, sed sumptibus non immodicis quindecim dierum itinere Lutetiam Parisiorum perveni cum tota familia, omnibusque meis salvis sanisque: inveni illic aulam: adlocutus sum Principem quondam meam, Regis matrem: petii literas, quas vocant, salvi conductus: dissimulat illa indignationem, quòd discessurus sim: mox blanditur, ut maneam: tandem pollicetur, quas opto literas: jubetque expectare ad tempus: facio ego, ut qui aliter nequeam: illa abit ad sanctum Germanum: maneo ego Parisii: illic interim agitur mecum multis pollicitationibus ac promissis, aliisque gallicis nugis, ut mutem abeundi sententiam. Ego, ubi me honestis quibusdam & necessariis rationibus jam sæpe admodum constanterque excusavi, quas postulavi literas, jam ferè ad tres menses cum multo dispendio atque expensa expectatas, proximis his diebus ægrè tandem obtinui: jamq; meditor residuum itineris mei Antuerpiam versus: sed iturus per infensos limites, per medios enses, per hostiles turmas, plebemq; cruentam, idque cum uxore & pueris residuoque onere acturus sum. quod utinam mihi æque fœlix fausturnq; futurũ sit, ut laboriosum plenumq; periculo. Quod die autè hinc abiturus sum, nescio, nec planè cõstituere possum. detineor enim quibusdam curis, neq; satis viatici supereſt. quicquid autem, & quando statuero, quicquid fecero, facturusq; ero, ego te certiorem reddam. Scribo d. Augustino epistolam: hanc illi reddendam cures. si quas tu ad me habueris epistolas, has, ut potes, dirige Antuerpiam, scribeq; me illic indubitatò adfuturum, quàm primum potero hinc abire: illi interim res meas habeãt in bona custodia. Salutat vos uxor mea, precaturq; omne bonum. Valemus omnes sani & salvi: lucrum istic mihi permodicum, & quod vix æquat expensas. Amici multi, & veteres & recentes, sed omnia mihi fastidio sunt, donec venero Antuerpiam, sedes ubi fata quietas pollicentur. eò ubi venero, tunc divis vobis vota nuncupabo, reddamque oblationes & holocausta: tunc imponam super altare vestrum vitulos. Tu nunc fœliciſſimè vale. E Lutetia Parisiorum, decimaseptima Martii, anno 1528. festino calamo.

Agrippa ad Amicum. XXVIII.

COgnovisse te jam arbitror ex prioribus literis meis, Augustine observandissime, quàm commodè Lugduno discedens iter meum Lutetiam usq; per salubertimam humanissimamque auram explicui. Verùm cum ex Principis jussu, tum aliis aulicis commentis ac gallicis nugis detentus, istic subsistere coactus

te coactus sum diutius quàm speraveram, atque paucissimis diebus citrà tandem abeundi licentiam ægrè obtinui: sed & absque ullo avaræ Principis munere, sive beneficio, quæ me jam per tres menses inanibus promissis & magnis meis sumptibus in diversorio detinuit. Non possum tamen de mora hac admodum dolere, quòd mihi interim contigerit fortuna omnium auspicatissima. inveni prætereà istic veteres amicos, & conquisivi novos, etiam viros arcanarum literarum eruditissimos, didicique & vidi permulta, quæ hactenus ignoravi. quo factum est, ut nihil istic tam tristè tamq; adversum mihi contingere potuerit, quod propter hæc ipsa non feram aut libentiùs, aut patientiùs. omnia tamen (ut verum fatear) vertuntur in fastidium, nec quiescit animus, donec fuero Antuerpiæ, sedes ubi fata quietas promittunt: sed & donec te illic convenero, ac te fœlicitatis meæ reddidero participem. difficilè enim, mi Augustine, verbis ullis, aut scriptis exprimere queo, quantum tui teneat desiderio. nullo enim temporis momento tui non meminisse queo, qui immensam in me beneficiorum tuorũ mensuram indies experiar. Iam igitur para residuum itineris mei. Tu nunc fœliciſſimè vale. Valere te cupit uxor mea, precaturque omnia fœlicia. nos rectè valemus. Iterum vale. Ex Lutetia Parisiorum, decimaseptima Martii, anno 1528.

Agrippa ad Amicum. XXIX.

FRater Aureli, vir integerrime & amice observandissime. scripsi tibi nuper, significans me Lugduno abiisse, & Parisiis detineri aliquibus aulicis negotiis, atq; ut literas salvi conductus acciperem, atq; has nunc ad quatuor fermè menses expectatas, tandem proximis istis diebus obtinui. Sed hanc Scyllam nunc prætergressus, in Charybdim lapsus sum. defecit enim me viaticum, nec inveni adhuc qui mihi succurrat, aut mutuum det Antuerpiæ restituendum, malitia temporis bellorumque hostilitate obstante. En vides, qualem ludum mihi paret virtuti semper inimica fortuna, & jam mihi cum uxore & parvulis eundum ad vos est per nudos enses, per infestos limites, per hostilia agmina: nec ista me retinent, modò adsit viaticum. lucrum istic permodicum, & quod vix præstat expensas, tu boni consule, procuresque per Antuerpienses mercatores hinc me redemptum iri, qui istic mihi accipiendi viatici fidem faciant illic reddituro. Ego tamen in spe sum mox accipiendi aliunde, quod si successerit, protinus ad vos hinc avolabo. Supereſt aliud, quod me angit; opus habeo salvo cõductu à

Principe

HAVGOBA LIBRARY COPY

Principe Margarita. illud oportet mihi impetres. Sum enim comitatus numero decem personarum, cum oneribus, sarcinis, & cæteris impedimentis. Salvum conductum hunc fac omni diligentia & protinus procures, mittasque securo nuntio Cameracum in manus Nicolai Majoris, ut cùm fuero ego Peronæ, hunc ab illo expeturus, illic inveniam. Cæterùm mihi veniam da, qui tantum tibi oneris impono, etiam eorum fortè, quæ tu non potes. Sed potes obtinere apud eos, qui possunt. Fac igitur istæ, incultæ licet & abortivæ, literæ meæ tantum apud te pondus habeant, quantùm ego scribendi confido habituras. Cùm autem Antuerpiam venero, tunc imponam super altare tuum vitulos. Vale fœlicissimè. Ex Lutetia Parisiorum, ut vides, festino calamo, ultima Martii, anno 1528.

Agrippa ad Amicum. XXX.

PRidie conscribi feceram literas in favorem mei, nominè Principis Vandemiensis, de quo nuper loquebar tibi, ad capitaneos, qui in limitibus sunt. illas sibi significandas obtulerunt quidam amici mei, qui se apud eum non parum posse putabant. At ille, conspecto, sive audito nomine meo, præcipiti ira repentè dirupit papyrum totam, inquiens, se nequaquam signaturum in favorem divinatoris. Ecce hunc honorem, hoc lucrum accipio ex obsequio & famulatu Dominæ tuæ exhibito. Sed redeam ad Principem illum, sive illum Vindemiarum ducem. Accepto hoc illius responso, occurrit cominus proverbium. Aut Principem aut stultum. Considerans itaque hominem illum præposterè religiosum, & ingenio simul inertem, ut qui nihil sapiat, nisi in patinis & calicibus, & quem quisque ex naso facilè noscat, aut dijudicet: subrisi apud meipsum, veniam dans stultitiæ, sed tamen iratus sum in nequam illos, qui hæc illi malitiosè suggessérunt, sive Babonius ille quæstor, ne dicam & proditor, fuerit, sive aliud quodvis aulicæ invidiæ mancipium. Totius tamen mali occasio abs tua Principe est, quæ abusa quondam opera mea in astrologicis nugis, supra ingens damnum his me titulis decoravit, atq; interim non licebit de illa conqueri, nec irasci, ne dicat imprudenter de illa locutus, & super inducam mihi laqueum. Vale. E Lutetia Parisiorum, ultima Martii, anno 1528.

Agrippa ad Amicum. XXXI.

QVanto angore turbatus sit animus meus, ex hesterna relatione partim cognoscere potuisti, vir integerrime. Sum enim

enim istic nunc in quartum mensem defixus in diversorio tota cum familia fortunæ omnes atq; supellectiles jamdudum præmissa sunt Antuerpiam, quò & me subsequi necesse habeo, atq; ut sese tempestas hæc contulit, per infestos limites, per medios enses, per hostilia agmina, plebesque cruentas, idque cum charissima uxore, & parvulis: nec ulla hic vel majora me retinere poterint pericula. eundum enim est, ni fortunæ omnis meæ subversor fideique desertor esse velim, quam ego nec pro ullo auro venalem, nec pro quovis sublimi gradu cõmutabilem habeo, nec periculo ullo exterritam, atque illam nunc captivavit in me viris probis invida egestas, absumpto residuo viatico, quod istic alieno ære conflare oportet novum apud nummularios, pro quo hesternæ tuæ literæ admodum validam spem dedere mihi: quas hoc vespere reddidi Petro Spinæ, ostendique simul, quæ mihi sint credentiarum literæ ad Andorpios, reddit ille plena spei bonæ verba, & se tuam humanitatem super his adlocuturum. Fac ergo, quòd, ut potes, ita velis, quam literis tuis mihi spem conciliasti, hanc, ubi nũmularius hic te allocutus fuerit, coràm quoque ac præsentanea commendatione confirmes. Scio equidem & cognosco, quantum mihi commendatio tua profutura sit: atque ego, quod superest, ipsi nummulario eam fidem securitatemque dabo, qualem ille expetit, atque ego hoc temporis & loci potero præstare. Quod autem tuæ clementiæ debebitur, utinam non tam verbis, quàm re ipsa, aut opere condigne reddere queam. Sed faciam, enitar, elaborabo, quoties sese occasio obtulerit, quò tuam clementiam mihi profuisse nunquam pœniteat. Cæterùm quod abs te mihi injunctum negotium est, nũc verso in manibus: atque in breues dies tibi exactum referam. Vale fœlicissimè. E diuersorio nostro, prima Aprilis, anno 1528.

Henricus Cornelius Agrippa N. XXXII.

NOn putabam unquam euenturum mihi, ut cogerer experiri amicos. Verùm cùm præsens fors mea in eam necessitatem me impegerit, te unum reservaveram, ad quem postremò veluti ad sacram anchoram, confugerem. Cumque te unum, qui mi hi tam magnificis blandimentis palpare solitus esses, amicorum omnium amantissimum putare. Nunc, ubi mih experiundæ amicitiæ tuæ necessitatis ingruit, te non amicum, sed truculentissimum hostem experior, qui me quasi capta perdendi oportunitate, hoc loci, ubi scias me minus cognitum, ac propè nullos amicos habentem in re-

rum mearum tristi absentia, peregrinum cum uxore & parvulis, in diversorio exhaustum, sic repentè deseris, cum tamen, cuius tibi conscius esse debes, tute tuo suasu & consilio huius calamitatis meæ non minima causa sis. Nunc igitur cùm tu ipse detexeris illam tuam adulatricem hypocrisim, perspectusque mihi sit, tuum non verum fuisse, sed simulatum amorem, quo hucusque mihi illusisti: en testibus hac mea manu & annulo renuntio amicitiæ tuæ, detestor consuetudinem tuam, contemno quæcunque ex te sperare potuero, ac deinceps te mihi pro perniciosissimo adulatore, ac crudelissimo hoste habiturum decerno, idque eo animo ac ea memoria, quæ nunquam mitigata in oblivionem revertatur, optoq; tibi, ut, sicut me toto animo in te cõfisum turpissima inhumanitate ingratitudineque deseris ac destituis, sic te deserat Christus, sic te destituant hæc paschalia sacramenta. Denique meminisse debueras, potuisse me tibi nonnunquam plurimum prodesse. Quod si nocendi cupido esset, nec premerem altum alto corde dolorem, nosti me habere scientiam & potestatem in te, quibus si voluntas quoque aliquando accessura sit, quid supereſt, nisi quod est in proverbio. Arborem quæras ad suspendium? E diversorio nostro in Parisiorum Lutetia, ipsa die Veneris sancta, quæ est decima Aprilis, anno 1528.

Agrippa ad Amicum. XXXIII.

QVæ me occasio hactenus morata sit, quæ etiam nunc moretur, quò minus veniam Antuerpiam, quo denique mihi opus sit remedio, Aureli pater venerande obseruandeque, ex literis, quas ad te hactenus dedimus, noviſse poteris: adhuc hæreo istic in diversorio, prope nullos amicos habens, etiam invisus iam infensusq; Gallis ferè omnibus, quia istinc ad vos migraturus sum. Salvum conductum nihilominus nõ absque magna difficultate magnoque dispendio obtinui. Sed & iam etiam alio mihi salvo conductu à Margarita Principe opus est. In his quid te curaturum velim, scripsi tibi nuper. Si potero ego istic residuum corradere viaticum, aut vel alieno ære id conflare penes mercatorem aliquem, qui tantundem mihi concredat pecuniarum, proxima hebdomada hinc discedam cum omni familia atque impedimentis, perque varios, casus, per tot discrimina rerum tendam Antuerpiam: neque vero ullus detinet me periculorum metus, sed detinet inopia. Quod si semel ad vos venero, scio me vobis futurum non ingratum. Sed de istis plura scribere non conceditur propter intensos limites, qui intercipiunt, quicquid transit literarum. Quod supereſt, præsentium lator ipse narrabit. Commẽdo tibi bibliothecam meam, reliquamque supellectilem, quæ nuper præmisimus, omnia ut salua atque in tuto sint. Vale fœlicissimè, & mei curam habe. E Lutetia Parisiorum, decima quarta Aprilis, anno 1528.

Agrippa ad Amicum. XXXIV.

IAm res mea ad sacram anchoram redacta est, ego, uxor, parvuli, persona, fortuna, honor, fama, reputatio, omnia in periculo sunt. deserunt amici, negligunt necessarii, destituunt cæteri omnes. ni tu, omnis residua spes mea, mihi celerrimè subvenias, totus perditus ero. O utinam hæc scripta mea tantum penes te virium atque fidei habitura sint, quantum ego scribens hæc in te confido: atque tu mihi, ut potes, ita velles celerem adferre opem dico equidem & posco celerem, nam hoc instans malum meum jam nullus ultra patitur inducias. Adoro igitur te nunc, esto mihi (quòd, ut potes, ita velis) jurans pater, esto mihi Deus, ne me contemnas, ne negligas, ne deseras, ne producas in exitium, te totis viribus supplicabundus obtestor. nam in te uno ac solo jam mihi salutis anchora refugiique portus reposita sunt, qui spontanea tua benevolentia sine ullis meis meritis à multis annis & nunc toties mihi operam tuam obtulisti. Manda igitur nunc, mihi domine, virtuti tuæ, confirma nunc hanc spem, quam hactenus operatus es in nobis: fer opem amico idque alias absq; tuo auxilio perituro. sin minus, quàm citissimè iubeas desperare, ne vel hãc saltem, quæ unica miseris salus supereſt, Nullam sperare salutem, defraudes, ac descendam in infernum vivens. Vale fœlicissimè E diversorio nostro in Lutetia Parisiorum anno 1528.

Agrippa ad Amicum. XXXV.

LIteras tuas, quas in favorem meique apologiam scripsisti ad Principem Vandomium, eidem non fuerunt redditæ. Nam qui illi à secretis est, conspectis lectisque literis tuis, ubi vidit mei mentionem fieri, suppressit, & reddidit nobis responsum, non ausum se semel refutata à domino suo, secundariò replicare. Tu igitur si Principem illum in aula alloquaris, meamque illi cognitam feceris innocentiam, fortè obtinebis, quas pro me optaturus sis literas, quarum exemplar tibi cum istis remitto. Esto igitur diligens, quantum potes &

velis pro amico, impetratasque literas aliúdve responsum ad me protinus remitte. Cæterum cùm se occasio dederit loquèdi de me apud Dominam tuam, potes illi ostendere, quod lucrum, quem honorem, quam famam, quod nomen mihi attulerit suus famulatus, etiam apud Principes vestros. Quo circa licet fortè imprudenter, non tamen malitiosè, nec absq; justo dolore conqueror. Vale fœlicissimè: sed &, quando Lutetiam reversurus sis, nuntia, & rescribe. Cupio enim videre te adhuc & colloqui secretius prius quàm hinc abeam. E diversorio nostro in Lutetia Parisiorum, decimaoctava Aprilis, anno 1528. celerrimo calamo. Salutat te uxor mea.

Amicus ad Agrippam. XXXVI.

DEbuerat ille à secretis Vandomii ducis, tanquam nescius quid in illis contineretur, præsentare literas tuas, metuit, quod sine criminatione agere potuit. Ituri sumus in curiam, aut hodie, aut cras. ubi, quod petis, fideliter curabo. Apud Dominam, ubi se obtulerit occasio, quam etiam suscitare possum, amicè loquar pro amico, vel confidenter. Ejus rei quam moliris, eventum, qualiscunque fuerit, mihi significato, quàm primùm potero, Parisios redibo. Vale cum modestissima uxore, quam plurimùm salvere jubeo. Et sancto Germano, vicesimaprima Aprilis, anno 1528.

Agrippa ad Amicum. XXXVII.

SCribis ad me, responsum tibi à Principe tua, me de ipsa & Rege plura imprudenter locutum esse: fateor crimen, agnosco conscientiam, laudavi olim, & hactenus, nunc vituperavi: illud non sine mendacio, sed sednctus illius hypocrisi: alterum veris quidem argumentis, sed fortè cum periculo. utrúque ergò imprudenter. hinc quidem incuriosus, inde verò deceptus. Quod si quid horum reciderit, non est quod mirer, neque enim deesse puto apud inferos Hecate sua dæmonia, quæ illi renuntient omnia, quorum etiam vester infernus plenus est, adulatorum, detractorum, renunciatorum, calumniatorum, sycophantarum, pseudolorum, famicidarum, parasitorũ hypocritarum, & siqua reliqua dæmonum vocabula officiaque, qui illic humana sub effigie regnant: quos ut ego in tenebris suis minimè queo agnoscere, sic illi, quæ ego in luce operor, facilimè queunt deprehendere. Sed cùm nati sint ex patre mendaciorum diabolo, etiam siqua verè maledicta sunt, non ut

non ut malè dictâ sunt, verè referunt, sed inquinant mendaciis ne sint ipsi etiam minus maledici: atque hoc est verè diabolos esse, videlicet criminatores, qui sicut Iamnes & Mambres restiterunt Moysi, sic ipsi resistunt veritati: hoc est verè Hecaten esse, illis fidem habere, illis præesse atque tueri. Verùm tantum abest, quòd ego quid mali imprecer Principi tuæ, ut cuperem illam in longas dies proli suæ supervivere. Cognitura siquidem tunc foret, utrùm amore, an odio digna sit, visuraque & palpitatura, qui hactenus illi fuerint veri, qui falsi amici, qui adulatores, qui parasitæ, qui baboini & proditores, qui bullæ & bullones, qui illi ante oculos adsentantur, post terga verò maledicunt: judicaturaque tunc esset, quid inter fraudulentam dissimulationem & liberam veri linguam interesit. Vale. Ex Lutetia Parisiorum, anno 1528.

Agrippa ad Amicum. XXXIIX.

QVotiesexistimo expeditum me itineri, mi Augustine, omnium, qui vivunt hominum obseruandissime, ut hinc abeam Antuerpiam, quo ire nuper constitutum est, & quotidie illuc anhelo, toties involutus istis novis negotiis, per varias occupationes impedimentaque & obstacula non licet mihi hanc lutosissimam Lutetiam egredi: quo fit, ut adhuc nesire cogar, quando istuc ibo, neque tamen duxi diutius differendum. Nam ab initio, ut aliàs tibi scripsi, detinet me istic Principis jussio: succesisset literarum dimissoriarum in plusculos menses prorogatio: interim nova bella orta sunt: audimus præterea, exortas seditiones maximas in Flandria atque Brabantia: dehortantur me & vetant amici omnes, ne uxorẽ cum parvulis tanto exponam periculo, eamque conijciam in manus prædonum & raptorum, quorum promptus in omne flagitium animus, quos penes salvi conductus literæ nullam habituræ sint autoritatem, jubentque expectare tempus quietum, quod proximè adfuturum suspicantur: jamque rursus novis nugis vocor in auã, sed frustra: ut qui hanc jã in perpetuum abiuravi. Scripsi iam pluries ad fratrem Aulelium, & tantæ moræ meæ causas reddidi, sed nullum recipere potui responsum: neque certus sum ego, si literæ meæ tuto ad illum pervenerint. scis enim, quantum chaos intersit Lutetiam Antuerpiam inter: dico autem armorum & prædonum, qui intercipiunt quicquid transit literarum. Te igitur oro, quò percursorem aliquem è vestris scribas Antuerpiam, resque meas sic illic commendes, ut salvæ atque in tuto sint, donec, vo-

lente Deo, atque fortuna, juvantibusque amicis ipsis, ego illuc salvus advenero. Cæterum verò oro, ut mihi protinus istinc rescribas, ut quid agas, quomodo valeas, quando & ubi apud nos adfuturus sis, ubi te conveniam, quid me pro te agere velis, quid præcipias, quid iubeas, scire valeam: atque ego pro tuo arbitratu, pro tuo consilio, pro tuo jussu atque imperio ero tibi in omnibus obsequentissimus, laudumq; tuarum nõ inelegans nec sterilis præco futurus, commerentibus hoc illis tuis heroicis virtutibus, collatisq; tuis in me beneficiis. Salutat te uxor mea, ominaturque omne bonum cupidissima & ipsa videndi te, & abs hinc migrandi Antuerpiam, sedes ubi fata quietas datura sint. Cæterum quas istic ad me daturus es literas, dirigas ad manus Petri Billardi mercatoris Parisiensis, commorantis in vico divi Dionysij prope templum Innocentium rescribas autem, oro, quam citissimè. Ego vix intra mẽsem hinc discedere potero: nec scio, si manere oporteat diutius. Vale fœliciſſimè. E Lutetia Parisiorum, die tertia Maij, anno 1528.

Amicus ad Agrippam. XXXIX.

SAlvus sis, Agrippa doctissime. Hodie sciam, quidnam fecerit. M. Nicolaus super tuo negotio: iboque ad eum, data si expediat, opera, & tibi, cùm primùm vacabit, calculum meum exhibebo. quamvis multa sint, quæ tam apertè recesserunt à veritate, ut novis penitus videntur indigere fundamentis, & me ab hoc negotio deterreant. Interea si libeat promissum canem ad nos per hunc mittere, tu mihi rem gratissimam facies. Si voles scire, an masculum potius, quam fœminam exoptem, in tua erit libertate, quod volueris facere. quàvis multo pluris sim facturus masculum, quam fœminam, & quasi ipsum cogar à te petere: ego vero, in quibus potero, conabor tibi vice versa gratificari. Vale. Anno 1528.

Amicus ad Agrippam. XL.

SOllicitavi, Agrippa doctissime, M. Nicolaum pro re tua. tandem is mihi dixit, sese in curia perdidisse formulam tuam, quam illi coram te exhibueram. Si verum dicat, nescio. Si igitur habueris exemplar, remitte ipsum ad me, & ipse Nicolaus suo modo calculum indubitanter pollicitus est. Ego etiam, si tibi via meliori prodesse potero, nõ parcam labori. Interea tibi commendo promissum canem masculum, quem tuo consilio adhuc matri relinquendum judico. Bene vale.

Anno 1528.

Amicus

Amicus ad Agrippam. XLI.

SAlve Agrippa doctissime. Quidam amicorum meorum, vir satis eruditus etiam in mathematicis, te cupit hodie ad prædium apud se recipere. aderit M. Nicolaus una cum primario nostri collegii. Si placet, dignaberis adesse. ego enim pollicitus sum, te facilè ad ipsum amicum accessurum. Vale, & optatum mihi da responsum. Anno 1528.

Agrippa ad Amicum. XLII.

DOleo vehementer, non licere mihi nunc interesse tuæ cœnæ, vehementius doleo, non me posse præsenti officio animi mei studium comprobare: vehementissimè quidem, ex ipso malo importuno, quo nunc ab honesto officio erga meos mihi videor abduci. tamen pro summa nostra fide nihil dubito, quo pacto hæc sis interpretaturus, nimirum ut cui absenti omnia possis injungere, per fidissimum Mercurium possis cõmittere, ut quod doloris intempestivitas, præsenti officio & observantiæ detrahet, hoc absentis diligentia & exactissima cura compensetur. libet nunc ergo jocari, quò citiùs per Deum convalescam. quod, obsecro, hoc jocandi genus? scilicet ut ipse in te transmutet, nominisque tui possessione detrudam, quòd nunc, qui pedibus laborem, meliùs dici possem Agrippa, quàm tu ipse, qui incolumis sanusque totus Minervæ duplicis trophæa insignibus tuis præfers. Sed nec sic volo esse notum, stolidus, anceps, interpresque, ut quod honoris sit nomen, hoc nunc tibi suspectum sic faciam, ut tuis quoque malè mulctatis grammaticis inferar, & quo nihil indignius, tandem sensu amisso in aliud convertar. Boni consule, & vale, anno 1528.

Agrippa ad Amicum. XLIII.

GRatias ago tibi, Capellane amicissime, qui mei memor es. Securitatis literas, quas mihi paratas scribis, nescio quas, nisi eas, quas ego à Principe vindemiarum (sic enim, ni erravero, puto Latinè vocandum) postulavi commendatitias, ut capitanei, qui in limitibus sunt, mihi meo impendio aliquot equitum comitatum dent, qui me conducant ad loca tutiora. Nam & salvum conductum, & sat literarum jam à Rege ipso habeo. Sed non defendunt literæ à latronibus, adversus ordinariam profunt militiam. Cæterùm quod de personis & tempore scire vis, accipe. Datus est mihi salvus conductus à vicesima quinta die Februarii proximè lapsi ad sex menses futuros pro

HAJDOBA FIBULA EDONVM M.P. MEHINEA BA

decem personis, videlicet me & uxore, quatuor filiis, una pedissequa, duobus servulis, & uno puero cursore, cum omnib. meis oneribus & impedimentis sarcinisque: huic tenori oportet & cæteræ literæ respondeant. Verùm quando hinc ego abiturus sum, nescire cogor, deficiente mihi viatico. tu ubi istuc venturus sis, loquar tecum latius. Tu fac te nobis apud lutosissimam hanc Lutetiam quàm proximè exhibeas præsentem. Sed & quem de me apud Dominam sermonem habueris, scire velim. Salutat te charissima conjunx mea. Vale. E diversorio nostro divæ Barbaræ vici harpyiarum, sive mavis citharæ. Lutetiæ, die sexta Maii, anno 1528.

Amicus Amico S. XLIV.

SAlve Orenti humanissime. Quòd loci amœnitate inter vernos lusciniarum modulos musicaris, gaudeo: Quòd dulci amicorum consuetudine prosperaque valetudine fruaris, lætor: quòd cæleste tuum ingenium haud minus cælestibus artibus fœliciter excolas, admodum laudo: sed quòd hinc absis, doleo: quòd mutuis colloquiorum fabulis non convivamus, plurimum tristor. Salutat te uxor mea, cupitque abs te nobilibus illis puellis pariter & matri earundem plurimum commẽdari. Nos istic adhuc hæremus in diversorio inopiæ clavo defixi: nec quomodo mansuri, nec quomodo abituri, certus sum. Vbi miseris ad me opusculum de Motus octavæ sphæræ calculo, rem mihi feceris optatissimam, simulq; me tibi plurimum obligaveris. Vale fœlicissimè. E diversorio nostro ad divæ Barbaræ imaginem in vico citharæ aut, si scribere licet, harpyiarum potiùs. prima Iunii, anno 1528. apud Lutetiam.

Agrippa ad Amicum. XLV.

QVanto expensarum damno putas me istic cum tota familia decem personarum numero, & in rerum mearum tristi absentia manere in diversorio, Aureli frater, & amice charissime? Si me libenter istic morari putas, erras quàm maximè. Tantum abest, grata nobis ut sit Lutetia, vel Gallia tota, ut cũ charissima conjuge præ dolore & tristitia ferè contabescamus. Adeo nos tenet adeundæ Antuerpiæ desiderium, ut omnis, quantumcunque parva morula, istic nobis ævum videatur. debetur nobis ex aula non parva pecuniarum summa. hæc ita differtur, ut ne sperare quidem possim me illius vel minimam particulam accepturum. Lucri nihil accedit, quod non totum rursus absumat diversorium: neque huc usq; tantundem corradere potui, ut residuum ad vos migrandi supersit viaticum. Accedunt ad hęc itinerum infesta pericula armorum lues, malorum omnium cumulus. Vides, quo invidæ fortunæ clavo in hac lutosissima Lutetia defixus sum. Audio tamen susurrari istic, datum iri moram bello, quam treugam vocant. id si brevi futurum est, multum admodum me juvabit. Cæterùm oro te, rogo & supplico, ad tot meas epistolas ad te Lutetia nunc missas saltem vel una laconica scheda responde: & si re juvare non potes, saltem consilium da, & tuarum literarum spiritu consolare. Ego istic in hac tristi mora die & nocte ingenio & calamo armatus pugno in papyrum. hoc unicum istic mihi solatium est. Fasciculum mittendarum ad me literarum tuarum trades Antuerpiæ D. Ioan. rustici: diriges Lutetiam ad Petrum Billadi mercatorem, in vico divi Dionysii prope templum Innocentium commorantis. Sed & te interim nunc supplex oro, ne me negligas, ne deseras, ne contemnas: quin citissimè harum responsum ad me rescribas, &, quo potes, bono consilio adjuves: præterea si quid novi ex Augustino nostro habeas, & si is brevi Antuerpiam venturus est, id ipsum quoque scribas. Vale fœlicissimè. E Lutetia Parisiorum, tertia Iunii, anno 1528.

Agrippa ad Amicum. XLVI.

QVis sub tempestatibus fluctuet hactenus, ex me didicisti vidistique, Capellane amicissime: Verùm non erat hoc invidæ fortunæ satis, ut istic in rerum mearum tristi absentia tot mensibus oppignoratum & ad medullas usque exhaustum teneret in diversorio, ni etiam omnem residuam supellectilem meam ipsamque super omnia bona divitiasque gratiorem bibliothecam meam, quæ omnia jam ante natalitia Christi festa Antuerpiam præmisi, mihi surripere conetur, quò nihil mihi residui supersit, quàm laqueus ad suspendium. Ita siquidem accepi apud Flandros omnia Gallorum bona proscribi, quodque si non brevi doceam authenticis testimoniis, me invitum istic detentum, atque jam ante bellorum feciales extra Dominæ tuæ servitium abactum, omnia mea extrema sententia proscriptum iri intelligo. En vides, quem colophonem tot malis meis fortuna adjicere nititur. hæc sunt egregia illa lucra honoresque, quæ Dominæ tuæ gratia mihi attulit. Quid faciam reliquum? in te solo nunc salutis anchora collata est. Fer ergo nunc opem, atque illam quidem celerem: aliàs & mihi & tibi periero, jamq; naufragio proximus sum: à quo si me eripueris, si me servaveris, totum me tibi lucratus es. quod, ut potes, ita

velis,te nunc summis viribus obtestor:si relinquis jam me,perdidisti,destruxisti,occidisti. Verùm id tibi persuasum esto, nisi mihi citissimè celerrimeque succurras,nihil profeceris. non enim mortuos suscitabit medicus, nec deploratis proderunt pharmaca, nec me relevare poterit intempestivũ beneficium, quando jam totus periero. Fac ergo nunc non spem mihi polliciteris,sed seras opem: nec tam opem quidem, quàm illam pariter celerrimam. Vale fœliciſſimè. Salutat te mœstiſſima mea conjunx,oratque nostræ sortis ut miserearis & adjuves. Ex diversorio nostro,decimaquarta Iunii,anno 1528.

Amicus ad Agrippam. XLVII.

ILico tuæ mihi redduntur literæ: vix rescribendi datum ocium vel breviſſimè: jam manibus ac pedibus operam do,ut tibi viaticum mittatur:doleo,quòd non scripseris, qua tibi pecuniarum summa opus esset. curabo tamen,ut ad viaticum abundè tibi provideatur. cætera cùm hìc fueris abundè suppetent. vix pererranti mihi tuas literas datum est rescribendi spatium. sed quæ calamo attingere tempus non permittit, tu cogitatione attingas. habes Aurelium doctis omnibus amiciſſimum. Vale. Plura scribam per primum tabellarium: ac spero fero,quòd,vix his lectis,alteræ cum viatico reddentur. Secunda Iulii. Eodem temporis momento,quo tuas legi, rescripsi. Vale iterum,anno 1528.

Agrippa ad Amicum. XLVIII.

AVreli,frater & amice,paterque venerande, salve. Sive tu ad literas meas obsurdueris, obdormieriſve, ſive illæ tibi fastidio aut ludibrio sint,sive tu me contemnendum responsoq; indignum putes,sive quid aliud penes te monstri alatur,utrùm suspicari liceat,incertus sum. res in propatulo est, me ex tanta literarum mearum copia, quas ne hostes quidem despicere solent,præter silentium ex te recepisse nihil: cùm tamen responsum tuum plenus desideriorum avidiſſimè abs te flagitarim. Quò minus autem sinistrum quid de te suspicer, facit, quòd persuasi mihi amicitiam nostram integerrimam perpetuamq; fore,& non vulgarem,ut quæ non in carne & sanguine, nec in corruptibilibus hujus mundi,sed in virtute & spiritu inter nos contracta sit,sciamq; & habeam,quibus possim te vel perpetuò beatum reddere. quod,ut possim,ita velim,tibi in manu est, eritque,dum ad te venero. Veniam autem invita fortuna, & vel ipsis fatis,fortè in ruinam & resurrectionem multorum: tu nihilominus

hilominus protinus festino celerrimoque calamo ad me rescribe,etiam vel perituras literas. Vale fœliciſſimè. Cætera præsentium lator narrabit. Iterum vale. Ex Lutetia Parisiorum, die nona Iulii,anno 1528.

Agrippa ad Amicum. XLIX.

PVtabam te mihi, Capellane amiciſſime, multò diligentiorem amicum esse:& si quid mihi immineret periculi,te primum futurum admonitorem. Nunc autem, te tacente ab aliis præmonitus sum, tuque incuriosus rerum mearum, pateris, me per ignorantiam labi fere in laqueum. Fac ergo nunc præbeas te amicum,non quidem aulicum,sed tamen aulica curiositate, verum & integrum, & Dominæ tuæ gratiam mihi remereare, aut saltem ab ejus indignatione me exemptum fac, ac negotium meum illustriſſimo domino Comite Sabaudiensi consule,idque protinus & citò,ne me procrastinando perditum tri cogas. Vale. E Lutetia Parisiorum, decimatertia Iulii, anno 1528.

Agrippa ad Amicum. L.

SI ad te non accedo,spectabilis vir,non est,quòd mereris. admonitus siquidem sum indignari mihi Principem, cujus præcipitem iram vereor. non tuam autoritatem contemno, neque verò culpam ullam in me agnosco: sed scio principum irâ nonnunquam prostratam jacuisse innocentiam, quos penes tantum sæpe potest detractorum calumnia, ut non solùm si quid à nobis erratum fuerit, sed etiam quæ à nobis benè gesta sunt,timeamus. Mihi itaque extero ac peregrino homini istic minus noto,nullosque amicos aut necessarios istic habenti,quanto magis putas declinandum esse aulicæ invidiæ periculum,donec me principi expurgavero,innocentiamq; meam notam fecero? quod equidem facturum me non ambigo, si modò delatores illi non ambas illius possederint auriculas, jamque scripsi ego Principi, qui loqui hactenus prohibitus sum: atque utinam, qui post terga apud illam proscindor, coràm purgare me possem, atque tu medius sederes judex: non dubito,quin omnis hujus indignationis causam, non culpam, sed invidiam deprehensurus sis. Cætera bonus iste pastor narrabit. Vale fœliciſſimè. E cœnobio Carmelitarum apud Lutetiam Parisiorum, decimasexta Iulii, anno 1528.

Agrippa

IAVBA DIGITERA OHY MAMMIKOKA

Agrippa ad Amicum. LI.

TAndem, invita fortuna, superatis fatis, venit Antuerpiam tuus Agrippa, Aureli integerrime, venit autem non totus, sed potiore sui parte desiderata. tu, ubi, & quando conveniendus es, per hunc gerulum nuntiato. interim me cælatum habeas volo. siquidem, tanquam Vlysses cognosci istic à nemine cupio, donec te priùs adiocutum consuluero, Nestorem. Vale. Antuerpiæ, vicesimatertia Iulii, anno 1528.

Agrippa ad Amicum. LII.

SAlve, mi Capellane. Longanimis & patiens est Dominus Deus, ut ad pœnitentiam adducat peccatores. qui autem secundùm duritiem cordis eorum contemnunt benignitatem ejus, non effugient judicium Dei. Occidit nuper Borbonius Naboth, & impia Iesabel possedit vineam illius. tu scis, quòd illa clanculum perdidit prophetas, viros justos, & quos alios excruciat pane tribulationis & aqua angustiæ. Scis miseram Baronis Planciacii necem, & qui toties fidem, famam, fortunã omnem ipsamq; vitam pro illis obstrinxit, cujusmodi illi redditæ sint gratiæ? Scis, quam tragœdiam moverit catholica illa nostra epistola ad amicum, & tanquam Thesbites Helias, odiosus factus sum Iesabeli propter veritatem & justitiam, & insectatus ad mortem: sed angelus Domini præmonuit me, & à muliere mala liberavit me. Nil superest, nisi ut præcipitetur Iesabel & comedant illam canes, & perdantur omnes cultores Baal. Cave ergo tibi, & fuge malorum consortia in tempore oportuno, ne forte etiam te corripiat manus Domini, & pereas cum mingentibus ad parietem, dum veniret Hiehu percutere domum Achab vestri, & vendicare sanguinem Naboth, & sanguinem innocentis & servorum Domini de manu Iesabel. Rumor hîc est Baboinum Lyaonem fœtus suos copulasse spuriis Medusæ, ut fieret una caro & unum corpus cum illa. Cave, ne te devoret. Cæterùm scis, quæ mihi pollicitus es. fac fidem serves, eaque ad me quàm primùm remittas. Vale fœliciſſimè. Ex Antuerpia, 25. Iulii, anno 1528.

Agrippa ad Amicum. LIII.

IAm triduum præteriit, quòd venimus Antuerpiam, te visundi amplexandique cupidissimi, per idem hoc triduum quæsivimus te misimus domum tuam. sed citiùs errantẽ Vlyssem latentémve Achillem, aut raptam reperissemus Proserpinam, quàm

quàm te. Nunc igitur aut ubi erres, aut ubi lateas, aut quò abductus sis, fac sciamus, ut & quando, & ubi à nobis conveniri velis, idipsum quoq; scire possimus. Vale. Antuerpiæ, vicesima septima Iulii, anno 1528.

Agrippa ad Amicum. LIV.

OPater Aureli, pater Aureli, citiùs mihi nuncium ferret ignavus bubo, dirum mortalibus omen, quàm iste Mechlineus cygnus, in auspiciis quamvis lætissimus ales: ego nec de Augustino nostro, nec de illius umbra ex hoc cygno quicquã discere queo, nec ipse hîc pertransiit, neque Ioannes Iustinianus illi obviam hîc pertransiit. meri fumi sunt, quos mercatores illi nobis obfundunt. sed quid hoc commenti sit, quid alatur mõstri, homo cùm sim destitutus spiritu, divinare nequeo. quod præsens est malum, id video, id sentio, id palpito. ubi nũc fides illorum, qui se polliciti erant amicos? in te uno reliqua spes est, utinam & tuus non vacillet animus, atq; tu, quod potes, sic velis adferre celerem opem. Vale Antuerpiæ vicesimaquarta Augusti, anno 1528.

Agrippa ad Amicum. LV.

HEu, quid nuncias, mi charissime cognate, tam periculoso morbo laborat mea charissima conjunx, illaque gravida, & me absente, qui ipse tam grandi vitæ periculo vix me subtraxi solum, ut illam tandem salvam reducerem, quæ sola mihi pro animo, pro spiritu, pro ingenio, pro salute, pro ipsa deniq; vita est? heu, quàm male cecidit hæc alea? ego hic nunc miserè crucior: Lutetiæ miserabilius perit uxor: nec ullum illi adferre possum solamen. illachrymantur filii: luget tota familia, & suam ipsius animam pertransit hic gladius. O utinam deberẽ ego solus hoc anathema fieri, & illa salva esset: Quid faciam, quò me vertam, quem implorem? præter te alium habeo istic neminem. scio, illa tibi præsens gravis est, & ego absens jam literis tibi cogor esse molestus: sed veniam posco, non enim habeo alium, cui molestus sim, in te uno & solo omnis spes est. fac preces meæ atque hæ literæ tantum penes te virium ac fidei habituræ sint, quantum ego in te confido. ne parce sumptui, ne parce diligentiæ, adhibe quoscunque medicos, sed illos optimos, ut revaleat uxor: In hoc & me pariter servaveris, & tibi omnes nos perpetuò devinxeris. Vale, & protinus omnia scribe. Antuerpiæ vicesimaquarta Augusti, anno 1528. festino calamo.

Agrippa

Agrippa ad Amicum. LVI.

SAlvum te huc adveniſſe admodum gaudemus, candidiſſime Auguſtine. nihil te nobis hoc tempore tuo adventu cõtingere potuit cùm optandum, tum neceſſarium magis: ita & tibi noſtram præſentiam haud minùs gratam profuturamq; ſperamus. ſiquidem hic locus eſt hîc occaſio eſt, adeſt cùm inſtructus, tum fidus comes Aurelius, cui eadem, quæ nobis, ingenia ſunt. tu nunc triadem complens, nihil nobis impoſſibile relinquis. quin te unà nobiscum & nunc fœlicem & in poſterum immortalem reddamus, modò jacto hoc fundamento nõ ſis defuturus. Cæterùm quando te conveniri velis, manda. nullius enim rei cupidior ſum, quam te videndi, & amplectendi colloquendique. vix me continere queo, quin ad te advolem. Fac ergo, ne nos hac tua præſentia diutius fruſtreris. Vale fœliciſſimè. Antuerpiæ, undecima Auguſti anno 1528.

Agrippa ad Amicum. LVII.

DE reducenda huc uxore mea reliquaq; familia jam viaticũ miſimus. parumper adhuc illi deeſt hunc colophonem ſi per bancum tuum tu adjeceris, ſalvi erimus, ſine tuo hoc auxilio perituri. quicquid autem in me contuleris, qua decet, bona fide reſtituam. nihil aliud oneris poſthac tibi impoſiturus, inſuper tanti ſub hac urgente neceſſitate collati in me beneficii, quoties occaſio dabitur, futurus non ingratus. Fac igitur nunc hanc unam gratiam abs te impetremus, qui abs te ſolo nunc pendemus patrono: idque ut potes, ita velis, ni me tibi, tanquam ethnicum & publicanum, habendum cenſeas. Vale fœliciſſimè, Antuerpiæ, altera Octobris, anno 1528.

Amicus ad Agrippam. LVIII.

COgnate candidiſſime, ſalutem. Non poſſum non ſuſpicari, quendam, cui tu plurimum fides, inſidelitatis, reum eſſe, eò quod non citiùs curaverit noſtras literas tibi reddedas, quas ego illi plus tribus abhinc hebdomadibus commiſeram tradendas cuidam mercatori Antuerpienſi, quem ſe in manu habere aſſerebat, qui ſtatuc citiſsimè iter facturus eſſet, nec potui præter illum reperire alium, cui tutò meas exponere aulus fuiſſem: neq; licebat expreſſum nuntium mittere propter metum hoſtium. Non eſt ergo, quòd moleſto ſis animo, aut mihi negligentiam imputes, qui omne quod in me eſt feci, quo te de omnibus ſemper certiorem facerem. Scio te dilationem hãc ægrè

ægrè tuliſſe: ſed tu meditare, quot & quanta in cauſa fuerunt & ecce, jam menſes duo, & nihil adhuc præter verba & literas accepimus, exceptis octo coronatis cum dimidio, quos miſiſti per dominum Michaelem de Moneglia, & ſexaginta coronatos, quos cum poſtremis literis tuis accepimus. cæterùm à magiſtro Iacobo Calcho. Sed miratus ſum, quòd non expreſſeris ſummam, cùm ſcribas te illi reſiduam partem pecuniarum tradidiſſe. Quòd ſi etiam jam nuper omnem pecuniam accepiſſemus, tamen quia adhuc ægrotabat cognata mea, tua uxor, nequaquam illam tanti itineris diſcrimini expoſuiſſem: nunc verò, quia ſanata eſt, & treuge redintegratæ ſunt, quàm proximè, volente Deo illam tibi cum filiis tuis & familia, cæterisq; impedimentis omnibus ſalvis Antuerpiam usque adducam. Vale. Anno 1528.

Agrippa ad Amicum. XIX.

MItto revolutionem natalitiam D. Camilli. Cæterùm ego ad te, veluti ad tripodem, aut, ſi mavelis Sibyllam, vel prophetam, perfugio, quando tu mundi adyta unus penetrâſti, unusque naturæ omnium parentis ex uberibus pependiſti. unde id tam mirandum proficiſcatur, quòd cùm perpetuo retentur ſydera lapſu, ac, ut Platoni viſum eſt, non ſecus atque piſces in aqua, agitentur, immobiles tamen cauſant effectus, ut ignem calidum, aërem levem, terram ſiccam, humectam aquam: ſic beluis omnibus alias fixas paſſiones indiderunt. quid verò memorem innumeras propemodum affectiones hominibus ingenitas? quas ut præter unam omnes taceam, dic, rogo te per ſydera, elementa, animantia, ac uxorculâ animi tui plus quam dimidium, qua vi, quo agendi impetu illam ferream adamantinamq; obſtinationem, alterutri noſtrum (non dico mihi, ſed tibi) aſtra conciliârint, pro qua adverſum ulmos, ſtimulos, laminas, crucesque, nervos, cathenas, carceres, numellas, pedicas, boias, tortoresque acerrimos, non modò pugnares, ſed velut fortiſſimus imperator triumphares? non poſſes credere, quantum ego id ſcire appetam. tu ſi me docueris, (potes quidem, es enim in illa veteranus exercitatiſſimus) ultra imperatores, Sibyllas, prophetas perpetuùm te laudavero. Vale. Antuerpiæ, anno 1528.

Amicus ad Agrippam. LX.

SPlendide Ludovice ſalve. Accepi nuncium, adfuturum hoc die apud Mechliniam uxorem meam, reliquamque familiam,

SVPPLICATIONES QUIRINI. I.I. BIBLIOTHECA

liam. hanc si inviseris, si salutaveris, magna me adfeceris cùm gratia, tum gloria. cupio enim, cognoscat me Mechliniæ habere amicos. comitatur illam quidam affinis meus, vir doctus, & qui reipublicæ nostræ plurimum prodesse posset. ex hoc intelliges nova omnia, quæ ferat Gallia. ego tibi hominem aliàs ampliori sermone commendaturus sum priùs quam hinc abeat, & in quam res nobis plurimum prodesse possit, significabo. Vale fœliciſſimè, Antuerpiæ. 5. Novembris, anno 1528.

Amicus ad Agrippam. LXI.

ADventu Agrippinę cave ne plus nimio læteris. modum nec minùs servandum esse in prosperis, quàm in adversis, jam pridem didicimus. Ipse in concinnandis meis sarcinulis ac misera supellectile totus opprimor, quin aream concinno, in quam aves præpingues includam. Tu Teletine maritum auri crepidinas insulas relegato. in ea re corpus, mentem animumque figito, ubi deorum interpres ac cum sorore Phœbus in arma ignemque ferantur. habebis me non modò spectatorem, sed Steropem, ita ut humani capitis hostem atq; decoctorem sim omnino superaturus. Interea cum uxorcula vale: ac si quid ab illius intuitu vacet, non me dedigneris invisere.

Amicus ad Agrippam. LXII.

ACcidit aliquid hac nocte, quod mihi risus occasionem præstitit maximam. Primùm in ipso fermè accubitu advenere duo juvenes: qui ubi primùm Rubinum conspexere, gratulari sibi mutuò incœperunt: tum illico sunt ambo adorti eundem, atque se ita in illum injecerunt, ut facile dignoscerес intimam consuetudinem. ad hoc palam de ejusdem officina sunt sermones habiti, cujus te etiam participem esse dicebant necnon de me esse validiſſimam suspicionem. Ego risum vix adhuc contineo, ut qui cogitem vel de Venere suspectum me haberi, vel de Vulcano. Sic fœliciter cœnam absoluimus. palatus quippe inter egregia fercula, mens cum Vulcano ac Venere. Dixi cras Rubino horam primam pomeridianam. Non des oblivioni Camilli nostri negotium. piſciculos falsos undique inquiri jussi. cras, si copia mihi fiat, vorabitis. Vale. Salutem dicito cognato. Anno 1528.

Amicus ad Agrippam. LXIII.

SAlutem plurimam, Agrippa mi colendiſſime. Etsi præsentia corporis absim, corde tamen continuò tecũ sum & cùm maximo

maximo tædio afficerer, si grata consuetudine tua minus fruerer: eo citiùs reditum meum accelerabo, ut unà cum Aurelio nostro semper congratulemur. Tu interim cura rem executioni mandare, ut commune desideriũ tua causa maxime omnes adsequamur. Guilielmo tuo, si adhuc adsit, me commendatũ reddas. Dominam uxorem tuam meo nomine salutato. Nicolaum consobrinum meum, quem ex toto corde diligo, commendatum habe. Quid ultrà ad te scribam, nescio. Scito Augustinum tuum omnino fore Circææ. decimasexta Novembris, anno 1528.

Agrippa ad Amicum. LXIV.

GRatulor tibi, & quidem vehementer, generose, & reverende domine, quòd in Corbejensem comitem atque abbatem restitutus sis, quodque liberatus es litigiorum molestia, optoque ut ea dignitas & principatus tibi fœlix, faustus, & longo tempore duraturus existat, sperans confidensque, te insuper adhuc ad sublimius quoddam fastigium conscensurum. quod mihi non minus jucundum esset, quam tibi decorum. Sed ignoscas mihi, si nihil te dignum tibi scripserim, nec ullo studiorum meorum munere congratulatus sim. Certè voluntas ardentiſſima est: sed deest facultas. nondum enim me collegi, nondum ad me redii, nondum, quam nosti præteritam fortunarum mearum cladem, superavi. Vbi autem ad aliquam tranquillitatem rediero, redieritque fortuna, quæ possit nostrum literarum ociolum alere, tunc ita in te locatũ senties meum obsequendi studiũ, ut nihil nõ sim facturus, quod & facere possim, & tuo honori conducere cognoverim. Vale fœliciſſimè, & me ama, quem certè cùm literas ames, odisse non poteris. Ex Antuerpia, mense Decembri, anno 1528.

Agrippa ad Amicum Iuris studiosum. LXV.

QVanti hîc ego te fecerim, ac aliis, qui mihi cùm veteri, tum recenti consuetudine, aut amicitia coniuncti sunt, fieri voluerim, atque etiam in te ornando, tuoque nomine augendo amplificandoque nullum amici officium prætermiserim mi Ioannes, abundè fortaſſis ex aliorum literis accipere poteris, si qui hic tibi residui sunt amici & aliqua necessitudine juncti, qui te de rebus tuis certiorem reddant. Ego sanè nominis tui acerrimus defensor sic pro te depugnavi, ut me non paucorum invidiæ obiecerim, qui de te planè aliter loquũtur suspicanturq;. Apud parentem tuũ sic causam tuam perora-

HAS EPISTOLAS OLIM M. I. METHODIUS

vi, ut facilè & multo cum fœnore redituru sis in gratiam, totiusq; ante actæ tragœdiæ comicum finem impositurus, si tu modò facturus sis, quod ego facturum te pollicitus sum & abs te fieri facilè potest atq; debet. Idipsum est, si desinas tam vagus frustra circumagi, & te civilis juris disciplinæ tantisper mancipaveris, quousq; scholasticam lauream cõsequaris. Hoc ego te facturum pollicitus sum, idq; ipsum te facere nunc hortor admoneo, suadeo, consulo. Scio ego mores tuos ingenuos, & animum gloriæ cupidum: scio liberalia studia tua, & laudo & probo omnia: sed hoc non probo, te, destituta postergataq; sacrosancta, ac paulo minùs divina Iuris sapientia, in illis rebus discendis tam curiosum esse, tamq; dignas existimare, in quibus omnem operam, tempus, ocium, ætatemq; consumere velis, quæ te sine hac clarum efficere non possunt, perparumque aut nihil per sese ad vitæ cõmoditatem conferre possint emolumenti. Neq; verò ego te ab istis tuis studiis totũ retrahere intendo, aut te invasta illa ingentium commentariorũ barbara volumina impingere, sed te ad Pandectas duntaxat, prudentissima simul & elegantissima veterum Iurisconsultorum oracula revoco: non Accursios, Bartolos, Baldos, sed Vlpianum, Paulum, Cajũ, Scævolam, cæteroſq; illos singularis sapientiæ pariter & elegãtis doctrinæ magistros te sequi volo. Hi fontes, dimissis quibusq; imputatis glossatorũ rivulis, commentatorumq; lacunis, tibi ad summã juriũ eloquentiæq; eruditionẽ adipiscendam reyera sufficient, in quibus si te adhuc per annum unum, aut alterũ exercere velis, præter insignem doctoratus titulum, nominisq; celebrem famã id quoq; fructus adsequeris, ut rerum humanarũ negotia quam prudentissime tractare curareq; possis, atque non solũ privatis amicis, sed & omnibus in cõmune prodesse, tuãq; & progeniem & patriam illustrare, erisq; honori simul & formidini his quibus fortè nũc ridiculo es & ludibrio, divitiasque amplissimas unà cum dignitatum præeminentia consequeris: quibus aliter tanquã indignus destitueris. Sola siquidem hac, dico juris scientia, duce, nec ulla alia, apud reges, apud imperatores, apud pontifices, ad altissimum honoris, dignitatis, autoritatis, gloriæ, divitiarumque fastigium conscendere potes: atq; officia magistratus, legationes, consulatus, judiciorumque potestates, sacerdotia, pontificatusque consequeris. Egenus, inops, obscurus esse poteris nunquam. nam undique ad Iurisconsultum cõfluunt pecuniæ, & quod apud Ciceronem ait Crassus, Domus Iurisconsulti totius oracului civitatis, quam frequens semper turba

turba frequentat. Habes præterea parentẽ ea apud Cæsarem fide atque autoritate virum, cui si hoc ipso obsecundatus fueris, nihil residuæ fœlicitatis tibi in hac vita sit defuturum. Pone tibi ante oculos velim, & recogita, quod mihi jam multis testibus cognitum est, quantis fortunis ob neglecta legũ studia ac contemptũ, metuendã maximè Christiano filio, parentis indignationẽ hactenus excideris: cogita etiã, si, quod omni conatu tibi nitendũ est, parentem placueris, si illi paulisper morem geras, illique iterum chariòr futurus sis, quantis bonis rursus cumulaberis. En habes meam communicationem, habes meum consiliũ, meam persuasionem: habes, quid ego de te pollicitus sim: quo uno & solo parentem placabis: qui tibi, si hoc iter ingressus fueris, in nullo erit defuturus. Fac ergo nunc redi in viam. Quod, ut potes, ita velis. Velle autem non solùm debes, & potes, sed & obligaris. Quòd si parentis salutare præceptũ, & amicorum honestum utileq; consilium non probas, poteris ipsa quoq; Dei mandata stultè improbare. Dei siquidem sacrosanctum mandatum est. Parentibus esse obediendum. Quod si pollicitationem meam minimè irritam fieri passurus sis, habebis me interea talem nominis ac famæ tuæ tutorem, ut nec mea ego melius possem, nec tu ipse tua tueri magis velles. Vale. Salutat te uxór mea, optatque tibi omne bonum: nos cum tota familia optimè prosperrimeque valemus. Sed heus tu, quæ hæc tua perversitas, à die, qua hinc abisti, ut ne unicam epistolã, vel Laconicã schedam parenti tuo remiseris? Annon putas id illũ ægrè ferre, & te aliquando, aut egestate, aut alia occasione ad scribendũ compulsum, illius, responsã tunc sera pœnitentia frustra desideraturum? Tu igitur sapere si vis, scribe, crebroq; rescribe, ac parentẽ placare stude, quæ res, crede mihi, tibi benevertet. Iterũ vale. Ex Antuerpia, vicesima octaua Ianuarij, an. 1529.

Amicus ad Agrippam. LXVI.

ERuditissime vir, non inducas animum, me tui huic immemorem fuisse: cui si operæ meæ aliquis usus esse posset, libentissimè illam darem tanquam amicissimo: sed quod non minus doleo, quàm tu, spes ea, quam conceperam nonnihil pro meo virili de te benemerendi, omninò me frustrata est. Medicus enim serenissimæ dominæ Margaretæ sententiam & animum mutavit, atque hic remansurus est, licet splendidis conditionibus hinc in suam patriam accerseretur: quibus tamen præsentem fortunam prætulit, licet longè aliud præ se

ferre non desisteret, eam ob rem credo, quo salarium augeretur. Vtcunq; sit inpræsentiarum, boni consulas meum animum tibi addictissimum, quem me re utcunq; nō potuisse declarare doleo. Olim autē si quid incidat, in quo tibi mei usus aliquis esse poterit, semper tuus sum, quando voles. Vale. E Mechlinia, decimaseptima Ianuarii, anno 1529.

Agrippa studiosum admonet. LXVII.

NVllo infortunio vel tibi ipsi dignus videberis, mi Ioannes, si rectè mediteris, qualem parentem offendas, & quàm pronam tibi arridentemq; fortunam postergas. Vtinam istam tuam animi impotentiam, & conscientiæ tuæ perniciosam, & fortunis tuis inutilem, ut vehementissimè etiam officiat, posses vincere, ac cum parente tuo redire in gratiā: ad quod ut manibus pedibusq; enitaris, te & admonui nuper, & nūc iterum etiam atq; etiā hortor, mi Ioannes. Taline prognatum familia, qui posses in libertate & cum decore vivere, sic agere vitam omnino servilem, sordidam, & afflictam, servire aliquot aulicis spongiis, ac sitibundis pumicibus, apud illos esurire, illis operam locare, illis prælegere, castigare, componere, meditari? Taceo, quòd te forte etiam ad viliora servitia abutantur, à quibus nihil te dignum sperare possis, qui ipsi ea sitiant, quæ tu iam, si velis, possideres. Recedendum igitur tibi consulo ab his, à quibus nihil doctrinæ, nihil honoris, nihil dignitatis, nihil compendii capitur. Linquendus tibi est ille lunaticus protonotarius, & versipellis Burgundio, & parendum est omni modo parenti tuo. Si illius legitimus filius & hæres esse vis, si illi præ cæteris fratribus tuis charior esse vis, si vis esse longævus super terram, & dies videre bonos, possidere bona terræ, & promereri cælum, parenti obedias necesse est. Atque is vult te Aureliam, aut Dolam remigrare, legibus operam dare, quousq; doctoratus insignia consecutus sis, quæ tibi longè amplius soliduisq; decus allatura sunt, quàm aulica servitus. Luctādum igitur tibi est, ut his studiis assuescas. Tum non dubito, quin mox futurum sit, ut fatearis nullam disciplinam tibi placere magis, si modo optimos illius autores tibi legendos proponas: de quibus latius scripsi tibi in prioribus. Hæc est parētis tui una & immobilis sententia, adversus quam si quid postulas, scio ego illum nihil daturum. Quòd si pertinaciori inobedientia illum acrius exacerbaveris, tum ne tantillum quidem spei supererit reliquum: si obsequaris, beatus eris, & tandem intelliges, quæ ego pro tuo commodo apud illum operaturus

ratus sum, & operabor. Vale, & teipsum tibi serva. Ex Antuerpia, septima Martij, anno 1529. Salutat te uxor mea partui proxima.

Agrippa ad Amicum. LXVIII.

SAlve Capellane amicissime. Scripsi nūc ad te sæpe, sed pauci momenti & nullius periculi literas, nisi quòd te de statu & fortunis meis certiorem redderem: verūm nullum hactenus abs te recepi responsum, quamvis mihi longe expectatissimum. Cæterum nosti, quæ mihi Parisii pollicitus es. Nūc igitur te iterum compello, & per veteris amicitiæ vincula, per promissorum iura te obtestor, hęc mihi utcunq; nisi prodi timeas distribuas, atq; quam primum transmittas opera præsentium latoris: deinde scribas, quid agas. & ubi ac quomodo ad te tutas dare potero literas. sic namq; sæpe & plura ad te scripturus sum remissurus etiam rem, quam hic perfecimus, longè tibi gratissimam futuram. Vale. Valere te itidem iubet uxor mea, quæ hesterna die iam quintum mihi filium peperit. Iterum vale. Ex Antuerpia, 14. Martij, anno 1529. ad Romanum calculum.

Amicus ad Agrippam. LXIX.

EX quo hinc discessisti, nihil à te literarum vidimus, quantum certè à nobis acceperis, ignoro. hoc scio, plus ternas me ad te dedisse: unæ tantum, quas à patre accepi, significant te proximo superiore mense ad me rescripsisse. doleo multum nihil redditum nobis. memini enim & tui erga nos studij & fidei datæ, in rerum nostrarum cura, de qua tu aliquid ad nos oro quàm primum nam nescio, quò propediem patroni nostri veteris consilia nos aut casus abripient. Erigimur non inserta spe patroni nostri promissis, in beneficii aut magnæ liberalitatis possessionem. Quòd si contingat, impartiemus tibi tuisque commodi nostri partem Tuarum est partium absentis famam tueri, & amorem nostri conservare. Est nobis hic summa familiaritas & magna amicitia cum sene quodam perfestivo, & docto, multoq; linguarum ac rerum usu claro. nosti hominem, ni fallor: nomen est Nicolaus de Charo monte. Iuvenis hic eruditissimus, multisque mihi de rebus charo & magnus, de Nicolai vario ingenio quædam indicabit. nam & illi multus cum eo usus est. Eidem huic nostro trades ad nos perferendos Chiromantiæ nostræ libellos, quibus nos defessi ab aulæ strepitu oblectemus. Si quid hic possum, impera. Vale cū jucūdissima uxore, & charissimis liberis. Parisiis, ex vetusto hospitio, die Veneris sancto, anno 1329.

Amicus ad Agrippam. LXX.

VEniſſem ipſe ad te, D. Agrippa, cauſa noſtri Seratii, ſed ira multiæ rerum mearum curæ aliò atque alio me diſtrahũt, ut ſine jactura facere non potuerim. quare te oro, lectis ejus literis quas nunc ad te mitto, perficere velis quod petit autẽ, ni fallor, chiromanticos libellos, quos ad illum portabo bona fide. Si quid literarum addideris, aut aliud à me factum deſideraveris, utriuſque veſtrum nomine efficiam diligenter. Doleo me non poſſe tuo colloquio frui. intelligo enim ex amicis, raram quandam in te eſſe rerum cognitionem atque ſcientiã, in qua laude excellere pulcherrimum eſt. Bene vale. Gandavi, menſe Aprilis, die decima, anno 1529. Quicquid ad Stratium dare velis, harum literarum nuntio ad me ferendum dabis. Spero me propediem rediturum.

Amicus ad Agrippam. LXXI.

ERuditiſſime domine doctor ſalve. Hodie ad me miſit domicella quædam, cujuſdam ſecretarii oppidi Lovanienſis uxor, ut ad te literas mitterem, quibus orarem, vellet humanitas tua venire Lovanium illius viſendæ gratia, quæ profectò languit quatuor aut quinq; perpetuos annos, petens auxilium à medicis. audivit tui famam, cupitque Lovanium venias, & ſe liberatum iri credit, ſi tui præſentiam habeat, relaturaq; eſt magno cum fœnore gratias, & tibi non mediocres ſum acturus. Vale. Ex noſtro pædagogio Lilianorum, ſecundo nonas Iunii, anno 1529.

Amicus Domeſticus Agrippæ domino ſuo abſenti. LXXII.

OMnia domi ſalva ſunt. uxorcula magis ac magis in horas ſingulas validior fit. liberi gaudent, cantillant, rident, creſcunt. Maria ſedulò uxorculæ valetudinem curat. Tarot, Franza, Muſa, concubinæ, diu noctuque perſonant, furibusque cruces minitantur. quin quotidie per viridarium deambulãtes, ſatis vereor ne pro canibus aut hortorum dii, aut agricolæ, vel certè philoſophi, hoc eſt academici fiant. Ciccionus tuus cum altero ſoëratio uxori blandiuntur, applaudunt ac pro marito interdum oſcula impetrant. Reliqua turba domus, ancilla ancillatur, Hercules herculatur, Aurellus chimicatur. omnia denique bene. rerum tuarum exceptorem compoſui, qui me nomine tuo invaſit egregiè. miror, cur tu ex ea re ne nutum quidem mihi innueris, cætera omnia diſpoſui ad vires noſtras. hæc ad te ſcribere juſſit uxor, quò tu tranquilliori animo domini tui præpoſiti ſanitatem curares, citiusq; ad eam remigrare valeas. ego nomine meo nihil habeo quod certè ſcribam. noſti quippe animum meum, noſti ſtudium, noſti mores. nulli, quamdiu ad nos redieris, occaſioni ſum defuturus. tu contrà fac mutuo ames, & tuis modo doctis ac animo candidis amicis, quantum potes, inſinua. Vale. Vxor Domino tuo fortunas, valetudinem, fœlicitatem omnia ad nutum imprecatur, ac illi fortè commendari cupit. Iterum vale. Antuerpiæ, anno 1529.

Agrippæ Amico domeſtico. LXXIII.

EXhilarârunt me utræq; tuæ epiſtolæ, cùm quòd uxor chariſſima bene valeat, tum quòd cætera negotia bene procedant. Sed de his parcè admodum ſcribis. quare ſcire velim, num olidum ſtillicidium jam in copia deguttarit, atq; an denigratam Dianam jamq; ad inferos Proſerpinam factam nondum in tribuendo ſuo templo exaltaris, atque quid illi deorum ille alypis nuntius attulerit. Cæterùm commendo tibi uxorem, filios, familiam, Tarottum cum ſua familia, cæteraque omnia. Mariam majorẽ ſalvere jubeo, minorẽ virgulari: Herculem non tam herculari, quàm baculari cupio: Margaretam ſanam. ſcio, quàm ſum externa commendatione tibi curæ. Vale. Sed & dominum Auguſtinum plurimum valere jubeo, & uxori meæ me omnibus modis commendatum habe. Iterum vale. Ex Mechlinia, feſtino calamo, decimaquinta Iulii, anno 1529. Si ſervulus ille, quem magiſter oratorii ad me miſſurus eſt, venerit Antuerpiam, excipias, & retineatur domi, aut in occurſum mihi huc mittatur.

Amicus ad Agrippam. LXXIV.

SAlutat te vetuſtiſſima uxor, major Maria, ac turba canum. Eramus fermè in ipſo prandio, cùm tuæ nobis literulæ redduntur: quæ quàm mellitiſſimas epulas fecerint uxorculæ, dii boni, quam dictu difficillimum. accipies cum his faſciculum literarum. nam poſt eas, quas à me accepiſti, cùm mihi redderentur literæ à magiſtro illo oratorii, ad te ilico eas uxori reddidi, quæ ilico Ioannem Martinum accerſivit, ac per eum Gallicè ad te ſcripſit. Summo manè juſſit ad te ſcribi Auguſtinus in eam, quam leges, ſententiam. Stillicidium, quod noſti, quàm rarum & quàm parum ſcatet, ita ut nobis polliceri prolixitatẽ videatur, etſi non deeſt ſtudiũ atq; continua diligentia.

UNIVERSITÄTS- UND LANDESBIBLIOTHEK SACHSEN-ANHALT

Diana eclipsim jam passa, cum Cyllenio intra candidissimum coitura est thalamum, ut quam ex eclipsi contraxerat pallidinem, abluat excutiatque. Ex Antuerpia, anno 1529.

Agrippa ad Amicos domi relictos. LXXV.

MAnere mihi grave est abire nefas. graviter siquidem laborat dominus jam moribūdus, nec quenquam alium vult medicum. sic in uno me hæret. passus est his diebus tusim malignam, cum defluxu catarrhi acuti. utroque hoc malo liberavimus illum triduo. quæ circa pedes & tibias patitur, & hæc jā bene habent. sed pernicioſus antiquus morbus est, ex quo periculum est. fluxus est diversus, lientericus, diarricus, tenasmonicus, à debilitate virtutis retentivæ stomachi & intestinorum: tenasmum intra biduum sustuli. cæterum fluxum, quantum possumus, moderamus: curare impossibile est. siquidem ut cōtinuus fluxus dejicit virtutem, sic retentus opprimit eandem. itaque inter has utrasque Scyllas tandem naufragari necesse est. nos ad sacram anchoram jam confugimus. sed natura diuturnitate morbi ac senio effœta, in actum non deducit medicamina. heri sacra ministrari fecimus. ex pharmaco, quod ex Antuerpia adferri jussimus, paulo restitutus, est validior. Adstant parentes & multi magnifici viri: jubent manere me & extrema omnia experiri. videtis, quis clavis hîc defixus sum. Servus, qui istinc rediit, narravit, uxorem bene valere, duntaxat de stomacho aliquid conqueri. sic ille mihi redeundi ad vos occasionem præripuit. puto intra biduum me resolutum fore. neque verò ultrà diuturnus esse poterit hic morbus, quin uno, aut altero modorum, aut in salutem tendat, aut terminetur in exitium. Ego quàm primùm aliquam occasionem nactus fuero, mox advolabo, vel aliquot horas vobiscum mansurus. vos interea Vulcani sacris immorantes, Æthnæum Stillicidium cumulare ne desistite: reliquam massam continuò decoquite. eò siquidem maturior reddetur. Cæterùm oro me vobis commendatum haberi, & excusatum, qui invitus à vobis absum. Commendo vobis charissimam conjugem meam, ut valeat. & vos modò valete. Ex Mechlinia, decimatertia Iunii, Anno 1529.

Amici domestici ad Agrippam. LXXVI.

ACcepimus ad decimam noctis horam literas tuas. cras illas legendas D. Augustino reddam. Primùm scito, dominum Augustinum mihi jussisse, ut te denuo literis peterem, rogaremque,

remque, ut Antuerpiam redires: verùm nil vereor, ubi tuas legerit, quin excusationem tuam, quæ illius etiam est humanitas, gratissimè admittat, & bono animo id biduum se maceret: tu verò interea temporis, quantum potes, excogita ac meditare quicquam, quod rei nostræ fastigium optatum adferat: adferet autem, ut spero, modò Æthnæum illud stillicidium uberiùs scatere valeat. reliquas massas, quòd desiccatæ ad amissim esse videbantur, amovimus à pristino & arido alveo, & in alterum ad tui imitationem locavimus, ac temperato calori maturamus. Cynthiam & Cyllenium unà junximus intra translucidissimum thalamum. is est rerum nostrarum status. Tu igitur, quando aliquid otii succidere poteris, ad nos advolato ad aliquot horas. Vxorcula te salutat, & sanitati nō modò restituta est, sed alterum induit vultum, hoc est maximè hilarem. nunquam adhuc egressa est domo, quòd auræ desideraverit serenitatem. Salutat te millies, doletque se non posse literas effigiare, ut tecum literis jocaretur: rogat insuper, quàm maximè potest, ut quando isthinc divelli poteris, ad nos curſites, gratificaturus ad diem amicis tuis. hæc ex ejus ore ad te scribuntur hora noctis undecima, ilico tuis lectis. Vale, ac sanitati stude. Tarot, Franza, Muza, Ciccionus, Balassà valent, salutant, redeas citò precantur. Maria major tibi salutem dicit: minor cum Hercule ac Margareta te istic diutissimè commorari facilè ferrent. Iterum vale. Ex Antuerpia, anno 1529.

Amicus domesticus ad Agrippam. LXXVII.

SCripturo ad te dextra est uxor, læva Maria: illarum utraque dictitant verba, quare si, quæ ad nos spectant, non rite scripsero, dabis veniam mihi. nam nec aures, nec manus habeo ferreas. Primum hodie abs te literas accepit uxor: quæ quoniam Gallica lingua sunt scriptæ, non rectè illas legimus. verùm quid tu in terris habere potes gratius? valet uxor restituta viribus pulchritudine, gratia: nihil illi desit, si te habeat ac fruatur dies ac noctes: id continuò suspirat. Verùm ut prudens ac honesta non minùs, quàm venusta, ita etiam perpendit, quam sit tibi compendiosum ac laudabile istic tamdiu morari, quandiu dominus tuus meliusculè valere incipiat: propterea fortiter hos dies, quibus abes, se macerat. Tu igitur illius valetudini stude, tum ut per te dominus valeat, tum etiam ut uxori gratificeris. Maria valeat, ac post tuum reditum religabitur ad brevissimas Gyaras. omnia quæ domui tuæ pertinent, sunt in optimo statu. Vxor bellè valet fortiter, phalaricè, tauricè. Canes nunc deam-

bulant per viridarium, nunc dominam circumstant, nunc dormiunt, latrant, vorant. Liberi etiam optimè. Nihil est igitur, quòd tu interea temporis crucieris, nec quòd de amicis dubites: quandiu spiritus hos reget artus, amori meo in te integerrimo non deero. Res nostra sat fœliciter progrederetur cras rescribam uberiùs. jam profectio nuncii, canes, prandium, omnia calamum interturbant. esto bono animo. Vxor te plus quàm millies salutat: Maria, Aurelius, Augustinus, Emanuel. scribe in posterum Latinè ad uxorem, ut illi sim Mercurius. Si ad singula literarum tuarum non respondetur, scito me Romanum non Gallicum. Quamdiu isthic manseris, non deero domui tuæ, quantum pro viribus potero. Vale, Ex Antuerpia, Anno 1529.

Amicus domesticus ad Agrippam. LXXVIII.

QVàm varia est rerum omnium vicissitudo. Vxorcula, quæ heri valebat, noctem duxit infœliciss imam. jam antiqua valetudinis argumenta apparent, propterea duximus esse ad te scribendum. in hoc initio persuasimus illi, ut Iacobum medicum consulat, sed præter te vult habere neminem. quin jussit ilico ad te mittendum esse, ut huc, si fieri possit, advoles. Iam in tua causa non est quod amplius scribam. Vale. Ex Antuerpia, anno 1529.

Amicus Medicus ad Agrippam. LXXIX.

QVod de mea fortuna scire cupis, scias eandem ejusdemque conditionis semper esse. de fœliciori (quando ita Christo placet) non video mihi sperandum. tui nulla est memoria, præterquam apud amicos, qui te non minus absentem, quàm præsentem venerantur & amant. Salutabo, quos tuo nomine salutari jubes. cujus vices doles, fœliciter cum Christo vivit, apud quem de hostibus reportavit triumphum. Scis omnia è divina voluntate dependére. Rogo cum primùm poteris, mihi communicato de parte una gemmas perficiente, & si fieri possit antequàm hinc abeamus. Literas, quas ad me posthac scripturus es dirigere poteris, aut ad dominæ meæ apothecarium, aut Parisiis apud Basilienſem bibliopolam. Sunt hic ex Anglis Gonstaldus episcopus Londinensis, & Thomas Morus, viri doctissimi, quibus paro consilium adversus pestilentiam: quod cùm absolutum fuerit, tibi rescribetur. Vale. Ex Cameriaco, vicesima secunda Iulii, anno 1529.

Amicus

Amicus ad Agrippam. LXXX.

CVm propter imbrium abundantiam non potuerim iter accelerare, nondum introivi aulam. nam vesperorum hora huc applicui. & cùm à lecto surgerem, advenit veredarius is, è cujus manu hanc suscipies. Nonnulli ferunt, omnes pacis cõditiones jungendorum matrimoniorum causa fore conclusas. cæteri dicunt multa adhuc superesse. De regio in hanc urbem adventu dubium est. Stabimus, ut communis fama acclamat, hic diebus multis, & spero latiùs ad te scribere. Supervenit è Parisio quidam pinguis Minervæ vir, è cujus manu, quicquid habere potero, habebo: mittam, & redde precor vices, ut cum novercante fortuna aperto Marte prœliemur. Mitte, si quid habes, hicque caduceator præclaram tuam sponsam ex me salvere jubet. Vale. Cameriaci in domo Franciscana, hac feria sexta, Iulii penultima, anno 1529.

Agrippa ad Amicum. LXXXI.

QVtinam tibi, mi amicissime cognate, non tristia, nõ mœsta, non dolentia nuntiare possem, deberemq; : sed longè aliorsum iniquissima sors mea adhuc calamum deflectit. Perii totus, occidi, perditus sum. perdidi namque, quæ mihi unicum erat vitæ solatium, & dulcissimum laborum solamen, amantissimam conjugem meam. Ah, perdita mihi est, & mortua est, sed æterna gloria habet illam. Intellexisti, mi Guilhelme, quomodo à pascha citrà cœperit ægrotare gravi admodum, cum multis appendicibus malis morbo. nihil illi unquam deesse passus sum: non medicos, non remedia, non custodes: non sumptus, non servitia, non omnis generis solatia: ter liberata est, ter recidit, ter remedicatum est, jamque integræ sanitati restituta per integrum fermè mensem optimè valuit, in omni prosperitate & lætitia agebat, arridebat nobis fortuna undique, jamque nova & amplior domus in dies nova instaurabatur supellectile, dum altera die divi Laurentii, invasit illam febris pestilentialis validissima, cum abscessu inguinis: mox exhibita omnis generis remedia: nihil, quod conferre posset intus, aut foris, omissum est: custodiæ & servitia diligentissima addita, atque ego à latere suo dies noctesque ne uno passu unquam discessi: nemo illam fugit, adeoque ab omnibus dilecta: jamq; in quartum diem paulo meliùs habere visa est: sed, proh dolor, nulla profuerunt remedia, quin septimo die, quæ erat septima Augusti, manè horam circiter nonam, magno labore, sed sano

sed sano intellectu, constanti in Deum animo, & innocenti conscientia astantibus nobis reddidit spiritum, pestilentia sese per universum corpus magnis maculis effundente. Ah, mortua est maximo meo dolore, maximo meo malo, maximo parvulorum nostrorum incommodo, magno omnium, qui eam noverant, luctu. Nota jam erat annos xxvj. minus diebus xxiij. ab omnibus ubique locorum ob multijugas virtutes suas insignemque pudicitiam semper dilecta & reverita: vixit mecum, ut nosti, per annos octo, uno mense minus, summo semper cũ amore & pace, nunquam ira inter nos fuit, supra quam sol occumberet: omnem meam adversam fortunam, paupertatem, exilium, fugam, pericula, æquo animo mecum perpessa est, jamque omnia mala tandem superaveramus, jucundâ & quietam vitam deinceps acturi. Ambiebat jam illam ob prædicatã ab omnibus virtutem Margareta princeps, jamque etiam honorum & divitiarum multæ occasiones in manibus erãt. Quid multa? non ad duas horas supervixit, cùm adferrentur nobis nova lucrosissima. Nihil ad hujus seculi fœlicitatem nobis defuturum erat, si ipsa supervixisset: sed hæc (proh dolor) periit, ipsa mihi, & cum ipsa perierunt mihi omnia: corruit animus totus, prosternata mens, & vita mea adhuc sub contagionis periculo est: non est, quod consoletur me: domus mea in manibus ancillæ & Herculis relicta est, malè custodita: filii cum Maria ancillula in alienam domum collocati post paucos dies ob nequissimæ puellæ sordidam petulantiam ejecti, rursus aliò demigrare coacti sunt: sum ego cum unico servo & illo ægrotante in diversorio quodam: secretus lateo, dies noctesque amicissimam conjugem lugens, & me misere excrucians. Accedunt me quotidie Augustinus & Aurelius, qui me & charissimam conjugem meam in omnibus malis & periculis & contagione nunquam deseruerunt. En habes, mi Forbiti, mi cognate, & meam & charissimæ conjugis meæ miserabilem tragœdiam, quanto succinctiùs illam hoc lachrimoso calamo tibi describere potui. O utinam affuisses: quantum illi attulisses solatium: Ah, quoties moribunda desideravit te: quoties inclamavit te: quoties suspiravit te: jussit me tibi Extremum vale dicere, & hæc scribere, orans te, ut dimittas illi, si quid peccaverit in te, utque Deum pro se devotè exores. Cæterùm in prioribus ægritudinibus suis vovit illa votũ visitationis divo Claudio, hoc onus moribunda jam tibi imposuit, obnixè supplicãs, ut cùm te in patriam redire, aut circa regiones illas vicinum iter agere contingat, ut sua causa ad divi illius limina deflectas, oblatis-

oblatisque pro ea sacris precibus ac cerea imagunc̃la, eam hoc voto liberes. idem nunc etiam ego te sui causa supplex oro: faciam & ego pro ea simile, si sit mihi vita superstes. Cæterùm adhuc oro te, ut quæ in catenulam auream pro illa impensurus eras, hæc nunc pro salute animæ suæ in meliorem usum, in sacra aut eleemosynas, erogare velis. Reliqua adhuc per multa supersunt, quæ mihi tecum, amicissime Forbori, tractanda & consulenda forent, de disponenda relidua vita mea ac providẽdo miseris nostris: quæ omnia & alia multa tecum agi queunt epistola, sed tuam requirunt cum consilio presentiam. sunt mihi hîc, fateor, aliqui quidem fideles amici, qui diversa & singula bene consulunt: verùm in te uno mihi sinceri consilii confidentia reposita est. sicque injunxit mihi moribunda charissima conjunx. ut deinceps tuo consilio obsequerer, teque mihi patronum & filiorum nostrorum protectorem adsciscerem. Ejus itaque monitis inhærens, nunc obsequi vellem, cuperemq; quàm maximè, sic ubi tui mihi copia esse queat. Magna adhuc tibi dicere habeo, mi Guilielme, sed non potes ea audire modo. Fac protinus rescribas ad me, si quando ad nos venturus sis. Ad postremum literarum tuarum fasciculum, quem attulit F. Iacobus Chaleus, non respondi tibi. eram enim absens apud Mechliniam diebus multis, cùm illæ mihi tardè redderentur, turbavitque me postea morbus charissimæ uxoris, quò minus ad te scripsi, jamque totus ego omniaque mea collapsa sunt, nec quicquam ulteriùs in hac vita jucũdum esse poterit, amissa dilectissima conjuge, quæ una me in vita, in solatio, in hominum amicitia, in omnibus servare solebat incolumem. Vale, & Deum ipsum pro nobis exora, & pro salute charissimę cõjugis meæ, cognatæ tuæ, suppliciter precare: de cujus tamen salute tantum abest quod dubitem, ut ego illam mihi intercessorem apud Christum piis precibus constanter implorem. Iterum vale. Ex Antuerpia, anno 1529.

Agrippa ad Amicum. LXXXII.

OVtinam adhuc in eo statu essem, in quo etiã, cùm tu proximè apud me esses Antuerpiæ, Pater venerande observãdeque: non cogerer te tam mœstissima epistola salutare. sed cecidit omnis fortuna mea, cecidit animus, & vita in dubio est. perdidi namque, quam tu vidisti, amantissimam meam conjugem. quæ cùm jam à trimestri languore restituta, aliquot dies sanam, lætam ac prosperam ageret vitam, ipsa altera die post festum divi Laurentii correpta febre pestilentiali, ac peste

ipsa

ipsa septimo die mortua est, me ad extremum vitæ spiraculum illi noctes diesque semper assidente : mortua est sano intellectu, constanti in Deum animo, innocenti conscientia : nec dubito, quin æterna gloria habeat illam, te nihilominus nunc supplex oro, ut tuis sacris precibus Deum pro illa exores, & meæ tam asperrimæ sortis miserearis. Scripsi tibi ex Antuerpia post discessum tuum, & misi fasciculum Cameracum in manus Guardiani conventus vestri, in quo erant & ad Capellanum literæ meæ: scripsi utrisq; vobis aliqua bona, ut illa communicaretis inter vos mutuò, & tibi per reginam domus, quæ petisti, exposui. Nunc oro, si quid apud te est, si quod habes opusculum breve mihi impartiare : in hoc me meamque posteritatem tibi tuisque perpetuò devinxeris. rem, quam operatus sum, tibi & Capellano nostro unà cum tuis literis in eodem prædicto fasciculo misi : jam perfeci à biduo, aut triduo ante quam uxor charissima ægrotare cœpisset. succesisit optatum, & inventum est lucrum, sed non quantum tantis laboribus & longi temporis operi satis responderet. Si quid aliud bonæ fortunæ acciderit, faciam te omnium bonorum meorum participem. te autem supplex oro, mei ut memineris, neque negligas, neque deseras : quin protinus ad me rescribas : quæcunque autem me secretò scire velis, ipsa regina domus tutissimè exponet. Vale fœliciſſimè, & Deum pro charissima conjuge nostra & pro me simul deprecare. Iterum vale. Ex Antuerpia, anno 1529.

Agrippa ad Amicum. LXXXIII.

SAlve Capellane amicissime. Si vales, bene est tibi : ego certè iniquissimè valeo, sic demerentibus peccatis meis. Abstulit siquidem a me Deus dilectissimam cordis mei, & sustulit solatium vitæ meæ, charissimam conjugem meam, quæ altera die post divi Laurentii festum correpta peste, septimo post die nullis juvantibus remediis mortua est, cum integra animi fide & innocentia, ut non dubitem, quin gloria æterna habeat illam : Ah me miserum : jam toties perii, nec quicquam ultrà in hac vita jucundum esse poterit. Novisti tu in parte, mi Capellane, vitam nostram, quanta in pace, in tranquillitate, in unitissimo amore conjunctam, quanta illa mecum incommoda & mala æquo animo perpessa est, jamque superaveramus ferè omnem adversam fortunam, properam deinceps & quietam cum liberis nostris acturi vitam, cum ipsa mihi, proh dolor, jam subitò periit, & cum ipsa perierunt mihi omnia, & vita mea adhuc sub

sub contagionis periculo est. nunquam enim, quamdiu ægrotabat, ad extremum usque spiritum dies noctesq; à latere suo discessi : totus consternatus sum : nec est, quod consoletur me : omni consilio & auxilio privatus, quid acturus, quid facturus sum omnino nescius : te supplex oro, mi Capellane, Deum ipsum pro charissimæ conjugis meæ, quæ te in vita hac semper admodum dilexit & reverita est, salute deprecare, & mei miserere, & quantum potes, & me & prolem servare stude : & si quid habes, nunc mihi communices : ego si quid adeptus fuero bonorum, nihil eorum te celabo. scripsi tibi postremis literis meis ad Cameracum, & misi tibi aliqua miraculosa, & alia quædam reverendo Patri confessori, ut communicaretis mutuò. Inter illa, quæ operabar, & postea complevi, succesisit quidem bene, & inventum est lucrum, sed non quod tanti temporis operosis laboribus responderet. multum tamen esset, qui possit operari in multo : sed improbus ille labor esset, & mihi impossibilis. A magistro oratorii adhuc nihil literarum accepi. spero te illi reliquisse aliquid boni mihi communicandum. Cæterùm oro te, ut quam primùm & protinus ad me rescribas : & si quid habes certi, quale mihi profuturum putas, ne celare velis, sed miraculosè remittas, & literas tuas, quanto tutiùs poteris, Antuerpiam dirigas. Vale fœliciſſimè, & Deum pro charissima conjuge mea & pro me pariter exorato. Iterum vale. Ex Antuerpia, anno 1529.

Agrippa ad Amicum. LXXXIV.

IAmdudum tribus literis significavi, tibi, observandissime cognate, insignem calamitatem meam, amantissimæ conjugis miserabile fatum, Herculis & Mariæ interitum, servi & antillæ utriusque periculosum morbum : solus ego cum filiis salvi sumus usq; adhuc, & jam horrenda eademq; subitanea epidimia hanc urbem invasit, & mortui sunt plurimi : pauci manent intacti. Ego nunc extra diversorium maneo apud Augustinum Furnarium, saluti fui multis contra hoc incognitum malum, quo remedio utor, accipies à Petro Billado, in quo firmiter confido, si, quod absit, aut tibi, aut amicis tuis accidat hic morbus, quem non dubito universam Galliam pervasurum. Cæterùm quæ me fortuna maneat, nescio. vocor ad Regem Angliæ magnis conditionibus. sed id mihi non convenit. Cæsareæ Majestatis cancellarius pollicetur, si in Cæsaris aulam conferre me velim, sese me ad summum evecturum fastigium : jamq; etiam Augustinus literas accepit abs Marchione quodam.

BIBLIOTECA CENTRAL UAM

quodam, qui me olim cognovit. hic summis precibus pollicitationibusque me cum tota familia in Italiam revocat. in hac aula apud Margaretam principem etiam honesta offertur conditio, sed emolumenti minoris. Quid eligam nescio, & nihil adhuc statuere possum. Malim ego in libertate vivere, quàm me servituti ingerere. Verùm non meę voluptatis, sed filiorum rationem, quod illis profuturum sit, me habere decet. hîc tuum velim consilium. quod utinam non literis, sed voce ex te capere possem. multa si quidem tecum mihi loquenda essent, quæ nulla capere potest epistola. Vale, amicissime cognate, & Deum ipsum piis precibus pro salute charissimæ conjugis meæ & cognatæ tuæ supplex exora. Cæterùm si quid est, narrabit tibi horum lator, Petrus Billadi. Te oro ad me protinus rescribas, & me de omnibus certiorem facito. Iterum vale, & conservet te Deus in omni sanitate & prosperitate. Ex Antuerpia, quarto Octobris, anno 1529.

Agrippa ad Amicum. LXXXV.

IAm pluribus literis, cognate observandissime, tibi fortunæ nostræ tragœdiam exposui: deinde redditæ sunt mihi tuæ literæ, & illæ etiam doloris atque mœroris plenæ. manus Domini tetigit me, & sustulit solatium vitæ meæ: non est quicquam ultrà, quod jucundum esse poterit: nec est, quod cõsoletur me: nondum remigravi in domum meam, nec disposui filiis cæterisque rebus meis: impedivit siquidem nos novum pestis genus, quod omnem hanc provinciam subitò invasit, nec dubito etiam vestrum hemisphærium irrepturum. hujus remedia misi tibi proximis diebus per Petrum Billadum, & quò saluti tuæ tuorumque melius consultum sit, ego tibi morbi genus aperiam, & quomodo præscrutaberis. & curaberis, iterum describam. Est enim morbus hic febris quædam, quia calor est innaturalis, accensus & motus à centro in superficiem: & licet terminetur in xxiiij. horis, non tamen est febris ephimera, quia cum horripilatione & rigore incipit, & cum sudore non toto, sed humoroso, plurimoque perdurat, atque cum calore intensiore, quàm in ephimera. Non est etiam febris hectica, quod ex pulsu, urina, exacerbatione & velocitate curæ facilè cognoscitur. Est ergo febris putrida, humoralis, non quidem sanguinea, non cholerica, non phlegmatica, non melancholica pura, sed pestilentialis, cujus materia est maligna, venenosa, cholerica, subtili sanguini permixta, cujus signa sunt manifesta, quia est in ea vehemens calor & angustia, soda pulsativa & alienatio & rubore

& rubore faciei, cum inflammatione maxillarum, quæ omnia arguunt super choleram & sanguinem: atque sunt cum istis perturbatio intrinseca circa pectus & thoracem, cum tristitia & anxietate & casu virtutis ac spasmo membrorum nervoorum, est q; fudor fœtoris horribilis & in pluribus exeunt morbillæ, aut sanguinem expuunt: quæ quidem sunt propria febris pestilentialis. Verùm quoniam materia peccans in hac febre superficialis est, non profundata, & subtilitate sua disposita expulsioni, hinc est, quòd natura stimulata malignitate illius, subitò movetur ad faciendum crisim, quæ tunc plurimum est salubris, si non cadat error in regimine: nec obstat huic dictum Galeni commento xiij. super secundo aphorismorum inquientis, Omnem crisim plus attinere saluti, quàm morti, excepta ea, quæ in febri pestilentiali fit. nam illud tunc ratum est, quando materia in profundo putrefacta est. Habes ecce morbi notitiam: nunc accipe remedia. Vt ergo præserueris, utere bis vel ter in hebdomada pilulis pestilentialibus, communibus reformatis cum modico olei amigdalarum dulcium. sic enim efficitur, ut non indurescant. capiasque unam aut plures per horam ante cœnam: utere etiam mane in aurora, & serò eundo dormitum ex præservativis theriacalibus contra pestem, quorum plura excellentia comperies in uno libello contra pestilentiam, ad episcopum Cirenensem edito. Ego autem particulare præservativum feci tale. Capiatur granorum juniperi uncia una: herbæ scabiosæ manipulus medius, & una nux muscata: coquantur omnia in quatuor libris aquæ, & media libra aceti, ad tertiæ partis consumptionem, & exhibeatur de hac decoctione cochlear unum, aut duo, manè & serò. Curativum autem remedium composui tale ex mente Avicennæ de cura variolarum & morbillorum ad expellẽdam caliditatem à partibus cordis, & materiam peccantem à centro ad circumferentiam, quibus addidi ea, quæ pestifero veneno appropriata sunt. Accipiantur ergo ficuum siccarum, passularum mundatarum, dactylorum enucleatarum, de singulis uncia una: lentium excorticatarum unciæ tres, seminis citri uncia media, sandalorũ rubeorum, rosarum rubearum, radicum dictamni, gentianæ, zedoariæ, fœniculi, petrosilini, granorum juniperi, de singulis drachmæ duæ: macis drachma una: coquantur omnia in quatuor libris aquæ fontis, vel, quod melius est, in aquis scabiosæ & fœniculi, ad consumptionem tertiæ partis: & de hac decoctione exhibeatur tepide cyathus unus, aut plures à principio, & etiam in progressu hujus mali. sentiet namque æger subitò

juvamen notabile. & ego cum hoc remedio multis Italicis succurri, & communicavi illud magistro Iacobo de Castro, medico Antuerpiensi, qui eodem primùm uxori suæ, deinde innumeris aliis porro sibiipsi saluti fuit. Præterea domino Ioanni Mariæ physico Margaretæ Principis, visum est idipsum optimum remedium: sed consuluit decoctionem fieri cum aceto, aut infusionem rerum prædictarum primùm in aceto fieri: & ego assentior illi, facioque in posterum ad supradicta addi mediam libram aceti, & sic decoctionem perfici. Cæterùm, mi cognate, ut scias, quomodo patiens regendus sit, ne nimis prolixam epistolam pariam, mitto ad te libellum magistri Iacobi prænominati, in quo omnem reliquam hujus negotii seriem compendiosè traditam invenies. Non occurrit, quod ad te scribam aliud, nisi quia commendo tibi charissimam conjugem meam, cognatam tuam, semper piis ad Deum precibus prosequendam. Vale, ac saluti & sanitati tuæ stude: ego cum filiis valemus, sani. Deo protectore, usque adhuc. Ex Antuerpia, 13. Octobris, anno 1529.

EPISTOLARUM LIBER VI.

HENR. CORNELIVS AGRIPPA ad Amicum.

EPISTOLA I.

PLura sunt in causa, quibus tuus ad nos adventus perneccessarius esse videtur. Primùm, quòd Antonius Gunnus, qui Lugduno nuper venit, mecum est, aliqua communicaturus tibi, ut ait, non inutilia. est, ut nosti, vir gravis, & tibi amicus, si quis alius. Alterum, quòd negotia nostra tam lento procedunt gradu, ut sit nobis Platonicus annus expectandus. Quare tuo indigemus consilio, ac opera: ac, si fieri potest, ut nobis non diem unum, vel alterum, sed aliquot tantùm mutues horas. quod tam nobis erit gratum, quàm quod gratissimum esse potest. Vale, ac rescribe, anno 1530.

Agrippa ad Amicum. II.

NEscio, quo meo fato accidat, ut quotquot docti viri Antuerpiam veniunt, ad me primùm currant. Hodie ad me venit

venit Zelandus quidam, non tam doctus, quàm candidus, visurus est te circa secundam, & quædam petiturus. Commendatur mihi à Petro Ægidio, illi verò ab Erasmo. Hæc tibi volui significare, ut pari abs te complectatur benevolentia, qua duo hi candidissimi viri sunt doctissimum juvenem prosequuti. Ego etiam curarem id abs te beneficii impetrare, nisi satis esse conspicerem, quanti sit prædictorum virorum apud te autoritas. Vale, anno 1530.

Ad illustrissimam Principem Austriæ, Margaretam, Henrici Cornelij Agrippæ Epistola. III.

GAudeo quàm maximè, & auspicatissimum mihi omen duco, Princeps serenissima, tuæque Celsitudini immortales gratias ago, quòd me tam fœlicissimo Cæsareæ coronationis argumento collatum per te mihi jamdudum Indiciarii & Historiographi munus volueris exordiri. quod mihi admodum jucundum est, ut nec majorem animo meo optare voluptatem, nec famæ & nominis mei dilatandi meliorem occasionem sperare potuissem. scio enim & fateor, magis mihi ex tam augustissimi Imperatoris celebratione, quàm suę majestati, cui ad gloriæ amplitudinem nihil adiici potest, ex hoc opere meo futuram nominis celebritatem. Quocirca iterum nunc tibi, Princeps illustrissima, ingentes gratias ago, agamq; dum vivã, quòd me unum ex multis ad id decoris elegisti & extulisti: Aggrediarque nunc à Celsitudine tua mihi delegatum, & à me in vestram totiusque Austriacæ & Burgundæ domus vestræ gloriam susceptum munus, Cæsareæque coronationis historiam, Serenitatis tuæ jussu protinus absolvam. Veruntamen nõ parum me conturbant cùm multarum rerum commemorandarum instructionis penuria, tum hujus historiæ necessitate quadam præcipitanda editio, quò minùs copiosa, minusq; elimata prodiret. Quare hanc legens, veniam dabis, excusabisque, si sermo ejus humilior sit, quàm exigat tantæ celebritatis pompa. Quod sicut ego de me ingenue fateor, ita nec alium quempiam, quantumvis licet eloquentem, etiam omnibus ab arte conquisitis coloribus, condigna elegantia hanc assequi posse putem, tamen si spatium mihi daretur, abundantioraque rerum gestarum documenta non defuerint, fortè non minore copia dicendique ornatu ea traditurus essem, quàm alii, fide tamen & diligentia interea cessurus nemini. Denique beneficentissimè mecum actum reputabo, si mihi tua Celsitudo

HAVRO LIBRARY COLLECTION

hoc indulserit, ut ex hac qualicunque mea opera, si non promptitudinis & eloquentiæ, saltem diligentiæ & fidei devotique obsequii referam testimonium. Quam gratiam si mihi Serenitas tua concesserit, non recusabo omne residuum vitæ tempus, quod mihi deinceps divina voluntate concessum erit, quantumcunque à cura rei familiaris mihi dabitur otii, totum id in sacratissimæ Cæsareæ Majestatis tuæque Celsitudinis magnificentissima gesta describenda conferre: polliceorq́; semperque præstabo, mihi neque in narrando fidem, neque in inquirendo diligentiam, neque in nominis vestri vestræq́; prosapiæ gloria celebranda industriam defuturam, idq́; me omni vitæ meæ tempore enixurum, elaboraturum, effecturum, quò hoc Indiciarii & Historiographi munus à Celsitudine tua in me non malè positum videatur. Accipe igitur nunc, serenissima Princeps, hilari vultu hanc à me Cæsareæ coronationis historiolam, frugum mearum primitias, sic tibi debitas, ut ego gravissimè reprehendendus sim, & tua Celsitudo mihi justissimè succensere debeat, si illas, qualesquales sint, non tui nomini consecrarem: deinceps, faventibus superis, majori cum ornatu, & elimatiore calamo editos maturiores fructus frequenter acceptura. Vale fœliciſſimè.

Ad generosissimum Comitem Agrippa. I V.

ALexander ille Magnus, generosissime Comes, cùm aliquando spectandæ urbis gratia Athenas concessisset, & gloriabundi cives magnifica ædificia, arcus triumphales, colossos, obeliscos, pyramides, trophæa, statuas illi ostentarent. Non ego, inquit, viri Athenienses, vestris invideo ædificiis, sed rerum à vobis magnificè gestarum monumentis. Cognovit enim Rex prudentissimus, quantumcunque etiam in longum hæ structuræ duraturæ videantur, tandem cum annis deficere, aut saltem obliterari: præterea uni semper affixa loco, non latè famâ spargere, nec factorum omnimodam veritatem modumq; exprimere: contrà historiam immortale & amplissimum rerum gestarum monumentum ubique locorum, & omni tempore, omnibus linguis, omnibus gentibus & populis, omnia cum voluptate enarrare, & omnibus in rebus negotiisque utilissima exempla præstare. Hinc idem rex rerum gerendarum gloriæque cupidissimus, ne sua facta vetustate temporum posteritati intermorerentur, Calisthenem, Aristotelis cognatum, & Aristobulum scriptorem, & Onesicritum historicum, qui ejus res gestas conscriberent, in Indiam usque perduxit. cujus exemplum

exemplum multi deinceps Romanorum secuti, ut essent, qui eorum magnifica facta celebrarent, Historiographos omni honoris genere prosecuti sunt, factorumq́, suorum testes magnis stipendiis circumducebant. Sic Scipio Polybium, L. Muræna Athenæum, Fulvius Ennium, Cato Athenodorum, Pompejus Posidonium & Theophanem, Marcus Antonius Boetiũ quendam, Augustus Polydorum & Xenarchũ, Tiberius Theopompum, Nerva Ælianum & Frontinum, Trajanus Plutarchũ & Dionem, & alii plerique proprio ingenio freti rerum à se gestarum ipsimet commentaria scripserunt, sicut Iulius Cæsar, illumque imitatus Octavianus Augustus. Cognoverunt enim cùm strenuissimi, tum sapientissimi illi viri, nullà tam plena gloriæ gesta, quæ non unà cum ætate occasura essent, si non historicorum traditione ab interitu vindicarentur. Hinc consuetudo illa laudabilis apud posteros reges & principes, tum etiã pontifices emersit, ut Indiciarios & Historiographos publicis stipendiis sibi conducerent, & Archivis eorum præficerent, ne frustratis, & brevi in oblivionem casuris tantis pro republica laboribus contenderent. Ad quod munus cùm me nuper illustrissima Princeps nostra extulisset, & nulla hactenus data fuisset scribendi materia, his proximis diebus Cæsareæ Majestatis Augustalem coronationem describere jussit, quam ex inconcinna, nec minus egena instructione, quantum potui, ad plenioris historiæ imaginem formatam edere acceleravi. acceleravi autem, inquam, ne fortè nimia cunctatio & mora, ut nonnunquam accidere solet, præcepti operis gratiam imminueret, tum quòd ad alia & majora scribenda me evocatum iri putarem. Hanc itaque historiolam, quod debui, serenissimæ Principi, velut collati in me publici muneris primitias dedicavi. Hanc nunc etiam tuæ Amplitudini commendatam cupio, quẽ sciam historiarum lectione non solùm delectari, sed etiam earundem ad vitæ institutionem cognoscere utilitatem, quantumque rerum antè gestarum notitia, & heroicorum virorum exempla ad imperandi regendique prudentiam conducunt. Quapropter, ut es vir patria & progenitoribus nobilissimus, & magnificorum gestorum excellentissimo stemmate prognatus, (quorum tanta semper fuit prudentia, tanta innocentia, tanta in rebus omnibus fides, tanta benignitas & mansuetudo, tanta rursus strenuitatem constantia, & in administrandis publicis muneribus continentia) tantarum provinciarum gubernium tibi non tam ab Imperatoribus traditum, quàm hæreditaria quadam successione à majoribus agnatum accepisti. Sed

hæc omnia, & quæ plura sunt, etiam, cùm totam vitam optimis exempli transigas, provinciam tuam indefessis curis justissimè administres, præclara quæq; facinora magna strenuitate geras omnia inquam, vana, ne dicam stulta, erunt, si hæc nullam apud futura sæcula habitura sint laudem. Quam autem habitura erunt, si nullam de his posteri legent historiam? En habes, splendidissime heros, studij & voti mei professionem. Abs te autem peto, ut hanc apud sereniſſimam Principem prosequi non graveris, nihil ego interim veriturus, hanc suæ Celsitudini, tuæque sublimitati gratissimam futuram. quandoquidem ea semper fuit literarum dignitas, ut dicari eas sibi Principes & reges semper honestum glorioſumq; putaverunt. Vale.

Amicus ad Agrippam. V.

BArbara illa experimenta, quæ vidisti, quoniam haud parum ad dedicatissimum palatum tuum facere nuper animadvertissem, magne Agrippa, turpicula illico abrepta veste, Romano habitu perspicua tibi cernenda mitto, odiosi ingratiq; conspectus expertia: quæ grato suscipias animo, experturus, quum graviora tibi fastidio fuerint. Non enim licet homini semper a rebus humanis sese ita sequestrare, ut sincerus reddatur aptusque ad divinos quosque suscipiendos adflatus. Verùm cùm tanta sit divinæ, exuberantia providentiæ ad ostendenda nobis signa, ut vel in virgultis, frumento, aqua, & plerisque id genus rebus indicia præbeat non modo præsentium (ut interim præterita omitam) sed & futurorum, quibus, utpote rebus creatis, mirabiliter inanimatis animam, immobilibus motum, rationis expertibus rationem & intelligentiam quandam præstare videtur, ut Iamblichus ait: Nihil est apud me indubitatius, quàm duas hasce res mysteriis esse accommodatissimas. quod adeo notum esse reor omnibus, ut minimè testimonio egeat. Tu itaque illis fœlix utitor, & me tuæ divinæ doctrinæ anhelantissimum sectatorem, ejusque apud omnes non clancularium laudatorem mellea tua, qua hactenus aluisti, almonia non privato. Vale jubar unicum.

Amicus ad Agrippam. VI.

NOn plus ferventer, aut accuratè suum Vlyssem casta præstolabatur Penelope, quàm heri hora per te pollicita, ingenue mi Agrippa, splendidissimeque domine, te præstolabar, invisemque denuo ad te, si nox non obstitisset: quæ mihi longior mense fuit. Cùm autem primùm dies apparuit, velocissimo

cissimo cursu ad domum, in qua te heri conveneram properavi, sed solùm obviavit quædam honesta virago, quæ te alibi pernoctasse asseruit diutius licuit hic commorari, placuitque, ut te hodie ad prandium haberem, licet mihi sit grandis festinaque via, quæ me ad accelerandum urget. Manda igitur per hunc, si venire decreveris, & qua hora. multa enim sum dominationi tuæ dicturus, quæ hesterna luce à memoria evanuerũt nusquam enim cum amicis satis. Cæterùm tabellarius, è cujus manu hanc accipies, compatriota est, qui extorris & colonus est. petit herum, cui possit inservire, donec quidem dederit oblivioni infortunium. si eum dirigere poteris, charitatem non parvam peregisse arbitrabor. ætatem habet. pro se loquetur. ipsum audies. Felix vale. Ex divi Iacobi cauponaria, sexta Septembris, anno 1530.

Henrici Cornelii Agrippæ ad senatum Cæsareum apud Mechliniam residuntem attestatio. VII.

REquisitus ego Henricus Cornelius Agrippa ab honorabili viro magistro Ioanne Theobaldo, medicæ & astrologicæ artium professore, ut sibi coram claritudine vestra contra Antuerpianorum medicorum calumnias, de medicæ artis sufficientia attestarer: quia ego, cùm eandem artem apud reges principesque olim publicis stipendiis professus sim, iccirco videar illi gravius aliquod de hac posse ferre iudicium: nolui itaque justa petenti, quod æquum est, denegare. Fateor autem ex vero testorque, quia ego magistrum Ioannem Theobaldũ novi. & Antuerpianos medicos cognosco: sed quæ inter illos controversia est, meo judicio non nisi mera injuria est, qua solet hoc invidum medicorum genus porcorum ritu sibi stercora invidere, ac de lotio & retrimentis, quoties contingat, alterum alteri matulam aut concham stercorariam præripere, manis contentionibus digladiati sordidi lucelli gratia. Quod verò ad m dicam artem attinet, ego prænominatum magistrũ Ioannem Theobaldum ea peritia præditum attestor, ut si mihi aut meorum cuivis ægrotandum sit, malle me in magnibus eius potius, quàm cujusvis cæterorum Antuerpianorum medicorum periclitari. Artem autem medendi hic ego voco, non illam logisticam, sive sophisticam medicinam, quæ licèt naturalis philosophiæ non infima pars sit, medendis tamen ægris non admodum necessaria est, cùm circa voces potius & contorta quædam sophismata scholasticosque syllogismos, quàm circa res & sincera medicami-

na versetur, quam iccirco Serapion, splendidissimus medicus, nihil ad medendi artem pertinere professus est. Artem ergo medicam, de qua hæc controversia est, non aliam hîc dicimus, nisi illam prorsus mechanicam & operatricem medicinam, quæ, ut fatetur Thessalus ille verustissimus olim medicus, neq; dialectica, neque mathematica, nec ullis scholasticis disciplinis indiget: quam idem ipse sex mensibus sese traditurum promittebat: quam etiam Serapion, non nisi in usu & experimentis collocatam dicit: cui consentit etiam Cornel. Celsus Romanus medicus, Ad curandi rationem, inquiens, nihil magis conferre, quàm experientiam, qua constat doctissimos medicos non rarò abs rustica anu victos: qua constat etiam hunc magistrum Ioannem Theobaldum plurimos restituisse, quos illi Antuerpiani doctores pro deploratis reliquerunt. Atque hæc causa est invidiæ, hoc litis hujus caput & cauda hoc vulnus, hoc ulcus, quod illis dolet, quod urit, quod stimulat: quia ipsi doctores cùm sint, vincuntur ab idiotis. Atque hic nunc quærere operæpretium esset, cur non attentarint hanc litem, quando sudoriferum illud malum per hanc urbem grassabatur, an non tunc palàm visum & cognitum est, qui fuerint utiliores reipublicæ medici? nónne tunc doctores illi è civitate profugi, contra sacramentum suum magistratui præstitum & debitam publicis stipendiis servitutem populum deseruerunt? Sed magistro Ioanne Theobaldo paucisque aliis huic civitati strenue salubriterque succurrentibus, licet istis scholasticis medicis, & reliquipedalibus doctoribus sua sophismata nectere, & de vita ac sanitate nostra cornutis syllogismis disputare, ac pronuntiare obscuras sententias. Habeant sibi contendendi & opinandi gloriam, & scholasticorum titulorum honores, primas in ordine stationes, & nominis sui publica stipendia: verùm apud ægrotorum lectulos, ubi non ad disputandum, sed ad curãdum conducitur medicus, non invideant aliis, si qui norint nobis expertis innoxiisque remediis, vel meliùs etiam consulere, etiã quando ipsi jam ægrum (ut ajunt) prognosticis reliquerunt, siquidem in evangeliis jam non sacerdos, nec levites, sed samaritanus, qui misericordiam fecit super ægro, quem illi præterierant, à domino probatus est. Sumus hic in patria libera, sub libero imperio, ubi unicuique ex sua arte vivere & compendium facere licet, modò citra reipublicæ detrimentum exerceat. hanc libertatem vestrum est tueri atque conservare. hanc vester imploret magister Ioannes Theobaldus, cujus ingeniũ cùm Deus juverit, ut aliquid didicerit, experiẽtia consecutum sit, cognoverit, profecerit, profuerit, eo sibi divino dono frui liceat, cùm ad proprium commodum, tum ad totius reipublicæ utilitatem, multorumque salutem: sin aliter, jam non illi modò, sed & universo populo, servitutis frænum injectum est, cùm non licebit cuiquam, quem velit, medicum deligere, cogaturq; à præfinitis aliquot etiam vel invidiosis magistris remedia petere. quod quam æquum est, vestra nunc judicet prudentia. Datum Antuerpiæ, anno 1530.

Agrippa studiosum admonet. VIII.

MIrabere haud immerito, splendide Vir, quenam me capiat fiducia tuam sic meis literis compellandi & amplitudinẽ & præstantiam. Certè eximiæ tuæ virtutes & egregia facinora id faciunt, ut cui te præsentem videre & loquentem audire & jocunda pariter ac veneranda præsentia tua frui nõ datur, magni muneris loco futurum sit, si te per epistolam compellare permittas, non aliud abs te contendentem, quàm ut me in clientulorum & amicorum tuorum album adscribi patiaris, qui te non tantùm diligam & amem, verùm & admirer, colam & venerer. Quòd si rudem non dedigneris calamum & vacat tibi legere, quod ego aliquando in variis disciplinis profecerim, in hac ipsa declamatione nostra, de Vanitate scientiarum inscripta, quam ad te mittimus, conspicies, in qua tamen innumeros typographi errores excusabis. Reliquos libellos nostros, de Præstantia fœminei sexus, de Sacro matrimonio, de Originali peccato, de Cognoscendo Deo, de Vitanda gentili theologia, & alia quædam olim typis excusa, jamdudum te & vidisse & legisse arbitror: de quibus omnibus quid tua præstantia sentiat, qui præsens non potes, per epistolas tuas saltem nos instruas: cujus judicium erit semper mihi in utramvis partem ratum atque gratissimum. Vale fœlicissimè. Ex Mechlinia, mense Decembris, anno 1530.

Amicus ad Agrippam. IX.

REcepi literas tuas, Agrippa mi suavissime, cum opusculo tuo de Vanitate omnium scientiarum. lætor te ad has nostras regiones belgicas commigrasse. Nos enim hîc barbari & eleganti æ inimici, anseres inter argutos strepimus olores. Omnipotentem precor, ut te longævum & incolumen in his regionibus esse sinat. tali enim viro, naturali ingenio acutissimo, judicio acerrimo, omni genere literarum doctissimo, & rerum experientia peritissimo, elegantiaq; non mediocri nobis opus

erat, ut hæc linguæ Latinæ barbaries, quæ nunc passim viget, procul á nobis expellatur, & Romanorum elegantia paulatim reduci possit. Insuper ne lingua quidem, aut calamo tibi explicare possem, quanto gaudio me affecisti hanc scientiarum & magistrorum vanitatem describendo. Ego enim quarundam illarum inutilitatem ac falsam credulitatem jamdiu me percepisse fateor: alias vero, quæ utiles ac etiam necessariæ judicantur, à præceptoribus tamen perversè & ineptè eas doceri invenio. Itaq; fecit indignatio versum, & animum meum ita stimulavit, ut ne tacere quidem potui, sed opuscula quædam edidi, in quibus judicium meum descripsi, non invectivis, probris, aut convitiis, sed mentem meam tantummodo aperui, ne lectores ac studiosi juvenes his vanis artibus & inutilibus falsa crudelitate irritoque labore amplius deciperentur, dolens, tot puerorum etiam & virorum ingenia acutissima his vanis scientiis detineri, & à bonis literis retardari. Imprimis Grammaticam artem condemnavi, judicans illam linguæ Latinæ non esse fundamentum, ut ajunt Grammatici, sed impedimentum maximum, & omnium aliarum artium retardationem. quod rationibus, autoritatibus & experientia præcipuè comprobavi, non obstinatione tamen, aut fatua pertinacitate sed sub ferula & correctione doctiorum. Quid enim homo barbarus inter barbaros & aulicos ignaros, ac linguæ Latinæ inimicos enutritus, in hac re affirmare possit, qui nunquam in gymnasus, universitatibus, aut scholis publicis interfuit? Secundò Rhetoricam reprobavi: tertiò Logicam: quartò Astrologiam & omnes divinationes: quintò Magicam & alias artes omnes quæ ab ea dependent, Geomantiam, Pyromantiam, Æromantiam, Nigromantiam & alias similes, tum auguria, auspicia, aruspicia, & ejusdem generis alias multas, quibus multi ac etiam magni nominis viri jamdudum decepti fuerunt, ut ex operibus eorum patet, nisi id ostentatione, aut lucri gratia fecerint. De Grammatica opusculum edidi, cui titulum de Grammaticorum concordia imposui, hoc Horatii versiculo impulsus, ubi ait in Arte poetica:

Grammatici certant, & adhuc sub iudice lis est.

Insuper in operibus horum Grammaticorum ultimũ semper priores reprehendentem, & conviciis infectantem inveni. mirabar maximè, tandem ex natura artis ipsius hoc accidisse cõpertus sum, ut tu optimè in initio opusculi tui tetigisti. Alia quædam opuscula incœpi, quæ nunquam perficere ausus fui, neq; cuiquam ostendere. Nunc autem hoc opusculo tuo animatus,

matus, tuaq; autoritate confisus, hoc opusculum de Grammaticorum concordia perficere decrevi, & tibi videndum mittere duxi, ut si quid erratum sit, mihi fideliter rescribere velis: ego lubens omnia corrigam, ac tibi gratias immortales agam. Vale. Cominii, ex arce nostra, octava Ianuarii, anno 1530.

Reverendissimo in Christo Patri ac D. Domino Ioanni Carundeleto, Archiepiscopo Panormitano, privati Cæsarei consilii per inferiorem Germaniam atque Burgundiam supremo præsidi, Henricus Cornelius Agrippa, eiusdem Cæsareæ Maiestatis à Consiliis & archivis Indiciarius.

S. D. X.

POstquam, ornatissime Præsul, diis immortalibus ita visum, ut serenissimam Principem nostram Margaritam nobis tam importunis fatis velut è mediis manibus surriperent, cogitavi illius manibus veterum more inferias mittere, ac funebri oratione publicè parentari, ejusque vitam, educationem, mores, virtutem, fortunam, resque gestas, licèt modicis, veris tamen laudibus perstringere. neque verò conquiescere animo ullo modo mihi posse videbar, donec meum in illam studium observantiamque, ea oratione & præsentibus & posteris manifesta facerem. Arrepto ita lugubri calamo fateor, vim intuli consopito ingenio & quæ tum ingens animi dolor, & piissimæ principis lachrimosa memoria mihi suggesserunt, nulla artis nec ordinis observantia, in hanc flebilem mœstamque orationem protinus & sine mora contuli, minus malum ratus, si non rhetoricis coloribus adeo elaboratam ac diuturna præmeditatione conditam orationem, vel cum ingenii mei periculo ederem, quam si nimia meditationis mora officio meo in tempore non responderem. Circumspicieti autem mihi, quemnam orationi huic nostræ quærerem patronum, sub cujus auspicio, velut amuleto quodam in publicum exiret, tu unus, Reverendissime, ornatissimeque Antistes, mihi occurristi multis rationibus deligendus, cui hanc inscriberem. Cernebam enim, quanta in te semper aulæ hujus sita est autoritas, qua prudentia, qua dexteritate, qua omnium benevolentia cuncta administras, ac privati Cæsarei consilii per has provincias supremus præses, sic semper divæ Margaritæ clementissimæ Principi nostræ adstitisti, ut sine tuo consilio ac autoritate non ageret quicquam: cujus dignitatis & gloriæ ut semper studiosissimus fuisti, ita nunc quoque æternis ejus laudibus

HATHI TRUST DIGITAL LIBRARY

laudibus impensissimè faves. Quare ego me tibi rem non ingratam facturum puto, si hanc meam qualemcunque orationem tuo nomini inscripsero, quæ etsi non tanto verborum lepore, sermonis elegantia, sententiarum pondere, compositionis ordine tibi admodum probanda videbitur, sperò tamen, quod studium & pietatem meam in optimam principem non sis improbaturus. Quòd si tibi nimis prolixa videatur oratio, ubi recitanda erit, facilè illi aliquid decidemus. Scribendo tamen, & edendo de tam clarissimæ principis laudibus nunquâ quisquam esse poterit nimis prolixus. Vale. Mechliniæ, decimo Kalendas Ianuarias, anno salutis millesimo, quingentesimo, tricesimo.

Agrippa ad Amicum. XI.

MItto quaterniones duos, cæteros, ni fallor, habes. ego adhuc si meliusculè me habeam, puto me ad te venturum. nil oberit, si pares cœnam Pythagoricam, præcipuè caules pro me condiendos. Ab Augustino nihil postea literarum habui. Imò adhuc incertum mihi est, an illum fasciculum literarum receperit, quem, dum essemus Mechliniæ, cursorum præfecto assignavimus. Perditus omnino sum, si ille literarum fasciculus ad manus suas non devenerit. erant quippe in eo, quæ tam ad illum, quàm ad te & ad me, aliqua compendii maximi. Cæterùm rogo, ut mittas illum defectum ex libro de Vanitate scientiarum. jam siquidem cum excussore transegi. De monstro solari ad me scripsisti nihil, nec, si tibi placeat, nec, quid somnolerius ille, ille vini pernicies statuat. Alterum monstrum infra biduum videbis: siquidem diebus his occupatissimo, non fuit ocium mihi conficiendi illius. Pecunias si receperis, scribe, & libellos. deceptus sum à bibliopola, quin non ligatos, uti promiserat, dedit, sed dissolutos. Vale, & nos ama. Antuerpiæ, decimatertia Ianuarii, anno 1531. Veneram ad literarum calcem, cùm tuæ ad me redditæ sunt. De adventu meo fiet, quod postulas: pecunias aliquot misi. libros ego ipse hic divendam, & tibi aliunde pecunias expiscabor. Iterum vale.

Henricus Cornelius Agrippa ad Lectorem operis de Occultæ philosophiæ. XII.

NOn dubito, quin titulus libri nostri de Occulta philosophia, sive de Magia, raritate sua quamplurimos alliciat ad legendum, inter quos nonnulli obliquæ opinionis, mente languidi, multi etiam maligni & in ingenium nostrum ingrati accedent,

cedent, qui temeraria sua ignorantia nomen Magiæ indeteriorem partem accipientes, vix conspecto titulo clamabunt, Nos vetitas artes docere, hæresium semina jacere, piis auribus offendiculo, præclaris ingeniis scandalo esse, maleficum esse, superstitiosum esse, dæmoniacum esse, Magus qui sim. Quibus si respondeam, Magum apud literatos viros non maleficum, non superstitiosum, non dæmoniacum sonare, sed sapientem, sed sacerdotem, sed prophetam: Sybillas Magas fuisse, proinde de Christo tam apertissimè prophetasse: jam verò & Magos ex mirabilibus mundi arcanis ipsius mundi autorem Christum cognovisse natum, omniumque primos venisse ad illum adorandum: ipsumque Magiæ nomen acceptum philosophis, laudatum à theologis, etiam ipsi evangelio non ingratum: credo ego, istos tam pertinacis supercilii censores Sybillis, & sanctis Magis, & vel ipso evangelio priùs sibi interdicturos, quàm ipsum Magiæ nomen recepturi sint in gratiam, adeò conscientiæ suæ consulentes, ut nec Apollo, nec Musæ omnes, neq; angelus de cœlo me ab illorum execratione vendicare queant, quibus & ego nunc consulo, ne nostra scripta legant, nec intelligant, nec meminerint. nam noxia sunt, venenosa sunt, Acherontis ostium est in hoc libro, lapides loquitur, cayeant ne cerebrum illis excutiat. Vos autem qui æqua mente ad legendū venitis, si tantam prudentiæ discretionem adhibueritis, quanta in melle legendo apes, jam securi legite. puto namque vos & utilitatis haud parum, & voluptatis plurimum accepturos. Quòd si qua reperieritis, quæ vobis non placent, mittite illa, nec utimini. nam & ego vobis illa non probo, sed narro. Cætera tamen propterea non respuite. nam & medicorum volumina inspicientibus contingit cum antidotis & pharmacis simul etiam venena legere. Fateor præterea, Magiam ipsam multa supervacua, & ad ostentationem curiosa docere prodigia: simul hæc, ut vana, relinquite: causas tamen illorum ne ignorate. Quæ verò ad hominum utilitatem, ad avertendos malos eventus, ad destruendum maleficia, ad curandos morbos, ad exterminanda phantasmata, ad conservandam vitæ, honoris, fortunæ dexteritatem sive Dei offensa, sine religionis injuria fieri possunt, quis illa non tam utilia censeat, quàm etiam necessaria? Sed quia admonui vos, multa me narrando potiùs, quam affirmando scripsisse, (sic enim opus esse vitium fuerat, quò pauciora præteriremus) multa insuper Platonicorum cæterorumque gentilium Philosophorum placita secuti sumus, ubi instituto nostro scribendi suggerebant argumentum, ideo, si alicubi

alicubi erratum sit, sive quid liberius dictum, ignoscite adolescentiæ nostræ, qui minor quàm adolescens, hoc opus composui, ut possim me excusare, ac dicere, dū eram parvulus loquebar ut parvulus sapiebam ut parvulus: factus autem vir, evacuavi, quæ erant parvuli, ac in libro nostro de Vanitate & incertitudine scientiarum hunc librum magnā ex parte retractavi. Sed hīc me iterum fortè redarguetis, inquientes, Ecce juvenis scripsisti, & senior retractasti, ut quid ergo edidisti? Fateor: juvenis admodum hos libros scribere aggressus sum, spe tamē, illos aliquando correctiores locupletioresque ēmissurus, atq; ea causa Ioannī Tritemio abbati Peapolitano, quondam Spanheimensi, viro arcanarum rerum admodū industrio, primùm illos obtuli corrigendos. Contigit autem postea, ut ineptum opus priusquàm illi summam manum imposuissem, corruptis exemplaribus truncum & impolitum circumferretur, arq; in Italia, in Gallia, in Germania, per multorum manus volitaret, jamque nonnulli, impatientiùs, nescio, an impudentiùs, ipsum informe opus subprælum exponere volebant: quo uno perculsus malo, ipse ego edere constitui, cogitans, minùs periculi fore si libri isti paulò castigatiores mea manu prodirent, quàm si laceri per incondita fragmenta invulgarentur per manus aliorum. Præterea nullum nefas ratus sum, si juventutis meæ specimen perire non finerem. Addidimus autem nonnulla capitula, inservimus etiam pleraque, quæ prætermittere incuriosum videbatur. quod curiosus lector ex ipsius phrasis inæqualitate facilè deprehendere poterit. Noluimus enim opus ipsum totum innovare, &, ut ajunt, totam telam retexere, sed paulùm castigare, atque aliquid splendoris infundere. Quapropter iterum nunc, quæso te candide Lector, ne de præsenti tempore editionis ista libres, sed veniam des curiosæ juventuti, si quid fortè secus, quàm placeat, in istis deprehendes. Vale.

Reverendissimo in Christo Patri, ac principi illustrissimo, Hermanno è Comitibus Vuyde, Dei gratia sanctæ Colonensis ecclesiæ Archiepiscopo, sacri Romani imperij Principi electori, & per Italiam Archicancellario, Vuestphaliæ & Angariæ duci, &c. sacrosanctæ Romanæ ecclesiæ legato nato, & in pontificalibus vicario generali, Henricus Cornelius Agrippa ab Nettesheym. S.

D. XIII.

EA est illustris famæ tuæ celebritas, Reverendissime & illustrissime Princeps: ea virtutum tuarum magnitudo & doctrinæ

ctrinæ splendor, & frequens optimarū literarum exercitium, & cum solida prudentia gravis oratio, & elegans dicendi promptitudo, multarum rerum cognitio, constans religio, ac mores [illegible]udatissimi, quibus supra communem aliorum consuetudinē [illegible]ditus es: taceo priscas eminentis nobilitatis imagines, ac di[illegible]um cùm antiquarum, tum novarum thesauros, amplitu[illegible]m dominii, sacrarumq; dignitatum mitras, quorum etiā præstantia antestas cum corporis decenti forma robore: quæ licet omnia maxima sint, ego te tamen his omnibus longe majorem existimo heroicis illis & superillustribus tuis virtutibus, quibus sanè effecisti, ut quantò quisq; doctior est, ac virtutum amantior, tantò magis benevolentiæ tuæ sese cupiat insinuari. Vnde & ipse etiam illud decus tuum petendum mihi constitui, sed Parthorum more, hoc, inquam, est, non sine munere, quem equidem salutandi Principis morem, à priscorum usq; sæculis in hæc nostra tempora derivatum, & ad usq; huc observatum videmus. Cumque viderem alios quosque viros egregiè doctos, doctrinarum suarum pulchris magnisque muneribus te ornare, me solùs ego, velut cultus & venerationis tuæ desertor, ad tuam Amplitudinem vacuis manibus applicare ausim, cogitabundus ac circumspiciens in cella mea libraria, quo munere tam insignem Principem condonare possem, en inter recondita offerebant sese subitò libri de Occulta philosophia, sive de Magia: quos juvenis admodum scribere aggressus, & jam multis annis, vel oblitus, intermiseram: mox tuæ amplitudinis veneratione ad illos consummandos, velut ad vota reddenda, properavi: sanè quòd persuaderem mihi, nihil me tibi gratius dare posse, quàm antiquissimæ abstrusissimæq; doctrinæ novum opus, opus, inquam, curiosæ juventutis nostræ, sed antiquitatis doctrinam, ausim dicere, à nullis hactenus restituere tentatam. Attamen non in hoc tibi adscribuntur hæc nostra, quòd te digna sint, sed ut patefaciant mihi aditum ad benevolentiam tuā. Quocirca itaq;, si non est improbum, habeant apud te quandam excusationem. Nam tibi vota præfaturus sum, si hæc juventutis meæ studia tuæ Amplitudinis auspicio in notitiam veniant, ac, fugata, invidia, perennitatis jure illorum remaneat memoria nobis ad fructum bonæ conscientiæ, cùm plura in illis etiam seniori mihi visa sint cùm utilissima, tum cognitu necessaria. Habes itaq; opus non tam juventutis, quàm etiam præsentis ætatis nostræ. Multa siquidem juvenilis operis errata castigavi, multa compluribus locis interfulsi, multis capitibus adauxi, quæ ex ipsa orationis inæqualitate facilè deprehendi possunt:

HAVRÓ BIBLIOTECA CENTRAL UCV

possunt: atq; sic cognoscesme per omnem ætatem meam tuis obsequiis fore devotum. Vale, fœlicis Coloniæ fœlicissimus Princeps. Ex Mechlinia, anno 1531. mense Ianuario.

Amicus ad Agrippam. XIV.

LIbrum tuum de Vanitate scientiarum, Agrippa mi observandissime, volui offerre domino Principi Colonienſi, sed dominus de Malardiam antea unum Reverendissimæ dominationi suæ tuo nomine obtulit. significavi illi alium de Occulta philosophia Reverendissimæ dominationi suæ dedicatum, & quòd jam imprimeretur Antuerpiæ, ostendique quaterniones quinque, quos apud me habebam probavit ingenium tuum, teque summa existimatione apud præfatum Principem esse, quodque brevi pro te missurus sit. alius de te sermo mihi non fuit, nec postea præfatum dominum de Malard conveni. Itaq; quem mihi dederas librum Reverendissimo domino Colonienſi præsentandū, tuo nomine dedi Cornelio Sceppero, qui dixit mihi, illum à doctis quibusque probari. Curia est in motu, & ego pro expeditione nostra maximè occupatus sum, ita ut tempus non fuerit civitatem tuam perlustrare. Optarem omnia nostra, ut spero, fœlicissimè succedere. quod faxit Deus. Electio, credo, hoc die publicabitur. Obsidio Budæ soluta dicitur, intravitque subsidium Turcæ. Principes & civitates Imperii accordarunt Cæsari peditum quadraginta millia militum, & equitum octo millia contra Turcam. Negotia fidei ad Concilium intra annum promulgandum reimissa sunt. De rebus Italiæ nihil novi habeo. Curia intra dies quinq; hinc abibit Aquisgranum: ubi, facta coronatione, Rex Ferdinandus revertetur in Germaniam. Cæsar Bruxellas petet, ubi nos per hunc mensem adfuturos spero. Bene vale. Ex Colonia, decima die Ianuarii, anno 1531.

Agrippa ad Amicum. XV.

QVod ad te scribam, non habeo aliud, nisi quòd ego hîc egregiè esurio, ab istis aulicis diis totus prœteritus. quid magnus ille Iupiter, suspicari nequeo. ego quanto fuerim in periculo, jam primùm resciví. tantum enim, dictum est mihi, prævaluerant cuculliones illi apud Dominam, sed muliebriter religiosam Principem, ut nisi illa mox periisset, jam ego, quod maximum crimen est, monachalis Majestatis sacræque cucullæ reus, tanquam in religionem Christianam impius, perituru fuissem: sed & nunc audio illos adversum me multo crudelius instare

instare apud Cæsares, & librum nostrum de Vanitate magnis calumniis onustum tradidisse Ferdinando Cæsari primum, qui illum tradiderit Carolo Augusto graviter indignato suas literas suaque sigilla illi præfixa, mihique comminato nescio quas Cantharidum minas. itaq; iam non aliud expecto, nisi ut verificentur omnia illa, quorum ego in præfatione ad lectorē mihi vates fui. Sed interea ex te scire cupio, quid tu de negotio nostro acceperis, num mihi aliquando tam propitius futurus sit iste novus Iupiter, ut liceat mihi reliquos istos minutulos deos dæmonesque floccipendere: sin minus, saltem me possem aut aquilinis exuviis, aut marini vituli pelle adversus illius fulmina ob armare, vel lauri umbra protegere. Vale, & Cornelium Scepperum meo nomine salvere jube, & protinus rescribe. Ex Mechlinia, decimanona Ianuarii, anno 1551.

Amicus ad Agrippam. XVI.

GRatia & pax in Christo IESU. Mirum, quàm gaudeam & prope exultem, mi amantissime Agrippa, audiens te isthic, tanquam alterum Danielem in lacu leonum, esse excitatum qui gloriam Christi tam libere profitearis, etiam literarū monumentis verbum Dei extollens. Perge igitur, & Dominus erit tecum, haud dubito, cum sua gratia & spiritu. Mihi certè nihil gratius feceris, quàm si non solum me examini amicorum tuorum aggregaveris, sed etiam si, quod commodè poteris per compatrem tuum Gabrielem Stendelinum, amicum meum singularem, mecum libellos tuos communicaveris. Vertet enim id, mihi crede, in laudem Dei. Bene vale. Cursim Aldenburgi in Misnia orientali, undecima Februarii, anno 1531.

Agrippa ad Amicum. XVII.

TArditatem adventus mei molestam esse tibi non dubito, propter expectationem & desiderium videndi tabulam illam geomanticam Scepperi, quam sanè monstrabo tibi, dū venero: Veniam autem ante octiduum, si Deo placet. Hactenus enim multis & variis negotiis impeditus fui graviter, maximè ob acerbam amici mortem, medici nostri, cuius gebetum tu habes. is nudiustertius mediocriter constitutus erat: post cœnam verò, nihil dum mali sentienti, cùm se parat cubitum, leni tussicula erupta est vena, quam rosam vocant, & repente diffluente copiosius sanguine instar gurgitis suffoca-

tus est, magno omnium nostrum animi cum dolore & commiseratione. Vale. A vicesimaseptima Aprilis, anno 1530.

Reverendissimo in Christo Patri, ac illustrissimo Principi ac Domino, D. Eberhardo, tituli sancti Chrysogoni presbytero, Cardinali, antistiti ac principi Leodiensi, Henricus Cornelius Agrippa. S. D. P. XVIII.

QVod iam multis antea diebus ex Reverendissimo Domino Apostolicæ sedis Legato Laurentio Campegio Cardinale, ejusque secretario D. Luca, & D. Bernardo œconomo tum etiam ex serenissimi Poloniæ Regis oratore Ioanne Dantisco episcopo Culmensi accepi, Pater ac Princeps Reverendissime illustrissimeque, id hodie apud Celsitudinem tuam coràm audivi & perspexi, quod videlicet magnitudine beneficentiæ tuæ meum negotium apud Cæs. Maiestatem promovêdum suscepisti, in quo certè ego fortunæ meæ haud parum cõgratulor, quæ cùm me multis hic obligatum esse voluit, etiam tuæ Celsitudini potissimùm obligavit, qui non solùm, quod potes, idque velis, auxilium ferre, sed etiam quid in me dignum auxilio sit, facilè cognoscere atq; diiudicare queas. Atq; utinam ea nunc esset fortuna mea, talisve reditura sit, quæ olim, quò non tam capere ex tua Amplitudine beneficiũ, quam eidem etiam referre possem, profectò audentiùs abs te auxilũ peterem, tuamque operam liberiùs postularẽ. Verùm ego hactenus partim occasione Cæsaris, partim aliis adversæ fortunæ procellis ingẽtia damna passus, ad patientiã malorũ meorum, ad experimentũ amicorũ adactus, in obscuro vivere coactus sum, ferè cognitus à nemine, ut cui cũ fortuna etiã amici defecerint, qui omnes ferè sub idem tempus alii in longinquas legationes distracti absentes sunt. Neq; ultrò propter hęc omnia cecidit animus, neq; torpet, neq; defessus est. Quin imò est adhuc, quod olim constante fortuna erat, sanum pectus, vivax consilium, rerum gerendarum industria; in adeundis periculis audacia: sunt literæ, sunt artes, sunt linguæ, est rerum novarum prompta inventio, est externarum solida memoria, sunt avitæ nobilitatis imagines, militaria insignia, scholastici tituli, & benè gestorũ numerum, Pontificum, Cæsarum, Regum, Principumq; & magistratuum clara testimonia. Proinde & pater & avi & atavi & tritavi Cæsarum Romanorum Austriacorumq; Principum à longo ævo ministri fuerunt. Horũ vestigia & ego insecutus, divo Maximiliano Cæsari & pace & bello

& bello non segniter inservivi. Deinde & subaliis Regibus & principibus multa & literis, & militia, & legationibus gessi, longè peregrinavi, multa vidi, multa expertus, multa didici, & novi, & memini, & quantum mihi natura dedit ingenii, docuit ars, cumulavit studium, iustruxit experientia, tot vidi, tot novi, tot gessi, ut non dubitem, me etiam apud hunc Carolum Cæsarem nostrum posse insignem & gloriam & mercedem promereri, modò materia, occasio, favor non sint defutura, atq; sint, qui me, quis sim, quid sciam, quid valeam, quid possim, queant velintque cognoscere. Hæc me oportet Cæsari offerre primùm, qui meus naturalis Princeps est, cuius maioribus maiores mei servierunt, cuius avo servivi ego, & nunc servio etiam suæ Maiestati indiciarii munere, cui nuper præfecit me Princeps Margareta Cæsaris nomine, accepto sacramento meo ac iureiurando in manus Reverendissimi Archipræsulis Panormitani, idq; muneris iam supra annum & medium gessi propriis impensis, & verso domicilio, traducta familia, me in aulam contuli, renunciato omni externo commodo, imposita negotia sic peregi, ut nemo meliùs. Neq; tamen adhuc usque datum, neq; statutum debitum stipendium est. Quòd si nunc igitur talis sum, cuius opera Cæsari accepta esse possit, statuatur, unde vivam, certum stipendium: sin minus, compensent peracta servitia, & exoneratum damno ulterius frustra sperare prohibeant, liceatque vel aliena beneficentia frui, qui interea sub Reverendissimi domini legati pennis sperabo. Hæc ego nunc Celsitudini tuæ nimis prolixè, nimisque licenter, & fortè etiam arroganter narrasse videbor, & tibi molestus fui tam longa epistola: homo incognitus & pusillus. Sed tu, quæso, ne huic libertati meæ succenseas, sed clementiæ moribusque tuis gratulare, qui hanc mihi fiduciã subministrant, cuius eam magnificentiam, eam autoritatem esse scio, ut, quod mihi longi temporis tædio, indefessa solicitudine, nec minore dispendio, spe ambigua, cæterisq; aulicis molestiis prosequendum foret, id tuam Celsitudinem apud Cæsaream Maiestatem uno verbo posse efficere. Ego vero, ubi felicior fortuna sic mea direxerit negotia, quò tuæ Amplitudini in aliquo prodesse, aut aliter usui fore ac inservire queã, non verbis tantùm, sed re ipsa atque opera gratias agere conabor. Vale fœliciſſimè. Gandavi, duodecima Maii, anno 1531.

Doctissimo ac ornatissimo viro, Henrico Cornelio Agrippæ, comprimis amico Eustochius Chapusius. S. D.

XIX.

QVandoquidem sive fortuna, sive vitæ utriusq; nostrum ratio atque institutum ita fert, mi Agrippa, ut coràm, quæ volumus, commentari non liceat, proximum putavi, ut subinde mutuis literis colloqueremur, & illam suavissimam consuetudinem huiusmodi literarum xeniolis ac fomentis tantisper aleremus, dum per fortunam coràm, quæ viderentur, dicendi potestas fieret: non quòd amicitiam nostram tam fragilem tamq; nutabundam putem, ut illi talibus tibicinibus ac fulturis aliqua ex parte sit opus, sed quòd, necessarias non dixerim, ita iucundas amicorum literas esse nemo paulò humanior inficiaturus sit. Quo consilio & nunc quidem paucis ac tumulanter, & posthac tum fusius, tùm sæpius ad te scribere in animum induxi, simul quo testatum habeas, tui memoriam etiamnum apud me integram ac incolumem esse obiter te admonens, ut pari fide nostri meminisse velis, id quod te non dubito facere, simul quò leviculum quid, & quod tu nullo negotio præstare potes, abs te impetrem. De priore videmur satis. De posteriore sic habe. Libellis tuis, quorum alteri de Vanitate scientiarum, alteri de Occulta philosophia titulum fecisti, magno consensu hic ab eruditis ac studiosis omnibus applauditur. libellis, inquam, siquidem crassitudine aut chartæ numero eos æstimemus. Cæterùm si ex fruge, si ex penitissima reconditissimaque eruditione eos metiamur, iure audies, mi Agrippa, quod à Martiale Persius sæpius in libro memoratur, Cornelius uno Quam levis in tota Marsus Amazonide, ubi scientiarum vanitatem retegis, non illarum modò, quas Cyclicas vocant, sed mechanicarum etiam ac manuailarum propè omnium. Quanquam nomenclaturam duntaxat tam variarum rerum facere, non nisi singularis, sive ingenii, sive memoriæ fidelissimæ, sive potiùs utriusque, esse possit, tamen sic in unaquaque declamas, sic singula velut in numerato tibi constant, ut perpetuò in ea sola (de liberalibus dico) versatus videri possis. ut taceam, miraculi instar videri posse te id ætatis tantam tam multiugarum rerum cognitionem præterea esse assecutum. Iam verò de Occulta philosophia quid dicam per te prorsus è tenebris eruta? quæ plerique ab hominibus desiisse sciri putabant. Sed volo parcius, ne in os videar: & vino, ut aiunt, vendibili nil opus hedera. Tantùm admoneo, ut hoc ingenio atque industria mactus

mactus pergas, & de studiosis bene mereri, & te id genus lucubrationibus immortalitati consecrare. Sed jam, quod initio instituì, dicam paucis. Non est obscurum, dum de pellicatu sermonem haberes, quem virorum perstrinxeris ea in parte, cùm ingeris Nescio cuidam regi persuasum, &c. Et utinam tam ille verum esse intelligat, quàm id abs te non minus verè, quàm falsè proditum est. Cæterùm ne id videaris non constanti judicio, sed temerè ac inconsideratiùs dixisse, maximopere te rogatum velim, ut in tuæ existimationis, vel meam, aut publicæ utilitatis & tranquillitatis gratiam, postquam jam abs te jacta est alea, sententiam illam illustriorem ac probabiliorem facere non graveris, facturus. crede mihi, non exiguum operæ pretium, & simul reginam omnium gratissimam tibi conciliaveris, meque, cui jam olim es charissimus, tibi non vulgariter obstrinxeris. Si vis, nemo est, qui poterit argumentum illud te uno tractare fœliciùs: voles autem, si alioqui quicquam mea causa sis facturus, & ego jam eam de te fiduciam concepi, ut putem te nihil mea causa recusaturum. tu vide, ne nos frustreris, & quò certiùs ac faciliùs id præstare possis, agnoscasque, veniant quaqua parte sagittæ, mitto ad te libellum, qui solus sit ausus prodire in gratiam Regis: sed varii & innumeri prodierunt, qui tueantur res Reginæ, ex quibus unum tamen mitto, quàmplurimos missurus, si hoc abs te expeti sensero. Vale. Londini, vicesimasexta Iunii, anno 1531.

Clarissimo viro D. Eustochio Chapusio, Cæsareæ Maiestatis apud Anglorum Regem oratori, Henricus Cornelius Agrippa S. D. XX.

COgnita mihi est à multis annis tua in me benevolentia, Eustochi clarissime: nunc verò eò mihi perspicacior facta est, quò me invidiæ pelagus plenis velis navigantem, ac sævis jactatum tempestatibus ad majora impellis pericula. hoc existimo: ad insignem gloriam vocas, quam nullis unquam absque magnis periculis redimere concessum est. Vide, quem in locum me constituas, qui me adversus totius Galliæ & Italiæ famatissima gymnasia, tum adversus hujus mundi potentissimos Reges expostulas pugilem, ac si non Roffensis, Erasmus, Vives, Eckius, Cochleus, Sasgerus, Faber, & cæteri omnes adversus hæreticos stipendiati, athletæ me longè opulentiores, fortioresque & multis admodum assèclis stipati. Ego verò tam solus sum, ut, si cecidero, nō habeam sublevantem me. At, her-

HAB. BIBLIOTHECA OPUS. UNIVERSITARIA

cle, sorti opus est stabilique viro, non terga ferente in dubium, qui publicam perniciem privata redimere debeat. Vide tu, in quem locum me constituas. Ego vidi & legi, quem misisti librum, & quas pestiferæ conjurationis collegiorum turba congessit errorum sententias, quibus splendidissimam Reginam, totius patriæ lumen, densissimis tenebris involuere cupiunt, tantæ Majestatis contemptui etiam religionis incuriam sociantes, plenisq; temeritate sermonibus flagrantissimam Regio errori facem subjicientes. Non est mihi incognitum, quis artibus res hæc apud Parisiorum Sorbonam tractata est, quæ cæteris tanti sceleris autium temerario porrexit exemplo. vix me continere queo, quin imitatus poetam illum exclamem, Dicite sorbonici in theologia quid valet aurum ? Quantum pietatis & fidei illorum pectore clausum putabimus, quorum venalis magis, quàm sincera conscientia est ? qui extimescendas universo orbi Christiano determinationes auro venales fecerunt, ac servatam tot annis fidei & sinceritatis opinionem nunc tandem extrema avaritiæ infamia corruperunt : neque verò minus deforme fuit, suffragia magistrorum nostrorum censu, non æquitate exquirere, & formidolosam omnibus illorum determinationem precio sibi mercari faventem, partiumque emptivis suffragiis aucupari, quod liberis sententiis erat impetrandum. Hanccine camerinam me movere vis, & adversus hoc hominum genus collatis signis pugnare jubes, ac si, quod ais, nemo hoc argumentum me uno, si velim, tractare posset fœlicius: atque si ego non satis infensum theologorum & scholasticorum omnium odium præterita hac Vanitatis declamatione mihi peperissem, pauciores esque in universatibus, in aulis, in toto ferè orbe amicos habeam, quàm hostes. quorum opera factum est, ut mihi suspecta sit Anglia, infensa Gallia, etiam à Cæsare nostro, cujus beneficentia pro obsequio sperare debueram, indignationem, si diis placet, virtutis præmium referam. Hæc istic mihi dantur venerandæ literaturæ & præstiti obsequii atque laboris stipendia, tam infœlici sydere nato, ut semper ingratis soleam servire Principibus. Neque verò ista me tibi narrare putes, quod laborem hunc plena tua fiducia mihi injunctum, conquisitis excusationibus subterfugere, aut tantæ Reginæ gratiam recusare & velut contemnere velim, aut tam sim pusillanimus, ut sententiæ meæ, quam in libro de Vanitate scientiarum protuli, tuendæ perseverantissimus propugnator existere metuam, aut tam enervis doctrinæ, ut librum illum, qui potiùs lubrica Sophistarum opinione, quàm solido scriptu-

scripturarum robore contextus est, cui non nisi iniquissimorum suffragiorum consensus autoritatis umbram tribuit, nequeam expugnare, sed temporis & ocii oportunitatem operiri, autoritatisque occasionem & scribendi libertatem facultatemque aucupari me oportebit, ne caduca & fragili potentia tantum bellum aggrediar. Cæsaris namque & Mariæ illius sororis mandato licentiaque opus est. At mihi penes illos neque commendator, neque fautor est, & declamatio de Vanitate scientiarum me illis iniqua æstimatione invisum fecit. Quòd si tu hæc nobis impetraveris, confido me hoc negotium cum interrita dicendi libertati & fandi copia, tum invincibilibus scripturis, inexpugnabilibusque rationibus, non minore fœlicitate, quàm audacia, & acturum & peracturum. Tu si quid in hanc rem facturus sis, fac cito, & quid me facere velis, protinus significa. Nam Cæsar intra paucos dies hinc migraturus est. Ego ubi maneam quòve divertam, incertus sum. Nullus hic mihi ad rem augendam locus est, nisi vale dixero virtuti & veritati. tam firma manet vetus sententia, ut cum fatis exeat aula, qui vult esse pius. Mitto ad te orationem meam in funere divæ Margaretæ Principis habitam, jamque manu mea alicubi à typographi erroribus emendatam : tu cæteros, qui in gratiam Reginæ scripti sunt, libellos mittere ne graveris, in hoc facturus mihi rem omnium gratissimam. Nam Roffensis libellus admodum placuit. utinam liceret illi viro liberè omnia proloqui, nihil ob metum reticere. Vale, & me omnibus amicis commendatum habe. Ex omnium bonarum literarum atque virtutum noverca aula Cæsarea, nunc Bruxellis, duodecima Kalend. Augusti, anno 1531. Quas ad me remissurus es literas, eas dirige in domum Reverendissimi domini legati Cardinalis Campegii, qui unicus meus Mœcenas, & sine quo ego sub isto inanimi pecore (aureo vellere dicere volui) rapacissimorum luporum præda factus fuissem. Ad illius itaque œconomum, quem vocant Domus magistrum, literas tuas dirigito. Iterum vale.

Ad Cæsaream Majestatis privatum Consilium supplicatio Henrici Cornelij Agrippæ. XXI.

CLaritudinem vestram, Amplissimi Senatores, quotidianis turbare incursibus, atque tot repetitis urgere supplicationibus, testor superos & Deum ipsum, non minùs, quàm hoc eandem vestram nauseat Claritudinem, & me tædere: sed haud ubique par est, quum vestræ sublimitatis autoritas id

solo jussu præstare potest, quod ego à Cæsarea majestate jamdudum anxius expecto. Dico autem anxius, non quòd de petitionis meæ æquitate & justissima ratione diffidam, Cæsarisve judicium reformidem, sed de qua pendeo, aliquorum hominum fidem, qui me forte velut peregrinum hominem minùs notum, minùs amicorum hîc habentem, rejiciendum & contemnendum censent: neque qui sim, quid sciam, quid valeam, quid præstare possim, velint Cæsarem cognoscere: atque utinam præterea non etiam obtrectarent, quorum opera jam tot vanis procrastinationibus hactenus suspensus, à finantiarum quæstoribus postergatus, à Cæsare contemptus, dum ventura quæque expectarem commoda, bona amisi præsentia, damnũ certum sub promissorum stipendiorum ambigua spe passus sum, quousque alieno ære obstrictus, & usuris propè præscriptus, destitutus auxilio, dum sequor aulam, abiens domicilio, esurit familia, illachrymantur filii, persequuntur creditores, & cum damno crescit mortalis egestas, etiam ne personæ meæ securus sum. Hæccine venerandæ literaturæ & commissi muneris, præstitique obsequii à Cæsare stipendia accipio? quòd ad restim, ad laqueum, ad desperationem propè adactus sum: atq; utinam certò desperare liceret, & solutus jurejurando Cæsari præstito deletus essem de illo Cæsareo libro vitæ, in quo non modò fortuna mea, sed & spes quoque mea captivata est. Verum de vestra Claritudine aliquanto mihi melior opinio est, ut qui non adeò crudeles sitis, ut ne insontem perire limatis, & ob exiguum debitorum summam, auxilii inopem relicturi sitis: sed quod in vestra potestate situm est, ut si numerare stipendium laborumve mercedem promptum non sit, dilationem solvendorum debitorum, quæ sæpe per nos externis mercatoribus ad plures annos etiam pro maximis debitis, nec absque reipublicæ onere concedi solita est, mihi aulico vestro saltem ad modicum tempus non sitis denegaturi, quousque à Cæsare aut constituto stipendio, aut meritorum præmio detur, unde solvam, aut ab illo absolutus, repudiatusque liceat frui alienis beneficiis. Hanc unam ab autoritate vestra mihi præstari gratiam postulo, cedatque creditoribus, quicquidid est quod ego promeruisse stipendii censebor, habeantque fidejussorem Cæsarem pro quo ista patior. Quòd si secus vobis persuasum est agere certè nullus alius mihi neq; ad satisfaciendum, neque ad supplicandum locus vacabit, atque alio quovis tunc vel pessimo consilio vivere oportebat esurientem & desperatum, ad illud tunc cùm Cæsaris ingratitudine, tum vestræ severitatis inclementia,

clementia, meoque justissimo dolore vivendique necessitate compulsum. Bruxellæ, anno 1531.

Alia ad idem consilium supplicatio. XXII.

SI super illis, quæ mihi diva Margarita Princeps constituit, & expediri toties jussit per finantiarum illos finissimos, ut ita loquar, proceres satisfactum fuisset, non haberem, quod nunc de Cæsare conquererer. Verùm quum me ab illis inanibus pollicationibus suspensum, vanis dilationibus postergatum, fallis promissis delusum, tandem deprehendissem, & me, adempto fructu, frustra laborem accepisse cognovissem, quorsum aliò mihi recurrendum est, quàm ad vos Cæsaris consiliarios? nam illi, instar Pilati, lotis manibus rem meam rejecerunt in Cæsarem, quem jam supra septimum mensem supplicabundus dum sequor, statuæ magis, quàm homini canere videor. Sic ille me in morem terrestris ranæ sitientem frustra vociferari passus est, atque dum peregrinus in diversorio magno dispendiorum onere & damno non immodico malum malo accumulo, esurit familia, crescit æs alienum, persequuntur creditores. ipse ego judicio vestro periclitor, nec muneris mei stipendium, nec meritorum præmium, nec laborum mercedem, nec solvendorum debitorum meorum dilationem, ob æquissimas causas justissimasque rationes mihi concedenda impetrare queo: atque majus fortassis futurum nunc est damnum meum, quam quod debito mihi stipendio resarciri queat aut redimere illud velit Cæsaris parsimonia, ne dicam avaritia. Quorsum igitur aliò, quàm ad vos viros sapientia graves, æquitate conspicuos, prudentia spectabiles, mihi recurrendum est? An me ignoratis, ô oculatissimi virorum? ipsa opera mea me vobis prodere potuerunt, aut hactenus de me periculum facere potuissetis. An me contemnitis, despicitis, refugitis?

—— non duris genuit me cautibus horrens
Caucasus, Hircanaq; admôrunt ubera tygres.

Sum enim non solùm ingenuus, sed & spectabilis genere, nec tantùm clarus imaginibus avitis, sed & propriis titulis militia doctrinaque partis, nec modò scholasticis tyaris, sed etiam militaribus insignibus decoratus, qui sub diversorum Regum imperatoribus militiæ præfectus, nitido coruscans ære strenua edidi facinora: inde per Italiæ, Galliæ, Germaniæ, celebrata gymnasia pulpito donatus, publicis theatris prælegi, splendida fama doctor: sunt mihi horum aliorumque bene gestorum munerum summorum Pontificum, Cæsarum Regumque &

potentatuum clara testimonia. Multa olim fœlicis fortunæ experimentis evectus præstare potui, etiam Regibus & principibus, qui nunc indignante fortuna mihi ipsi vix queo sufficere. At fortè exulabit aliquandiu fortuna mea, non expirabit: vivemus aliquando fœlicioribus astris, qui nunc agimur adversis. Sunt adhuc mihi & plus quàm olim, optimæ literæ ingenuæq; artes, inveniendarum rerum novarum pervicax ingenium, sanum pectus, vivax consilium, rerum gerendarum industria, in adeundis periculis audacia, in sustinendis laboribus vires, atque ad patranda accepta Regibus facinora infractus animus: sunt & variorum populorum linguæ, & mores, & cum multarum rerum experientia etiam solida memoria. Quòd si Silenum illum invertere oporteat, essent etiam astus, calliditas, versutia, uterque dolus, & malorum quorum vis scientia atque potestas, ingeniumque nocendi doctum, etiam potentioribus. Hæc quoties in meipsum ingressus recogito, non possum nec debeo, nec volo ulteriùs hoc miseriæ cœno volutari, tam magno meo meorumque cùm damno, tum ignominia & exitio. At quorsum aliò mihi recurrendum est, quàm ad vos magistros in Israel, quos decet ista Cæsari evangelizare primùm: qui si me condigna veneratione & præmio suum agnoverit, nulli unquàm alteri Principi serviturus sum lubentiùs, quàm sibi, cujus majoribus mei progenitores longa serie servierunt: vosque pariter me lucrati fueritis vobis semper obsequentissimum. Quod si me Cæsar ipse repulerit, convertar tunc ad gentes forte, quæ non verentur illum, si fortè clementiam, quam in naturali principe meo non reperiero, apud externos populos, vel hostes patriæ, efferataque barbarorum ingenia consequi valeam, & prætereuntibus me cum sacerdote Levita excipiat Samaritanus. Neque verò quis suam regum unquam adeo est aut fortuna fœlix, aut imperio potens, aut sapientia efficax, ut nullis egeat hominibus, qui fide, constantia, audentia, prudentia, taciturnitate illi aut domi adsint consilio, aut foris curent reipublicæ suæ negotia. Nec me latet, quo nunc in pelago fluctuent res Cæsaris, etiam quas fortè arcanas & maximè reconditas putatis, nec tam sum improvidus, quin ex ratione præteritorum etiam defuturis, citra aliam quamvis divinationem, conjectare sciam. Certè si unquam aliquando Cæsari opus fuit hominibus, nunc nunc omnium potissimè & maximè opus est, non secus atque mihi opus est Principe, qui mea opera utatur, abs quo mihi egregio aliquo facinore famam honorem & opes rursus accumulem: non qui me ociosa cunctatione fallat, & spe inani perire sinat. At, ne vos lateat, sunt, lateor, & Pontifices, & reges, & Principes, & Respublicæ, qui me propositis magnificis conditionibus ad munera, ad honores, ad officia expetunt, quique non solùm stipendia, sed & domicilia, prædia, possessiones, filiorumque beneficam curam cum his offerunt: sed eo malorum clavo hic difixus teneor, ut si etiam ad proximum lapidem me optima quævis fortuna maneat, hanc tamen nequeam arripere. Quin Tantali convivium hic ludere cogor, admotaque ore tenus poma, & aquas esuriens sitiensque capessere nequeo: hoc ipso etiam Tantalo miserior, quòd mihi hic ne uno quidem illo interorum solatio, quod ajunt Nullam sperare salutem, frui liceat: adeo mihi nec sperandi, nec desperandi facultas conceditur. nam aliunde spem auxiliúmve capere, quàm à Cæsare, cui jurejurando astrictus sum, non tam nefas esset, quàm crimen Majestatis. Proinde cùm mea salus, si qua futura est, non magis in auxilio, quàm in auxilii celeritate consistat, non video, quid sperare potero ab hoc Cæsare quavis cochlea & testudine tardiore, qui cunctando jam ad hanc ultimam me adegit calamitatem. Quorsum igitur aliò nunc mihi recurrendum est, quam ad vos ejus consiliarios, quibus data est potestas, quos vultis, in album recipiendi, &, quos vultis, submovendi? Nunc ergo aut facite me apud Cæsarem esse aliquid, aut me à præstito Cæsari jurejurando liberare, ut, illo me repudiante, si aliunde quævis bona fortuna me respexerit, liceat hanc vel cum illius offensa, obvijs manibus apprehendere. Si alterutrum horum præstiteritis, non habebo, quod de vobis aliquando jure conqueri possim: sin neutrum, & me patrocinii vestri indigum à clementiæ vestræ sinu repuleritis, quam neminem supplicum unquam difficilem habere decet, jam cogeretis me acceptam ea repulsa injuriam ad novarum rerum licentiam transferre, & malo aliquo consilio (ceu quale Hermocles dedit Pausaniæ) uti oportere, sive quod docet Satyrus ille inquiens,

Audi aliquid brevibus Gyaris, vel carcere dignum,
Si vis esse aliquid. ——

Quin & malis artibus sæpissimè bona fortuna parta est, & perituro melius est anceps experiri consilium, quam nullum. Sæpissimè enim humana desperatio ut speratis fallitur, insperata facilius assequitur, & fortuna virtute prædita scelere recuperanda est. Sed interea memineritis, inter Æsopi apologos esse, murem aliquando subvenisse leoni, & scarabeum expugnasse aquilam.

aquilam. multæ siquidem perpusillæ bestiolæ sunt, quæ contemptæ maximis etiam beluis rem facessant. Nullus tam abjectæ sortis, qui non possit per occasionem prodesse amicis, & nocere inimicis, etiam potentissimo cuique. Nullus ingenui animi vir tam unquam prostratus jacet, cui pudor, ira, dolor ingens, & pertinax necessitas novas vires novasque artes non suppeditent, quem non fortem & ad omne facinus intrepidũ reddant, etiamque sagacem. Nolim tamen ego pro mure scarabeus fieri. Quid autem futurus sim, in vestro consilio & Cæsaris arbitrio repositum est. Potestis vos me Cæsari servare: potestis etiam me illi perdere. Vos boni consulite, & meæ huic amartiudini ignoscite. nullum enim tam pusillum animal est, quod angustiatum non excandescat. Atque ipsi scitis carere crimine, quod extremæ calamitatis necessitate committitur. Quòd si quid peccavi, simque vel asinariæ molæ reus, jam satis supplicii eo ipso de me sumptum est, illò usque adactus, quòd cogor non tam pro merito stipendio, pro mercede laborum, pro præmio virtutum, quàm pro securitate personæ meæ, pro vita parvulorum meorum, atque pro abdicatione, pro repudio, pro ipsa denique desperandi licentia supplicare, Bruxellæ, anno 1531.

Agrippa in Carcerem conjectus ad Amicum.

XXIII.

CVm ante hoc triduum, Vir clarissime, & tua autoritate & totius privati Cæsarei consilii decreto Alexio Falco interdictum sit quicquam infra quindecim dies adversum me attentare, nihilominus ille, contempta autoritate vestra, me hoc manè per Bruxellanos apparitores in carcerem conjici fecit, fese unà cum Ioanne Plato utrisque stipatoribus, sed perfidis nebulonibus, comitantibus. quod illorum factum & intentata in me eorum violentia in tuæ præstantiæ ignominiam & totius consilii Cæsarei ac senatorii ordinis vestri opprobrium non vergere non potest. Verùm tueamini vos vestram autoritatẽ, quando lubet, mihi præsentaneo opus est remedio. Te igitur nunc appello, quòd, ut potes, ita velis, autoritate tua succurras, atque hoc injusto carcere liberum restituas, meæque fortunæ rationem habeas: quem non vitium, sed virtus pessum dedit, quemque nullum crimen, nullum scelus, nulla improbitas, nulla lex, nullum jus, nulla æquitas. sed Cæsaris ingratitudo & consiliariorum negligentia afflixit. Vale. Ex carcere civitatis Bruxellarum, vicesimaprima Augusti, anno 1531.

Amicus

Amicus ad Agrippam. XXIV.

S. P. Cum libertate adii Reverendissimum Panormitanum, tui, ut mihi semper visus est, virtutumq; tuarum apprimè studiosum: eique significavi tuum rerumque tuarum statum infortuniorum plenum, rogavique Reverendissimi Domini, D. Legati nomine, ut pro justitia tibi adesse velit, remque hanc separatim aperui, ex qua detentus es. quod ut commodiùs & planiùs facerem, literas ei reddidi, respondit perhumaniter, daturum se quam primùm operam, ut liber evaderes, jusitque, ut ad te scriberem, ut interim bono sis animo, dixi me redituram ad horam, quod renuit. seque pollicitus est missurum è suis aliquem, qui significaret domino Reverendissimo liberationem tuam. Quod si, ut accepit, præstabit, non erit opus, ut denuo redeam: sin secus, quod nolim, inciderit, redibo, neque ulli aut labori aut operæ parcam, ut cùm libertati tum nobis tui amantissimis hodie restituaris omnino. Vale, fortique animo sis. Ex curia Reverendissimi Domini legati, 21. Augusti, anno 1531.

Agrippa ad judices. XXV.

DIlationem solvendorum debitorum hactenus concedere noluistis: tum Cæsarem fidejussorem accipere renuitis. Quid mihi proderit vestræ autoritatis implorata clementia, si æqua petentem repellitis? Quid valet apud vos Cæsaris fides, si illum fidejussorem refugitis? An fortè illum de hoc hominum genere esse putatis, quos promissa non obligant? Quam tum vultis me ex istis haurire sententiam aliam, nisi aulicam hanc vestram benevolentiam non nisi blandiloquentiam ac fraudulentam simulatrem esse, allasque datas mihi tam magnificas aulicorum titulorum exemptionum privilegiorumque Cæsareas literas & sigilla, non nisi meras nugas & ampullas esse, atque illa tum prodigia stipendiorum & beneficiorum promissa, esse non aliud quàm verborum inanium crepitum, fumumque plus quàm poeticum, atque, quod est in fabulis de Echo nympha, nil nisi meras voces sine corpore? Ohe, hæccine mihi præbebitis scribendæ Cæsareæ historiæ laudis suæ indicia, inclementiam, avaritiam, ingratitudinem, literarum fidefragium posteritati propalanda? Dicite mihi, an decorum est Cæsari, quòd ego suus Indiciarius jurejurando sibi adstrictus, jam propè ad biennium vacuum stipendio munus gessisse, & dempta mercede obsequium præstitisse debeam? qui dum supplicabun-

HANOVER LIBRARY OHIO STATE UNIVERSITY

plicabundus hanc aulam sequi cogor, si non excepisset me Reverendissimus legatus apostolicus Cardinalis Campegius, fame periisse potueram. Fortè cum multis mihi hoc commune malum esse dixeritis, nec me solum aliena vivere quadra, sed & omnes ferè Cæsaris stipatores, satellites, ostiarios, etiam qui illi à cubiculo sunt, id agere, quos passim mensas circumire alienas, vicissimque & alternatim peroratorum adventitiorum, quæ satraparum, curias, veluti mensalium sermonum exploratores aut parasitos, sua prandia & cœnas emendicare vi lemus, & tanquam lupos fabulæ supervenientes sermones quosque liberiores odiosa sua præsentia restinguere non immodica Cæsaris ignominia. Hic velim vos aliquando audiretis, quæ sæpissime audio ego: videretis, quæ video ego. Certè si Cæsaris honos vobis cordi esset, aliter illi consuleritis, nec tam luscis oculis avaritiæ suæ conniveritis, quasi non sit turpe Cæsari, suos stipatores mercedis inopia laceros, obæratosque proceres precariò victum quærere, quodque vos me suum Indiciarium coram vobis litibus destinatum, carcerisque terroribus vexatum, cùm habeam mihi debitorem Cæsarem, illo præterito, jubeatis emendicare ab amicis quod solvam creditoribus. Quæ hæc vestra æquitas, quæ justitia est? anne summum jus in summa injuria vobis repositum est? An non satis dedecoris & injuriæ passus vobis videor, qui contra jus & æquum, contra decretum vestrum, contemptaque autoritate vestra, & pendente coram vobis lite, alieni judicii violentia, instar latronis & sacrilegi ductus coram omni populo, atque in carcerem conjectus sum, nisi vos me ultra tantam ignominiam etiam mendicitatis ludibrio exponere velitis? Hæccine vestra sunt remedia? Sub qua unquam tyrannide, quantumvis barbara, sæva, fera, truculenta, crudeli, auditum aut lectum est, hominem literatura venerandum, virtutibus colendum, obsequiorum benemeritis præmiandum, innocentia innoxium, taliter mulctatum, quàm me à vobis, & sub hoc Cæsare, principe, ut dicitur, quantum in se est clementissimo? Aut agnoscite Cæsarem mihi debere aliquid, aut non debere. Si debet, habete illud in depositum, habete illum fidejussorem, ni illum fide prorsus carere censueritis. Quòd si non debet, liberate me à jurejurando, & ego non solum inveniam quod solvam creditoribus, sed & calamitatem hanc mox in fœlicitatem commutavero. Veruntamen scitis ipsi & fatemini, insignem mihi factam esse injuriam ac jure deberi mihi & honoris & damni reparationem, longè superiorem illo quod abs me putatur. eadem causa est debitorum & injuriarum. ad idem judicium spectat, simul, non separatim agenda terminandaque est, decet reconventionem illam habere vim depositi. At vobis major, quàm mihi, facta est injuria: sed majus meum dedecus & damnum. Quocirca & procuratorem fiscalem mihi adsciscere postulo. Quòd si vos in adversarii mei gratiam, cùm vestram, tum Cæsaris ignominiam ulciscì nolueritis, ego, qualisqualis sum, meæ famæ crudelis & honoris mei prodigus esse nec debeo, nec volo, nec illatam mihi injuriam pro qualitate personæ meæ tam pauci æstimandam censeo. Quin quòd ultra læsi honoris mei reparationem ad utilem emendam jure mihi cedere debeat, plus decuplo superaturum sit id, quod abs me petitur, debitum. Quòd si cedere cogor violentiæ, & potentioribus par esse non potero, infirmitati fortunæ meæ imputabitur: verùm honoris mei vindictam & injuriarum ultionem, si data aliquando oportunitate vindicare neglexero, hoc certè ignaviæ, pusillanimitatis & excordiæ vitium esset. quod ab ingenuis animis tam semper alienum fuit, ut multi quam honoris sui vindictam judicum sententia non obtinuerunt, alii vi, alii dolo, alii sicariatu & veneficiis prosequi non dubitarint. Vos, non dubito, quin facietis, quod æquum & justum est. Bruxellis, anno 1531.

Agrippæ Protestatio iudiciaria. XXVI.

SI, pendente lite, à debitore creditorem extra judicium solutionem accepisse constiterit, num secundariò solvere tenebitur in judicio? Quid, si creditor vi, aut rapina sibi sive solverit, sive pignus abripuerit, aut irreparabile damnum eandem ob causam intulerit, num etiam damnabitur illi debitor in judicio? Alexius Falco vi & violentia rapuit mihi bonum nomen meum, rapuit bonam famam meam, contumeliatus est in personam meam, & irreparabilem intulit mihi cum damno & corporis & honoris injuriam: nonne ipse sibi satisfecit supra sortem debiti, atque ex creditore factus est debitor, ex actore reus, ex civili criminosus? An gratis ista ego passus ero? Reddat mihi bonum nomen meum, reddat mihi bonam famam meam, restituat honorem, repatet injuriam, reficiat damnum & interesse: desinat petere, qui factus est debitor: cesset agere, qui reus factus est judicio. Non iniquum peto, non diversum ago, de eadem re lis & causa est, & actio inseparabiliter sibi cohærens, quæ eodem judicio, eadem instantia, una sententia simul terminanda est. Puto, nulla lex, nullum

nullum judicium, nullum jus, nulla æquitas aut me condemnare poterit, aut illum reddere indemnem. Quòd si, testibus legibus, malè meriti nulla debent justitia, nec fide gaudere, quàtò magis nullum meretur judicii favorem sentire, qui in judicium tam atrociter commiserit? si vim vi repellere licet, quantò plus jure? Si dolosus doloso in nullo tenetur, quantò minus doloso innoxius? Si culpa cum culpa compensari debet, quantò plus justa reconventione? Hęc oro, & illatam etiam vobis injuriam vestræ claritudinis cùm justitia, tum æquitas ante oculos habeat, nec me insontem & sine vestro favore periturum, tam inclementer perdere velit, qui me vobis humillimè semper commendo. Bruxellis, anno 1531.

Agrippa ad Cæsarem. XXVII.

AD eam miseriam ob tuum servitium redactus sum, metuēde Cæsar, ut præter vitæ exitium majorem mihi irrogare non poteris: & licet nuper mihi, nescio qua inclementia, & aures tuas occluseris, & oculos tuos à supplicatione mea averteris, denuo tamen, veluti in moribundis solet Natura, ultimum conatum experturus ad tesupplex redeo, non aliud petiturus, nisi, quòd si à clementia tua debitum virtuti & labori præmiū impetrare non liceat, saltem ab indignatione tua, si qua erga me est, obtineam repulsam: quodque sperare non licet, subeas desperare, & solutum me à jurejurando tuæ Majestati præstito, repudiatumque liberum abire sinas: & huic desperationi meæ admodum coactissimæ ne succenseas, necessitatique exlegi veniam tribuas. Bruxellis, anno 1531.

Agrippa ad Amicum. XXVIII.

REquisitus ab Amplitudine tua, Pater Reverendissime, ut quæ mea opinio sit super Cometa hesterno vespere viso, brevi scripto aperirem, non ignoro, quàm temerariæ arrogantiæ id mihi imputari posset, ad tantam præstantiam tuam aliquid de his rebus non satis comperta veritate, nec exacto judicio scribere. Maximum autem crimen ratus sum, tuę Humanitatis, cui plurimum debeo, præcepto, in tempore non respondere. Malui itaque erroris & vel temeritatis subire periculum, quàm inobedientiæ incurrere crimen, sciens, jamdudum ex Sacris literis edoctus, pluris esse obedientiam, quàm victimam. Itaque in tam tristi laborum meorum absentia, quod mihi de his rebus velut umbra quædam memoria hæret, jam proferam in medium. Qui de astrorum judiciis scripserunt, novem aut

forte decem narrant cometarum stellarum genera. Neque tamen inficior alia, & ab his diversa cometarum genera à posteris comperta, & olim ultra trigintaduo genera cometarum à Stoicis depicta. Hinc pogonios, acontios, piphios, phitetes, ceratios, lampades, hippeas & ejusmodi plures à Græcis nuncupatos. Sed ego vulgatum apud astrologos numerum sequar, qui horum unum Saturnium vocant, qui plumbeo livore pallens, caudam non adeo portensam habet, ut cæteri. Denique Iovios duos, quorum unus argentum ab argenteo splendore & cauda lucidissima nuncupatur, alter Rosa dicitur, qui majusculus formam habet tanquam faciem hominis, caudam prolixam, & colorem in citrinum vergentem, velut aurum argento mixtum: estque lucidissimus. Post hos Marti adscribunt quatuor. horum unus Pertica dicitur ardens & igneus, cujus cauda unico radio in longum instar ardentis lanceæ protensa: alter dicitur Veru, priori haud dissimilis, nisi quia caudam undulatam veluti continuò vibrantem habet: tertius Tenacula, à bifurcata cauda, nomen tenet: quartus Rubea matura nominatur, colore rubeo & igneo, cauda multis radiis protenso. Proinde Veneris est unus, qui dicitur Miles, omnium ferè perniciosissimus, qui corpore grandi, cauda longissima, candens ac refulgens. Porro unus datur Mercurio, & dicitur Dominus Astoriæ, colore citrino & radianti, corpore crispo, undiq; brevibus radiis veluti barba emissis. unde etiā Barbatus à plerisq; nuncupatur. cauda ejus non nimium protensa, neq; admodum lucida Hęc si rectè memoria teneo, contemplatus hesternum cometem, illum aut Saturnium, aut Mercurialem existimo. videbatur n. mihi pallens & livido colore refulgens, quo ipsa etiam Saturni stella relucet: tum cauda neq; prolixa admodum, neq; lucida: quia verò crispatus aliquātulum apparuit, & velocioris transitus, quàm si cæli motum sequetur, hoc ad Mercurium attinet. nihil tamen de natura illius adferre ausim, quousq; eum & meliùs contēplatus & acutiùs mihi perspectus fuerit. Verùm, quod de situ ejus deprehendi, corpus erat hesterno vespere ad occidentē sub tertia facie leonis pendens, cauda ejus recta linea portendebatur per duas posteriores stellas majoris ursæ, in stellā polarem, id est, ex occidēte in septentrionem: movebatur aūt motu aliquo & irregulari & quasi trepidante, descendens & occidens versus dexteram. Verùm quid portendere videatur, ex multis considerationibus aucupari necessum est. Primùm ex natura planetæ, quē imitatur: deinde ex natura signi, sub quo apparet & ambulat: tertiò ex natura sideris aut stellæ behemæ,

a qua pendent: deinde perquirēdæ sunt Principum nativitates & intronizationes revolutionesq; ut sciatur, si in alicujus eorū nativitatis intranizationis revolutionisve ceciderit horoscopum: aut si forte signum professionis, aut locum directionis, aut locum hilech alicuius istorum occupaverit, quod si cōpertum habeatur, suspicari licebit de illo Principe, non modicam illi, aut vitæ, aut honoris, aut regni, aut fortunæ imminere periculum: tum quod de Principum, id etiam de regnorum & ortu & revolutionib us horoscopisq; accipiendū est. Hæc sunt, Reverendissime Pater, quæ utcunq; reminiscens hoc abortivo festivoq; calamo tuæ humanitati tradere potui, qui me hoc mane respondere jussisti, aliàs exactiori perquisitione eā rem tibi declaraturus, si & librorum & otii copia nō sint defutura multā. n. requirit diligētiam hoc divinationis genus. nam nisi quis justis instrumentis cometæ declinationem, latitudinē, ascensionem rectā & obliquam distantiā à sole, ejusq; motum ab initio apparitionis suæ usq; in finem noverit, quin & causæ illius consimiles dispositiones versionesq; scrutatus fuerit, nihil recte prognosticaverit. Illud autē dicere nō verebor, quod quemadmodū corpus cometæ est significator eventus futuri, ita cauda est ostentor regionis, ubi hæc potissimum futura sunt. Quia igitur cauda huius cometæ septentrionē versus recta protenditur, certe quicquid id est, quod per illum cōminatur, sive significatur, in illis regionibus, illarumq; triangulis fortietur effectum. Valeat fœlicissimē tua reverendissima Paternitas, cui me humillimè commendo.

Doctissimo ac Ornatissimo viro, Henrico Cornelio Agrippæ, Eustochius Chapusius S. D. XXIX.

MAgnopere sum proximis tuis ad me literis delectatus, doctissime Cornelii, non tam quia elegantes atque eruditæ essent, & bene facundæ, quamvis hoc etiam nomine perquā placent tua omnia: quàm quod veterem illam amicitiam nostram ac suavissimam consuetudinem sic vivam referebant, sic spirabant recentem vegetamq; ut absentia atq; solitudo, qua jam annos aliquot disperimur, non modo damni aliquid aut imminutionis non attulerit, ut etiam incrementi aliquid atque auctarii videatur accessisse, luculento nimirum & aperto argumento, non ea ratione hanc cōsuetudinem à nobis susceptam initamq; esse, qua vulgus hominum solet, qui stultè ac temerè bracteatam quandam, ut ita loquar, ac superficiariam amicitiam ad tempus, hoc est, tantisper dum corporibus præsentes sunt, metiuntur, & in summis duntaxat labris natitantē

habent non etiam impressam animo: in quos Propertianum illud rectissimè quadrat:

Quam procul est oculis, tam procul ibit amor.

Superos comprecor, mi Agrippa, ut hanc benevolentiam, qua uterq; alterum arctissimè complectimur, perpetuam esse velint atq; vitalem. Sed nunc, paucis istis sic præmissis, ad rei, quæ de nobis hoc tempore instituta est, fermo, caput perveniamus. Meritò te amo, mi Agrippa, ac facio plurimi, qui, quod proximis diebus magno ardore abs te cōtendi, id me tam facile tāq; benigne pateris impetrare. profectò si quid unquam a me vicissim postulabis, quod quidem in me sit situm, faxo, ut ne postulaveris frustra, sentiesq; cum eo tibi rem esse, qui non segniùs neq, illibentius beneficium in loco dare velit, quàm accipere, & quanquā initio nonnihil tergiversari videaris, varias causificationes adferens in medium, quō negotium abs te amolitus in alios, putà vel in Erasmum, vel in Vivem, vel in Cochleum & cæteros reiicias, nihil agis. O bone, hæc ego modestiæ atq; prudentiæ tuæ, ut debeo, tribuo: modestiæ sanè est, quod te intra mediocritatem ponens, alios ad tam præclarum facinus patrandum putes præ te accersendos, quos & ingenio, eruditionis gloria & dicendi facultate ac copia te ducis præstātiores. sed de hoc viderimus mox. Iam verò quis non videat prudentiæ illud esse, & quidem nō vulgaris, dum rem omnem diligenter atq; ad amussim perpendes, acutè & graviter perspicis, quam numeris omnibus absolutum requirat artificem, ac proinde subvereris, ne tantæ sarcinæ semel in humeros admissæ, si deprehendaris impar, malignis & vitiligatoribus hominibus ridendum te ac exsibilandum propines: sic fortassè cum animo tuo rationem iniens si captivus ille Alexandri exercitus peritissimus sagittandi artifex, ut erat dictus, obq; eam rem coram Alexādro adductus, quo specimē aliquod artis daret, mortis periculum adire maluit potiùs, quam de fama atq; existimatione periclitari: quantò fecero consultius, si me, meo, quod aiunt, pede dimetiens, contineam à re tam ardua manus: & profectò perquàm eleganter & graviter, nec minus vere à Thucydide scriptum est, Insciti am audax quiddam esse & sibi perfidens. contra eruditionem atq; prudentiam subtimidam & verecundam esse ac cunctabundam. At ego utraque de causa multò magis in pem vocor, fore, ut si res sit tibi cordi, ut confido esse, siquè admoveas manum, ut nemo mortalium sit argumentum illud fœlicius ac maiore cum energia tractaturus: id quod scripsi ad te proximis meis literis:

neque adduci possum, ut dictum ipsum mutatum velim: quâquam tu subinde me admoneas, etiam atque etiam videam, in quem te locum constituam, in quod vocem discrimen. Sed heus tu, non ait Plautinus Pyrgopolymeas, Præclarum nullum sine periculo facimus. Novi, novi, erùditissime Agrippa, inquam arenam, in quam palestram te extraham: novi, inquam arenam quem pugilem devocem: novi, inquam, vires ingenii: novi ad quidvis, tum dicendum, tum lucubrandum incredibilem præsentiam, suppellectilem ditissimâ, memoriâ infinitam, dicendi copiam illaboratam quidem & simplicem, puram tamen, & ob hoc ad docendum ac persuadendum idoneam magis ac propriam: novi præter Cyclias, quas vocant, disciplinas ad unguem omnes perceptas, insuper legum tam divinarum, quàm humanarum, sacrarum quoque scripturarum suprà, quàm credi possit, absolutam cognitionem. Certè dum una frequentes essemus, sæpenumerò mira mihi fuit eruditionis tuæ omni iuga varietas, & ingenii tui præsentia illa itaq; enthusiasmus vere entheus, meritoque vocari te posse putem, quod de Berbaldo grammatico Picum Mirandulanum dixisse ferunt, vivam & loquentem bibliothecam. Quæ omnia cùm ita se habeant, (neque enim ad adulationem, aut gratiam loquor) tu modò vide, mi Corneli, (patere, quæso, ut te id admoneam) ne talentum tuum defodias in terram, aliquando malæ collocatæ sortis severissimo Domino daturus pœnas: quin potiùs, quod ille tibi concredidit tam affluenter, fac reponas cum quanto potes fœnore. Sed insipidus ego, qui te de his obtundam. Iam verò ut nonnihil de illis dicamus, in quos te velle videris exonerare, ut de Erasmo nihil statuam temerè, quem eruditi & candidi plerique omnes, ceu Phœnicem eximunt ordini, de reliquis fidenter dico, idque illorum pace, ac bona venia fieri perquam velim, neminem eorum esse, quem tibi præferendum (ne quid dicam amplius) esse cēseam: ac ne illud quidem satis adhuc mecum constitui, num Erasmus ipse dabit, ille ut est placidissimus, dicto veniam, nisi quòd in dicendo canorum quid & propemodum inimitabile habet, quodq; in animos hominum leniter ac placidè illabitur, argumentorum densitate, quibus in hac re potissimùm est opus, te sit superaturus. Quod si tu hanc laudem non agnoscas, (es namq; singulari modestia præditus) certè illud dabis, Erasmum iampridem Reginæ studium atq; favorem suū approbasse, edito ad illam de Matrimonio Christiano copioso & erudito syntagmate. Vives quoque, dum Christianam fœminam instituit, vicem suam officio functus videri potest.

Cochleus etiam, quandoquidem in eandem rem nonnullam scripserit, quæ ad te propediem, ubi transcripta erunt, mittemus, non videtur locum reliquisse, ut jure ejus officium desiderari possit. Sed quid? fac omnes accinctos esse ad scribendum: fac arripuisse calamos, quò tam speciosam laudem sibi vendicent. nonne palmam in medio atq; adeo in commune positam scripsit Horatius? Hæc occupantis fit, fit obnixè atq; acriter contendentis. Alibi simus civiles, cedamus de via, largiamur priores aliis: hic pia quadam & generosa superbia enitendum est ad summa proximusq; non quidem cubito submovendus ulli, sed industria, sed contentione antevertendus. Mobile quid est virtus, loco stare nescit, semperq; unius acquisitio ad majus aliquid gradus est, non consistentia: hoc vel maximè indicio palam nobis faciens, originem cælitus se traxisse. Et postea tu, si Musis placet, tot modis instructus, tot cōmoditatibus suffultus, alicui tam præclari facinoris gloriam cedes, nedum admittes in participatum: Explica, quæso te, mi Agrippa, istius ingenii tui energiā ac vires, evolve divitias tui periculum quid valeas, quid possis, vel illo solo fisus, in causa præsertim tam pia, qui infantium lingas disertas facit, qui Asinam Balaam, stupidissimum alioqui brutum, adversus nefarii hominis impietatem fecit vocalē. Atque invidiosa, inquis, res est, & periculosæ plenum opus aleæ, si & unus & privatus homuncio adversus tantum Regem vel hiscere ausim, si tot Academiarum spiculatorum crabonum examina in me sustineam provocare. Primum de Rege, mi Agrippa, sic habe Quanquam omnis amor præceps & cæcus esse consuevit, vel poëtis & pictoribus testibus, tamen Rex ipse hactenus semper fuit & etiamnum est sani consilii & probè oculatus, ut rem legibus, judiciis, bonorum atque eruditorum hominum calculis, non vi, aut armis transigi velit, hac certè parte cordati principis officio functus. At illis adeò malè sit, malè feriatis pestibus & intempestivis turbatoribus, qui primi optimo principi & uxoris amātissimo virus istud adflārunt: primi præposteram hanc religionem eius instillarunt animo, primùm inter iunctissimos cùm corporum tum animorum copula tot annos perpetua concordia coniugatos frigidum interspersserunt. Quos ergo, sed nebulones illos, suæ conscientiæ suæq; syntereli relinquamus excarnificandos quibus iudicibus, quoquo gentium se vertant, quibuscunque strophis ac fucis malitiam suā incrustent pallientq; nunquam absolventur siquidem, ut est in Satyris, iudice se nemo nocens absolvitur. Interim hā-

ctenus nobis ac Reginæ gratulandum, quòd Rex ipse, quãvis per gnatones aliquot, vel è flamma cibum paratos petere, obnixe ac validè in deteriorem partem impellatur, tamen (ut dixi) legibus se & eruditorum judicio permittit. Quò fit, ut pro sua æquitate, aut nihil, aut leviter illis succenseat, qui contra se pronunciant modò rẽ argumentis, &, ut tãto Monarcha dignum est, pertractent, id quod re facturum nihil prorsus ad dubito. Sed, age, fac rem secus habere: certè, mi Agrippa, non possum hoc loco, quin, quod sentio, dicam paucis. Infœliciter videlicet nos operam locare perdiscendis disciplinis, percipiẽdis divinis pariter atque humanis, pervestigandæ denique veritati, si, ubi publica utilitas usum nostri desiderat, ubi pietas, ubi religio, tum eam mussitamus abscondimusve, non aliter facientes, quàm simles tota illa militari panoplia ad patriæ ac penatium defensionem instructus, mox conspecto hoste, vel gratia, vel metu abiiciat arma, aut dissimulet. Actum est, mi Agrippa, de morum integritate, de philosophia Christiana, si personis hominum respicimus: quin potiùs, Aristotelis exẽplo hominis primùm ethnici, deinde non in totum apud scriptores adulationis suspicione liberi, sic dicamus: Amicus Socrates, amicus Plato, amicus Rex, magis amica veritas. Sed & illud te perspicere atque animi cogitatione veluti percipere nõ ambigo, si procedat, quas turbas, quos tumultus Christianæ reipublicæ jam annis aliquot satis superque vexatæ datura videatur. Porro & illud mihi considera, nihil te absurdi, nihil à majorum nostrorum ac sanctorum patrum exemplis alienum facturum: Agerem exemplis, nisi hæc ad te non ferrent aliud, quàm juxta parœmiam, aquas in mare. attingam tamen. Cogita Ezaiam: Dispone, inquit Ezechiæ Regi, domui tuæ, & cætera. Cogita Nathan, qua libertate atque constantia homicidii ac stupri David arguerit: mox sub Christum passum offert se Ioannes, unicum tuendæ veritatis exemplar ac typus: offerunt se è recentioribus Chrysostomus & Ambrosius, uterque magno animi robore adversus impios Principes usi. Sed dicis mihi, plerisque libertas ista atque παῤῥησία exitio fuit: multi mortem, plures exilium, odium, contemptũ, ejusq; generis calamitates innumeras pro mercede retulerunt: quibus ego uno verbo sic occurram: Alibi parcus sis vitæ, hic, si opus esset, in causa tam pia, pulchrum foret vitam pro laude pacisci. Quanquam hinc, ut dixi, nihil male metuendum sit, ac ne ommno quidem offensæ aliquid: modò, quo monui, res moderamine geratur. Quare hæc nũc missa facimus. De magistris nostris quod metuis, scilicet tu, quod pueri solet, fulmen è

vitro: quasi verò nescias, ab annis istis paucis, quib. Orbis nasũ habere cœpit, Cumanos illos asinos desiisse esse terrori, nimirũ τῇ λύρᾳ detracta. Sorbona illa, aut, si mavis, Sorbonis, cũ suis illis pedissequis fortiter cõtenenda est: lucernarii illi tenebriones & baubatores ignavissimi, clamosi, tamẽ ridendi sunt, ac fulminum quorundã instar habẽdi, quæ bruta propterea physici vocare solent, quòd, tametsi magno impetu collabantur, irrita tamẽ & citra noxiã ruunt, sãltẽ cum Demosthene eò tantùm impudẽtiæ atq; perfidiæ sibi evadere permitterent, ut tacerẽt modò, non ẽt apertè veritatẽ oppugnarent. nam illũ synanche, &, ut falsè exclamavit alius, argy-anche, mutũ duntaxat fecit. At hos contrà vel Stenthore vocaliores atq; obstreperos magis fecit quæstus ventrisq; negotium, nempe alioqui si exanimo & quòd ita sẽntirent, pronuntiãrunt sententiã, stupidissimi insulsissimiq; sint oportet: sin in re tã seria gratiæ & favoris potiorẽ rationem habuerũt, quid, quæso, illis perfidiosius? quid impudentius? quid talibus conscientiis deploratius? Quò digniores sunt, doctissime Agrippa, ut illorum sive fraude, sive insciti a in apertum extracta, quemadmodum in fabulis Veneris Martisque nequitias retegit Phœbus, per te ridiculo ac conspuendo etiam mortalibus sint spectaculo Sed non potui non effusè ridere, ubi eò veniissem legendo, Dicite Sorbonici, in theologia quid facit aurum? at ego continuò rogabam cum Vergilio,

Auri sacra fames, quid non mortalia cogis
Pectora? ——

rogabam cum Philippo Macedonum rege: Quid non impetret, quo non penetret asellus auro onustus. atque adeo, si permittis, habeo, quod pro illis tibi respondeam: Auro fit. Agrippa, ut ne potemur perditiùs, potitemus meraciùs καὶ θεολογικώτερον, cuticula curetur nitidiùs, ventri ac palato sit meliùs, breviter sorbeatur multis modis latiùs. reliqua ex te divinato. Verùm istis hic modus esto, si modò uno verbo absoluero, quò magnis ambagibus circuivero. Nihil aliud quàm ridere Magistris nostris convenit, &, ut Aristophanis verbo utar, ἀνταποκρίδειν. Ergo suscipies scribendi provinciam, modò id nostra opera tibi perficiatur, ut vel Cæsaris, vel Mariæ sororis mandato atq; autoritate scribere videaris, potiùs quàm privato & tuopte impulsu. Puto, quò minus invidiæ aut calumniæ loci sit reliquum, & probatur equidem mihi consilium, ac proinde Regina ipsa intra dies paucos scribet vel ad Cæsarem, vel ad Mariam, quò tibi illorum autoritate liberiùs, quæ videbitur, scribendi potestas fiat. Mi Agrippa, si hac in re cùm mihi, tum Re-

ginæ strenuè ac sedulò morem gesseris, profectò vel in me recipio futurum, sicque ego advigilabo, ut te nunquam obsequii tantæ Principi pœniteat impensi: & quanquam ipsa per se ea animi generositate prædita est, ut meis calcaribus nihil fuerit opus, advigilabo tamen: tu modò cura talem te nobis in hoc conflictu pugilem præbeas, qualem te animo concepimus, qualemque, ut præstes, omninò secundum Deum in tua est manu. Hic ego scribendi finem facturus eram, nisi visum fuisset dicere de hoc, quòd Cæsarem subinfensum tibi, & paulo alienatione ergà te animo esse, quàm solet, quereris, ob virtutem, ut verè scribis, & liberiorem illam, sed perinde veram declamationem de Vanitate scientiarum: hic quod dicam, aliud habeo nihil, nisi quòd optimam spem in clementissimi lenissimique Principis ingenio collocatam habeam, apud quem tametsi fuci quidam atque opici mures, ignavum utiq; pecus, & alienæ industriæ arrodendæ natum, ad tempus autoritatis aliquid invenerint, ut sunt placidissima quæque ingenia ad credulitatem ferè procliviora, tamen ne credas perpetuum ac ne diuturnum quidem istud fore. Citò, crede mihi, hic nymbulus serenabitur. Quod si exemplis dolor tuus levari potest, jam inde ab initio Græcorum historias memoria repetamus: repetamus Romanorum: an non apud illos clarissimi quique viri & de republica optimè meriti Ostracismi civitate pulsi sunt? apud istos aut ad Gades, vel Gyaras, aut alioqui aliquò gentium jussi sunt exulare? ut ne commemorem alia graviora, quorum nihil simile tibi intentatur. Quare fac forti atque infracto & te digno sis animo. Meliùs, ajunt, cras forsan habebis. Et quidam è recentioribus non infœliciter scripsit,

Nemo vel ingenti mersus desperat in unda,
Sæpe fit expulsa nube serena dies.

Sed ecce & aliud subsidium, idq; indubitatum & sacræ anchoræ instar. En habes clarissimum illum ac nobilem heroem D. Ludovicum à Flandria, D. de Prato, virum, præter alias innumerabiles dotes, quibus ornatissimus est, tanta in dicendo vehementia atq; acrimonia, ut vel apud iniquum judicem quidvis persuadere ac probare posset. dicas Periclem quendam, aut Ogmium Herculem esse: tanta rursus apud Cæsarem gratia atque autoritate, ut te, vel si nocentissimus sis, cum illo queat reducere in gratiam, nedum insonti & perditorum hominum invidia, grato patrocinari non possit: postremò utriq; nostrum tam amicum, tam ex animo faventem, quæ viri humanitas est, ut nihil non facturum confidam, quod è re ac dignitate nostra sit. Hoc

sit. Hoc tu Iove deprecatore ac fautore fultus, mi Agrippa, minutis istis & patellaribus diis, hoc est, vesanis rabulis, vel laqueum ausis mandare. Ego quoque vel absens per literas atq; amicos, aut ubi ad aulam revocabor, coràm polliceor me non postremæ diligentiæ, &, ut spero, non pessima cum gratia propugnatorem dignitatis tuæ futurum: tu modò perser & obdura,

Ac ne cede malis, sed contrà audentior ito.

dabit enim Deus his quoque finem. Sed heus tu, an non hæc scribendi occasio vel præsentissima, & cum primis oportuna videri debet, aut reconciliandæ Cæsaris benevolentiæ, aut arctiùs etiam demerendæ. non hæc sine numine divûm eveniût, ὡς ὡς πάντα καλῶς. adhuc nos aliquis Deus respicit. Vale. Funebrem orationem tuam legi avidè & diligenter: quam ut nunc non laudem effusiùs, (καὶ γάρτοι αὐτὴ ἑαυτὴν αὐλεῖ) perplacuit. Typographo subirascor, quòd illam tot tamque pudendis mendis illeverit. Iterum vale. Londini, decima Septembris, anno 1531.

Amicus ad Agrippam. XXX.

S. P. Domine Agrippa, heri sub noctem amicus quidã meus, cui nonnihil apud Dominum Hostratum fuerat negotii, mihi rettulit, sese illic cognovisse ex ore, ni fallor, ipsius domini Hostrati, parari adversus tuos de Vanitate scientiarum libros nescio quod mandatum, sive edictum prohibitorium, ne quis illos vel vendere posthac, vel legere audeat. id quoniam tua referre, ut scires, existimavi, non potui quin statim tibi indicarem, quò posses, re adhuc aliquo modo integra, vel maturè occurrere commoda apud D. Dominum insinuatione, vel aliter tuæ existimationi, ut commodissimum videbitur prospicere. Vnde verò hæc turba veniat, ab Lovanienſibusne, an aliunde deprehendere nondum certò potui. Vale. Anno 1531.

Amicus ad Agrippam. XXXI.

S. P. vir clarissime, jampridem volitas hic per omnium ora, præsertim ob novum opus, quod edidisti de Vanitate disciplinarum: de quo quum eruditi complures ad me scripserunt, mihi tamen nondum videre contigit. in eo consentiunt, illic esse libertatis affatim, de cæteris variant sententiæ. Curabo quam primùm ut habeam, ac totũ devorabo. Hic Andreas sacerdos mea sententia modestus ac pius huc se contulit, ut Erasmum inviseret: sed, sperato thesauro, carbones reperit,

Nunc tuum expetit congressum, nonnihil liquidioris sapientiæ è tuo pectore hausturus. Videtur unicè amare tuum ingenium, ac libellum de Occulta philosophia perpetuum habet itineris comitem. Eum tibi non commendo, sed per illum potiùs tibi commendari cupio. Vbi perlegero librum tuum, scribam ad te copiosiùs. Interim precor, ut quàm prosperrimè valeas. Datum Friburgi Brisgoiæ, decimatertia Kalendas Octobris, anno 1531.

Amicus ad Agrippam. XXXII.

QVidam provincias lustrârunt, & novos populos quidam idierunt, mariaque transierunt, ut eos, quos ex libris noverant, coràm quoque viderent, sicut Pythagoras Memphiticos vates, & Plato Ægyptum & Archytam Tarentinum, eamque oram Italiæ, quæ quondam Magna Græcia dicebatur, laboriosissimè peragrârunt. sic Apollonius intravit Persas, pertransiuit Caucasum, Albanos, Scythas, Massagetas, opulentissima Indiæ regna penetravit, & pervenit ad Brachmanos: ut Hyarcham in throno sedentem aureo, & de Tantali fonte potantem audiret dicentem: inde per Decem populos reversus Alexandriam perrexit in Æthiopiam, ut gymnosophistas & famosissimam solis mensam videret in fabulo, uti Hieronymus refert. Sic debui, & meritò, servus & ignorantiæ captivus, à Gallis ad Germanos transire, ut Erasmum & Agrippam, maximè lacteo fonte manantes, dominos suos, & philosophos, & theologos, doctosque egregios, & famosos per totam Europam, & viderem & audirem loquentes, & docentes. Vnde Friburgum primò petii, & ipsum dominum meum Erasmum, à quo humanissimè susceptus, eidem duo vel tria proposui dubia, aut quæstiones de illa Occulta philosophia, quam Magiam naturalem & Cabalam vocitant, & de Alchimia unam: sed quasi fumum, aut verba sola parvi fecit præfatam magiam: primò utramque, vel omnem Magiam, & ipsam divinam cabalam: & pluris fecit dictam alchimiam, sed dixit, tot esse ad eam porticus, quòd est difficillimus ad eam ingressus & accessus. Hinc tandem ipsum rogavi, ut saltem quid per me scriberet ad dominum meum Agrippam, ut majorem haberem occasionem & tutiorem accessum ad eum. quod libentissimè concessit & fecit: inde cum literis suis petii Argentinam, & postea Spiram, in qua Cæsarem expectavi, & cum eo dominum meum Agrippam per tres hebdomadas ferè. Tunc cùm primùm intellexi Cæsarem ante festum natalis domini, vel forte

forte in hac hyeme non venturum Spiram, illico vitam arripui ad Coloniam, & ad Bruxellas, cum laboribus & expensis & periculis sæpè, ut antea, non modicis: sed nil mihi difficile, ut veritatem percipiam, quæ est in Christo IESU, quem tamen Dei filium & hominem verum, redemptorem meum, vitam æternam mihi daturum firmissimè credo & spero, ipsumque medium & umbram ejus, aut imaginem, quæ est Natura completa ad omnia, juxta illud evangelicum, Ego sum via, veritas & vita, &c. Hinc advenio, ut à domino meo, cùm placuerit, enodatis & enucleatis quæstionibus nostris doctus redeam. Outinam coram oculis domini mei Agrippæ inveniret servus suus aut famulus gratiam, ut ei in aliquo etiam sine stipendiis inservire valeret & famulari, & quid boni tandem ab eo reportaret, vel ipse ego talem reperirem, qualem Bovillus aliquando invenit Trithemium, non magum, ut dixit postea, & ut communiter sumitur magus à vulgo, aut ignaro, sed bonum magum, & sapientem, aut philosophum doctissimum. ut per eum, vel per dominum meum Agrippam me sacra lympha spargere possem, & vivo flumine abluere: quò fatalibus his ignorantiæ larvis exutus, in hominem devenirem, ut videre possem & percipere illam Occultam philosophiam, quam in pyrographia dare protinus promisit, & ut non modò ænigmata & occulta picatricis caperem cum similibus, sed etiam ipsa sacræ disciplinæ ac geographicæ eloquia perfectè possem percipere. Quid me detinet, ut etiam vestigia ejus non sequar & deosculer? cui laudes dignas persolvere non est nostræ opis: quia nec Hebræus, nec Græcus, nec ferè Latinus ego, sed ignarus in cunctis, coram tanto viro etiam loqui vereor, nec possem meam ignorantiam non fateri, nisi omnino tacerem: sed confortatus in verbis suis, ubi ait, Quia nihil scire fœliciſſima vita, vires mihi præbuit. loquar ego, ut novi, licet me non doctum, aut philosophum, sed tamen hominem in asinum transformatum, quasi alter Apuleius, ut cœpi, & sequitur, aperiam. Etsi, quicunq; occulta naturę & philosophorū arcana ostendit & manifestat ignaris, est maledictus, qui tamen doctis & sapientiæ amatoribus ostendit, hic lauro est coronandus, hic credo digna locutus, ut in cœlo suo physico voluit dominus Vlstadius, & quamvis ignarus sim plurium, & indoctus amator, tamen sim bonarum artium & sapientiæ cupidus, qui tot provincias & regna lustravi, & transivi per leucas ducentas & ultra, cum laboribus & periculis non modicis, ut dixi, ut ad te dominum meum venirem docendus, & si à

principe

principe nemo debet redire vacuus, nec à sortiori. nec à docto aut philosopho, qui, sicut gratis accepit, gratis etiam dare petentibus jussus est. Ad quod advertens præfatus dominus Vlstadius de libro prædicto ait, Licet enim pro indoctis æquè ac pro doctis ediderimus, non tamen absque id factum esse quilibet invidus sciat, quum summus omnium creaturarum genitor atque pater æquo lumine solari & probos & improbos visitet, maledictus enim est, qui propriam utilitatem reipublicæ commodo præponit: nec nobis solùm nati sumus, sed & partem de nobis sibi vendicat patria, & partem amici, sicut Cicero docuit, & Salomon absconditam sapientiam & absconditum thesaurum nihil prodesse dixit: item scribebat dominus Trithemius ad dominum meum Agrippam, Ne sinas tam excellentes ingenii tui vires otio tepescere: te, qua possumus, instantia monemus, petimus & rogamus, quatenus & tuo de labore ad meliora semper exercites, & lumen veræ sapientiæ, quo maximè & divinitus illustraris, etiam ignorantibus demonstres. Docilem ergo, benevolum & attentum discipulum charitas & benevolentia tua, qua cunctis provides disciplinis, corripiet, & instruet doctrinis, ut tibi teneatur perpetuò, & pro salute tua Altissimo offerat hostias pacificas. Vale, præsidium & dulce decus meum. Anno 1531.

Doctissimo ac ornatissimo Viro Henrico Cornelio Agrippæ Eustochius Chapusius S. D.

XXXIII.

QVanquam ita ferè naturâ comparatum est, optime Agrippa, ut deteriora ad tempus vincant, tamen is est veritatis genius, ea indoles atque energia, ut tandem emergat, ac se promat in lucem. quomodo nunc Lutetiæ evenisse videmus. nam cùm Sorbonici, sive subornaticii magna ex parte adversus Reginam pronunciandum censerent, multi tamen inculpatæ vitæ, ac sanioris doctrinæ & judicii adversus tam potentes & tam conjuratas phalanges ausi sunt stare à veritate, atque unus illorum sive suo solius, sive omnium nomine, etiam scripto libro sententiam suam testatus est. Eum librum nunc ad te mitto, non quòd existimem te talibus Theseis egere. quid enim hoc foret aliud, quàm aquam ad mare, aut in sylvam, quod ajunt, ligna: verùm, ut, si in animum induxisti aliquid super eadem re commentari non instructior sis, sed animosior atque ardentior. Neq; enim tam sumus ingenii atque eruditionis tuæ præposteri, neq; tam insipidi æstimatores, quin sciamus, te ex tuo confer-

confertissimo penu posse & eruditiora multò & locupletiora promere: sed tamen quando Plinius scripsit, nullum librum tam malum esse, qui non aliqua ex parte profit, non fuerit fortassis abs te perlegere, vel in hoc tantùm, ut dixi, ut majores animos, majorem spiritum rei aggrediundæ concipias. Age, mi Corneli, excute temetipsum, & istas tuas vires explica in re tam præclara, neque patere tam speciosam laudem uni tibi desponsam, tibi consecratam, ab alio præripi: sed quando super hac re scripsimus non ita primùm pluribus, volumus nunc esse coactiores. Est hîc Florentinus quidam, Petrus de Bardis, homo mihi familiarissimus, & inter primos charus, candoris eximii, ipse studiosus & studiosorum amans, supra quàm dici possit, tuæ verò eruditionis admirator, quantus ne credi quidem potest: is vehementer cupit tibi innotescere, unaque inire amicitiam ac necessitudinem. Quare si ad se scribas tribus verbis, faceres & mihi rem gratam, & tibi hominem officiosissimum dignumque, mihi crede, qui in amicorum tuorum album ascribatur, minis modis tantillo officio devinxeris. Vale, mi suavissime Agrippa, & me redama. Londini, 25. Novembris, anno 1531.

Amicus ad Agrippam. XXXIV.

NEgotia tua pro libris recuperandis nobis injuncta, colendissime domine, juxta posse peregimus, ex quibus invenimus, quos ad te defert famulus tuus: reliquos verò, quia nõdum impressi fuêre, vix poterit dominatio tua reperire, nisi fortè aut Romæ, aut Avenione. Ille etiam doctor legum, qui Samuelis Cabalam habet non est hic, sed ab anno vel circà abiit cum uxore sua in regionem suam, unde non rediit: sicut nobis retulit soror dictæ uxoris suæ, misitque postea pro libris suis & mobilibus cæteris, quos habuit, licet diu manserit hîc etiam cum uxore per annos viginti: sed quia dulce solum cuiq;, ad propria rediit, & modò est à Chamberi in Sabaudia, & vocatur magister Humbertus Veillet, ad quem locum accedendo, & ad partes alias prædictas, aut versus eas ascendendo, pro dictis libris poteris, si placet, leviter hominem mittere: interim tamen pro posse meo curabo, ut primum & secundum dictæ cabalæ Samuelis habeam, & mecum ad te deferam: nec redibo, ne videar tibi illudere, aut mentiri, nisi habeam: pro qua mittam his diebus aut nuncium, aut hominem: & quia est magna distantia, etiam per centum leucas & quinque, etiam per mare in quandam insulam, in qua est frater meus, & cum eo libri mei,

mei, quod quidem mare in hyeme ob maris & temporis, sive eundo, sive redeundo, indisputationem, non leviter transferatur, vix ante Purificationem Mariæ, vel fortè Quadragesimam potero recuperare: & si egomet irem, posset intervenire novum impedimentum, ne etiam, sicut aliùs, sic citò venirem: sed cùm primum habuerim, die proxima sequenti ad te redibo, & tempore dicto pendente libraias Parisias plures visitabo, ut, si quid reperiam, quod te delectet, mecum deferam. Multum tristor ex equo, sicut etiam tristatus est famulus, qui compulsus fuit alium emere, & suum dimittere infirmum, de quo culpandus non venio, eo quòd non petii, ut mitteret eum dominus Bernardus: feciſſem namque ſolus ea, quæ ſimul fecimus: sed tibi placuit mittere. in brevi tamen spero equum convalescere & tunum. Literas tuas, quibus competunt, adhuc non dedi, quia dominus Capellanus, adhuc medicus regius, semper est in curia, in qua etiam sunt & dominus de N. & dominus Petrus Billady, pro quibusdam negotiis suis: & cognatus dominus Guilielmus Furbiti extra urbem predicat, sed expectantur & sperantur in Natali Domini: & cùm venerint, faciam, quod in me est, & quòd responsionem habeas. Interim, rogo, memento mei, qui redibo, ne dubites, & tibi nova dicam, quia nondum novisti hominem, sed scribas interim responsa ad quæsita, & quæ in memoriali reliqui fac, precor, aut, ut facias, memoriæ commanda, & quòd non incurram iracundiam aut indignationem domini Bernardi, si, quod cupiebat, non habuit, & de equo suo: quia per me non stetit, aut veniet: & si non vadam ante Purificationem Mariæ, mitte literas pro me ad fratrem coci vestri, per quas insinues, ubi te reperiam, & curiã, & quæ ex me volueris: si fim insuper in gratia domini Bernardi, quoniam spero quandoque illum lætiorem reddere, eo fervente, qui solus omnia potest, qui te incolumem usque ad terminum ab eo constitutum custodiat, & donec videas & habeas naturam completam. Valc. Raptim ex Parisiis, sexta Idus Decembris, anno 1531.

Agrippa ad Amicum. XXXV.

IAmdudum ac sæpe contendit à me d. Augustinus, physicus, vir eruditissimus, & utrique communis amicus, ut tuæ magnitudini aliquas scriberem literas. idem nunc non minore instantia jubet, qui apud vos est, Cæsareæ majestatis orator Eustochius Chapusius, vir doctrina juxtà ac sapientia suspiciendus. à quibus cùm humanitatem, virtutem, simul ac probitatem, &

tem, & qua erga me afficeris benevolentiam tuam admodum prædicari audiam, sumpsi mihi ad scribendas has literas audaciam. At expectas tu fortè ex me insignem aliquam doctrinam, egregiámve rem quampiam literis meis indicari: sed falleris. nihil est, quod vel ad dignitatem tuam, vel ad fortunas tuas, vel ad virtutes tuas ex me accedere posset. Voluntatis tamen meæ qualecunque sit studium, significabo, ut intelligas, antiquissimum mihi institutum esse illis obsequium meum dedicare, quibus pro meritis ac virtutibus nihil unquam magni præstari potest. in quorum numerum & te facilè admittimus, tuisq; illis insignibus virtutibus nostrum quoq; animum consecramus. Vale. Ex hac omnium bonarum literarum virtutumque noverca aula Cæsarea, apud Bruxellas, decimaseptima Decembris, anno 1531. Salutabis meo nomine dominum Eustochium oratorem Cæsaris, cui iccirco non scribimus, quòd brevibus epistolis illi respondere non possumus quas vellem longissimas scribere, meæ non admittunt infaustissimæ occupationes. Iterùm vale.

Agrippa ad Erasmum. XXXVI.

LIteras tuas, colendissime Erasme, à 13. Calend. Octobris ad me datas, accepi quinta nonas Novembris. Vix dici queat, neque tu forte, si dicatur, fidem habeas, quàm incomparabili lætitia affectus sim. hac insigni in me animi tui humanitate, qui me ignotum tibi hominem nõ solùm literis tuis illustrare dignatus sis, sed etiam plus præstas, quàm sperare liceat. Declamationem nostram de vanitate scientiarum atque excellentia verbi Dei totam te lecturum, tuamque de illa sententiam te mihi uberiùs perscripturum, polliceris. Ago ergo nunc, precor, domine mi Erasme, tantillum laboris tui Agrippæ causa ne refugias, & quid tua præstantia de hac sentiat, mihi significes. tuis enim sum, & in tua juratus verba tibi me fidissimum militem dedo, condono & commendo, cujus judicium erit semper mihi loco antiquæ & venerandæ autoritatis, tantumq; de humanitate tua mihi persuadeo, ut te credam nostram libertatem dicendique licentiam boni consulturum. nosti enim, quid sit declamatio. Sed & illud te admonitum volo, me de his, quæ ad religionem attinent, nequaquam secus sentire, quam sentit ecclesia catholica. Andream sacerdotem, tuarum literarum latorem, virum pium ac modestum & propriis virtutibus & tuis literis mihi commendatissimum, detinui apud me aliquot diebus. Vtinam is sim, qui tuis desideriis satisfacere

НАУКОВА БІБЛІОТЕКА ОДУ ім. М. ЦУРЮПИ

facere queam: aut talis aliquando futurus sim, qualem ille me existimat. Vale fœlicissimè, illudque certò scias, nihil posse mihi gratius contingere, quàm si spiritus meus tibi consecratus, eadem, qua offertur, animi magnitudine recipiatur. Iterum vale. Ex hac omnium bonarum literarum virtutumque noverca aula Cæsarea, apud Bruxellas, decimotertio Cal. Ian. anno 1531.

Amicus ad Agrippam. XXXVII.

NIhil de te audivi ab eo tempore, quo Gandavo discedentes sejungebamur, magno certè animi dolore. Maximè enim te semper amavi propter ingenii & genii similitudinem. Sed posset consolari librorum tuorum copia: qui utinam omnes extarent, quos scripsisti. De Occulta philosophia, non dubito, quin sequentibus seculis immortalitatis gloriam sint habituri, si edideris. quod ego, si te hortari possem, non cessarem, quin persuaderem. Cupio itaque cognoscere, an venient in lucem. nam mihi dixeris tuo amico & addictissimo. Nunc reddita mihi est Geomantia Ptolemæi Regis Elytropiam filiam suam, de qua sæpe tecum locutus sum. si velis uti ea, fac me certiorem. nam dubitatam, ubi nunc esses; quod pro certo scire non potui. Si quo alio modo te adjuvare, aut ornare possim, nihil quicquam gratius fecerim, tu jube tantùm. Oro, fac nos de statu tuo & rebus literariis aliquando certiores, etsi sciam te semper esse occupatissimum. Sed hanc audaciam ignosce mihi, amor tui me huc impulit. Vale. Salutant te D. Decanus, & Leonardus Casperottus. Brugis, vicesima Decembris, an. 1531.

EPISTOLARVM LIBER VII.

Archiepiscopus Colonienſis ad Agrippam.

EPISTOLA I.

VEnerande, sincere, dilecte, cùm nobis nuper tuus liber, quem, cùm adhuc juvenem ageres, de Occulta philosophia edidisses, inque tua cella libraria diu oblitum resumpsisses, & jam nobis dedicasses, quò nos ad tuam amicitiam invitare visus es, oblatus fuisset, perlegimus epistolam, qua plura nobis amoris affe-

ris affectu potiùs, quam recto judicio tributa suspicamur, quæque longè aliter, si coràm adesses, experiri posses: nihilominus tamen te, quem in prædicta philosophia eruditum, inq; nostra Colonienſi patria oriundum cognovimus, summa gratia & favore complectimur. Quapropter his proximis diebus, cùm Cæsarea Majestatis ad comitias Ratisponenses ascensura, apud nos Bonnæ esset, de te percontari fecimus, sed te adhuc Bruxellis esse intelleximus. Quare te hortamur, ad nos, quamprimùm tibi oportunum fuerit, venias, ut tecum, quæ literis cõmendari non convenit, conferamus, ruumq; erga nos hucusq; incognitum amorem mutuis collationibus firmemus. In hoc facies nobis rem gratam, omni gratia & favore cum prosequutione viatici compensandam. Vale. Exarce nostra Poppelstorff, prima die Februarii, anno 1532.

Agrippa ad Amicum. II.

SAlve præceptor & benefactor observandissime, mi domine Bernarde. A tempore, quo hinc abiit Cæsar, usque ad hunc diem non sum expeditus ab istis fœneratoribus & publicanis, quos finantiarios vocant. hodie pro pecuniis datæ sunt alternatæ literæ, quibus remittor ad nescio quem pagum, ubi meo dispendio exacturus sum hanc quadraginta aureorum carolorum exiguam summam. Cæterùm hîc nihil bonæ spei reliquũ habeo. post cras repetam Mechliniam. exinde sub hasta me venalem exponam. primum prætorem sequar, qualemcunq; sors obtulerit. siquidem hunc ingratissimum Cæsarem omnino detestor, & omnem spem, quam ex illo conceperam, damno, omni fidei illi renuntiaturus. neque tamen aliud illi imprecor, nisi ut faciat illi Deus misericordiam, quam fecit cum Nabuchodonosor, quem ex bestia restituit in hominem. Expecto abs beneficentia tua Galatinum: & si quis alius raræ disciplinæ libellus. Plura, quæ scribam, non habeo, atque eò brevior sum scribendo. quòd harum lator Augustinus Furnarius, communis amicus, oretenus narraturus tibi est omnem rerum mearũ statum, apud quem te summè precatum volo, me commendatum serves, & librum nostrum ex Genua abs illo recuperandũ cures atque procures, & sit illius nobis omnibus transumptũ copia, neque cabalam Samuelis recuperandam negligas. Perinde alphabetum illud vetus hebræum, quod tibi pollicitus est dominus Petrus ille Hollandus, quem tanto gigantei corporis fastigio prodiga rerum natura donavit, ubi acceperis, ad me etiam transmitti cures. Vale fœlicissimè: sed & Reverendissimo

HAVANA BIBLIOTECA CENTRAL U.A.N.L.

domino meo, D. legato, mihi perpetuò colendissimo, commendatum & charum me redde. Saluta mihi reverendum dominum episcopum Feltrensem, & dominum Lucam, cæterosque omnes, quorum nomina huic inserere epistolæ modum excederet. Ego, dispositis quietiore statu rebus meis singulis, singulas per ocium jucundas epistolas dabo. Iterum Vale, & me tibi commendatissimum habe. Bruxellis, die sexta Februarii, anno 1532.

Agrippa ad Amicum. III.

QVo in statu res meæ versentur, vir ornatissime, ipse mihi jamdudum vates fui. Hæreo adhuc inter istos fœneratores & publicanos finantiarios, tanquam hircus in vepribus, remittor à Pilato ad Herodem, & noster Panormitanus Caiaphas non prophetat mihi bonum. itaque omnino statui hanc Ægyptiam servitutem exuere, & nisi satisfacturi sint mihi, suscitabo in illos muscas & cimices & ranas & locustas, egrediarque, & ero spiritus persecutor, & malorum omnium instigator adversus monstrificos illos Mydas, omnium, qui unquam fuerunt, ingratissimos, innovaboque adagium, Scarabeus aquilam. Cætera ex literis meis ad dominum Bernardum datis accipies. Respondi Lovanienses calumniatoribus modestè quidem, sed non sinè sale & aceto etiam atque sinapi, procul omni oleo. edam in publicum, quamprimùm licebit, forte non absque nova tragœdia, ut solet nova veritas novum gignere odium, nec deerunt, quibus placitura erit hæc tragœdia. Vale fœliciss imè, & me Reverendissimo domino meo, D. legato, humillimè commendatum habe. Bruxellis, sexta Februarii, anno 1532. Reliqua, quæ hic aguntur, ex sequentibus notis secundum regulas tibi Bruxelle datas, facilè intelliges.

Agrippa ad Archiepiscopum Colonien sem. IV.

SPerabam me cum Cæsare iturum Coloniam, ut inviserem Amplitudinem tuam, Princeps reverendissime & illustrissime, offeremque tuæ sublimitati residuos tuo nomini dicatos de Occultiore philosophia libros, quos contineo usq; adhuc, nescius, si tuæ Celsitudini gratum futurum sit, ut edantur. Quod ubi gratum rescivero, mox edituros esse m: si minus gratum, lateant perpetuò, & vel pereant. Cætera narrabit præsentium lator. Is est, cui librum de vanitate scientiarum inscripsimus. Si quid præterea aliud est, in quo tuæ Amplitudini gratificari

ficari possim, & meum non dedigneris obsequium, præcipe, & factum intelliges. Vale. Septima Februarii, anno 1532.

Agrippa ad Archiepiscopum Colonien sem. V.

SCripsi Amplitudini tuæ, Princeps reverendissime & illustrissime, ab hujus mensis septimo per Augustinum Furnarium Genuensem: triduo post invenit me hic tuus tabellarius, qui me errabundus de civitate in civitatem quæritabat. ea siquidem erat utriusque fortuna, ut alibi illeingrediens me quæritaret, ego paulo antea & ferè eodem momento ingressus essem. Is obtulit mihi tuæ Celsitudinis literas quàm humanissimas, pro quarum responsione non aliud nunc scripturus sum, quàm me ante mediam Quadragesimam, &, si fieri poterit, citius apud tuam Celsitudinem adfuturum. Quanquam ob exiguas meas vires pro meritis & virtutibus tuis, vel ad dignitatem, vel ad fortunas tuas nihil magni ex me accedere possit, tamen id meæ erga te voluntatis & obedientiæ qualecunque sit studium, ei tibi dedicatum constituo, quòd te scire volo, me insignibus istis tuis virtutibus vitam ipsam, nedũ obsequium & famulatum meum consecrare. Vale fœliciss imè. Ex Mechlinia, die decimo Februarii, anno 1532.

Agrippa ad Erasmum. VI.

LIteris illis tuis humanissimis, quas detulit ad me Andreas sacerdos, respondi nuper, Erasme colendissime, curavique per manus Maximiliani Transylvam meas tibi reddendas. an acceperis, nescio. puto autem accepisse, licet ego ex te aliud acceperim nihil, quippe absens à Brabantia, plures dies fui apud reverendissimum & illustrissimum Principem electorem archipræsulem Colonien sem, qui te unicè & amat & veneratur: sæpissimè nobis sermo est de tua integerrima & invincibili doctrina: sunt apud illum multi tui nominis præcones, inter quos Tilemannus de Fossa tui nominis cultor studiosissimus. hic cùm narrasset se habere oportunum ad te nuntium, iniquum duxi illum abire meis literis vacuum, & si nihil habeam, quod nunc ad te scribam aliud, quàm esse me tibi perpetuò addictissimum obligatissimumque, qui me hominem ignotum & humilioris literaturæ prior tuis literis illustrare dignatus es. Cùm ergo ea sit humanitas tua, quòd præclarus obscuri literas non despicis: parcito huic audaciæ meæ, qui te rogo, ut mihi per ocium aliquando rescribas. Spero siquidem inde brevi futurum inter nos etiam de magnis rebus ultro citroque sæ-

pissimè scribendi & rescribendi argumentum. Vale fœlicissimè. Ex Agrippina Colonia, decimaseptima Martii, anno 1532. Adhuc per mensem unum hic mansurus sum, inde abiturus in Brabantiam.

Amicus ad Agrippam. VII.

ETsi literis responderam, quas mihi abs te Augustinus Furnarius reddidit, non, ut nostra necessitudo expostulabat, sed ut meæ occupationes & temporis exiguitas patiebatur, veritus tamen, ne meæ parum fideliter redditæ fuerint, has ejusdem penè tenoris, sed non plenitudinis, ad te scribere statui, quibus te moneo atq; hortor, ut id, quod effugere non possumus, forti animo ferendum putes: id quod melius scis, quàm ego: licèt non pauci sint, qui affirment, nos facere fortunam deam, cœloque locare. Increbuit de te semel atque iterum apud quosdam & probitate & doctrina atque autoritate præstantes viros sermo, qui fortunam tuam accusabant: alii, ut est mortalium sententia varia, te tui mali causam ajebant, atque Satyricam illam libertatem tuam vituperabant: omnes tamen ingenii acuitatem, & multiplicem lectionem memoriamque in te admirabantur. Ingolstadii conveni Apianum illum mathematicum: ubi etiam alios quosdam inveni non ineruditos: omnes profectò à te erant, & extollebant ingenium tuum, & te variæ lectionis hominem prædicabant. satyrismum tamen notabant. Quocirca te rogo, quoniam, quæ semel præteriit hora, non potest redire, ut in futurum parciùs ac temperatiùs utaris dicendi libertate, animadvertasque, ne ratio ab impetu vincatur. Hæc ad te scribo non temere, qui mihi amicissimus es, quem fraternè amo, & cui omnia ex voto succedere cupio. Dii boni, cur non adsum vel consiliorum particeps, vel solicitudinis levator, vel adjutor, in quo possem. Sed quando tanta locorum intercapedine disjungimur, te oro, ut rebus tuis consulas, ne te auferant aliorum pollicitationes & consilia. tibi enim consilium non deest, ne te præcipites. Vtinam ad nos advolare tibi fuisset integrum. omnibus enim esses clarissimus, & præsertim domino Lucæ, qui omnem operam, industriam & facultatem pollicetur, & fortasse inopinatum tibi bonũ parabit, ubi occasio se obtulerit: mitto reliquos nostros, qui integram voluntatem in te retinent: mea autem opella nunquam tibi deesset, quam sine ulla exceptione tibi polliceor. sed quid polliceor, cùm te aliter juvare non possim, nisi Ezechielis rotæ te & me ab his miseriis in cœlum raperent. Sed ne à proposito digrediar, ad literas

teras tuas redeo. Libros, quos petis, ubicunque invenero, ad te mittam hic enim nihil boni est. Si quid novi exibit, quod te dignum videatur, te impertiam. Typhæus ille ubi se occuluerit, certè nescio, nec Moguntiæ, nec hic unquam videre potui, & de alphabeto illo Mosaico, quo ante Esdræ tempora usi sunt prophetæ, me frustratus est. quapropter hoc illi tantùm imprecor malum, ut Iovis iram non experiatur, sed ex gigante ut pigmæus evadat: cabalam Samuelis recuperandam curabo, recuperatam non desiderabis: procurabo etiam librum tuum à domino Augustino ut Genuæ evehatur: sed utinam promissa sortiantur effectum. Si quid novi istic apparuerit, te rogo, ut me certiorem facias. cupio enim aliquid videre, quod meo faciat instituto. In re mea mystica continuè diu noctuq; persevero legendo. omnia invenio & in novo & in veteri testamento & in sacris historiis, quæ ex animi sententia in rem meam cadunt, adeo ut mihi videatur à Deo factum esse istud, & fortè erit mirabile in oculis nostris. An putas me ad medium dormire diem, & fruges consumere frustra? in manibus habeo memorabilium omnium ætatum chronicos & commentarios propter rationem temporum, quam ego adamussim corrigam, ni fallor, quòd non credo, cùm regulæ non à me, sed à deo procedant. licèt enim multa bene dicant Veterum commentarii, in multis tamen hallucinantur. mea symphonia quatuor vocib. constat, quæ eodem sono, consonantia & harmonia usque ad mundi finem perfectè modulantur. nam à præfato opifice cõfectæ sunt. imitabitur illud Sapientiæ, Omnia in numero, pondere & mensura quarta voce addita consistunt, ex quibus conflata fuit illa cantio. Gloria in excelsis Deo, &c. & concordabit tum illo Esdræ, Vade & pondera mihi ignem, aut mensura mihi flatum venti, aut revoca diem quæ præteriit. cætera Mercurio tuo colligas. Fortè puta me insanire, qui tibi hæc scribo. Deus permittat, ut possim ad optatum pervenire finem. fortassis non videbor operam & oleum perdidisse, & tui non ero immemor. Hæc ad te familiariter scribo. Libros tuos de Occulta philosophia in finem reservo, tanquam omnem statuam ornaturos, quibus libentius studerem, si fuissent impressi. Brevi Norimbergam sum iturus. vellem abs te intelligere, si tibi cordi sit, ut imprimantur, dum modò lucrum ad te redeat. ego enim ex meis volo impendere pecuniis potiùs, quàm ex tuis habere. Bononium pictorem tibi commendo. Dominum Ludovicum Lucenam mihi millies salutabis, à quo aliquid habere cuperem ad literarum hebraicarum significationem declaran-

dam: & si quid aliud apud ipsum latitat, forsan aliquando ita prodesse illi potero, ut in terram bonam, non in spinis & lapidibus seminasse sentiat, velimque illi dicas, hominem quem ad me venturum dixerat, adhuc non vidisse: utinam veniret, sed de his hactenus. Velim, mi Agrippa, ut mihi ignoscas, si tardiùs & breviùs ad te scribam, quàm nostra amicitia requirit. alterum enim occupationibus meis, alterum ingenio est adscribendum, qui amicos non verbis, sed re juvare & volo & soleo. Marius noster eras in Italiam proficiscetur, cui scribendi munus imponebam. Scito tamen, quòd in nullam dimittam neminem, quem ipsum venturum putabo. Idem ut facias, te etiam atque etiam rogo. tuæ enim literæ mihi erunt quàm jucundissimæ. Si quid exhibebitur istic, cura ut sciam. Hodie veni ex quodam cubiculo, ubi ex tuis amicis intellexi, quòd pro te nescio quid cuditur. utinam aspiret fortuna. Vale, & me ama. Ratisbonæ, octavo kalendas Aprilis, anno 1532.

Amicus ad Agrippam. VIII.

S. P. Ita vivam, ut nihil mihi durius, aut molestius incidere in gratiam poterat, quàm quòd, ut de te audio, in tam honesta causa adhuc labores. Nunquam speravi Panormitanum tibi defuturum. videbatur enim, quantum ex illius vultu atq; sermone conjici poterat, amico atque adeo propenso esse erga te animo. Verùm de hominum voluntatibus difficilis est conjectura. Tu tamen, si me audies, moderatè, ut vere Philosophum hominem decet, atque æquo animo omnia perferes: neque desperabis meliorem indies fieri posse fortunæ tuæ conditionem. Equidem quod ad me attinet, pro mutuo amore nostro tibi me ac mea omnia, quantulacunque sunt, fraternè polliceor, scribamque quamprimùm, ut te pervelle mihi significas, ad quendam amicum meum, cujus non vulgaris est apud Pontificem Maximum auctoritas, daboque operam, ut, quod petis, impetremus. Ad reliqua epistolæ tuæ, quæ notis involvisti, non rescribo, ea enim intelligere minus potui. Fac igitur, si me amas, ut mihi notas illas prorsus aperias, desque operam, ut illis ego quoque uti possim, si aliqua fortè essent scribenda, quæ in alienas manus nollemus incidere. Reverendissimus legatus totaque domus nostra te salutat. Bene Vale, & quam sepissime ad nos scribe. Ratisbonæ, octavo kalendas Aprilis, Anno 1532.

Amicus

Amicus ad Agrippam. IX.

S. D. Misissem tibi jamdudum responsiones Erasmi ad censuras theologorum Parisiensium, si adfuisset hic aliquis, cui illas concredere licuisset: semel atque iterum accessi ad curiam domini nostri reverendissimi, scisciturus, num adesset aliquis, qui isthuc profecturus esset: sed toties me fefellit tum spes mea, tum opinio de re mihi abs te commissa concepta: tandem ad me venit Pater Gerhardus Sledanus, ac me tuo nomine commonuit libri illius, quem avidè expectas, nempe Erasmi responsionum: simulque coram me mentionem habuit viri illius, quod idem dominus ille noster, imò meus, si mihi id licet dicere, Princeps scilicet, & humanissimus, & naturâ optimus, mihi se missurum hyeme superiore recepit, sed per occupationes gravissimas, quibus indies ejus gratia verè grata variè multisque modis distringitur, oblitus est, & tamen aliquando missurus, cui videlicet Principi te oro etiam atque etiam, quàm potes, me quamplurimùm commendes: atque ipse per ferias Paschales ejus gratiam invisissem, si per corporis mei vires licuisset, & in quo jam ipse expertus sum me calculo vexari, id quod nunquam futurum arbitrabar, quoad viverem: sed res indicat atque ostendit, nihil non expectandum nobis, quicquid malorum homini accidere potest, dum vixerit, quàtumvis idem sibi robustus ac validus videatur. Novarum rerum nihil propemodum habeo, quod ad te scribam, nisi quòd eo ipso die, quo hæc ad te scripsi, ex magistro Godefrido Hitorpio bibliopola intellexi, Helvetios nondum satis sibi utrimque confidere, ac proinde à multis timeri, ne ad pugnam denuo congressuri sint, & commissuri inter se, & sicut creverunt annis superioribus potentia ac robore, undique civitatibus ad se contractis ac coadunatis sibi, ita deinceps sensim minuantur ac decrescant: & id tandem in se experiantur, quod olim Græciæ civitates, de quibus Iustinus historicus & Paulus Orosius referunt, ut quæ cum singulæ sibi imperium constituere, cogitarent, ipsæ ad summam redactæ sint servitutem quod utinam & ipsa Germania aliquando non experiretur. Egi cum magistro Godefrido, de quo paulo suprà, ut declarationes Erasmi nunc ad te mittantur, quas in vigilia Paschæ tibi misissem, si tantummodo per literas me monuisses, aut missis, qui hujus me admonuisset. Vale. Coloniæ, quarto Aprilis, Anno 1532.

HARVARD UNIVERSITY LIBRARY

Amicus ad Agrippam. X.

TVas à viceſima ſexta Iunii ad me latas ſunt dies quatuor quòd accepi, Agrippa mi colendiſſime. ex illis atque ex literis per te ſcriptis Magiſtro domus, cognovi, quorſum fortuna te conduxerit, profectò eram de hac re in maxima expectatione. unde quamprimùm huc appuli, ad te literas dedi & ad Aurelium deſtinavi. Reſpondit ille, quòd non eras Mechliniæ, nec ſe ſcire, ubi eſſes. poſtea ſcripſit, quòd ad Principem Colonienſem iveris. id quod ex me ipſo jam conjectabar. verùm dubitabam, an familiam ſoſpitem traduxiſſes. quod ut accepi commodè factum, congratulor omni fortunæ tuæ, & ubi contigerit me in Brabantiam reverti, te inviſam, & tecum aliquot plures morabor dies. tu interim me adviſabis, quomodo negotia tua accommodaveris, & ſi abſolueris librum tuum de Occulta philoſophia, quem cùm imprimendum dederis, duo ad me exemplaria deſtinabis, duo etiam exemplaria apologiæ tuæ & querelæ tuæ, quæ ab omnibus deſiderantur. feci ego extremâ diligentiam in perquirendo librum tuum cabaliſticum, quem mihi ante annos aliquot mecum Genuam perferendum conceſſiſti, ſed hactenus non fuit reperibilis, donec ego ipſe vadam Genuam, quem repertum magiſter domus tranſumptum ad te mittet. is amat te unicè, adeſt apud nos Lucas Gauricus brevi in Italiam reverſurus, qui pollicitus eſt ſe daturum dicto domino magiſtro domus plura notanda, quæ omnia quamprimùm tibi communicabuntur. Reverendiſſimus dominus legatus receſſurus eſt in Italiam, cùm primùm venerit huc Cardinalis à Medices, qui jam deputatus eſt legatus ad bellum cõtra Turcas. Cæſar dedit illi epiſcopatum Majoricæ, reditus aureorum quatuor millium annui, verùm abſtulit epiſcopatum de Oſcar, reditus aureorum duùm millium quingentorum. carebo itaque hoc refrigerio, ubi Reverendiſſimus ille abierit. Ego præterea à meo receſſu ex Bruxellis continuò ferè ægrotavi: nunc aurem meliùs habeo, ſed nõdum in tuto ſum: quid de me futurum ſit, ſcies omniâ. Frater meus Thomas atq; dominus Iulianus obnixè ſe tibi commendant. Cupimus plurimùm & maximè deſideramus apud nos præſentiam tuam, potiſſimè in tanta rerum varietate, ubi plura comperies, quæ notanda forent. Si ſciviſſem, quo debuiſſem deſtinare literas, indies ad te ſcripſiſſem, & de ſingulis feciſſem te certiorem. nunc autem tales feruntur ſententiæ. Regem Ferdinandum fuiſſe in Bohemia, inde obtinuiſſe ſexaginta millia peditum, & aliquem numerum

numerum equitum, cum aliquot munitionibus: ex Moravia hominum viginti quinque millia: ex Sileſia viginti millia: ex Auſtria & cæteris provinciis patrimonialibus numerum peditum quindecim millium & aliquem numerum equitum: ſubſidium Imperii fertur eſſe quadraginta millium peditum, & octo millium equitum. Cæſar daturus eſt peditum triginta duo millia, quorũ viginti millia recipiet ex Italia duce Murchione Aguaſto, reliqua duodecim millia conſcripta ſunt in Germania, ducibus Capitaneo Thamyſia & Maximiliano. nam dominus Caſpar Frunſpergius & Marcus Syttychonus illud rennuerũt: colligit etiam equitum ſex millia, videlicet duo millia ex Italia duce Ferdinando Gonzaga, reliquos ex Burgundia & Flandria. Pontifex pollicetur ſoluturum ſe equites levis armaturæ Hungaros decem millia, & quadraginta mille aureos in ſingulos menſes. Ajunt, reverendiſſimum Cardinalem Leodienſum miſſurum quinque mille pedites & equites quingentos duce Brederodio. Rex Chriſtianiſſimus cum Rege Angliæ in nullo ſubveniunt. Ajunt, Turcam fuiſſe in Belgrado ad feſtum divi Ioannis Baptiſtæ, & moraturum ibidem diebus decem. Embray Baſſa præcedet cum parte exercitus, cujus magnitudo eſt innumerabilis: veniunt illi in ſubſidium Tartari, qui jam tranſierunt aurcam Cherſoneſſum: præterea dux Vallachiæ & Moldaviæ. Verùm de claſſe Turcica non eſt timendũ. nam in Ianua paratur claſſis noſtra quæ ſola ſufficiens erit ſe opponere Turcis. præterea Veneti habent triremes octoginta armatas, ut fertur. In dieta hac Ratisponenſi nihil reſolutum percipio. Galli cuperent perturbare negotia Italiæ, potiſſimùm civitatis noſtræ. quod ſi propoſitum illorum ſit, expectabunt, arbitror, quousquè exercitus Cæſaris ex Italia receſſerit, & claſſis maritima ex Genua. Orator Regis occultum quendam tractatum agebat cum aliquot principibus Germaniæ, cujus ſucceſſum tibi mando in ſiferis. Hæc ſunt, Agrippa mi, quæ hactenus intelligere potui. ſi quid aliud emergat, ſcies ex me omnia, hac tamen conditione, ut copioſiùs ad me reſcribas, Audio Hollandos contra Oſtroſaxones velle bellum movere, ſed Regis Daniæ negotia non bene procedere. tu quid de his rebus intellexeris, reſcribe, tuumque judicium adde. Domino de La Rocha & Eleemoſynario tuo nomine ſalutem dixi. & hiſtoriã Borbonicam petii: quamdiu non ſint expediti, minimè illam daturos confido: ſollicitabo tamen apud illos continuò, & ubi primùm dederint, quamprimùm ad te mittam. Super diviſione bonorum rebellium Neapolis modò facta, plura tibi ſcri-

benda essent, quorum summa hæc est: Omnes, qui Cæsarem adjuvárunt, qui bona, qui vitam pro eo depositurunt, irremuneratiremanserũt, qui adversæ factionis hostes illius nati sunt, qui arma contra illum tulerunt, omnes fuerunt optimè & secundum vota sua expediti. Mortuus est Neapoli Cardinalis Columna: in vice regem sustectus dicitur Marchio de Villafrancka. Cæsaris consilia adhuc per eos aguntur, per quos, cùm tu adesses. Cæsaris filius Hispaniarum Princeps, graviter ægrotare dicitur. Cæterùm qualem ordinem in recipienda pensione tua Cæsarea reliqueris, scire cupio. Vale, & mei sis memor. Ex Ratisbona, decimaseptima Iulii, anno 1532.

Erasmus ad Agrippam. XI.

QVum huc redisset Polyphemus è Ratisbona, & languebam & ædificabam, quo mihi nihil molestius: & obruebar studiorum laboribus, itaque mallem serius ad te scribere, quàm committere, ut jure queri possis te non accepisse justam epistolam. Bellum cum Turca suscepimus, cunctis malè ominantibus. Eò mittendi erant illi robusti bonis lateribus, ac bene vocales. Bene Vale, Corneli doctissimè. Ex nundinis scribam & alacriùs & copiosiùs. Friburgi, Iacobi, anno 1532.

Agrippa ad Amicum Cardinalem Campegium. XII.

CVm me tuæ sublimitati, cùm ob propensum ejus erga me favorem, tum ob collata in me beneficia, atque ob patrocinium adversùs illos, qui Cæsarem totamque Cæsaris aulam in meam perniciem irritárunt, & propemodum persuaserunt, plurimis maximisque nominibus obligatum esse cognoscam, Pater reverendissime, veniam mihi dabis, si gravioribus quoq; nominibus cupiam me tibi reddere obligatiorem, rursusque te partem virtute præstantissimum & literatura eruditissimum orem, ut in tuendo Agrippa tam vetere clientulo tuo tui similis esse velis, eademque animi clementia me suscipere digneris quod enim ad te iterum confugio, autor mihi est ignara pudoris necessitas, qui, jussu Cæsaris tuoque hortatu cogor me ab impietatis crimine vindicare, atque hanc pugnam aggredi, taleque certamen suscipere, ut capitale impietatis crimen agnoscam, si obticescam, nimiumque obfuturum sit famæ meæ, si negligam, nimisque periculosum, si detrectem pugnare contra fortiter. quod cùm sine adversariorum dolore & vulneribus fieri nequeat, periculosum mihi visum est, absque strenuæ

strenuæ eruditionis pariter & æquissimi judicii patrono in hãc arenam descendere. En prodit apologia nostra adversus Lovaniensium aliquot Rabinorum calumnias, ad quas quanta cum celeritate respondi, nulli meliores testes sunt, quam vir ille ornatissimus dominus Lucas Bonfius tuæ sublimitatis secretarius, qui non modicam Apologiæ nostræ partem vidit, legitque, atque Venerabilis dominus Bernardus Paltrinus tuæ Amplitudinis œconomus, in cujus cubiculo dies noctesque importuno studio peregi omnia, ita quòd cùm datus esset mihi libellus adversariorum ad diem decimumquintum Decembris, ego Apologiam hanc reddiderim ante ultimas kalendas Februarii, tradidique Mechlinienſis senatus præsidi, non editurus in publicum, nisi accepto priùs senatus illius decreto, à quo mihi transumptum calumniosorum illorum articulorum transmissum esset. Quamvis judicium & sententiam ejus negotii jam pœna antecesserit, & incognita causa ex sola suspicione damnatus essem ab his, qui posthabita senatus autoritate, sibi judicandi libertatem usurpassent, quique accusatores cum essent & inimici, non tam judicandi quàm opprimendi mei causam quærebant. Quia igitur nunc supra decimum ferè mensem frustra expectavi senatus illius decretum, ne honoris mei prodigus, & famæ meæ crudelis, innocentiæque meæ desertor, tam crudelem hæresis, impietatis, & scandali infamiam, quam mihi scelestissimi illi scriptorum meorum falsarii & perfidi famicidæ impegerunt, silentio meo agnoscere videar, cogor illam vel ante judicium, in paucis recognitam & nonnullis adjectis, in publicum edere, idque sub tui nominis protectione. quod quidem eo audentiùs facio, quòd etiam tua Amplitudo me adhortata esset, ut responderem, & me de tam horribilibus criminibus purgarem, sed lenitatem mihi injungens atque modestiam. Vnde ego mihi non permisi tam libere loqui, nec tam vehementer respondere, quàm perfidi illi calumniatores mei commeruerunt: qui, quod nosti, non istis articulis contra me egerunt, sed innumeris aliis clancularijs infidijs & capitalibus criminationibus, multisque subornatis sycophantijs multo aconito conditis. Tantum lethalis veneni in aula Cæsaris apud principes viros, & in templarijs concionibus apud imperitam multitudinem adversum me effuderunt, ut difficillimum sit mihi ad tam proditorias persecutiones ubique habere bonum stomachum, quorum casumniæ quædam ejus generis sunt, ut quemvis etiam excellum animum possent à tranquillitate dimovere, & ad quas

lenis esse nec possim, nec admodum debeam. Sicubi ergo in hac apologia paulo liberiùs in malos malè loquor, sitque aliquid amaritudinis, meo jure id me facere puto, mihique in illos licere arbitror edito nomine meo palàm, & præcipiète Cæsare, me defendere contra eorum calumnias, detractiones, & maledicta, quæ ipsi præter autoritatem, tacitis nominibus suis, clanculum, & post terga, proditoriè & in me sibi licere permiserunt. Certe non ignorabam ab initio declamationis meæ, me invidiam eruditionis præmium recepturum, quodque mihi obviatura essent gymnasiarcharū ferocitas, sophistarum astus, scholasticorum insidiæ, magistrorum nostrorum furor, pseudomonachorum doli, & omnia mihi pulchrè prædivinaverā: sed arbitrabar illos eruditorum & proborum virorum more, aut in diversam partem declamaturos, & adversus me scripturos, aut disputationem publicam indicturos fuisse, non tot falsæ linguæ apparatibus insectaturos, non tot mendacibus calumniis apud Cæsarem capitis expetituros. Quòd si scriberent, aut disputarent, qui tunc valiturus essem, non facto. Certè eruditionem eorum non vereor, violentiā autem pertimesco, non ignarus, quanto periculo vivam in ea multitudine, queis cum videam mihi æternum bellum esse susceptum, præsertim cùm tanta sit tyrannidis eorum impunitas. Sed qui quondam disputationes indicere solebant scholarum magistri, nunc insciiæ suæ conscientia confusi, illas exhorrent, violentiaque damnare prætendunt, quod deberent rationibus cōvincere. Scio, à quorum judicio pendeat Cæsar, quales illi adsint theologi. Scio, quàm odiosa sit veritas, sed justo sub judice vincet, nec terrebitur crimine innocens: at dicere causam apud eos, contra quos scripsissem, grave est. Quòd si Cæsar nollet totius negotii circumstantias, quas passus sum injurias, ac illi patérent, quę ego scripsi, fortassis propensior illius esset in me animus, nec me inter postremos numeraret: sed in aulis Regum plerumq; plus valet detractorum improbitas, quàm bonorum favor. nec solùm ille reus est, qui falsum de alio profert, sed etiam is, qui aurem citò criminibus præbet, nec me læsissent calumniæ, nec illis persuasissent malæ illæ linguæ, si non invenissent sibi similes auriculas: sed confido innocentia mea. quo fit, ut non confundar, nec aliud cupio, quàm æquum & intelligentem judicem qualis tu es unus. Propterea nunc iterum atq; iterum oro Amplitudinem tuam, ut nō graveris animum tuum, licet plurimis gravissimisq; negotiis occupatissimum, mihi tantisper accommodare, nostraque scripta & responsa expendere velis, donec

donec causam omnem perdiscas: nec molestè feras, si te, quod fortè plerique dicturi sunt, tam odioso argumento præficiam patronum. non enim molesta, nec odiosa tibi fore puto, quæ adversus perfidos falsarios, & impios sycophantas, fidei & pietatis negotia tueantur. Faxit Deus, ut Ecclesia sua ab omni Hæreticorum impietate, & sophistarum tenebris expurgata, in pristinum splendorem restituatur, qui te prosperet & incolumem conservet, & omnibus bonis impleat & repleat. Vale fœlicissimè.

Agrippa ad Melanchthonem. XIII.

SI quid peccati est, quòd, nulla occasione præbita, te virum præstantem, & eruditione summum, hac extemporanea epistola compellem, Philippe Melanchthon, omnibus nominibus colendissime, totum id in hunc Ambrosium rejiciendum, qui hujus impudentiæ mihi fuit autor & impulsor. Quòd autem ad te tantum virum scribere debeam, nullum in promptu est te dignum argumentum, nisi fortassis quod te scire convenit, æternum bellum mihi susceptum esse cum Lovanien sib. theologistis, in quod certamen me protraxit audens veritas: sed eo sub judice dimicare hactenus compellor, qui est hostis omnis veritatis, peritq; mihi & virtus, & gloria, & res, & fides irato tyranno, cujus pertinacem indignationem & ingratitudinem erga magnitudinem servitiorum meorum inauditam jam biennium pertuli, & magna patientiæ constantia propemodum vici, nisi nova veritas continuò novum mihi adderet odium. Vtinam hic Nabuchodonosor aliquando ex bestia rediret in hominem aut ego relinquere possem istud Vr Chaldæorum. Sed satis jam argumenti aliàs largiùs longiùsque scribendi datum est. Deus te servet incolumem, ut omnia tibi pro desiderio Christiani animi tui prospera fœliciaque contingant. Salutabis mihi invictum illum hæreticum Martinū Lutherum, qui, ut in actibus ait Paulus, servit Deo secundum sectam quam hæresim vocant. Salutabis etiam Spalatinum veterem amicum meum: & tu nunc fœlicissimè vale. Ex Francofordia Mœni, decimaseptima Septembris, anno 1532.

Agrippa ad Amicum. XIV.

AD articulos illos, quos mihi pro impiis & scandalosis impia illa Lovanien sium Theosophistarum cohors objecit quanta cum celeritate responderim, nemo te melior testis erit ornatissime Luca, qui apologiæ nostræ non modicam partem

tunc

tunc & vidisti & legisti & audisti. Hanc cum jam ante decimũ mensem reddidissem senatui Mechliniensi, à quo ego paulo ante articulorum illorum transumptum accepissem, nihilque in hac causa actum perciperem, decrevi nihilominus famæ meæ consulere. Edidi itaque apologiam. & illam reverendissimi domini & patroni mei D. Laurentii Campegii Cardinalis tutelæ commendavi. æquitate causæ hanc audaciam mihi subministrante. Sed ut est in proverbio, veterem ferendo injuriam invitamus novam. Ita profectò verum experior, qui quantò me istis barbaris humiliorem exhibeo, tantò factus sum contemptibilior. Quid multa? à tempore recessus vestri nihil omnium mihi servatum est, quæ recepta fuerunt, illaq; egregia Cæsaris diplomata mimi meræ nugæ & inanes bullæ factæ sunt, & quod de Echo dici solet, voces sine corpore. Ingenuè fateor, me à Burgundionibus illis plusculum fidei & probitatis expectasse, quam ipsi factis suis erga me declararunt, atque Gallorum de illis sonat proverbium, quo vocant proditores Burgundos. Quia igitur nihil humanitatis, aut clemẽtiæ, aut aliquid omnino justitiæ ab illis sperare possum, statui omnem bilem evomere, omnemq; stistoriam retexere, & luci palam exponere. Itaq; subjecimus Apologiæ nostræ Querelã Eustochio Chapusio, Cæsaris apud Anglorum Regem oratori adscriptam. pariter omnia excuduntur Basileæ. quæ si nunc absoluta erunt, is gerulus secum feret aliquot exemplaria, reverendissimo, ac tibi, & D. Bernardo distribuenda: sin minus ego, ubi absoluta fuerint, protinus mitti curabo. Libri nostri de Occultiore philosophia Coloniæ sub prælo sunt. hæc circa proxima Natalitia prodibunt. horum quoq; aliquot volumina mittam. Tu interea mei memor sis, & pro quibus jam sæpissimè te interpellavi, pontificis sive breve, sive diploma mihi impetres, & me reverendissimo domino meo Cardinali Campegio charum commendatum q; conserves, & in omnibus boni consulas. Vale fœlicissime. Ex bona, decimatertia Novembris, Anno 1532.

Agrippa ad Amicum. XV.

MVlta tibi debeo, & multum te amo: atq; utinã in potestate mea esset, ita tecum mutuis officiis decertare, quàm in promptu est amore mutuo respondere. Nunc ita se habet fortuna mea, ut nihil aliud queam, quam fateri & testari, quod ubicunq; agit Bernardus, ibi fidissimum esse Agrippæ patronum & benefactorem: ubicunq; agit Agrippa, ibi esse Bernardi obligatissimum clientulum & amicum. De negotiis meis

meis apud Brabantos Burgundiones sic se res habet: Cæsarei quæstores stipendium non solvunt, & fraudibus suis afflictum insuper verborum fastu obruunt. nihil omnium, quæ mihi à Cæsare decreta erant, observatum est. omnem pecuniam Turca absumpsit: ego me cum familia proripui, bibliothecamq; abduxi: sed vereor, nisi deus aliquis intervenieus fabulæ finem imponat, vix absque periculo me hanc fortunæ luctam superaturum. Liber noster de Occulta philosophia auctus, correctus, castigatus, sub prælo est, & jam aliquot quaterniones excussi sunt: totus prodibit circa hæc festa Natalitia: tunc, si tutum securumque nactus fuero nuncium, aliquot volumina ad te mittam: sin minus, hunc gerulum revertentem expectabo. Interea oro ad me scribas, ubi degas, quid geras, quid rerum arcanarum adeptus sis: an cabalam Samuelis, & librum nostrum ab Augustino Furnario receperis: denique, si quæ ejusmodi sunt, me reddere velis participem, atque aliquid boni. um librorum mitte. Vale fœlicissimè, & me Reverendissimo domino meo Cardinali Campegio commendatum redde, omnemque familiam meo nomine salvere jube. Ex Bonna, decimatertia Novembris, anno 1532.

Agrippa Cratandro Typographo S. XVI.

SCribimus domino Erasmo Roterodamo: quas literas ad illum tutò deferri cures, oro te, mi solertissime Cratander: in hoc facturus mihi rem gratissimam. de Apologia, & querela nostra, quæ proximis nundinis Francofordiæ à nobis accepisti, excudenda quid actum sit, scire velim. cupio enim, ut quàm proximè in lucem prodeant. Tu ubi primùm absolveris, mitte meo nomine exemplar unũ domino Erasmo, & mihi aliquot alia. Quòd si fortè jam absoluisti, da huic gerulo tria volumina. est enim chartophorus reverendissimi Cardinalis Campegii, cui videlicet dedicata est ipsa Apologia, ut referat patrono suo. Meus amanuensis in exscribendis reliquis opusculis meis diligentem operam navat, quæ ad futuras nundinas ad te asseram Francofordiam. Vale, & istis meis responde, & literas tuas Coloniam ad Sotherum dirige. Ex Bonna, decimatertia Novembris, anno 1532.

Agrippa ad Erasmum. XVII.

EX literis tuis, candidissime Erasme, quas mihi Polyphemus ante nundinas reddidit, accepi te & languore corpusculi, & labore studiorum, & ædificandi molestia obrutum,

non potuisse tunc longiores ad me literas dedisse: pollicebaris tamen post nundinas & alacriùs & copiosiùs te scripturum. Itaque expectabundus tuarum literarum nolui tibi molestus esse usque adhuc: nunc verò nactus nuntii hujus oportunitatem, statui rursus silentia rumpere, non quòd tecum expostulem, sed ut te admoneam me nullas tuas accepisse, ne quando, si fortè scripsisses, & intercepta mihi perierint, meum in respondendo silentium ignaviæ aut ingratitudinis vitio abs te jure argui possit. Scripturus igitur ad me literas, destinabis Coloniam ad Tilmannum de Fossa. Ego quas ad te redditurus sum, destinabo Basileam ad Frobenium, vel Cratandrum. sic spero neuter nostrûm fraudabitur. Cæterùm, quod te scire volo, bellum mihi est cum Lovanien sibus Theosophistis. hactenus variis insidiis in meis castris oppugnatus velitari eruptione me defendi: nunc autem ingravescente prælio, patefactis foribus, in apertam pugnam prorupi cataphractus. non sunt illos destituta Colonien sium & Parisien sium subsidia: mihi quæ futura sint præsidia, nescio, nisi quòd ea causa fretus, quâ nulla expugnare potest contradictio, non ulla maculare potest falsitas, quæ nec ab advocatorum penuria, nec à fraude judicũ ullum pati potest detrimentum. Sic munitus non dubito me vel solum exponere periculo: sed si vicero certamen, non minor tua, quàm mea futura est gloria, qui non minus tuis, quàm propriis armis atque telis strenuè pugno, eoque audentiùs in hunc campum prosilio, videbisque proximè prodeuntem imperterrita libertate novum in arma militem. tunc tu videbis, scio: alii admirabuntur: sophistæ crepabunt medium: ego interea aut vicero, aut evasero. Vale, & boni consule. Ex Bonna, decimatertia Novembris, anno 1532.

Agrippa ad Erasmum. XVIII.

PVdet me, colendissime Erasme, tot infundis literis, & quæ præter salve & vale nihil habent ampliùs, occupationes tuas interpellare: sed cùm huc transiret iste tuus servulus, tuas mihi impartiens salutes, turpissimæ ingratitudinis accusari possem, si non scriberem. Impatiens itaq; silentii tui nominis veneratio, hunc abortivum calamum coegit, non aliud nunciantem, quàm si quid apud me est, quod tibi conducere putes, utere opera mea. nam neque tardum, neque defatigatum offendes tui Agrippæ animum. scripsi præstantiæ tuæ à decimotertio hujus mensis per reverendissimi Cardinalis Campegii chartophorum, quas literas tibi redditurus erat Cretander Basilien sis typographus, ex quibus intelliges, quale bellum mihi est cum Theologis. Vale fœlicissimè. Ex Bonna, vicesimasecunda Novembris, anno 1532.

Erasmus ad Agrippam. XIX.

SAlutem P. Hactenus vir eruditissime, tuis literis non respõdi, satius esse ducens, omnino silere, quàm negligenter respondere. hactenus sanè expectatum est otium, sed hactenus non datum. Quem chartophorum narres, nescio: nec tuam epistolam historiæ theologicæ narratricem Cratander reddidit. Si quid posthac autem mihi bona fide reddi cupis, fac tradas Hieronymo Frobenio. Tibi cum crabronibus rem esse doleo. Explica te quantum potes. Paucis bene cessit cum illis conflictari. Ad novam hirundinem scribam copiosiùs, favente Christo. Interim tibi persuade, Erasmum esse de numero bene cupientium Agrippæ. Vale. Friburgi, nono die Decembris, anno 1532.

Spectabili ornatissimoq; viro, Ioanni Khreuttero, Serenissimæ Dominæ Hungariæ & Bohemiæ Reginæ secretario, Henricus Cornelius Agrippa, S. D.

XX.

QVid agis, mi Khreuttere, quid vales, quid Sacellanus doctor verè pius, quid nummularius vester, quid præfectus coquinæ, quid doctor Toccharus, quid cæteri Germani? Vtinam liceret aliquando mutuo convictu gaudere, aut nunc saltem ad sesquihoram colloqui, ut malè pereant qui me à vestro sodalitio abstrahunt, publicani aliquot rapacissimi, digni qui corvos in cruce pascant. Attamen qui corpora prohibent, animos prohibere non possunt. Quin sicut locorum spaciis disjungimur, ita animis propè constituti sumus. Confido itaque, quod tu in meis negotiis non minus absenti, quàm præsenti sis patrocinaturus. En, à læsa patientia audaciam mutuatus, rupto silentio, victo pudore, tandem scribo serenissimæ Reginæ Mariæ, omnemque illi meam narro tragœdiam, quomodo hactenus à versutis illis Burgundionibus callidè delusus, fraudulenter circumventus, flagitiosè falsus, & impiè deceptus fui, officiique mei stipendium, statutam à Cæsare pensionem, & obsequii præmium repeto. Quę omnia quò planè intelligas, mitto ad te cum istis transumptum literarum mearum, quas ad Celsitudinem suam scribo: præterea etiam duplum supplicationum mearum, quibus tempore calamitatis meæ, & Cæsa-

rem & suum Burgundicum consilium interpellavi, ut ex illis perdiscas, & scias omnia, meminerisque, ut quando quotiesq; oportunè fieri poterit, apud Reginam ipsam, quod in hanc rem sit, pro me loquaris, excusesque meam dicendi libertatem, ne Burgundionum illorum fraude & obtrectatione in mei odium inducta, mihi succenseat. Porro mitto epistolas Cæsarei apud Anglorum Regem oratoris Eustochii Chapusii, viri eruditissimi juxtà & prudentissimi, in quibus respondendi academiis pro Regina Angliæ onus mihi imposuit. Has literas, & quid ego illi responderim, cupio Reginam Mariam legere, aut ex te intelligere. Verum hîc nunc anxius vereor primùm, ne Regina ipsa nostras tam longas literas aut legere respuat, aut negligat, aut illis longè vestitis stipitibus legendas tradat, qui tamen propter stuporem ingenii frustra omnia lecturi sunt, nec ullam pagellam sanè intellecturi, tum propter vetus odium, si qua fortè intelligent, perversè interpretaturi sunt. Deinde vereor, ne inclyta Regina circumsessa à personatis illis statuis, non sit sui arbitrii. Quæ licet nomen & titulum rectricis habeat, illi tamen omne regimen & imperium ad se trahant, & sine provocatione pertinacissimè sibi vendicent, aut sic Reginæ occupent aures, sic illis insideant, ut dum illos in res vel maximè detestabiles consultantes audire coguntur, vix aperiantur aliis vel sanioribus etiam consiliis. O quanta ego tunc indignatione consternatus contristatusque sui, quando inclitam Reginam prima illa in illarum provinciarum imperium investitura sua, sublatis sibi veris Germanis, viris, inquam, prudentia gravibus, consilio invictis, fide incorruptis, illis versipellibus & auro gallico corruptissimis Burgundionibus circumseptam viderem, quorum tantum venenum est, ut omnem probissimæ indolis Principem depravare possint. Sed spero, quia non succedet in perpetuum fraus, neque semper proficient doli, aderunt aliquando tam scelestæ colluvioni sua tempora, quando, confracta populi patientia, illos omnes uno die tota perdet provincia, plebsque seditionum fluctibus concitata publica vi injuriis eorum occurrat, intolerabilia sua servitutesq; excutiens, publicis armis libertatem prosequatur. Annon putabimus tunc illos atrocissimæ tyrannidis suæ, consternatæ amentiæ plebi meritas pœnas daturos? Certè hoc eclipses, hoc cometæ, hoc terræmotus, hoc diluvia, & quæ proximè præcesserunt, cùm varia prodigia, tum cælestia omnia proclamant. Atque ego hæc non ex dubiis conjecturæ modis, nec ex animi perturbatione à vera ratione transversum actus, sed ex veris vaticinio-

vaticiniorum & oraculorum, prædictionum prænotionumque artibus tibi prædico, & illis de me pessimè meritis insuper ominor & imprecor, oroque Deum suppliciter, ut tradat illos in manus sathanæ me vivente & vidente, sed ut spiritus salvus fiat. In Reginam autem scias me sic affectum, ut sibi ex animo optime velim, honoremq; suum & existimationem suam defensa, imperium & potentiam suam aucta semper cupiam, semperque exoptem. Sed ad te nunc revertor, mi Khreutterer, te exoratum volo, ut hanc meam ad serenissimam Reginam epistolam, qualis qualis sit, quemcunque etiam eventum sortitura, Celsitudini suæ exhibere ne formides: aut, si id meliùs videbitur, per alium interpositum, sed te præsente, exhiberi cures, tuque jam omnium instructus & conscius causam meam ipsi Reginæ exponas, ingeras, &, quoties oportunum erit, te memores, responsumque solerter procures. Præterea, quod facilè potes, quid in negotio meo inter publicanos illos finantiarios & reliquos illos privati consilii mystas agatur, diligentissimè perquiras: amicitiam tamen in te meam apud illos dissimules: sic namque facilè audies intelliges que omnia, quæ in me absentem dicuntur deliberanturque: exploratisque illorum adversum me consiliis, cùm illorum mysteriis non sis obnoxius, me per epistolas tuas mone, ut æquum est, amicum, ut, si istic nulla mihi spes sit, aliunde quæram huic malo remedium. Fac ergo, ut cognoscam, Khreuttero non secus absentes, quàm præsentes amicos curæ esse. Cæterùm verò exemplaria omnium harum literarum, si videbitur, inter amicos dissemina donec ego illa sub prælo edidero. Volo enim hanc Burgundicam perfidiam notam omnibus fore, etiamsi debeam ab illa Cæsarea pensione propterea excidere. Neque verò scribo, quia fidam hanc pensionem mihi solvendam, sed ut ædificem carbones super capita eorum habeamque validiorem occasionem ultionis, dum sese mihi vindictæ obtulerit opportunitas, quia iterum negaturi sunt, nisi fortè Reginæ imperium illos ad satisfaciendum compulerit, meumque justissimum dolorem suæ æquitatis clementia vicerit, in cujus gratiam forte remissurus illis essem omnia, alias cùm in illos, tũ in suos per me, perque meos, perpetua hostilitate omnibus nocendi modis vindicanda. Vale fœlicissimè, & his nostris protinus respondе. Ex

Bona.

Serenissimi Principi, Mariæ, Hungariæ & Bohemiæ Reginæ, ac inferioris Gallo germaniæ proregi, Henric. Corn. Agrippa S. D.

XXI.

NOn eram his literis interpellaturus Celsitudinem tuam, Maria Regina illustrissima, clarissimorum avorũ neptis, serenissimo patre edita: nec te tot provinciarum rectricem plurimis & gravissimis occupatam negotiis in re modica fatigaturus forem, nisi me cùm propriæ sortis impelleret necessitas tum arbitrarer non omnino incommodum futurum, si mei nactus fueris notitiam, qui tibi non modico usui esse, & nonnunquam etiam prodesse possem, tuamque memoriam inter cæteros laudum tuarum præcones non postrema fide & autoritate posteritati commendare: & quamvis virtutum tuarum hactenus nullam mihi habere contigit experientiam, tamen confisus de constantissima fama, qua te omnes prædicant, tam masculam Reginam, sic muliebri corpore virilem animum & avitarum virtutum habitum æquantem, ut nisi refragetur sexus, Regem te existimari posse, quæ fœmina etiam adversis eventibus eundem animum, eandem constantiam & magnanimitatem servans, multis Principibus viris, virilitatis virtutem gloriamque præripias: quo testimonio majora adhuc de indole tua spe præsumens, quàm fama accepissem, & te nunc & in posterum hanc de te conceptam bonæ spei opinionem non tã expleturam, quam superaturam, credens non minùs audenter, quàm fiducialiter Celsitudinem tuam proximè & nullo mediatore adire constitui, homo licèt infacundus & tibi incognitus, sed quem aliquando cognovisse fortassis non pœnitebit. Non est ergo quòd huic audaciæ meæ succenseas, sed optimæ famæ tuæ gratuleris, quæ hanc mihi fiduciam submiſtrat, nec adulatorias blanditias, deforme simul & grave Regũ præcipitium fatalemque Principum pestem, ex me tibi vereris. Ars ea procul à meis moribus abest. Neque despexeris irata libertatem meam, si loquor, ut sentio. sum enim homo liber, apertus, sine fuco & dissimulandi nescius. At nunc, quæso, qui sim, qui fuerim, quod studium, & qua occasione ad te scribam, quid petiturus, summatim cognoscere tædio non sit, nec graveris mihi animum tuum tantisper accommodare, donec causam omnem perdiscas, sermonemque meum, licèt paulò longiorem & liberiorem, quàm expedire plerisque videri posset, pro morum tuorum bonitate patienter audias, humaniter excipias,

cipias, & diligenter attendas. Majores mei ab avis & atavis Austriacis Principibus semper addicti, virtutum suarum præclara insignia fortunasque reportârunt. Horum ego nixus vestigiis ab illius aulæ vita, quæ majores meos aluisset, non abhorrui. hinc avo tuo divo Maximiliano Cæsari à prima ætate destinatus, aliquandiu illi à minoribus secretis fui. deinde in Italicis castris septennio illius stipendio militavi: postea varia legatione functus, nunc literis, nunc militia, diverso conditionis habitu geminam utriusque laudem æquavi: pericula quoque varia superatus, nunc miserrimis, nunc fœlicissimis par habitus, utriusque fortunæ mensuram implevi: jamque octo linguarum mediocriter doctus, sed illarum, sex adeò peritus, ut singulis non loqui modò & intelligere, sed & eleganter orare, dictare & transferre noverim, tum præter multimodam etiam abstrusarum rerum cognitionem, peritiam & cyclicam eruditionem, utriusque juris & medicinarum doctor evasi, antea etiam auratus eques, quem ordinem non precariò mihi redemi, non à transmarina peregrinatione mutuavi, non in Regum inthronisatione impudenti insolentia surripui, sed in publicis præliis media acie bellica virtute commerui. Defuncto Maximiliano avo tuo sub variis & principibus & aristocratiarum optimatibus & democratiarum magistratibus, per Italiam, per Hispaniam, per Angliam, perque Gallias, nunc militia, nunc literis, stipendia merui: multa præclara facinora gessi, multa strenuè perpetravi, quorum mihi fide dignissimi & testes sunt & testimonia. Tandem post multos mari terraque emensos labores fessus, ærumnis superioris studii habitum tranquillioris vitæ meditatione mutare decrevi, sedemque mihi inter Allobroges elegi, ubi vitam ab externis negotiis procul transactæ eruditionis usu omnium securissimã ducerem: sed victus aliquot Principum virorum multis admodum literis & precibus, in Lugdunensem Galliam concessi, ubi inter cætera munera Regiæ matris physicus aliquot annis extiti, quousque à duce Borbonio primùm deinde etiam à Mercurino cancellario evocatus, non indignum ratus Gallicæ aulæ, in qua jam, etsi nonnulla injuria affectus essem, licet aliàs inter Gallos omni venerationis & benevolentiæ studio semper cultus fuissem, desertorem agere, ac illi me Principi devovere, cui jam à progenitoribus meis semper destinatus fuissem. Itaq; magno rei familiaris meæ damno, nec minore impensa, dehortantibus omnib. amicis meis, & siniſtrum fulmen augurantibus, inter infestos bellorum tumultus per medios hostes, summo etiam vitæ periculo cum

omni familia mea Gallia egrediens, quia Cæsarem in Hispanias petere non licuit, in hanc Burgundicam aulam me contuli: ubi cum loco mutata fortuna, omnes bonæ fœlicitates meæ me deseruerunt. nam, mortuo Borbonio defunctoque Mercurino, cognitus à nemine, & res & fides cum pollicitationibus perierunt. Interea tamen Margareta Princeps constituerat me Cæsaris indiciarum, jussitque Cæsareos publicanos, quos Finantiatores vocant, quasi fœnorum anticipatores, justum mihi taxare & statuere stipendium. quod dum sæpiusculè prosequerer, nunc apud Hostratum Comitem, nunc apud Panormitanum protopræsulem, hoc publicanorum, illo privati consilii præsidibus, illa dilationis excusationes varias benevolentiæ simulatione componentes, bono animo esse jubent, nec dubitare statuendum stipendium ab initio suscepti & administrati muneris mihi in sortem fore numerandum. His pollicitationum figmentis & compositis blanditiarum laqueis circumventus, dum ea spe credulus promissorum suorum fidem secutus sum, nihil illorum fide fallacius reperi, nihil illorum promissis damnosius inveni. hoc initium fuit summorum dolorum, sic versipelles inter Burgundos ab insonti principio redactus sum ad miserrimam egestatem. Parce, precor, calamo, quem justus dolor excusat, & nescia blanditiarum integritas agrestiorem reddit: jamque, defuncta Magareta Principe mea, residua spes in uno fortunatissimo Cæsare sita erat; quem dum adventantem integrum annum maximo meo incommodo, & alieni æris dispendio sequor, quum virtute venerationem, & præstito obsequio laborum mercedem meruissem, ille, nescio, quorum improborum impulsu pro veneratione persecutionem, pro præmio pœnam propè irrogavit: jamque, tanquam in Cyclopis antro, illud pulcherrimum literaturæ donum in præmium benignitatis exitio proprio mihi fuerat compensandum, nisi Apostolicæ sedis legatus Laurentius Campegius & Leodiensium antistites Erhardus à Marka, ambo eruditissimi & reverendissimi Cardinales, & æquioris judicii principes, Majestatem illius ad meliorem sensum revocassent. Atque hæc tanta Cæsaris indignatio non nisi ob scriptam declamationem de Vanitate scientiarum & excellentia verbi Dei: quam si Cæsar potiùs solida oculorum fide legisset & intellexisset, quàm ad improborum instigatorum impulsum cæco præsumptæ suspicionis augurio, ac inconsulta persuasionis credulitate mensus fuisset, facilè cognoscere potuisset, in quot & quantis illi usui esse possem, nec me omnino inter

postre-

postremos numerasset. Quòd si nunc inflictas mihi apud Cæsarem calumnias numerum, si laceratæ famæ atrocitatem referam, & quomodo Cæsareus Indiciarius ad insolentis stipatoris plenum ignominiæ ludibrium redactus fuerim, si captivitatis injustæ ignominiam, & permixtam ludibrio aulicorum insolentiam, atque inter tot acerbissimos casus etiam metuendi Cæsaris odium, & negatam mihi à Cæsareis justitiariis justitiam recensem, vix ingenti volumine omnia complecti possem. Transeo, qui interea gloriæ suæ meo labore partam arrogarunt operam, & quarum rerum ego sementem jeci, illi absque negotio fructum messuerunt, & ex meis laboribus præmium retulerunt. Præterea cùm inter has angustias nec à tenacitate Cæsaris virtutum præmium, nec ab illius indignatione postulatam repudii libertatem impetrare potuissem, nec præ aulica invidia illi planè innotescere liceret, longè minorem magnificentia sua & spe mea atque meritis meis gratitudinem expertus sum, statutumque est stipendium, sed longè impar & infra muneris mei onus, si hoc solo & vivere & laborare & indicia temporum rerumque hinc inde exquirere debeam. Sed ut solent exiguo lætari munere, quos sors diuturnæ tenuisset inopiæ, acceptavi magnopulenti Cæsaris humilem mercedulam, datumque est stipendii diploma, intus & exteriùs multis scribarum publicanorum consignatum manibus, appensa in rubra cera Cæsaris aquila, quo solidiorem fidei speciem præferre videretur. Hoc diplomate & ea spe dives, futuræque fraudis ignorantia beatus, abii ex aula illa, in qua sciebam mihi pauciores amicos esse, quàm æmulos, quàm hostes, veritate odium, virtute invidiam pariente, ubi redissem Mechliniam, quò minore dispendio instituerem domesticam impensam, vigore Cæsarei privilegii petii à civitatis illius publicanis remitti mihi cervisiæ impositionem, rem quidem leviculam, & quibusque minimis Principis ministris concessam. Quam ut obtinere non potui, hîc primùm sensi illud tam munitissimum, & quod indubitatæ fidei esse sperabam, Cæsareũ diploma mihi inutile & illis ridiculum esse: jamque in proximo erat festum divi Ioannis Baptistæ, quo numeranda erat mihi prima stipendii portio. urgebant creditores, instabant fœneratores: accessi quæstorem Mycautium, ajebat proximè soluturum scripsit solvendorum quitantiam: ego subsignavi: ea spe creditores omnes suspendi, firmum ratus, ut ea portione in singulos distributa, singulos pacarem. cumque mihi tam magnis à fortuna detrimentis affecto nihil relinqueretur ad vitæ u-

sum, nec ullum in aula præsidium haberem, secedendum mihi erat Mechlinia, si volui omnino vivere. Itaq; cum familia mea me subduxi in Germaniam, fretus illustrissimi Principis electoris & archipræsulis Colonien sis beneficentia. relicta tamen Mechliniæ domo cum supellectile & muliercula custode, rediturus aliquando, quando præ creditoribus liberè liceret ibi agere. interea domestici dispendii parsimonia, & stipendiarii cēsus auctione creditoribus solutionis fidem servaturus: confisus insuper apud tuam Celsitudinem, & quoscunque æqui judicii probos censores, non tam probro cariturum, quàm etiam laudem consecuturum, si tempori consuluissem. Sed dum ea confidentia injuriosus alienæ malitiæ istic absum, nunciatur, quòd Mycautius quæstor circumventum me eludat stipendio, negatq; soluturum se absenti, etiam eam partem, quam præsens adhuc commerui, nescio cui hoc lucrum quæsiturus: licet interpretetur hoc hominum genus lucrum esse Cæsaris, quicquid fraude, aut vi, aut violentia sibi acquirant. At ego non absum, quamdiu istic domicilium habeo, & supellectilem, atque interea ego non modò Brabantiæ ducis, non Flandriæ, aut Hollandiæ comitis, sed Cæsaris indiciarius sum: nec absum, qui sub Imperio sum, qui, ubicunque sum, æquè meo fungor officio, quod non Spongiæ instar uni loco adstringitur, sed de cujus natura est variò peregrinari, rerum & gestorum occasiones aucupari, temporum oportunitati servire. Nónne olim præcessor meus Ioannes Marius Belga indiciarii munere functus, nunc Italiam, nunc Galliam & Franciam immorabatur, semper ubique suo fretus stipendio, nec me Cæsar certo loco alligavit, sed liberum pro functione officii stipendium (quam iccirco pensionem nuncupavit, quòd personam sequatur) contulit, cujus privilegia & diplomata (juxta scripti juris decisionem) largissimè interpretanda sunt. Nec ego, licet absens Brabantia, interea muneris mei studium deserui, qui interea Gallici belli, pro Cæsare in Italia per Borbonium gesti, historiam concepi, & hujus Turciæ expeditionis indicia ex ipsis castris cùm in Italiam, tum & Germaniam ad diversos Principes missa, summa cum solertia collegi. Sed longè majus his negotium pro vestri sanguinis decore, pro tua, inquam, matertera Angliæ celebratissima Regina meis humeris impositum suscepi: in quo licet multi hactenus operam suam collocârunt, nullus adhuc nodum rei dissecuit. Hoc ideo scribo, ut eo argumento declarem tibi, non tam obeundi, quàm etiam superandi muneris mei voluntatem non deesse, & me longè majoribus operam navare posse, quàm

se, quàm conscribendis chronicis. Itaque unà cum hac mitto ad Celsitudinis tuæ secretarium Ioannem Khreutterum, transumptum literarum super eo negotio mihi scriptarum, ut indè cognoscas, à quo id negotii mihi committatur, habeasque testem tantum virum, videasque, quem me ille cognoscat & faciat, qui tantum oneris meis humeris imponere confidat, & me talibus admiscerì negotiis velit: idque jam aggressus prosequar, si tua Celsitudo insuper jusserit, alias refrigescet animus, si mihi extra gratiam laborandum erit. Vt itaque summatim nunc concludam, quia pauci tacentis egestatem æstimant, aut silentis necessitudinem metiuntur, supplicamus Celsitudini tuæ, ipsa etiam æquitate id postulante, ut pensiunculam mihi à Cæsare constitutam solui jubeas, atque emeritam hactenus pecuniam creditoribus meis distribui, quò sic alieno ære liberatus, aliquādo ad Celsitudinem tuam redire liceat, quò liberiùs commodiusque tunc meo ministerio fruaris. Stipendii itaque debitum abs te audacter expetere non formido, quod jure mihi deberi scio: abs te, inquam, ut Gubernatrice, sive Prorege, sive Procæsare, sive quovis alio nomine in hac præfectura te fas est invocare, inclitam Reginam. nam ab illis, qui nunc apud te sunt Cæsarei consiliarii & quæstores, tantum abest, ut aliquid humanitatis, aut clementiæ, aut omnino quicquam justitiæ expectem, ut mihi firmissimè persuadeam, tametsi justum & æquum postulo, vix tamen futurum, ut illi faciant, aut fieri permittant, sciamq; non defuturos ex illis, qui absentiam meam multis & gravibus obtrectationum notis apud Celsitudinem tuam laceraturi sint, ut illorum inducta calumniis mihi succēseas: quò sic, quod nec æquitas, nec jus publicum illis concedere potest, tu illis in mei contemptum permissura sis, tuaq; autoritate abutantur ad animi sui satiandum odium, qui cū adulationem, detrectationem, calumniam, sycophantiam, perfidiam, dolum, supplantationem, violentiam, oppressionem, ingratitudinem, crudelitatem cæteraque aulica vitia, inter sordes non ducant. Facilè permitto illis, ut fruantur sua impudentia, etsi non nesciam, quantum in aula valeat nocentium linguarum fascinum, potissimè ubi similes sibi repererint auriculas: ipsa tandem veritas justo sub judice vincet. Quare si ita tibi persuaserint, ut, spreto obsequio meo, & cōtempta opera mea, nolis me ulteriùs hoc indiciarii munere fungi, libentissimè cedam hoc officium, in quo præmium infra periculum est, ut si quis liberam aliquando exprimat historiæ veritatem, ab illis cicatricosis censoribus audiat reus Majestatis. Malo ego cedere

officio, quàm si ingratissimis hominibus ulteriùs gratis laborare oporteat, aut debitam mercedem insuper precibus extorquere, & donis emere ab hoc ancipiti hominum genere, quorum venalis magis, quàm utilis beneficentia est quos rarissimè quis amicos habet, qui non habet nummos. dabunt ipsi tibi sine me Cæsaris indiciarium, & facundiorem, & blandiorem, si non veracem. verùm cùm me conscribendarum historiarum jamdudum jurisjurandi religione, fidei & veritatis debitorem Cæsari reddiderunt, dignum & justum est, ut me jurejurando solutum, datoque dimissorio diplomate liberum dimittant, priusque me nulla demeriti culpa prævia officio extrudant, solvantque præteritorum temporum laborumque stipendiũ, priusquàm alium substituant, ni fortè tantum avaritiæ pectora illorum obsideat, ut in perniciem animæ suæ alienæ mercedis rapina diteſcere pro gloria habeant, & tam exiguam mercedulam mihi surripere turpe non ducaut. Nunc ergo imperiali autoritate & masculo animo præcipiat illis Celsitudo tua, ut faciant, quod æquum & justum est. neq; Cæsarei diplomatis autoritatem evertentes, illud, velut aliquod emplastratum vellus, sibi ridiculo habeant, aliisq; ludibrio exponant. Quòd si constitutum stipendium, aut laborum mercedem ab illis impetrare non potero, jure tunc apud omnis nationis Principes & populos omnibus linguis conqueri licebit, & testari hanc Burgundicam ingratitudinem, ingenueque fatebor, me ab illis plusculum fidei & probitatis expectasse, quàm vulgatum de illis gallicum proverbium sonat, & ipsi factis suis erga me declararunt, quid dolis & fraudibus instructi sinceram fiduciam meam probrosis insidiis circumvenerunt, laborum & præstiti obsequii mercede spoliaverunt, benemerita ingratitudine cõpensarunt, gratiæ loco dolum & fallacium erogarunt, culpâ eorum egentem præsidio vacuum dimiserunt, equestre & doctorale decus meum contumeliis conculcârunt, virtuti & eruditioni meæ plena turpitudinis insolentia ignominiam rependere non erubuerũt, capitalib. sycophantiis traduxerunt infelicitatis meæ vulnerib. fastu suo illuserũt, fortunæ meæ contẽptu suis fraudib. afflictũ insuper injuriis obruerunt, & tanquã indigenarum injuriis obnoxio sententiam non æquitate, sed adversariorum favore dixerunt meæ innocentiæ pœnam, offensoris violentiæ impunitatem decreverunt, laxataque legumque severitate convulsisque statuti juris munimentis petitam justitiam negârunt, quam unam inter cætera intolerandam improbitatem apud antiquitatũ historias fame, ferro, flammis, omniq; vindictæ genere tantùm non, sed & veneno sæpissimè vitam legimus, & jura ipsa repreſaliis vindicare permittunt, ad quas si confugere oporteat, atque ea mihi voluntas futura sit, non forent mihi defutura potentiorum auxilia, nec destitura nocendi ingenia. Sed in tuæ Sublimitatis æquitate melior mihi spes & fiducia est, quæ inclita Regina ea eruditione, prudentia, æquitate, constantia, ac incorrupti animi fortitudine, ad hæc haud vulgari erga bonas literas animi propensione prædita es, ut nihil non masculum, nihil fœmineũ præter sexum ac formam in te mito splendore reluceſcat, quæ sic justitiam & fidem & æquitatem tuearis, ut nihil justi & æqui abs tua magnanimitate me impetraturum diffidam, vnde ultionis partib. prætermissis, interno conscientiæ eorum rubore, si tamen in illis aliqua conscientiæ scintilla relucet vindice cõtentus, malo illorum insaniæ parcere, meamq; sententiam solvere, quàm tuç Clementiæ offensam cõtrahere: malo illos propter tuas inclitas virtutes non solùm fœminis, sed & viris imitabiles injuriam condonare, quàm ob illorum odium tua gratia carere. Veniam tamen dabis dolori meo, si palpandi nescius, malui illos apud Celsitudinem tuam verioribus monitis objurgare, quàm tuam Clementiam blandioribus adulationibus fallere: cujus si propiorem consuetudinem aliquando nactus fueris, nec pudebitte obsequii mei, nec pœnitebit beneficii tui. Vale fœliciſſimè, detque Deus tibi consiliarios justos & fidos, & auro gallico non corruptibiles, neque finantiarios, castis manibus, non furaces, non plebis ac reipublicæ devoratores, ut sic obtineas in pace salutem & gaudium, inter seditiosos populos securitatem, contra hostes victoriam, in omnibus operibus tuis gloriam integram & sempiternam. Ex Bonna.

Amicus ad Agrippam. XXII.

AMicorum literæ, Agrippa mi amantissime, plerunq; mihi gratæ accidere solent: verùm ubi tuas accipio, non possum non maximè lætari, tum propter nostram mutuam benevolentiam, quæ talis est, ut nihil addi ei possit, tum etiam propter communia studia nostra, quæ quidem jamdiu simul aucta sunt, nec aliquid nomine tuo ad me perferri potest, quod non mihi gratum sit ac perjucundum. Vt autem literis tuis Bonnæ 13. Novembris à te ad me datis occupatissimus ego respondeam, primùm omnium tibi persuadeas velim animum voluntatemq; tuam erga me propensam mihi etiam atque etiam perspectissimam esse. Cæterùm de solutione tibi non facto,

angor,

angor vehementer. quòd Turca ille, nobis certè Turca, vel hinc longè absens præsens emunxit argentum, tempori nobis vel invitis serviendum est. De rebus meis sic habeto, me perpetuò detentum esse curis ac negotiis curiæ Reverendissimi nostri Campegii, donec aliud superis de me visum fuerit. Misi ad te Alphabetum hebraicum, ut vocant, Esdræ. Præterea Venetiis ad te curavi Petri Galatini librum per manus cujusdam mei nepotis commorantis in curia Cæsarea Ratisbonæ, & quem nobis postea fama attulit fato concessisse. Iccirco, ut sæpe dicebas, tanto ne careres thesauro, eundem librum denuo destinavi per Ioannem Scorman, qui hinc pluribus jam diebus discessit. Hoc amplius nolo te ignorare, me in itinere meo Italico Patavii convenisse Patrem Franciscum Georgium Venetum qui librum de Harmanio mundi conscripsit, qui cùm iturus esset Venotias conferre, eumque alloqui cujus humanitate, brevissimo colloquio, eoque ex itinere ac penè furtivo vix mihi perfrui licuit per quartam horæ partem, cùm tamen nostris illis mysteriis ne longissimum quidem tempus satis esse posse videretur: verùm nautarum festinationi parere coacti sumus: neque plura cum eo conferre potuimus, qui quidem, postquam de te, & de nostris studiis mentionem fecissem, mirum in modum ingenio tuo gavisus est, mihique pollicitus est quicquid posset, in rem meam facturum libentissimè; seq; mea hac causa me Venetiis septem menses expectaturum. Illud & quidem affirmavit eos hebræos libros quos & tu & ego tantopere & cupimus & perquirimus, apud se esse, neq; eos mihi negaturum: verùm legendos, non autem exscribendos, cùm id præcipuè causaretur, rem nimis & longam & difficilem fore. Quicquid autem esset, in quo se nobis obsequi posse animadverteret, daturum operam, ut extaret ejus eximia voluntas ad nostra studia, quibus deberi omnium adjumenta fatus est. Ego verò nihil sum omissurus quò nonnihil amplius ab eo possit obtineri, atque illud præterea etiam atque etiam videbo, si quos Reverendissimi Egidii superiore mense defuncti libros, quos his de rebus electissimos reliquit, cõsequi valeam: ij autem ad Reverendissimi domini Brundusini manus deventuri creduntur, qui, ut est omnium humanitatum parens, sese jam obtulit attestaturum quantopere nostras literas fovendas ducat. Interim verò Pontificis Cæsarisque huc adventum secutus: proinde nõ proprio, sed alieno nutu ad agendum compellor. Librũ tuum de Occulta philosophia inscriptum ubi auctum & recognitum videro, beatum me dicam. Misi insuper literas tuas ad dominum Lucam Bonfium, apud quem sæpe literis meis & coràm & procul salutem nomine tuo dixi. Præterea mihi visum, te certiorem facere de nova Tyberiis inundatione, qui denuo ad XIII. Kal. Ianuarias totam Vrbem inundavit. Interim te cum tota familia rectè valere cupio: & ego quidem valeo, cæterisq; nos omnes, quibus commendationes tuæ valde cordi fuerunt, pariterque te salutamus, meque tibi rebusque tuis præstò esse confidas velim: rogoque, ut aliquando cum aliquid eris nactus ocii, ad me scribas. De rebus novis nihil est, nisi quòd Reverendissimus Egidius præfatus, in literis Hebraicis doctissimus, mense acto, cùm vesperi sanus esset mane repentino fato correptus est Reverendissimus deinde Anconitanus, in jure omnium consultissimus, & Reverendissimus Valentinus vitam cum morte commutarunt. Fama adhuc incerta est de morte Reverendissimi Triulcii. Aloisius præterea Gonzaga, quem tibi in Flandria satis notum esse scio, omnium doctissimus & fortissimus, stipendiis sanctissimi nostri Papæ merens dum quoddam oppidum oppugnaret, tormento minori trajectus periit, uxorem armis adeptam in maximo luctu ac mœrore relinquens. In speculatione mea omnia dicta & figurata per prophetas, præcipuè de inundatione & divisione linguarum & per Moysen gesta de solatione, ac multa alia, quæ in sacra Scriptura inveniuntur, significantur & speculantur à principio mundi usque ad incarnationem & effabilitatem sancti verbi & diem Nativitatis & sanctæ crucis, ac in quo omnia mysteria consumpta sunt, demum diem sanctæ Resurrectionis cum pleno signo Ionæ prophetæ, ac quartò diem Ascensionis: & ultimò & quintò, in quem à patre missus est, spiritus sanctus in Apostolis: de quibus rebus, donec illos libros legero, nihil possum propalare, quos pro viribus meis habere enitar, ut tu eorum quoque fias particeps, & finem mysteriis meis imponam: quod si dii me amabunt, citò faciam. Exemplum ponam tibi in ista speculatione, sive speculo, si modò ita dixero, sicut alias mihi ostendisti in eodem speculo, cognoscere in imagine picta partem vivam à parte mortua: quod si opus esset inducere personam vivam pro veritate rei, ita ratione personarum vivam in præsentia adducam. satis est me melius scire, invenire, ac ostendere secreta divina re cum verbis, sed indigerem in hac re tanta tuæ linguæ, sicut Moyses indiguit Aaron. Gratias agas verbis meis Monterolo tuo. Videtur enim mihi consecutum esse subscriptionem Nabuchodonosoris in scriptura Hieremiæ prophetæ, in qua promittebat, quando factus esset rex Hierusalem sanctam patriam

triam suam non destructurum esse, & cùm civitas obsideretur vallareturq;, Hieremias venit ad Regem, ut sibi observaret scripturam, quàm priùs ante habebat, cùm quæreret, non habebat: sic mihi quotidè accidit, qui cùm circumquæram dominum de Monterolo, eum invenire nō possim. Quantum verò pertineat ad librum domini Augustini de Fornariis puto eū ad te omnia scribere. Cabala autem Samuelis mihi promissa fuerat. sed frater ille Georgius dixit, me in ea parum posse proficere. Reverēdissimum dominum nostrū verbis tuis salutavi, mihiq; commisit, ut te pariter resalutarem. Sic & ego Masinusque nepos meus idem facimus, quos commendatos in omnibus habeas velim. Datum Bononiæ, quinta Kalendas Ianuarii, anno 1532.

Amicus ad Agrippam. XXIII.

NOn admiteris, Agrippa mi colendissime, si literas ad te minimè dederim, cùm non habeam commoditatem cursorum, qui per Bonnam transeunt, etsi id maximè cuperē, nec aliud magis in votis habeam, quàm loqui tecum per literas, cùm id in præsentia coràm assequi non liceat. In recessu nostro ex Ratisbona, tuas literas accepi, quibus responsum paraveram equidem, sed illarum lator ad me non rediit. fuimus postea ita ut firmum locum nullibi haberemus, plura incommoda in itinere pertulimus: tandem huc appulimus, ubi tuæ à decima sexta Novembris ad me datæ sunt literæ, quibus ex me scire postulas, quid rerum novarum hìc geratur. Sed omittam nunc res Turcarum: pariter etiam Germanorum, quas te ad plenum scire puto. Adsunt hìc Papa atque Cæsar. Quid inter eos tractetur, non satis intelligimus. Dubito valde, ne id pecus circumveniatur à lupo. Multi multa dicunt. Opinio mea est, agere habeant de concilio generali, neque Papam id recusaturum, cùm habeat occasionem paratissimam. consentiet enim in cōcilium, dummodo Cæsar ipse personaliter sit affuturus. quod sit minimè futurum. nam & Cæsar ipse & gubernatores omnes nimio afficiuntur desiderio redeundi in Hispaniam. Quò semel reversus Cæsar, vix unquam regredietur foras, idque etiam manifestè cognovimus in rebus Hungaricis, in quibus sempiternam gloriam sibi vendicare poterat Cæsar, orbemq; Christianum ad multos annos securum reddere ab incursione Turcarum quem omnem ob Hispaniarum desiderium, non sine grandi ignaviæ & ignominiæ nota post terga reliquit. Nunc faciam te certiorem, quid sentiant de rebus præsentibus. intendunt in negotiis Italiæ: sub qua forma & ordine hanc habeant,

habeant, dimittere statui: verùm de hac re possent fieri majora commentaria, quàm ea quæ scripta sunt super corpore legum. Quid sentiat vulgus, omittam. meum judicium est, dimittant, quem velint ordinem, certò erimus habituri bellum, postquam Cæsar Italia excesserit. Plura ad hoc me movent. tria sunt tamen potissima. nam scimus, quod raro vel nunquam indignationes in ingenuis animis & pectore magnorum virorum extinguuntur, maximè ubi conceptæ sunt per publicum opprobrium. Nunc vide tu, si hæc locum habeant in sanctissimo Patre & Christianissimo Rege, tam enormiter à Cæsare offensis. Deinde etiam, quis animus sit serenissimo Anglorum Regi in Cæsarem, qui illius publicè repudiare vult amitam. In his tamen quisque illorum temporis oportunitatem expectat. Interea Cæsarem variis negotiis suspensum tenent, & à magnis ad majores expensas cogunt, quò sic tādem exhaustum thesauris semivacuum inopinatè aggrediantur. Præterea rumultus bellici ab Italis desiderantur, multis id cupientibus pro p[illegible]vatis passionibus, aliis ob non redditam meritam remunerationem. Dux Mediolani omnium bonorum extenuatus est. Venetis id non displicet, putantibus, data quacunque occasione, se posse ibi dilatare imperium suum, in regno Neapolitano satrapæ omnes & nobiles conqueruntur de Cæsare, tam illi, qui pro factione Cæsaris steterunt, quàm illi, qui sunt exules, Senenses cuperent Cæsarem rursus videre in necessitate constitutum, & eorum egere opera, ingratitudinis suæ futuri haud immemores. Lucenses maximis odiis illum prosequunrur. De civitate nostra Genuensi nihil dico. satis est tibi, nullum esse qui de Cæsare sibi gratuletur. Tu prudens cogita, quæ parturire habeant ejusmodi animi. Andreas aureus noster expugnavit quatuor arces Græciæ potuisset plura loca occupare, si non defuisset illi miles. tamen Coronas muniit & Petras, duo, ut dicunt, loca fortissima. Ejus classis rediit in Apuliam, inde navigatura Genuam, ubi aderunt etiam triremes Hispanorum pro reducendo Cæsare. Andreas ipse ex Neapoli terrestri itinere revertitur ad Cæsarem, quem expectamus horanti: ubi venerit, quicquid attulerit novi, singula intelliges. Cardinales duo Galli videlicet de Tarba & de Agramont, venientes ex aula Regis Christianissimi, hìc intra triduum expectantur adfuturi. ajunt unà cum illis venire Admiraldum. quod negotii ferant, scies postea. Hæc sunt, mi Agrippa, quæ scribenda ad te occurrunt. Tu quid de rebus Germaniæ & Daciæ sentias, rescribe. Ego

be. Ego adhuc aulam Cæsaris prosequor: ille more suo fovet nos blandis verbis: nihil tamen hactenus in negotio nostro expedire potuimus. Librum tuum nondum recuperavi. ubi venero Genuam, quamprimùm recuperavero, ad te mittam. Cæsar ubi abierit in Hispaniam, puto me reversurum in Brabantiam. quod si fiat, te invisam Bonnæ. Dominus Iulianus & Thomas frater meus te plurima salute impartiunt. Vale, & me ama. Bononiæ, vicesimaseptima Decembris, anno 1532.

Amicus ad Agrippam. XXIV.

S. P. Proximis his diebus ante Natalitia Christi festa Conradus Colyn ordinis Prædicatorum, hæreticæ pravitatis inquisitor, detulit ad senatum, libros tuos de Occulta philosophia vehementer esse de hæresi suspectos. Proinde haudquaquam ferendum, ut in hac civitate typis excudantur, sicq; rem exacerbavit, ut à senatu vocatus Soter, jussus sit adferre, quod excusum erat. id traditum est inquisitori, ut censuram suam adhibeat, nũ editio libri permitti debeat. Iam quo in te sint animo monachi, præsertim Prædicatorii, sic tibi perspectum est, ut non sit opus literis declarare. Quare cuperem utrique nostrum hac in re consultum, cùm agatur de tuo honore & meo dispendio. tametsi operis editio non sit à senatu prohibita, neque Soter cesset absolutionem maturare. Hæc tamen omnino te scire volui, ut venienti, si quod sit, malo occurramus. Nec videtur abs re fore, ut originale diploma Imperatoris de concesso tibi privilegio ad me quam primùm mittas. Vale, doctissime Agrippa. Si quid rescribere velis, fac, ut literæ tuæ ad diem Iovis adsint. nam profectionem in Brabantiam paro. quare non licet diutius differre. Ex Colonia, prima Ianuarii, Anno 1533.

Typographus ad Agrippam. XXV.

S. P. Infausto sydere tua prognata est Occulta philosophia, Doctor doctissime, siquidem facessere nobis cœperunt negotium officiales & fiscales Reverendissimi inhibitione ad me missa maxima censura prohibentes, ne ulteriùs quicquam imprimatur, nisi priùs examinato exemplari ab illis. Ego cum hęrerem, quidnam agerem, absente nimirum Hetorpio, qui nudiusquartus in Brabantiam est profectus, communicato cum nonnullis consilio, id accepi consilii, ut ad tuam confugerem prudentiam. Tuum igitur erit, id quod facile te effecturum nõ dubito, ut ex Principis tui cancellaria ad præfatos officialem atque

atque Fiscales literas extorqueas, ut principis jussu hæc laxetur inhibitio. Quod nisi tua fecerit humanitas, non video, quid restet agendum. Ego interim, dum redeat præsentium lator literarum, imprimere cessabo. Rem omnem latiùs exponet tabellarius. Valeat Dominatio tua. Ex officina nostra, raptim, altera post Epiphaniam, anno 1533.

Clarissimis viris, urbis Agrippinæ, Romanorumq; Coloniæ Senatoribus & consulibus, Henricus Cornelius Agrippa ab Nettesheym, S. D.

XXVI.

PErlatum est ad aures meas, clarissimi Senatores, quendam (ut vocant, salva veritate) Reverendum patrem Conradum de Vlma, ordinis Prædicatorum, hæreticorum magistrum, in publicis conciliis vestris magnis criminationibus contra me egisse, ut liber meus de Occultiore philosophia, sive de Magia intitulatus, qui nunc in vestra civitate sub prælo excuditur, tãquam si sit doctrina hæreticus & lectione nefarius, excudi prohibeatur, atque cùm liber ille jam nuper per aliquos ecclesiæ prælatos & doctores sacrarum humanarumque literarum eruditissimos, & ex Cæsaris consilio ad hoc specialiter deputatos commissarios, examinatus & probatus fuerit, deinde etiam totius Cæsarei concilii assensu admissus, & ejusdem Cæsareæ Majestatis authentico diplomate & appensa in rubra cera Cæsaris aquila privilegiatus, insuper Antuerpiæ & postea etiam Parisii sine contradictione impressus & publicè venditus & distractus sit, nihilominus tamen præfatus ater monachus, nigraque majestate verendus, inquisitoris titulo insaniens, ac sibi sceptra supra Cæsarem, velut scarabeus supra aquilam, arrogans, rursus hunc librum sua censura examinandum à vobis postulavit, &, quod valde miror, & jure vobiscum expostulare possem, cùm vos Cæsareæ Majestatis diplomata tueri, & vestris civibus circa illa patrocinari debeatis, contrà, vestro mandato excussos jam quaterniones præfato monacho examinandos, ipsum libri nostri typographum Ioannem Soterum tradere cõpulistis, quod quàm æquum, quàm justum est, sedeat medius quisecunq; vir probus & integer, & cujus aures sunt deceptu difficiles, ac judicet. An debeam ego ultra Cæsareos censores, supra Cæsareum concilium, post Cæsarei diplomatis privilegium, alios eruditionis meæ penitus ignaros, veluti Minerva sues sustinere, & accusatores pariter & judices? cùm librum illum nuper in orbem egressum omnes boni doctique collaudarunt. quod plu-

res etiam, alii illustres, alii religiosi viri suis epistolis ad me testati sunt. Quòd si etiam soli essent mihi illi Cæsarei censores, satis me abundare testibus, neq; aliorum egere approbatione ducerem. hominum enim præstantiam, non numerum pro digno testimonio ducimus : temerariam autem, & ignavam multitudinem pro solitudine & nullo testimonio habemus. Sed ne qua vestram claritudinem offendat de me falsa opinio propter ipsum Magiæ vulgo execratum nomen, ipsaque sycophantæ, illius, inquam, monachi, subdola hypocrisis, qua me blasphemum & hæreticum, eo quòd aliena & vel repugnantia à sacra Scriptura dissero, vobis persuadere conatur, scire vos volo, fateorque lubens, atque ex vero fateor, multa in illo libro nostro tractari, quæ cum pietate christiana atque Sacris scripturis non cohæreant, quæ tamen protinus hæretica censenda non sunt, nisi fortè & vos simul esse velitis hæretici, quorum senatusconsulta & plebiscita rarissimè consonant cum Evangelio. Iam verò cùm peccatum omne contra sacram scripturam sit, & ecclesia ipsa sine peccato esse non potest, tamen illam propterea dicere hæreticam, plus quàm hæreticum esset. Meus autem liber Ethnicorum philosophorum placita, atque illa antiquitatis antiquissima tractat, paucis etiam eruditissimis viris hactenus cognita: ab illorum autem sophistarum adhuc nullo intellecta, neque visa. At, hercle, est aliquis etiam, & nescio an maximus, ex nostro libro sapientiæ fructus, & qualis fortè ex nullis aliis philosophorum scriptis alius. Quod si ethnicam omnem philosophiã, propterea quòd à fide Christiana & Sacris scripturis aliena est, totam damnandam & projiciendam censent, projiciant suum inprimis Aristotelem, projiciant Averroem christianis dogmatibus repugnantissimos, qui tamen hodie in christianis gymnasiis omnium maximè habentur in manibus, projiciant sirum Thomam & Albertum, & reliquos doctores suos, qui ejusdem philosophi ethnica placita proponunt. Sed offendit istos delicatos asinos non philosophiæ, sed Magiæ & Cabalæ suspiciosum nomen. At si meminerunt, Picus Mirandulanus, & Capnion Phorcensis jam convicerunt, nullas esse scientias, quæ nos de rebus cùm naturalibus, tum cælestibus atque divinis, etiam de Christi divinitate, magis certificent, quàm Magia & Cabala. Nónne satis erat, asinos istos semel atque iterum ad hunc lapidem lapsos esse, nisi rursus atque iterum in eundem impingere conentur? O indomabiles beluas. O imperiosum sophistarum Colonense genus, qui ad perniciem omnium bonarum literarum nati

nati sunt: qui cum nihil viderint antiquitatis, nihil arcanarum disciplinarum sciant, nihil bonarum artium capiant, omnia accusare & damnare prætendunt, quæ ipsi non intelligunt. Itáne olim aliquot non infimi nominis magistri nostri Colonienses in domo Ioannis Rinck, viri splendidissimi, quondam civis & consulis vestri, convivantes, inventa Polygraphia Trithemii abbatis Spanheimensis, mox contractis superciliis, ac concrispatis naribus, hæreses, scandala, dæmonia, larvas, terriculamẽta, phantasticabantur, jamque conveniendum inquisitorem pensitabant, grandem concitaturi tragœdiam inter cætera, ob inventam ibi Archimedis angeliophoram aviculam, donec post scrupulosam illam ignorantiam errorem suum edocti, rubore tamen crassæ insciticæ suæ, simul & conscientiæ suæ maligutate confusi, abirent asini illi grandioribus auriculis, quàm accesserant. Quid mirum ergo, cùm in ejusmodi truncorum & stipitum manibus vestra Vniversitas consistat, si omnes bonæ artes à civitate vestra exulare cogantur? Sed vestram patientiam, viri Spectatissimi, ne dicam vestri animi imbecillitatem, demiror, & iterum atque iterum demiror, quòd ab hujusmodi hominum monstris tam frequenter delusi, tam insignia proventuum vestrorum damna passi, tam copioso & abundanti olim studentium numero spoliati, tam celeberrima urbis vestræ fama diminuti, adhuc illorum hypocritarum præstigiis, tam profundo somno demulcti jacetis, & nondum oculos aperire, & lumen respicere potestis. Vnde oportunum nunc mihi videtur, & amore patriæ cogor vobis vera narrare, & hanc malorum lernam vobis detegere, quæ tot damna, tot probra, tot dedecora reipublicæ vestræ invexit, & quotidie adhuc invehit. Neque verò vos penitus ignoraturos puto, Viri sapientissimi, neque civium vestrorum excidisse memoria arbitror, qui illa in hunc diem adhuc apud se deplorant, quæ nostra recenti ætate apud vestram urbem perfidus Dominicanorum furor molitus fuerat, & reliqua Theologistarum intentavit avaritiæ violentia, qui ad unum omnes in hoc conspirasse videbantur, ut ex tota Germania, sicut jam antea ex vestra urbe, funditus & à radice extirparent omnes bonas artes atque literas, dum nacti aliquot Pepersćorni Christianistæ, sive judeastri ineptissimos libellos, illis tanquam insolubili fundamento innixi, egregia illa calumniarum suarum castra, cum perpetua illorum infamia superstruerent, atque hoc dementulato signifero, tanquam alteram Trojam expugnaturi, decennale illud bellum contra Capnionem gesserunt, in quo-

mnis illorum doctrina, robur, vires, honor, fama simul pariterque occiderunt, deinde qua infœlicitate Erasmum Roterodamum, orbis Christiani lumen, sorditie eorum commulare aggressi sunt, & qua nequitia Hermannum comitem Nuenariũ, illustrem & doctissimum virum, persecuti sunt, & qua Vniversitatis vestræ jactura Petrum Ravennatem, celeberrimum utriusque juris doctorem atque lectorem splendidissimum pepulerunt, vos non puto oblitos: quin & jamdiu antea quendã Ioannem Æsticampanum, virũ doctrina & moribus insignem, qui in vestra civitate Plinium, cùm utilissimam, tum necessariam lectionem profitebatur, non solùm scholis publicis secluserunt, sed & tanta invidentiæ rabie persecuti sunt, donec civitatem ipsam relinquere adegerint, adeo semper optimis literis infensi, & doctissimos quosque viros perosi. Vnde nunc etiam mihi spem atque animum præsumo, me numerandum fore inter doctos & eruditos viros, si non ob aliud, certè ob hoc, quòd porci illi nunc me expostulant, cui scabiem suam affricare velint, quodque scripta mea illis non placent, quibus omnia docta & erudita displicent, adeo ut vix aliquem reperiamus insigniter doctum probumque virum, qui ab illis non sit lacessitus, magno civitatis vestræ malo atque dedecore, ut apud reliquas nationes jam in proverbium abierit, quoties velint aliquod egregiè insulsum consilium exprimere, dicant, Coloniẽse suffragium: atque hanc universitatem vestram jam omnes uno ore calamitosam optimorum studiorum persecutricem, & futilium quarumcunq; literarum pertinacissimam propugnatricem appellent. En, habetis, exempla malitiæ, malitiæ dicere putavi: nunc etiam victoriæ triumphos, & quanta illorum utilitas in ecclesia, accipite. Nam cùm recenter exortus fuisset Martinus Lutherus, omnibus etiam exercitatissimis theosophistis formidabilis antagonista, cumque tunc adhuc Parisiensis famatissima schola, atque ipsius Romani senatus consistorium de illo judicium ferre cespitarent, isti vestri procaces magistri nostri, congestis aliquot præcocibus articulis, illum sine argumentis, sine rationibus, sine scripturis, sine authoritate, & sine doctrina, tamen (ut dicebant) doctrinaliter hæreseos condemnârunt. Verùm cùm hæc eorum condemnatio nullam opem attulisset ecclesiæ, & nullorum ferè indignationem concitasset in Martinum, sed multorum risum atque contemptum in Colonienses ipsos magistros nostros excitasset, jamque illorum stimulis agitatum adeò procurrisset invaluisset que Lutheranum malum, ut & Pontifex & Cæsar contrà statuerent, & Martinum hæreticum declararent, & multi eruditi pro Romana ecclesia scripturarum arma arriperent, sufficiebat tunc illis vestris magistris nostris sua nuda & inermis condemnatio, & jã triumphum agebant de victoria. Cæterùm ab ecclesię subsidio profugi & desertores, penitus obmutuerunt, & aliis hanc hæresim improbandam reliquerũt. Vnum tamen illorum excipio, Iacobum Hostratum, tunc Prædicatorum ordinis hæreticorũ magistrum, vulgo & veraciter dictum, qui taliter scripsit contra Lutheranas hæreses, ut ipse se proderet hęreticorum omniũ pestilentissimum. Sed ne quis vestrum, illius olim amicus, aut illius hypocrisi excæcatus, vel aliter deceptus, me non favore veritatis, sed aut invidia, aut aliâ offensa ista dicere putet, rem ipsam dig to monstrabo. nam in libro suo contra Lutheranos, quem reverendissimo Cardinali ac illustri Principi & episcopo Leodiensi dedicavit, in illius libro secundo, disputatione tertia, paulo ante finem primi capitis sic ait: Scimus enim consecratione super debitam materiam ritè facta, Christum esse in sacramento, non autem quòd sub hac vel illa determinata hostia Christus contineatur. Neque tamen putetis, hunc solum articulum apud illum reperiri hæreticum, sed alii multi. quos cum hic nimis longum, vobisque tædiosum foret referre, enumerabo alibi, in eo scilicet libro, quem de Fratrum Prædicatorum sceleribus & hæresibus inscripsi, ubi infecta sæpius veneno sacramenta, ementita sæpissime miracula, interemptos veneno Reges & Principes, proditas urbes & respublicas, seductos populos, assertasque hæreses, & cætera ejusmodi heroum illorum facinora flagitia que in varias transfusa linguas, omnique populo exposita, dilucidè narrabo. Sed & qui nunc apud vos est Hostrati illius in hæreticorum magistratu successor, magister noster Conradus, non multò infœliciùs, ut accepi, & ipse rem Lutheranam promovit, præsertim apud suos Vlmenses, ubi tam doctè, tam piè contra Lutheranos clamasse dicitur, ut totam illam insignem urbem cum admodum amplo adjacenti territorio effecerit Lutheranam, etiam cum universi conventus sui excidio, fratribus suis omnibus unà secum propulsis. Nonne satius esset huic monacho sui conventus curam gerere, suis fratibus ova & caseos præmendicare, non excitare turbas & querelas, labefactare famam bonorum virorum, agere ardelionem alienorum negotiorum, vendicare sibi imperium supra Cæsarem, & illius consiliariorum doctissimorum virorum censuras, cùm deberet pro professione sua omnibus exemplũ præbere humilitatis? At prætexit belua, fungi se inquisitorio

officio. Inquirat ergo primùm in errores & hæreſes ſuorũ Prædicatorum monachorum, Vincentii, Auguſtini, Iuſtiniani, Sylveſtri Prieratis, Iacobi de Violis, Iacobi Hoſtrati, in quibus permultos inveniet errores, qui offendunt animos aliorum theologorum, nec in iſtum meum librum ſit tam odioſè exoculatus, qui non theologiam, ſed philoſophiam profitetur. Sed ſolent iſti porci & lutoſæ ſues, quoties eſt aliquid, quod diſplicet, quod non intelligunt, obgrunnire hæreſes, ſcandala, offendicula, ſuperſtitiones, maleficia, atque omnem ethnicam philoſophiam, præter ſuum peſtilentem Ariſtotelem, paganiſmum & perfidiam exponunt. Magiæ vocabulum non pro abſoluta illa philoſophiæ conſummatione, ſed pro maleficiorum artificio (cujusmodi ipſi olim inſigni & memorabili Vniverſitatis veſtræ infamia in ſuo Malleo maleficarum tradiderunt) interpretantur: tum & ſacroſanctam Cabalam pro Iudaiſmo traducunt: aſtrologiam & cæteras mathematicas diſciplinas ſortilegiorum probris adlatrant, ac abrogatis & mutatis legibus damnant, ac Modeſtini Iuriſconſulti ſententiã crimen falſi committunt. Nónne, juxtà Terentii verbum, faciunt intelligendo, ut nihil intelligant? qui cùm me accuſare & damnare prætendunt, Ioannem Picum Mirandulanum, Marſilium Ficinum Florentinum, Ioannem Capnionem Phorcenſem, Petrum Galatinum Romanum, Paulum Ricium Papienſem, Franciſcum de Georgiis Venetum & minoritanum, noſtra ætate commendatiſſimæ doctrinæ viros, tum ſuum Thomam, & Albertum, & Baconem, & Guilielmum Pariſienſem, & Petrum de Aliaco, & Arnoldum de Villa nova, & ex remotiore antiquitate Pſellum, Chalcidium, Prudentium, & alios innumeros chriſtianos doctores, qui in ethnica philoſophia deſudantes, Ariſtotelem, Platonem, Lucretium, Plinium, Iamblichum, Porphyrium, Proculum, Synæſium, Ammonium, Hermetem, Hipparchum, Alchindum, & alios plures commentati ſunt: quorum libri palàm & publicè proſtant, & in Italia, Gallia, Germania, in ipſâ denique arce eccleſiæ urbe Roma, etiam ſummis Pontificibus dedicata, grata, accepta, & eorum privilegiis munita, impreſſa ſunt: quos ego mihi autores habeo, ſimul damnant. quorum ego malim æmulari negligentiã, quàm iſtorum veſpertilionum obſcuram diligentiam, qui cùm ſe artium liberalium & philoſophiæ magiſtros, & ſacræ theologiæ magiſtros noſtros vocari volunt, penè omnia ignorant, & nullam illarum artium, quas tanto magnificorum titulorum faſtu profitentur, ſciunt omnino, nec Grammaticam quidem & Dialecticam, niſi Alexandri Galli, & Petri Hiſpani, norunt ullã aliam, & pro honeſtis ſtudiis, quæ olim & nũc ſemper in pretio ſunt, non niſi meras nugas & dediſcenda deliramenta docent, & quos illis ſuis baccalaureatus, licentiatus, & magiſterii titulis allectos, erudiendos ſuſcipiunt diſcipulos, deteriores remittũt, quàm acceperint, ſimiles meretricibus, quæ externo ornatu adoleſcentulis cupidinem quidem ſui inſtillant, ſed eos irretitos miſerè perdunt, atque his aſinius umbris & perſonatis titulis hactenus ſtulti parentes crediderunt, & filios ſuos in illiorum proſtibula corrumpendos magno pretio locaverunt. His fumis & nebulis excæcatis oculis veſtris, hactenus vicerunt iſti effœminati nebulones, ſicci pumices, fontes ſine aqua, & plebi & civibus veſtris miſerè impoſuerunt: horum tenebricorum opera & interpretamine factum eſt, ut vos, veſtrique cives per univerſam Germaniam ruſticitatis titulo habeamini inſignes, nec nos ipſi adhuc ad ſaniorem ſenſum revocati, etiam armis urbis veſtræ duos ruſticos excuſſoria flagella gerentes appingi facitis, ita edocti ab illis indoctis magiſtris, qui vobis colonum pro ruſtico, coloniam pro ruſticorum habitaculo interpretati ſunt, cùm Colonia dicta ſit ab introductis Romanis civibus atque legibus ſitque hoc ipſo cæteris urbibus & oppidis, quæ Romanorum coloniæ deductæ non deſunt, longè præſtantior atque nobilior, cùm coloniarm omnium civis Romani, & Romani juris, ac gentilitia Romanaque nobilitate præſtantes. Sed ut aſini omnes herbas cupiunt, ſpinas, tribulos, & carduos eſſe, ſic porci illi voluerunt vos ruſticos eſſe, ut quorum proprium ſit ſaginare porcos, ipſi tanto liberiùs in veſtra viſcera graſſarentur. Memini ego, dum junior adhuc in illorum theatris verſarer, quales tunc ibi præſidebant porci, quos tamen vos me longè meliùs noviſſe arbitror, ſed memoriam veſtram paululum refricare liceat. Nónne ex illis fuit magiſter noſter Bommelchen rector primarius unius burſarum, homo in extremum ſenium & moribus & ſermone turpiſſimus, pernicioſiſſimum ſcholaſticæ juventutis exemplum? Æquavit illum, & fortè ſuperavit magiſter noſter Cornelius de Breda, paſtor eccleſiæ ſancti Martini minoris, homo cùm inſolentiſſimus, tum ſordidiſſimæ & pernicioſæ conſuetudinis confabulationisque, & quem non puduit ſeſe civibus & proceribus menſarum & conviviorum morionem proſtituere: ob cujusmodi turpes exceſſus Hermanni Lantgravii tunc archiepiſcopi Colonienſis iram & indignationem non rarò expertus, aliquando etiam pœnas dedi: is tamen adeò

magnus habebatur apud magistros nostros, ut quicquid à theologico illorum magistratu agendum esset, sive præsidendum, sive declamandum, sive orandum, sive scholasticorum graduũ tituli conferendi, id præ cæteris huic uni infami & ridiculoso theologico histrioni præsummo primarioque commiteretur. An non illi magistri nostri voluerunt scholam suam cœni volutabrum esse, qui sibi tales præfecerunt promotores? Sed jam etiam promotos eorum spectetis. Inter hos primò occurrit mihi memoriæ quidam nomine Ioannes Raym, ab illis gymnasiarchis vestris in magistrum artium promotus atq; ejus tituli prætextu in sacerdotem ordinatus, & canonicatum ad Apostolos adeptus: qui nec legere sciebat quicquam rectè, nec canere, nec missam unquam præter unã primam celebrare potuit, neque horas canonicas legere novit. ob quam crassissimam ignorantiam coactus est à collegis suis abire Daventriam in ludum puerorum, & post tam insignem Colonienſis magisterii gradum atq; titulum, post sacerdotalem sacrum ordinem, & canonicatus dignitatem, rursus grammaticalia rudimenta discere sub ferula & sceptris pædagogorum. Fuit & alius, (nomẽ non memini) non tamen multis annis postea, ab eisdem magistrificis architectis in artium magistrum promotus, homo mire insanus, & atræbilis furore vexatus. Sed ad theologos redeo, in quibus summa cum doctrina etiam morum integritas spectanda venit. Nónne in magistros nostros ab illis asciti fuerunt, Henricus de Berchen, canonicus in Capitolio, atque alius Franco Andreas Bosphorus, vulgò Ochsenfurt, scholasticus apud divum Geryonem, utrique nullius literaturæ homines, sed & moribus tam incompositis, ut ferè omnium risibus expositi haberentur. Promoverunt etiam eidem magistrorum nostrorum protoplastæ in Theologiæ licentiatum quendam Theodoricum Vuestphalum, hominem quidem simplicem & piũ, sed non secundum scientiã, verùm nullius literaturæ, qui quicquid habuit theologici farcimini, non nisi ex aurea legenda, visione Tundali, Arnoldo Boschmanno, quatuor novissimis, peregrinatione Brandani, purgatorio Patricii, & ex libro Consolationis animarum, & theutonicis aliquot posthillis, similibusque trivialibus nugis & fabulis totum hauserat. Similis luti alium quendam plasmaverant sine doctrina, sine literis, sed hominem callidum atque versutum, eoque aptiorem illorum sycophantiis, monachum ordinis Carmelitarum, quem ob id solùm meritum, quòd magistrorum nostrorum Colonienſium contra Capnionem calumnias, nunc toto Christiano orbi cognitas,

gnitas, sollicitaret, theologica sua aureola remunerarũt, parũq; abfuit, quin etiam illum suum Ajacem Pepersornum, adhuc neophytam, si aliquot verba semilatina effutire novisset, & uxorcula caruisset, in theologici magistri nostratus ordinem assciviſſent. Possem illius furfuris pleraque alia similia exeremẽta in conspectum producere, ni vererer illorum nimium pedorem vos sustinere non posse: sed arbitror vestram sapientiam his paucis ex innumera multitudine vobis propositis exemplis satis tandem intellecturos, cujusmodi hactenus saginitas porcos & asinos, testamentorum vestrorum atque hæreditatum cauponatores, orphanorum, viduarum & pupillorum vestrorum devoratores, ædium, negotiorum, omniumque actuum, vestrorum ardeliones: qui cum nullas bonas habeant literas, nullas sciant ad vitæ usum proficuas artes, omnes tamen pinguia possideant sacerdotia, ingentesque cumulent opes & divitias, unde putatis, hæc illis obvenire, nisi ex circumventis & deceptis vestris uxoribus, & bonorum vestrorum fraudulentis latrociniis. Possem vobis horum verissima exempla referre, nisi civium vestrorum pudori parcendum, & patriæ meæ rationem habendam ducerem. Sum enim & ego, si fortè nescitis, civitate vestra oriundus, & prima pueritia apud vos enutritus: deinde omnem ætatem usque adhuc in externarum regionum exploratione etiam cum patrimonii mei jactura exercens, ultroneũque exilium amplexus, sic me, & literis, & militia, & variarum linguarum, gentium, nationum, morum, consuetudinum, notitia & experientia præparavi, ut vestræ reipublicæ aliquando non tam necessarius, quàm utilis esse potuissem: sed quoties reversus sum in vestram urbem, meam autem patriam, tanquã Vlysses domum reversus & cognitus à nemine, vix inveni, minus etiam inter sanguine propinquos, qui mihi diceret Ave: fortassis ut impleatur scriptura dicens, Non est propheta acceptus in propria patria. Ego tamen meam virtutem pro aliorũ vitiis non commutabo, quin Coloniam mihi semper charissimam patriam, vosque, qui estis & futuri estis illius decuriones, senatores, consules, rectores, omnibus virib. hortabor, ut huic gravissimo malo, huic perniciosissimæ vestri splendoris pesti, ratione & consilio, vel à tot passis famę & bonorum vestrorum detrimentis petito, tandem occurratis, atq; hanc academiam, sive universitatem vestram, à fœdissima illa sophistarum barbarie, à tumidis istis Cumanis asinis, qui jam annis pluribus summo cum civitatis vestræ dedecore & jactura in perniciem adolescentiæ & filiorum vestrorum perdurant, & bonarum li-

Agrippa origa.

terarum ſtudiis obſiſtunt, purgetis, & à veſtris finibus procul exterminetis: doctores autem & rectores alios conſtituatis, viros graves, tales, qui bonarum literarum gnati & eruditi, vita & moribus integri, veſtræ civitatis & advenam quamcunque adoleſcentiam florentiſſimis elegantiſſimisque diſciplinis, pulcherrimis ingeniis excolentes, inuſtam hactenus univerſitati veſtræ ignominiam abſtergant, illamque priſtino ſuo nitori reſtituant, & illuſtrem dignam encomiis reddant, ſtatuatisque, ut theologi veſtri nativam ſacræ Scripturæ doceant puritatem, & qui hactenus mēdacibus titulis in univerſitatis veſtræ grandem ignominiam ſeſe artium & philoſophiæ & cæterarum diſciplinarum magiſtros & doctores jactitabant, nunc tandem doctrinæ meritis gradus ſui juſtos titulos laureasque aſſequantur: ſic etiam medicos ſalubriores fœlicioresque habebitis, & jurisconſulti veſtri æquiores ac reipublicæ veſtræ utiliores commodioresque evadent. Hæc niſi fiant, univerſitatem veſtram incolumem ſervare certè non poteritis. Dicetis fortè, quis noſtrum iſta faciet, ſi ipſi ſcholarum rectores & præſides id non faciunt? Certè, ſi illis permittitis reformationis hujus negotium, in eodem ſemper luto hærebitis, cùm unusquisque illorum talem geſtiat formare academiam, in qua ipſe maximè in pretio ſit futurus, ut hactenus aſinus inter aſinos, porcus inter porcos. Veſtra eſt univerſitas, veſtri in illa præcipuè eruduntur filii, veſtrum negotium agitur. Veſtrum ergo eſt omnia rectè ordinare, prudenter ſtatuere, ſapienter diſponere, ſanctè reformare, ut veſtræ civitatis honor & utilitas ſuadent, niſi fortè vultis filiis veſtris ignavos potius, quàm eruditos, præeſſe magiſtros, & ad hoc inſtitui, ut omnes bonas literas neſciant, oderint, perſequanturque atque in civitatem veſtram competat, quod olim in Epheſios. Nemo apud nos ſit frugi: ſi quis extiterit, in alio loco, & apud alios ſit ille. Quòd ſi filios veſtros, quos reipublicæ veſtræ profuturos genuiſtis, bonarum literarum gratia ad externas urbes & univerſitates peregrè mittitis erudiendos, cur in veſtra urbe illos his ſtudiis fraudatis? Cur artes & literas non recipitis peregrinas, qui filios veſtros illarum gratia emittitis ad peregrinos? Quistum ad erudiendos filios ſuos Coloniam mittere velit, ubi exulant bonæ literæ, ubi frugi eſſe, eruditi & eloquentes fieri, palàm prohibeantur, ubi optimarum diſciplinarum & cujuscunque elegantioris doctrinæ libri imprimi, diſtrahi, prælegi, & haberi inhibeantur? Atque ſic hactenus pulchrè conati ſunt tumultuoſi iſti ſophiſtæ, qui univerſitatem veſtram jam propè ad

pè ad nihilum redegerunt, & cum cæteræ omnes urbes & reipublicæ reſipiſcant, &, pulſis illis inveteratis dierum malorum ſophiſtis, aut ſcarabeis illis in ſuis ſterquiliniis derelictis, optimarum literarum ſcholas, conductis amplo ſtipendio viris egregiis, inſtaurant, vos hactenus obdormiſcitis, veſtramque univerſitatem inclinatam prope ad interitum negligitis, & cùm undique paſſim reſipiſcant multi doctores & magiſtri, agnoſcentes ſe olim operam impenſam & tempus infœlicibus illis ſtudiis & futilibus dogmatibus perdidiſſe, & cùm ſe eximios doctores putarent, non niſi magnos aſinos evaſiſſe, & tandem non erubeſcant in ipſo ſenio & poſt illum ſuum indoctiſſimum magiſtratum noſtratum velut poſtliminio diſcere, quæ olim diſcipuli ſcire debuerant: ſoli Colonienſes theoſophiſtæ non ſunt, ſicut cæteri hominum, nec poſſunt errare, ſoli illi per capillos tenent ſpiritum ſanctum, & noverunt omnia, cum ſint aſini omnium obſtinatiſſimi. Quòd ſi nunc priſci illi urbis veſtræ gubernatores ſenatoresque ſepulchris ſuis exeuntes, reipublicæ à ſe formatæ ſindicatum vobiſcum expoſtularent, quid putatis illos dicturos, quod tam celebrem olim univerſitatem veſtram, magnis ſumptibus, laboribus & precibus ab ipſis huic urbi comparatam, vos taliter cùm obſcurari & obtenebrari patimini, tum penitus deperire, funditusque extingui ſuſtineatis? Nemo certè negare poteſt, urbem veſtram, civesque veſtros omnibus Germaniæ civitatibus rerum atque morum magnificentia anteponendam, ſi unus ille bonarum literarum ſplendor vobis non deeſſet. Polletis enim omnibus fortunæ bonis & divitiis locupletes, nullius ad vitæ & magnificentiæ uſum egetis, ſed hæc omnia apud vos mortua ſunt, & velut in pariete picta: quoniam quibus hæc vivificari & animari debeant, anima caretis, hoc eſt bonis literis non polletis, in quibus ſolis ſplendor, honor, dignitas, & immortalis in longævam poſteritatem gloria continetur: cætera omnia concidunt hominum monumenta, domus, turres, templa, ſtatuæ, ſepulchra, epitaphia: pereunt divitiæ, aut diſſipantur diripiunturque, nec perpetuos ullos hæredes patiuntur, & familiarum poſteritas & nomina deficiunt, & inſurgunt aliæ, & his rurſus aliæ ſuccedunt, & omnia abeunt in oblivionem, ſolæ bonæ literæ & artes velut anima ſunt reipublicæ, & quæ ſolæ adferunt gloriam immortalem & memoriam apud poſteros ſempiternam. Quis ergo nequeat ſatis demirari, vos homines laudis & gloriæ, ut decet, cupidiſſimos, illa, unde hæc potiſſimè pen-

mè pendent proficiscunturque, optimas literas adeo negligere & quasi contemnere? Hæc vos ita admonuisse me compulit debitus patriæ amor. Si audieritis, & grato animo exceperitis, gaudebo me non omnino steriles has edidisse voces: sin minus, feci ego, quod debui, & bonam voluntatem erga patriam meã ostendi. Vos liberi relicti estis in manus consilii vestri: vos rem ipsam, & ante rem ipsius exitum sapienter considerate. Nunc ad meum redeo negotium, ad meum, inquam, librum, cujus quaterniones postquam illi vestro hæreticorum magistro tradẽdos adjudicastis, vos perpulchrè, Pilati instar, lotis manibus, residuo negocio exonerastis, cùm nos hanc in vobis spem & fiduciam habere debeamus, vos privilegiorum nobis à Cæsare concessorum futuros hauddubiò patronos & vindices, ut qui teneamini Cæsarea diplomata, mandata, privilegia manu tenere, tueri & defendere, ni fortè alium habetis Regem, quàm Cæsarem, aut non estis amici Cæsaris, vestrosque cives circa illa ab externa injuria tutari, atque illis pro suo jure, pro vestro libertatis interesse, etiam contra quascunque iniquas forensium rabularum vexationes patrocinari. accepi enim, dum hæc scriberem, Soterum à procuratoribus fiscalibus coram Colonienſi officiali nunc vexari. Non tam miror seditiosorum illorum rabularum impudentiam, quàm vestram in tuendis civibus vestris cum desidia negligentiam, maximè contra tales sanguisugas, quorum nihil est in rempublicam vestram pestilentius, & civibus vestris exitialius malum, qui autoritate fori & officio suo contra mentem Principis variis modis abutentes, præter innumeram calamitatem, quam secum semper adferunt, cives vestros, arreptis quibuscunque & quantumcunque etiam iniquis occasionibus, litibus implicant, quorum quos nummatiores vident, prorogatis judiciorum processibus pecunia continuò spoliant: qui verò tenuiores sunt, ab his, quarum rerum in singulos dies eget usus, abripiunt, & à se totos pendere cogunt, pavidamque plebem terreant minaciis atque id genus aliis sycophantiarum strophis, in urbe vestra tyrannidem exercent: cui malo miror vos non prospicere. Neque verò propter me ista dico, sed propter vestros cives, à quibus ego rogatus sum & instanter exoratus, ut hunc meum librum illis excudẽdum cõcederem: cùm ego illum majore cum commodo meo, & sine contradictione aliis exteris typographis tradere potuissem. sed malui id lucri vestris favere civibus. Quin habeo adhuc alia multa desiderata eruditionis meæ monumenta, unde aliquot millia nummum aurcorum conflari possent: quod lucrum

crum etiam vestris civibus libenter adjecturus essem, si vos illud pati possetis: si minus, habeant illud alii. Verùm de libro nostro, qui nunc illic excuditur, iternm dico, quòd nihil tractet Christianæ theologiæ, ut sub hæreseos judicium cadere debeat: sed brevi prodibit alius meus ex Basilea. liber totus theologicus, quem ego Apostolici legati consilio hortatus, & à Cæsare jussus scripsi: in hunc intendant nervos suos vestri Theosophistæ, si quid virium habent: cætera relinquant, quæ non sunt sui fori, quæq; minimè intelligunt, nec unquam intellecturi sunt. Vos autem fœlicissimè Valete, Vniversitatem vestram à tam fœda sophistarum colluvione purgate, bonas literas restituite: in omni honore, utilitate & virtute crescite: Cæsaris autoritatem & privilegia defendite, & meæ huic tam liberæ admonitioni, imperterritæque veritatis libertati veniam date. Ex Bonna, Vndecimo Ianuarii, anno 1533.

Reverendissimo Illustrissimoq; Principi electori, Hermanno ab Vuyda, Archiepiscopo Colonienſi, Administratori Paderbornenſi, Vuestphaliæ & Angariæ Duci, & cætera, Supplicat Henricus Cornelius Agrippa.

XXVII.

Librum nostrum de occultiore philosophia, Princeps illustrissime, hactenus per Cæsareos, commissarios, illosq; ecclesiæ prælatos, & doctores eruditissimos, examinatum, comprobatum & subsignatum, deinde etiam Cæsarei consilii assensu admissum, & ejusdem Cæsareæ Majestatis authentico diplomate, & appensa in rubra cera Cæsaris aquila privilegiatũ, insuper Antuerpiæ & postea etiam Parisii sine contradictione impressum, & publicè distractum, tuæ Celsitudinis apud Colonam nuncupati procuratores fiscales, nescio qua præsumptæ autoritate, prætextu nominis tui, & officialis tui sub ecclesiasticis & pœnalibus censuris illic imprimendum prohiberi procurant, illum tanquam de hæresi suspectum prætendentes, cùm liber ille tantum abest ab hæresi, ut nihil tractet Christiani negotii, sed totus in philosophia versetur, atq; ethnicis disciplinis, & quæ sub hæreseos judicium non cadunt, sicut alia multa, quę in publicis scholis versantur sine contradictione commentariæ in Aristotelem, Averroem, Platonem, Plotinũ, Iamblichum, Porphyrium, Proculum, & ejusmodi philosophorum, nihil cũ religione Christiana commune habentium, sed & sacris Scripturis in multis adversantium: neque tamen omne, quod sacris literis contrarium est, protinus hæresis est. Si namq; omnes quantu-

Ecclesia ra est sine peccato,

Et eius membra peccato sint obnoxia. Nec obstat, quòd membra faciāt Ecclesiam. Caput enim cui membra conformari debent, est sine peccato.

quantulicunque peccatores hæretici essent, ipsaque ecclesia, cùm sine peccato non sit, esset hæretica, ipse Thomas & Albertus, & multi ālii sancti doctores, qui in Aristotelem & alios ethnicos philosophos & poetas scribentes, eorum mentem exponunt, essent hæretici. Porro cùm iste liber noster talis sit, qui eorum excedens ingenia, à nullis illorum intelligatur, nec intelligi possit, & in quem illos non secus atque olim in Pici Mirandulæ de Magia & Cabala conclusiones, & in Capnionis cabalisticam artem, cum alia rursus insciticæ & ignaviæ suæ infamia impingere contingat: iniquum & injustum foret, quòd post Cæsaream censuram adhuc ego eruditionis meæ, velut Minerva suem, penitus ignarus sustinere debeam accusatores, & illos pariter judices: & quoniam planè violentum & temerarium & fortè etiam tyrannicum sit, præsumptuosos illos rabulas ad perniciem bonarum literarum instructos sibi supra Cæsarem sceptra & judicium arrogare, iccirco de illorum temeraria arrogantia Celsitudini tuæ conqueri cogor, & te Imperii Principem & Electorem, pro tuendo Imperialis indulti & privilegii autoritate & valore contra eidem rebelles perduelliones invocare & supplicare, quod prætatis illis tuis Colonienſibus fiscalibus & officialibus, qui prætextu nominis tui, autoritate tua & officio suo abutentes, & Cæsarei diplomatis robur evertentes, jubeas ab hac iniqua & injusta accusatione & inhibitione desistere, & civibus tuis Colonienſibus hanc ex nostri ingenii laboribus lucrandi panis occasionem non invidere. Cæterùm Celsitudine tua mihi in omnibus jugiter præcipiendo, &c.

Agrippa ad Archiepiscopum Colonienſem. XXVIII.

QVoniam adversarii mei jam integram hebdomadam consultantes hactenus non iavenerunt, quod tuæ Celsitudinis literis responderent, Princeps illustrissime, quid aliud conjectari licebit, quàm non invenire illos, quam prætexent honestam calumniæ suæ causam. Quare nunc iterum excellentiæ tuæ supplico, ut submotis iniquis quibusq; dilationibus & judiciorum minaciis, officialium tuorum inhibitionem cessare jubeas, atque ut nos privilegio nobis à Cæsare concesso frui permittant, & typographum nostrum ulteriùs molestare desistant, præcipere digneris; neque nos tanti temporis jactura & dispendiorum impensarumque damno ob tam frivolas rudiū sophistarum suspiciones afficere velint. Quòd si post excussum librum, qui non theologiam, sed philosophiam profitetur, aliquid adversus illum, aut me illius autorem, moliri velint, non recusabo Celsitudinis tuæ judicium. Verùm illos tumidos inflatosque sophistas, quorum cerebrum est in ventre, ingenium in patinis, quis æquo animo ferre poterit, aut debeat, etiam accusatores pariter & judices? &c.

Amicus ad Agrippam. XXIX.

DEbita salute, & recommendatione præmissa. Spectabilis Vir, patroneq; semper observande, utriusque nostrum patronus D. Bernardus de Paltrineriis, reverendissimi D. Cardinalis Campegii magister domus, quendam librum præstantiæ vestræ per familiarem meum nunc præsentandum Bononiæ tradidit, ut ex ejusdem D. Bernardi literis latiùs intelliget, nolens tamen omnem suæ mentis affectum literis prædictis, sed mihi committere. Affectat syncerè vestræ præstantiæ & salutem & commodum, jussitque, ut ejus intuitu eidem significarem: quòd, si decens conveniensque locus, atque conditiones & facultates honestę in curia reverendissimi D. Colonienſis assignatæ, præstantiæ vestræ congruæ non forent, hoc sibi significare velimus quantocyus. Nam & conditiones & locum præstantiæ vestræ convenientes & utiles atque decentes eandem in favorem ejusdem habere & scire. Si quid igitur desuper aut aliàs præstantia vestra eidem D. Bernardo significare velit, placeat huic meo familiari consignare: quam Deus optimus summusque diu & fœlicem conservare dignetur. Ex prędio triumvirorum de Emere prope civitatem Monasterium, octava Februarii, anno 1533.

Agrippa ad Archipræsulem Colonienſem. XXX.

BIs hactenus supplicavi Celsitudini tuæ, Princeps illustrissime, ut juberes, quòd officiales tui apud Coloniam Cæsareo privilegio mihi super imprimendis libris meis eorumq; ratificatione & approbatione concesso, me frui & uti permitterent: jamque tertiò scripsit Excellentia tua, ut me meo juri permitterent, aut producerent, si quam adversum me haberent causā: res hæc jam supra sextam hebdomadam inanibus nugis dilata est. quod patienter quidem, sed non absque insigni damno & dispendio hucusq; sustinui, expectabundus, quem partum elephantes illi adversum me edituri essent. Nunc verò cùm me nihil aliud efficere video, quàm ferendo unam injuriā invitare & aliam, atq; adversarios meos nihil causæ, nihil rationis, nihil autoritatis contra me hactenus produxisse, sed fallaci prætextu jus meum

HOC LIBRO PROPRIETATEM OPERIS TUETUR

jus meum atque privilegium velle eludere, & iniquis dilationibus his proximis Francofordianis nundinis me fraudere, & in irreparabile damnum adducere: insuper eò arrogantiæ & ambitionis sese efferentes, eò autoritatis sibi præsumunt, unde illos & leges & jura quæque procul extrudunt, qui se supra Cæsarem eos censores, supra Cæsarea decreta judices constituunt, ac si plus valiturum sit, imò pro lege & imperio habendum sit, quod ipsi machinantur. Cæsaris verò privilegium suorumque censorum judicia nihil valere debeant præ illorum sententia: cogor rursus tuæ Celsitudini supplicare, & te justissimum & æquissimum Principem per jus & æquum obtestari, quò apud tuos officiales improbitati & sycophantiæ locum esse non patiaris, neque me pro calumniatorum meorum violentis consiliis & improbis suggestionibus, refixis pro libidine sua legibus, contra jus & privilegium mihi à Cæsarea Majestate concessum, ulterius molestari sustineas: quin rursus & cum effectu jubeas præfatis tuis officialibus, quod, remissa & deposita inhibitione sua, cùm iniqua, tum violenta, me privilegio meo & frui & uti permittant, cujus valori & autoritati etiam leges ubique cedunt & concedunt, & contra quod nulli impune licere debet quicquam designare. Cæterùm verò si quid magistris nostris Colonienſibus in opere meo displicuerit, quod criminari illos libido incesset, velintq; adversus me insigne aliquod doctrinæ & sanctimoniæ suæ specimen edere, ego me coram Celsitudine tua ad tuum mandatum & jussum semper promptum, paratum & præsentem exhibebo, illis responsurus & tuæ Celsitudinis judicium in utramvis partem libenter subiturus, confidoque, quòd, meis salvis, non secus, atque de Capnione, hærebit in illis magistris nostris perpetua calumniarum suarum infamia.

Agrippa ad Amicum. XXXI.

VAlde admiror pigritiam tuam, mi Godefride, quòd me de rebus nostris non reddas certiorem, quomodo agatur cũ Philosophia nostra apud illos omnium bonarum literarum osores. Fac ergo sciam omnia, ut si quo alio opus erit consilio, provideam in tempore. Verùm tu vide nemini fidas, nec ullis blanditiis eò te perduci sinas, ut exemplar librorum nostrorũ cuiquam tradas: dic apud me esse, te mihi restituisse. Nam te scire volo, nullum mihi aliud duplum esse. Ideo vereor quam maximè, ne mihi tot annorum labores, tot abstrusissimarum rerum ratissimorumque autorum laboriosissimæ explorationes incautæ fidei incuriâ pereant. Quòd si his diebus apud me fuisset exemplar, ego, adhibitis trib. aut quatuor scriptoribus, intra biduum aut triduum excepissem totum, deinde facilè permisissem unum illorum theologis, ut insanirent in illo suo more. Deinde vide, ne privilegium in manibus illorum perdatur, quod licet jam expirasse videbitur, tamen quod ad libri approbationem nunquam expirat. Præterea est apud me signatura examinatorum in privilegio nominatorum, per quã facilè ostendere poterimus, si opus sit, omnes & singulos libros fuisse probatos. Porrò si isti rem nimium differant, quò nos frustrentur proximis nundinis, consultissimum mihi videtur, ut residuum hîc apud Bonnã excudatur. est mihi domus ampla, & loca non incommoda. Tu vide, quid melius sit, & me de omnibus singulis per hunc gerulum certiorem redde, ac sæpe mihi rescribere ne pigriteris. Vale. Ex Bonna, ipso die Purificationis Mariæ virginis, anno millesimo quingentesimo trigesimo tertio.

Amicus ad Agrippam. XXXII.

S. P. Pigritiam meam non immeritò accusares, doctissime Agrippa, ubi per eos, qui sunt à consiliis Reverendissimo D. Archiepiscopo nostro resciviſſem, quid tibi scribendum fuisset: verùm hactenus etiam post diligentissimam solicitationẽ meam nihil certi scire potui, quod ad te scriberem. Ego, ostenso originali privilegio Imperatoris, unà cum Philosophia Parisiis excussa, recepi ad me originale Imperatoris privilegium, relicta apud eos copia Antuerpiæ excusa. Ne dubites, quin hoc & reliqua, de quibus scribis, diligentissimè apud me servabuntur. Vbi posses procurare apud Principem electorem, ut ejus ordinarius revocet inhibitionem, per eum contra typographũ Soterum decretam, nos pulchrè procederemus ad operis absolutionem, vel ipsis theologis invitis. Id facilè poterit Princeps absque omni suspicione, attenta Cæsaris approbatione. Hoc apud eum curabis, ubi per oportunitatem licebit. Opus erit negotium nostrum maturare: alioqui opus nõ poterit ad proximas nundinas absolui. Senatus, attenta Cæsaris approbatione, nihil prohibebit: totum negotium pendet à Principe, & ejus ordinario: tametsi optarem te non tam acriter ad senatum scripsisse. Quod reliquum est, mi Agrippa, ne dubites, cùm aliquid resciveró, quod tui scire interſit, quin te reddam de omnibus certiorem. Cæterùm quas ad me misisti literas in Brabantia reddendas, heri ad me reportatæ sunt. proinde quid de illis

fieri velis, me facies per literas certiorem. Bene vale, doctissime simul & charissime Agrippa. Ex Colonia postridie Purificationis Mariæ virginis, anno 1533.

Amicus ad Agrippam. XXXIII.

VOlebat Petrus Quentel suis impensis curare excudendos libros tuos de Magia, sive Occultiore philosophia, idque apud Melchiorem typographum: hoc dissuasit vicarius Carthusianorum. Quentel tradidit librum Conrado Vlmensi inquisitori, ut eum legeret, & suam censuram adhiberet, an liber edi & divulgari deberet, nec ne. Conradus inquisitor parvo epistolio vicario Carthusianorum respōdit, quod apud me de ipsius manu scriptum servatur, cujus epistolii exemplum hoc est: S. P. & commendationem. Venerande pater vicarie. Non vellem contraniti, quoniam liber plenus est naturalibus, nec porrigit se usque ad simplicium seductionem. Sinite imprimi, si volunt. Salutem domicello Petro, & valete. Hoc te scire omnino volui, & proferam in medium, ubi opus erit epistolium de manu Conradi Vlmensis scriptum.

Reverendissimo Illustrissimoque Principi Electori & Domino, D. Hermanno ab Vuyda, Archiepiscopo Coloniensi & Paderbornensi. Duci Vuestphaliæ, & Angariæ Comiti, &c. Domino suo clementissimo, supplicat Henricus Cornelius Agrippa.

XXXIV.

VIsis atque perpensis Colonienſium magistrorum objectionibus, princeps illustrissime, per quas, dum librum meum de Occultiore philosophia suspectum reddere conantur, nullis locis revictis, sed in genere detortas sine distinctione scripturas, & inobligatorias autoritates præferentes, aliud alio confundunt, & cum se residuos libros nondum vidisse fateantur, solis suspicionibus & præsumptionibus (sicut ajunt) juxta tradita in priore libro intenti, de incognitis judicium pronunciare non verentur, cùm tamen Parisienses scrupulosissimi theologi illum per eos revisum, in sua universitate imprimi & distrahi permiserunt, & ille etiam Colonienſis inquisitor Conradus Cullon sua quadam ad Carthusianum Priorem epistola illum Petro Quentel typographo Colonienſi imprimere volenti permisit, insuper & commendavit: proinde quum omnes & singuli autores, quorum traditionibus ego innitor, impressi sunt, & sine contradictione publicè leguntur, & in omnium manibus

manibus versantur, & plurimi catholici viri meis similia eademq; scripsêre, quorum scripta palàm prostant, etiam privilegiorum indultis ac publicis rescriptis admissa, omnium q; consensu recepta: consideret Celsitudo tua, quàm iniquum & non ferendum sit, Cæsareæ Majestatis de eisdem & similibus autoritatem indultumque ab istis magistris Colonienſibus improbari, cùm tamen ego nihil horum sine majorum exemplo, sine doctiorum censura & judicio, sine Cæsareorum consiliariorū senatus consensu, Cesarique ex certa scientia indulto gesserim. Itaque nunc iterum atque iterum supplico tibi sacri Romani imperii Principi electori, & Cæsareorum privilegiorum & rescriptorum conservatori, ut me privilegio mihi à Cæsarea Majestate concesso, sine ulteriori dilatione tandem uti & frui facias, & sine contradictione potiri, nec tanto damno me pariter atq; typographum contra jus & æquum affici patiaris. Cæterùm paratus coram Celsitudine tua, quoties requisitus fuero, non solùm ad ea, quæ hactenus magistri illi produxerunt, ad quæ hesterna die festino calamo respondi, & tuæ Celsitudini tradidi, sed etiam ad omnia & singula, quæ prænominati magistri adversum me in posterū objicere velint, respondere tuumque super his judicium expectare. Datum Bonnæ, sexta Maii, anno 1533.

Agrippa Cantiunculæ I. C. S. XXXV.

MVltæ ac magnæ contentiones olim mihi fuerunt cum monachis, charissime Cantiuncula, quorū aliquib. modestis expostulationibus, aliis amarulentioribus apologiis respondi, alios silentio præterii: & cùm essent mihi cum illis privatæ cōtentiones, nolui unquam aliquid horum in publicum edere, ne fortè paucorum culpa in multitudinis redundaret ignominiam. Verùm, ut est in proverbio, qui veterem fert injuriam, invitat novam, illi patientia atq; silentio meo abusi, cōtinuò novas contra me machinabantur insidias, easque sibi mutuò per manus tradebant accipiebantq;: tandem cùm nuper edidissem declamationem illam de Vanitate scientiarum atque excellentia verbi Dei, quam in hoc ipsum scripsi, partim ut segniora ingenia ad defendēda bonarum literarum studia excitarem, partim ut monachis istis concionatoribus arguendorum in omni exercitii genere vitiorum non frigida argumenta conferrem, illi hoc beneficium meum ingrato pensantes animo, pariter omnes communem hostilitatem mihi indixerunt, jamq; passim à suggestis, à pulpitis, in publicis concionibus, apud promi-

ſcuam plebem magnis vociferationibus adverſum me clamabant iraſcebanturque, atq; nullam impietatem, nullam hæreſim, nullum contumeliæ probrum in me non transferebant, mirisq; geſticulationibus, putà illiſis digitis, jactatis manibus raptimq; retractis, colliſis dentibus, fremendo, conſpuendo viciſſimque ſcalpendo caput, & rodendo ungues, & calcitrando pedibus inſanientes, nullum penitus amentiæ genus omittebant, quo Principis & populi odium iracundiamque in me excitarent: ſed gratia Domini liberavit me ab inſidiis beſtiæ multorum capitum, & ab unguibus feræ rapaciſſimæ, jamque cognovi vero verius eſſe, qui veterem fert injuriam, invitat novam, eamq; eſſe hypocritarum illorum naturam. Vt quò quisque ſe illis mitiorem præbeat, eò efferantur inſolentiùs, eòque arrogantiùs, quosque contemnant, inſectentur, & veluti tyrannide quadam perſequantur. Si quis verò imperitus illis atrociore ſermone reſiſtat in faciem, hunc jã magis metuant, quàm oderint. Sic Hieronymus ille vir pius & ſanctus, cui jam improbè olim oblatratum eſt, adverſarios omnes acriori penſatione obruebat vincebatque. cognovit enim, quod vulgo dicitur, acri cane occupandum eſſe lupum, nec quicquam maledicorum linguas frænare magis, quàm mordacioris alterius linguæ metum. Quia igitur cognovi illos immortales & inextinguibiles inimicitias gerere, illasque alterum alteri concinnandas per manus tradere, noſtraq; patientia atq; ſilentio inſolentiores evadere, deliberavi cum his, qui mihi jam communem hoſtilitatem indixiſſent, quique in ingenium noſtrum ingrati, beneficium pro injuria reputant, apertas gerendas eſſe inimicitias, voloque mihi cum univerſa hac improborum ſophiſtarum & excullionum colluvione æternum bellum eſſe ſuſceptum, & quicquid hactenus cum his nebulonibus mihi negotii fuerit, poſtliminio reſuſcitare, illosque ſuis coloribus depictos ſub dio palàm omnium oculis exponere, ut videant populi, intelligant nationes, cognoſcat mundus, per quos homines tot ſeculis ſeducti & decepti fuerint. Occurrit itaque mihi his diebus ad manus apologia illa pro beatæ Annæ monogamia, qua olim reſpondi cuidam Claudio Salini conventus Prædicatorum, tunc prioritin urbe Metenſi, ad quasdam ſuas ineptias, quam tu illo tempore & vidiſti & legiſti: in qua legenda cùm te olim delectatum eſſe ſciam, talisque mihi viſa ſit, quæ ad te proficiſci poſſit, iccirco unus à me es electus, cui illam dedicarem, qui pro ſingulari inter nos amicitia, quicquid eſſe meum noveris, æquo judicio ſis accepturus, & tuis auſpiciis defenſurus. Vale, an. 1533.

Agrip-

Agrippæ Præfatio ad Lectorem in diſputationem ſuam de D. Annæ monogamia. XXXVI.

VErè pium ac Chriſtianum eſt, candide Lector, ſanctorum vitas dignis proſequi præconiis: ſed mendacia illis conſuere, & incompertas genealogias comminiſci, hoc impiorum hiſtrionum opus eſt. At reperiuntur nunc paſſim in iſtis recentioris ætatis martyrologiis atque ſanctorum, ut vocant, legendas tot prodigioſa mendacia, & digna riſu deliria, tot ſuperſtitioſa phantaſmata, & gentium mythologiis non minus fabuloſa, quæ ſi legant Iudæi, Turcæ & pagani, an non putas ridebunt nos, & religionem ſuam noſtra multò meliorem putabunt, ut quæ multò minus habeat fabularum? Attamen tales ſunt ſermones iſtorum hiſtrionum cathedralium, quos plebs imperita & ſuperſtitioſæ vetulæ oraculi habent loco, qui, deficiente illos antiquitatum notitia, ſuis propriis adinventionibus confiſi, nullam ferè cujusvis martyris aut confeſſoriis legendam incorruptam reliquerunt, cui non aliquid ſuperſtitioſe admentiti ſint, quaſi fas ſit etiam fabulis & mendaciis propagare religionem, atq; omne id liceat in ſacris, quicquid humanæ leges tolerant in profanis: horum, dico, hiſtrionum operâ falſa illa opinio de beatæ Annæ trigamia in animos populi ſeminata eſt & irrigata, quousque ſic convaluit, ut difficilè eradicetur: ad quam tamen extirpandam poſt doctiſſimum illum Iacobum Fabrum Stapulenſem hac præſenti diſputatione laboravi haud ſegniter: ſed an effecerim, an conſecutus ſim, nunc tui ſit judicii. Vale.

Præfatio in Opuſcula Godoſchalci Moncordij. XXXVII.

NActus ſum per hanc hyemen, candide Lector, familiaritatem cujusdam, cùm ſacrarum literarum, tum pii animi & optimæ conſcientiæ religioſi viri atque ordinis Ciſtercienſis monachi, Godoſchalci Moncordii, brevique apud illum optimi amici locum conſecutus ſum, ita quòd mihi non paucæ eruditionis ſuæ librorum copiam facit: quos cùm non minus diligenter, quàm avidè perlegiſſem, cognoviſſemque illius dogmata valida ſcripturarum autoritate atque concinna rationũ veritate ſuffulta, mox cogitavi operæpretium me facturum, ſi illa in publicum prodirent. Selegi itaque nonnulla illius opuſcula, quæ mihi ad evangelicæ veritatis inſtructionem notitiamque plurimum facere viſa ſunt: eaque probatæ fidei ac dili-

gentiæ viro Ioanni N. bibliopolæ Norinbergensi, ad publicam reipublicæ Christianæ utilitatem excudenda tradidi. quæ si, qua decet, diligentia & candore perlegeris, & ibi pompam non desideraveris, scio plurimum placebunt: placebunt autem eò magis, quo Colonienſibus theologastris plurimum displicent, quibus displicent omnia bona, apud quos etiam pietas hæresis est: qui cùm in omnes censoriam virgulam sibi arrogant, omne: que damnare præsumunt, neminem unquam rectè aut justè accusarunt, nullum unquam scripturis & rationibus revincere potuerunt, nusquam unquam reipublicæ Christianæ in tanta hæresum & schismatum persecutione profuerunt, nũquam utile quicquam docuerunt, scripserunt, aut consuluerunt, sed omnes suas vires in condemnandis alienis laboribus locatas habent, piosque & Christianos viros per aucupia verborum depravare, & à recto abducere nitentes, omnia verba, & dicta, & scripta eorum, quibus invident, aut quos oderunt, in peiorem partem falsò interpretantur: qui cùm hujusmodi sycophantiis hactenus perturbarunt omnia, & nequitia eorum jam toto orbi Christiano cognita sit, etiam adversus hunc venerabilem patrem aperta magis perspicuaque tibi patebit. Accipe igitur nunc benigno animo hunc verè religiosum & pium autorem, sermone licet incultiorem, tamen evangelicæ veritatis defensorem egregium, cujus vita ut ab animi fastu, sic sermo ab omni pompa alienus est: cujus scripta si tibi accepta & probata esse cognovero, mox alia ejusdem autoris & varia in lucem dabo. Bene Vale. Anno 1533.

Agrippa ad Erasmum. XXXVIII.

MVltis & magnis de rebus ad te scripturus forem, ter maxime Erasme, nisi ex te plura majoraq; expectarem. sic namque priorib⁹ literis tuis polliceris, te per ocium longas easq; necessarias literas ad me daturum: sed occupationes tuas ulteriùs interpellare non audeo, eo quòd talem me fateor, qui tibi, quòd te dignum est, retribuere non possim. tuas tamen literas summo desiderio exopto, rogoque, ut qui te grandi diligit affectu, Agrippam tuum ne contemnas. Libellus meus, quem adversus aliquot theologistas Bataveæ excudendum tradidi, re infecta ad me rediit, eo quòd nonnullos offendisset. Is nunc excudetur alibi. scripsi ad te de hac re latiùs, sed eas literas tibi non fuisse redditas, ex tuis cognovi, pariterque ex Cratandro intellexi: sed de his aliàs. Cæterùm nunc quod te scire convenit, reverendissimus atque illustrissimus Princeps elector Archiepiscopus Colonienſis, qui scriptorum tuorum studiosissimus, te unicè diligit, amat, observat & veneratur, tecum auspicari cupit amicitiam, teq; coràm videre & audire desiderat, jussitq; ad te scriberem. sciremq; ex te, si per hanc ætatem sese accedere velis Bonnam, sive Coloniam, aliquot vel pauculos dies illi morem gesturus: effecturũ se, ut te itineris illius minimè pœniteat. Tu, quid facturus sis, rescribe. Vnum hoc scio, si venturus sis, offendes Principem Christianissimi animi, & penes quem Christianæ reipublicæ ac publicæ tranquillitati tu plurimum conferre atq; prodesse poteris. Vale fœliciſſime. decima Aprilis, anno 1533. festino calamo.

Agrippa Khreuttero S. XXXIX.

ANte nuper præterita Natalicia festa scripsi sereniſſimæ Reginæ Mariæ satis longas literas: scripsi etiam tuæ spectabilitati, mi clarissime Khreuttere: pariter atque aliarum quarundam literarum transumpta simul misi, atque omnia hæc in uno eodemq; fasciculo Antuerpiam misi tibi tradenda: sed cùm abesset mercator ille, in quem confidebam, fasciculus ille ad me reversus est: itaq; secundariò eundem misi tuæ spectabilitati tradendum per Reverẽdissimi Cardinalis Campegii chartophorum: is Bruxella oriundus, nomine Petrus ac olim, si rectè memini, redo, & qui Bruxellæ in hospitio Campegii ostiarium agebat, etiam uxorem Bruxellę habet. hic, ut accepi, apud Bruxellas decubuit ægrotus, quò minus ad me rediit: tamen literas meas illum tibi bona fide reddidisse confido: sin minus, hominem inquirito. sunt enim in illis quædam ad te secretò scripta, quæ non expediret in alienas manus prodita. Tu verò, oro atque instanter oro, protinus respondе, literasque tuas, quò securiores sint, ad Godefridum Hetorpium bibliopolam Colonienſem dirige, idq; facilè ac tutiſſimè poteris per quendam illius factorem, nomine Ioannem de Gymmenich bibliopolam in Pantho majore apud Antuerpiam. Cæterùm, quòd te scire volo, pleraque opera mea sub prælo versantur, quæ tamen his nundinis absolui non potuerunt: absolventur autem circa proxima festa Pentecostes. quæ ubi proditura sunt, mox te reddam omnium participem. Alia multa ad te scripturus essem, quæ non audeo his malè tutis committere literis. Tu, oro, protinus rescribe & qua via, quo modo frequentiores securiosque invicem dare & reddere queamus literas, consule.

Vale fœliciſſimè, ex Francofordia, decimo Aprilis, anno 1533.

Amicus ad Agrippam. XL.

S. Scripsi pridem ad te paucis, significans in opere tuo illo, libro de Vanitate scientiarum doctrinam hic doctissimis quibusque placuisse. nondum enim ipse legeram, aliquanto post nactus librum commodato, jussi famulum à cœna recitare. nec enim aliàs vacabat, & ipse cœnatus ab omni studio temperare cogor. Placuit δέινωσις & copia, nec video, quur tantopere indignentur monachi. Vt vituperas malos, ita laudas bonos. sed illi tantùm amant laudari. Quod tum tibi suasi, rursus suadeo, ut, si commodè possis, extrices te ab ista contentione. Sit tibi exemplo Lodovicus Barguinus, quem nihil aliud perdidit, quàm in monachos ac theologos simplex libertas, vir alioqui moribus inculpatissimis. Sæpius illi suasi, ut arte explicaret sese ex eo negotio, illum fefellit victoriæ spes. Quòd si nõ potes effugere, quin experiare Martis aleam, vide, ut è turri pugnes, nec te committas illorum manibus. Illud imprimis cave, ne me isti negotio admisceas. plus satis oneror invidia. ea res & me gravabit, & tibi magis obfuerit, quàm profuerit. Idem rogârã Barguinum, & ille promittebat, sed fefellit, plus suo tribuens animo, quàm meo consilio. Exitum vides. Ne tantulum quidem fuisset periculi, si meis consiliis obtemperasset. toties illi occinebam, nec theologos, nec monachos vinci posse, etiamsi haberet causam meliorem, quàm habuit sanctus Paulus. Et si quid haberem apud te autoritatis, etiam atque etiam monerem, ut istuc operæ, quod insumpturus es periculosæ digladiationi, impendas liberalibus studiis provehendis. In præsentia non vacabat pluribus. scribo enim plurimis amicis. Vale. Friburgi, vicesimaprima Aprilis, anno 1533.

Agrippa ad Amicum. XLI.

G Ratia & pax domini nostri Iesu Christi cum spiritu suo, amen. Vt nosti, vir sagacissime, quanta sit hujus ævi nostri malitia, quanta religionis & pietatis evangelicæ jactura. quo fato, nescio, quidam me, licet ignarum, è latissima & catholica ecclesia in quem Lutheranæ factionis angulum suo judicio protrudere gestientes, ad investigandas nonnullarum quæstionum rimulas compulerunt. Verùm, ut solet quæstio quæstionem, & lis litem apud rixæ cupidos gignere, quantò me respõsionum mearum obicibus è fovea sinistræ suspicionis explicare conabar, tantò graviùs in lutum calumniis adversariorum impegi. Tandem sententiam meam tuæ discretioni recensendam

dam cùm obtulissem, tibi prorsus aliter, quàm rabinis illis calumnienſibus visum fuit. Quamvis autem nihil minus instituissem, quàm hac tempestate de mea tenuitate quicquam in medium proferre, cùm tot eruditissimi viri è proscenio in arenam quotidie prosiliant, tamen quia tibi videbantur in gloriã Christi lucubratiunculæ meæ nonnihil operæ collaturæ, malui profectui multorum solertiùs inquirendi ansam, & me peritioribus ausum loquendi præbere, quàm silentio meo videri erubuisse profiteri, quod intimo corde sensi. Vela itaque ventis commisi, &, si quid erravi, ut sunt fortasse nonnulla minus apertè promulgata, tuæ & aliorum præstantissimorum censuræ lima vel eradenda vel corrigenda humiliter exhibui. Scio nempe quàm sint plerique sinceri & æqui judices, qui nomine ecclesiæ de doctrinis inquirendi pronunciandique sibi vendicant autoritatem. Videat ergo tota ecclesia, & discernat inter scabiem & lepram, inter hæreticam pervicaciam & oscitantiã. Talibus ergo conditionibus, ut nosti, præmissis, utrùm mea perlustraveris, utrúmve quædam eorum chalcotyporum arte procuraveris evulganda, quæso te, mihi rescribere digneris, utque tuo consilio me præmunias adversus tyrannidem hæreticæ pravitatis incitatorum, qui bonis omnibus interitum moliuntur, ut absque pudore Maozim auro lapidibusque pretiosis colendum paucissimis contradictoribus è medio sublatis, quodlibetica magistralitate vulgo persuadeant. Vellem etiam communicares mihi citra incommodum tuum, si quid egregii facinoris habes profuturum evangelico negotio. Vale, & intra biduum rescribas oro. nam ultra triduum lator præsentium Bonnæ moraturus non est. Datum in monasterio, cui nomen Alemanicum. est Buscus divi Georgii in districtu Iuliacensi cis urbem Aquensem, anno 1533. vicesimaoctava Aprilis.

Coloniensibus scilicet.

Amicus ad Agrippam. XLII.

S. P. Quod ad te scribo, vir doctissime, quasi peregrinus & ignotus, facit meus in te singularis favor & amicitia, & profectò calamum hunc agrestem retraxissem, nisi tua confisus benevolentia & humanitate fuissem: quoniam quidem tam doctum undequaq; alloqui philosophum erubui. Verùm cùm audierim, tantum virum in metallorum transmutationibus nonnihil conversari, mox animus magis magisque, exardebat, quisnam easdem mecum cogitabã doctiùs rimari possit, quàm is, qui naturalibus imbutus scientiis, noscitur doctissimis? cui ne assentari videar, per te exemplaria emanata maximè trudi-

ta probant. Nihil præterea amplius, nihilque mihi suavius, quàm à tanto talique eruditissimo viro edoceri: meam operam,& quicquid saltem possum,si quid valeo, tibi viro doctissimo polliceor & voveo: me quoque quem in deditissimum discipulum offero,commendatum accipias. Vale, & ad Nestoreos annos vive fœlix,Germaniæ decus.Raptim ex Heidelberga,vicesimaquinta Maii,anno 1533.

Agrippa ad Amicum. XLIII.

LIteras tuas, humanissime vir, reddidit mihi hic tuus Ioannes Scheurius.qui si me offendisset domi meæ, non reverteretur ad te vacuus: nunc autem in hac eremo detinui illum apud me diebus aliquot, illius jucundissima confabulatione admodum delectatus, sed non satiatus. totos namque dies,erravimus saltus, lucos, nemora, sylvas, dumeta, per abrupta montium, per abyssos convallium, perque immania saxa, de variis rebus sermonem miscentes maximo meo solatio,sed interim dolens secretorum aliquot librorum meorum absentiâ, quò minus illum remitterem sine munere. nam cùm nuper convenisset me Francofordiæ, ubi ausplicata inter nos prima amicitia,dedi illi rem quampiam experiundam,quam quia sibi rectè succesisse retulit admodum gaudeo. Quando autem ad me revertetur,dabo,quæ tuæ præstantiæ referat, majora & meliora initæ amicitiæ nostræ monumenta. Sed ne longior sim,ipse tuus Ioannes narrabit tibi omnia.habet insuper commissum sibi nuntium ab illustrissimo Principe meo ad doctorem Ioannem Hasfurdium,cui pariter & me per te plurimum commendari cupio.Spero autem futuram occasionem, ut vos aliquando & fortè brevi conveniam Heidelbergæ, ubi de singulis coràm longè lateq; differemus. Vale.Ex thermis Vuertrigiis,undecima Iunii,anno 1533.

Agrippa ad Amicum. XLIV.

ILlustrissimus Princeps Archiepiscopus Colonienſis cupit ad se venire doctorem medicum illum, qui fuit apud bonæ memoriæ fratrem suum Ioannem comitem ab Vuyda,in thermis Emseranis: nomen illius putat esse Admiratum: ego arbitror eum esse,quem apud te vidi,& locutus sum virum egregiè eruditum: sed nomen excidit memoriæ: quòd si is est,magis gaudebo illius in hac eremo posse frui jucundis confabulationibus. Propterea nunc ad te scribo, neq; privatus tantùm sed nomine Principis mei ad te scribo,&tibi id oneris impono, quæ

quæ præfatum doctorem Admiratum,sive is sit,quem ego puto,sive alius,quem Iacobus doctor noster noverit,ad nos venire impellas:quem Princeps ipse sicut ad se venire cupit, ita benigna liberalitate excipiet atque remittet. Vale. Exthermis Vuertrigiis,duodecima Iunii, anno 1533. Salutabis meo nomine Antonium Adelberti, qui unà apud nos fuit domi tuæ. Iterum Vale.

Amicus ad Agrippam. XLV.

SAlutem & fœlicitatem.Candide,multisque nominibus observandissime vir,nosti,quàm sim tibi tuisq; votis propensissimè adstrictus:ob id præsentem dominum doctorem Sigismundum Admiratum eo permovi, ut sese itineri accingeret: sed non est is, quem dominatio tua commendatissimum habet, quique convivio nostro Confluentino interfuerat Ioannes Dryander. Quòd si ille & ego accersiremur, utique solatii gratia,maximè autem tui visendi cupiditate veniremus.Miratus sum,cur hæc in commendationem nostram non curaveris. Vale, & successus vestros thermarumque delitias nobis expone,& jocum istum meum æqui bonique consule.Ex confluentia,decimaquarta Iunii,anno 1533.

Agrippa ad Amicos nomine Principis. XLVI.

DOmino doctori Dryandro,ægrotorum salvatori,Antonio Adelberti causarum licitatori, Cornelio Favio mellicoquo pharmacorum pinsitori,ter trinæ tripliciter triplices à tribus tres magnæ tribus modis salutes dicuntur.Salvere vos tres jubet reverendissimus & illustrissimus Princeps Elector Archiepiscopus Colonienſis, & vos ad se venire, cupit,vestram sibi auspicaturus cum notitia amicitiam. Salutamus vos etiam ego atque doctor Iacobus, atque istinc vos venientes hîc expectamus.Sed heus vos,non medicatum,non pharmacatum, nõ causidicatum vos vocat Princeps meus,sed confabulatum, sed potum,sed lusum & lavatum, siquidem hic nobis pro medico coquus est, culina cum penu pro myropolio sunt, dapifera mensa pro tribunali est,Quare tu, Dryander, mitte tuos hypocraticos canones. non hic ægrotatur, sed oblectatur: tuque, Corneli, linque favum mel, & pharmaca, non hîc medicatur, sed potatur egregiè:& tu,Antoni,linque rixosos libellos & appellationes,non hic litigatur, sed luditur, sed jocatur. Veruntamen vacui ne veneritis. quippe si quid est vobis delectationis disciplinæ & amœnioris doctrinæ,comportate. namque hujusmodi

jusmodi rebus vobis cum Principe conversandum est, & nos curabimus, ne vacui abhinc revertamini, sed bene saturos potosq;, &, si luber, etiam lavatos vos domum remittemus. Valete, & venite ocyus. Ex thermis Vertrigiis, vicesima Iunii, anno 1533.

Dryander Agrippæ S. XLVII.

S. P. Quantis laudibus id vehere debeam, nescio, quòd reverendissimus illustrissimusque Princeps elector ac Archi præsul Colonien sis dignissimus nos homunciones tam humaniter salutat, tam amicè ad colloquia invitat, tam denique animo minimè fucato omnes nos sibi præsentes cupit. Hanc verā heroum virtutem in prisci seculi quantumvis & magni nominis Monarchis non usque adeo raram mirari non est, ut qui sub inde, deposita illa purpura, relictaq; mensa regia, vel apud Diogenem dolio sese voluntantem oblectari, vel Aristippum olera lavantem ejusdem cœnæ habere convivam neutiquam erubuerunt. Verùm hoc nostro corruptissimo seculo, ubi pro honore dedecus, pro literis aurum, pro virtute vitium, pro veris amicis adulatores in aulis Principum magni fiunt evehunturque, reperiri, qui pristinam hanc imitetur Principum humanitatem, id denique miri loco quis non ducat, Agrippa mi chariss ime? Quare ferè tibi hanc fœlicitatem invideo, cui apud tam prudentem, tam humanum, tam denique eruditis viris expositum agere contingat Principem. Ludis tu quidem, vel literarum amore obcæcatus: frustraris, si me vel eruditione, vel Mathematicarum artium institutione Principi ulla in re satisfacere posse putes. Quare frustra me Hippocratis canones deponere, Ptolemæum Euclidemque remittere jubes. tenuis, quantum mihi sit & curta supellex, fortassis, ut antea plerunq;, sic proximè, ubi in Cornelii nostri domo, Musarum omnium asylo in mediam usque noctem conferremus, deprehendisse poteras. Verùm hæc mea tenuitas quamvis optimè me monere queat, quòd non solum à Principis, immò & tui præsentia abstineam, accidit & hoc quo ego natus sum infœlici sidere, incommodum, quòd ante triduum febri laborare cœpi Desinat nunc Huttenus, olim communis noster, febri succensensere, quòd Poëtam, liberum genus hominum invadere ausa sit. Iam & medicis negotium facessere didicit. Quid jam ego nisi creberrimè audio, Medice, cura te ipsum? vel, Alios salvos fecit; se nunc liberet, si est Dei filius, & credemus ei. Ovidium jam mihi renasci cupio, qui diris in febrim scriptis meā innocentiam ulciscatur, quid me tam jucundo, tam optato defraudet Principis & vestri colloquio. Restat, quò tu apud reverendissimum illustrissimumque Principem Dryandrum tuum commendes, meq;, cur non venire liceat, pro tua, qua polles, eloquentia excuses. Cornelius noster, ante quàm ego decumberem, sæpius mecum egit, quò unà ad te lavatum proficisceremur: jā multò magis ardet. Nullum non movet lapidem, quo vel ipse vobis adesse queat. Sed quid facias? ubi fortuna repugnat, frustra tu intenderis hamum. Vxorem domi habet. non dico dies, sed horas numerat, quo partum excludat. Domesticam rem officinęque curam, quam habet, ipse nosti. Diutius ergo ab ædibus abesse jam minimè licet. Excusatissimum ergo hunc habere volo. Doctori Iacobo, dein ochsen, qui subinde me quam humanissimè salutavit, cujus & majorem familiaritatem habere cupio, quam officiosissimè me commendabis. Spero nos aliquādo conventuros, ubi ad satietatem usq; mutuis colloquiis nos oblectemus. In eremo illa, in qua jam agis, sat ocii tibi esse puto. Verbosius ergo tecum agere volui, alioqui vix tua studia meis nugis interpellare ausim. Has literas febris meæ paroxysmus me ipsum neutiquam exscribere permisit, aliena itaque opera usus me subscripsi. Vale, dulcissime Corneli. Confluentiæ, vicesima secunda Iunii, anno 1533.

Amicus ad Agrippam. XLVIII.

S D. P. Tuæ jam ad me datæ literulæ maximam mihi voluptatem attulerunt, mi doctissime pariter & humanissime Agrippa, libensque laudatissimo tuo Principi morem gererē, temerario etiam ausu, & sponte, tantum abest, ut non tam liberaliter atq; humanissimè invitatus, si per valetudinem & occupationes quoquo modo liceret. Proinde, ne humanissimus ille Princeps, qui me abjectum homuncionem in suæ Amplitudinis & notitiam & familiaritatem admittere, quid dicam, non dedignatur, imò cupit & desiderat, hac sua expectatione omnino frustretur, mitto ad te præsentem s. Pelagii eremitæ Majoricani libellum ad Libanium Gallum, philosophum, pro anacriseos operatione Archipræsuli tuo meo nomine præsentandum, ea tamen lege, ut lectus & relectus tandē ad me redeat. Præterea te istic dissolventē atq; abeuntē coràm expecto, eorū omnium, quæ in arcanis meis sunt, & Principi non displicere intellexero, & consciūm & participem te facturus. Tu bene vale, & reverendissimæ suæ Paternitati commendatum me habeto. Datum veloci calamo, decimo kalendas Iulii, anno 1533.

Finis Epistolarum.

HEN-

HENRICI CORNELII AGRIPPÆ ORATIO, IN prælectionem convivii Platonis, Amoris laudem continens.

SI quid est Vsquam in natura humana magnipendendum (Candidissimi auditores) perpetuam nobis quod voluptatem pariat. unū hoc & omne, nihilque aliud constat esse, quàm (si saltem unico verbo effari possim) Amorem, quo nihil sublimius, nihil præcellentius, nihil expetibilibus inveniri potest quicquam. Omnia nostra terminabuntur in bonum, si hic solus nobis præsto sit amor. Hic cui adest, nihil prorsus deesse potest, tanta ejus potentia, tanta sublimitas, tanta gloria. Qui hunc repudiat, nullus existit. Iccirco de amore tanquam de virtutum omnium summo apice maximeque expetendo, hic disserere constitui, & quid de illo olim didicerim & expertus fuerim, narrare. Deinde, quid divinus ille Plato in suo Convivio de Amore scriptum reliquit, per ordinem vobis prælegere & exponere decrevi. Hujus autem sermonis caussam & autorem eundem ipsum, Amorem existimate: Amoris namque fulgoribus ego accensus, Amorem vobis prædico. Absint autem hac veneranda lectione, quicunque terrenis obvoluti sordibus, Baccho atq; illi hortorum deo mancipati, Amorem ipsum divinum munus, porcorum atq; canum ritu in lutum prosternunt. Vos autem viri castissimi Dianæ Palladique sacri adeste fœliciter, divinumque mysterium diligenter audite: & ut vos Orphei ad Musæum carminibus alloquar:

Vos qui virtutem colitis, vos ad mea tantum,
Dicta aures adhibete, animosq; intendite vestros.
Contrà, qui sanctas leges contemnitis, hinc vos

Effugite, & procul hinc miseri procul ite profani. Sed modò ad Amorem ipsum properemus, ejusque antiquitatem & naturam proprietatesque scrutemur. Moses ille sanctissimus Hebræorum legislator in principio libri Creationis mundi, his verbis Amorem explicat, inquiens: In principio creavit deus cœlum & terram. Terra autem erat inanis & vacua, & tenebræ erant

erant supet faciem abyssi, & spiritus domini ferebatur super aquas: Dixitque deus, fiat lux: & facta est lux. Hoc exponentes & Hebræorum & Christianorum doctores, mundum informem & invisibilem significari dicunt: Spiritum autem domini, spiritum Amoris, qui pulsa discordia ex informi & invisibili Chaos produxerit ipsum invisibilem mundum formarum ac lucis plenissimum. Proinde Hermes atque Orpheus Amorem in ipsius Chaos sinu locaverunt, cæterisque diis omnibus fuisse priorem. Et Phædrus apud Platonem vocat illum deorum omnium antiquissimum: Et Plato causam, cur mundum hunc creavit deus: Empedocles causam bonorum omnium: Euripides autem cooperatorem sapientiæ. Plerique poetarum Herebi filium dicunt. Sed nolumus hic poetarum figmenta in testimonium adducere, dum volumus vera prosequi. Idcoque catholicorum doctorum sententiam audiamus. Hi dicunt deum esse Amorem, atque ex deo omnem amorem procedere. Hoc prophetæ, hoc apostoli, hoc universus theologorum ordo affirmant. Sic sacer Dionysius primum Amorem in deo propria sua luce accensum foras resplendere dicit, & fulgore suo per varias creaturas diffuso, varios in illis amores inspirare. Hic omnia continet, hic terram cum cœlo conciliat, omnia perficit, superiora ad inferiora inclinat, æqualia conjungit, & inferna ad superiora convertit. Hæc de Amoris antiquitate & origine hactenus. Nunc quid sit Amor, definiamus: cuncta enim per definitionem, ut dialectici testantur, apertiora sunt, & magis eluceſcunt. Amorem itaque beatus ille Dionysius definit, esse virtutem unitivam. Augustinus, appetitum rei propter seipsum. Bernardus, ordinatam & vehementem voluntatem ad bonum. Alii theologi dicunt esse conjunctionem amantis cum amato. Nonnulli, desiderium possidendi, utendi, fruendi, opinati pulchri & boni. Plerique esse spem irrequietam timori conjunctam. Tullius dicit Amorem esse bene velle. Seneca, vigorem animi & excessum mentis. Dantes, esse Inclinationem animi in rem concupitam. Marius Aequicola, esse desiderium boni, quo illud nobis semper adesse & possidere cupimus. Peripatetici ferè omnes dicunt, Amorem esse argumentum benevolentiæ propter apparentem venustatem. Academici autem, esse desiderium fruendæ pulchritudinis. Omnes tandem conveniunt in hac summa, non aliud esse Amorem, quàm desiderium pulchritudinis. Et hæc apud omnes philosophos & theologos propria amoris definitio habetur. Illud enim quisque amat, cujus pulchritudinem diligit.

Sic

HAYNOBE BIBLIOTECA CONVENT WERDEN

Sic angeli, divinam pulchritudinem: homines, corporis speciosi figuram diligunt. Pulchritudo autem omnis, sive incorporea sive corporea sit, nihil aliud est, quàm divini vultus splendor in rebus creatis relucens. Omnis igitur amans, nihil terrenum, nihil corporeum, nihil humanum, sed divinum aliquod amat. Atque hinc est, cur in illis qui corporis formosi figuram diligunt, nullo prorsus formosi visu, tactu, sensu & usu, amoris incendium extinguatur, non unum corpus hoc vel illud desiderant, sed aliud quiddam occultum præter corpoream formositatem circa formam illam latens, per corpus illud formosum refulgens, quod amantes clàm affectant, stupent, amant & admirantur. Quocirca quid potissimum cupiat, quid quærat, quid patiatur amator, ignorat: quia divinum vultum ignorat, cujus lux occulta, splendorem sui quendam omnibus infundit: hunc sentimus, hoc excitamur, lucem verò ipsam ignoramus. Ideoque quid cupiat amator, quid quærat, quid patiatur, ignorat: quia divinum vultum ignorat. Eadem ergo plerunq; accidit amantibus, quod amati aspectum quodammodo timent, verentur, verecundantur & venerantur: Quod etiam quicunq; potentissimi ac sapientissimi etiam circa infirmum quodvis amatum patiuntur: quia non humanum aut terrenũ est quod eos occupat, quum vis humana sit in illis longè excellentior. Quid ergo nisi divini vultus atque luminis splendor, in ipso formoso corpore quasi dei imago emicans & amantes omnes stupescere compellens? Nónne Salomon ille sapientissimus Iudæorum rex, atque Aristoteles Peripateticorum princeps, utrique amasiis suis divinos honores exhibuere? Stultissimi profecto, nisi forte non mulierem in muliere, sed amorem ipsum ipsamque summam pulchritudinem in quodam sui repræsentativo simulacro adorârint. Vultus modo amorẽ ipsum, rem prorsus divinam vobis latius declaremus. Non poterit id fieri, qui cælestia capere vix possumus, nisi cogamus ipsum ad moralem nostram philosophiã descendere. Et quomodo sponte sua omnes virtutes, omnesque moralis philosophiæ partes ipse & regit & complectitur & moderatur, ostendamus: Temperantiam, fortitudinem, justitiam & prudentiam. Vnde Augustinus ait: Amor est temperantia, qua amans voluntatem suam contemperat & subdit voluntati amati. Est fortitudo, quia omnia sustinere paratus est propter amatum. Est justitia, quia solus sine metu & odio cum ratione dominatur. Est prudentia, quia omni sapientia adornat amantem, & solus prævidere potest futura, & eligere bona. Anima enim amore vacua, necessa-

necessariò malevola est, in quam, teste scriptura, non intrabit sapientia: quam iccirco Hieronymus tenebrosam vocat. Virtuti autem dat operam omnis qui amat, ut amoris vicissitudine dignus sit. Præterea, cum amor ipse pulchritudinem semper desiderat, omnes turpes & inordinatas cupiditates aspernantur: hinc amator omnis à turpibus abstinet, decora semper & magnifica ardenti amore aggreditur, quatenus placere conatur amato: & studens placere uni, placet omnibus. Obscæna fugit, odit que deformia, ne contemptui sit amato. Concupiscentias omnes terrenasque ambitiones, dignitatum, honorum, divitiarum facilè contemnit, & præ Amore pro nihilo habet: nec immerito quidem, quum divina humanis longè sint anteponenda. Vnde Titius Maximus ait, Amorem sic adhærere pulchritudini, ut de nulla alia re esse possit. Ideoque ait impropriè dici, Darium amare divitias, Xerxem imperium, Agesilaum honorem, Calippum aurum: cum ille non sit amor, sed species quædam desiderii voluptatis, quod sæpe tendit in perniciem: Pulchritudo autem nunquam est pernicioſa, neque ducens ad malum. Quia igitur Amor omnis pulchritudinem desiderat, liquido apparet, hunc carnalis libidinis appetitum, non Amorem esse, sed Amori maximè contrarium: quoniam ea rabies & lascivia ad obscæna trahit & deformia: deformitas verò & pulchritudo maximè invicem contrariantur: necesse igitur est Amori libidinem esse contrariam. Præterea, cum omnis pulchritudo, vel est spiritualis, vel vocalis, vel corporea, illa mente cognoscitur, hæc auditu percipitur, ista visu cernitur: certè amator omnis, solis, contemplatione, auditu, visu, fruitur amore: reliqui ergo sensus & appetitus, putà tactus, gustus, olfactus, oscula, basia, suavia, amplexus, non sunt Amoris, sed petulantiæ & lasciviæ, habentes quidem umbram quandam Amoris, veritatem autem ejus abnegantes. Quare hunc lascivum & umbratilem Amorem plerique describunt esse, absconditum ardorem, delectabile vulnus, dulce venenum, gratam maritudinem, amabile malum, letum supplicium, blandum interitum, cujus comites sunt: timor, spes, suspicio, solicitudo, zelotypia, pœnæ, tormenta, cruciatus, languores, dolores, dissidia, iræ, lites, reconciliationes, querelæ, blasphemiæ, maledicta, lachrymæ, suspiria, fastidium, pœnitentia & innumera alia similia. Verus autem Amor in virtute non in lascivia est: ipse enim cõtinentia & temperantia omnem obscœnam libidinem procul pellit, verecundia sua domat omnem appetitum qui honestati adversatur, honestate sua omnem illicitam concupiscentiam

vincit. Vbi verus & integer Amor, ibi omnis modestia, ibi omnis justitia, ibi nulla contumelia, ibi perpetua pax. Pacis amor Deus est, pacem venerantur amantes. Vbi verus amor, ibi securitas, ibi concordia, ibi fœlicitas, ibi communia omnia. Contrà, nulla pericula, nullæ insidiæ, nullæ dissensiones, nullæ miseriæ, nullæ lites, furta, homicidia neque prælia. Porrò quod infinitæ penè leges & universa moralis philosophia contendūt & vix tandem assequuntur, solus Amor brevissimo tempore præstat. Solo enim in Amore consistit, ut vitatis malis, turpibus, injustis: bona, honesta, & justa sequamur. Sine Amore justitia est causa belli: fortitudo non est sine iracundia, non prudentia absque malitia, non temperantia sine impatientia. Vbi Amor adest, ibi virtutum omnium unio & concordia. De fortitudine etiam Amoris nullum nobis dubium sit: quid enim Amore fortius, quid magnificentius, quid potentius, cujus imperio non solum homines sed etiam dii ipsi subjiciuntur. Vnde Orpheus atq; Hesiodus inquiunt: Mortalium, & immortalium mentes Amore domari Phædrus apud Platonem vocat amorē magnum deum, diis hominibusq; mirandum. Idem apud Euripidem in vanum Græcos ait Iovi olympia, Apollini Pythia sacra facere, quum solus amor adoratione dignissimus sit, cujus neque in cœlis, neque in abyssis, neque inter nos mortales neq; inter deos ipsos ulla major potentia sit. Diis aliis Mars fortitudine præstat, Venus sola hunc domat: Mars autem Venerē nunquam, quod apud Astrologos manifestum est. Hinc Seneca ait amorem potenter regnare in universo mundo, & Iovem indomitis flammis accendere, bellicosum Martē sua face compescere, sulmineum Vulcanum inter Ætneos ignes illæsum unica scintilla sua exurere. Quòd si fortitudo aliqua in audacia consistat, quid fortius, quid audacius amante, ad quæq; etiam pericula propter amatum intrepidè subeunda. Omne in amore malum, si patiare, leve est, Nullum hominem ait Plato, tam inertem fore aut ignavum, quem amor non reddat æqualem fortissimo cuiquam. Hinc exercitum illum fore invincibilem dicit, qui constat ex amantibus. Narrat etiam Plutarchus fuisse cohortem amantium, quæ sacra ideo vocata est, quæque per multos annos durans, innumerabilia fortitudinis suæ experimenta dedit. Lacedæmonii etiam quoties conflictum aliquem inituri essent, amori prius sacrificabant, eorum ordines ex amantibus constituebant. Amoris potentia jubente (inquit Plato) animalia quæq; ruunt in præcipitia, despiciunt pericula, manifestam mortem non excludunt: etiam minutissima & im-

becillia

becillia quæque animalcula contra robustissima pugnare, & vel mori parata sunt. Testatur Vergilius pisces omnes & aviculas accendi amore, nec ullo alio tempore leones, ursos, tigres esse ferociores, tunc equos, non frena, non saxa, non rupes, non flumina retinent. Tunc bella gerunt tauri, pugnantq; aliàs timidissimi cerui. Sic inter cuncta animalia gravissima bella suscitat amor, nec ulla major vindicta, quàm quæ ob amoris injuriam expetitur: omnem iram minuit, quæ propter amorem susceptа est, quod de Turno Vergilius, & de Medea ostendit Seneca. Reddit enim amor amantem, ut in propulsandis injuriis fortissimum, ita etiam in ferendis laboribus patientissimū. Amor enim facit, ut libenter patiamur incommoda, feramus injurias, exponamus nos periculis. Quot anxios dolores patiēter sustinuerūt Penelope propter Vlyssem, Laodamea propter Protesilaum, Porcia propter Brutum, Cornelia propter Pompeium. Et aliæ multæ illustres fœminæ, quantis sese periculis ob amorem virorum suorum obtulerunt, ut ne mortem ipsam terribilium omnium terribilissimum excluderent? Alceste Admeti regis uxor pro marito mori voluit. Idem voluit Tiberius Gracchus pro uxore sua Cornelia. Laodamea proficiscente ad sacras Ilii pugnas Protesilao exanguis corruit: deinde accepto de Illius morte nuntio, supervivere noluit. Dido Phœnissa post fatalem viri obitum, ne alteri jungeretur seipsam interemit: nec Portia post Bruti mortem superesse voluit. Quid de amore Orphei ad Eurydicem dicemus? nónne uxoris causa ad inferos usque descendit? Neque verò tam in obeundis periculis, quàm etiam in excludendis potens est Amor. Nónne Amor Ariadnæ servavit Theseum? Et amor concubinæ regis Numidarum, Marium? Quantum profuit Mosi Amor Æthiopissæ, & Alcibiadi Amor Tunicæ Reginæ Lacedæmoniorum? Sed & Amor Hester universum Iudæorum genus non solum servavit, sed etiam maximè honoribus decoravit atque refecit. Denique quid profuerint Romanis amores mulierum in obsidione Capuæ, in Tarento, in Massilia, longum esset referre. Nónne amori Plotinæ debemus optimum illum Cæsarem Adrianum? notæ sunt historiæ quamplurimæ, tam de amore mulierum ad viros, quàm virorum ad mulieres. Proinde fortitudinem Amoris, vel ex hoc apprehendite, quòd amori omnia parent, ipse verò nulli. Omnia vincit Amor. Dii cælestes, homines & animalia & corporea omnia, sapientes, fortes, potentes, divites & reges, omnes Amoris subjiciuntur imperio, Amor verò nullius. Non divitum munera emunt Amorem, non ulla

dignitas neque nobilitas. Nescit Amor magnis cedere divitiis. Nec tibi nobilitas poterit succurrere amanti. Nescit Amor priscis cedere imaginibus. Marcus Cato patricius Romanus imperator potentissimus, senator & orator sapientissimus, plebeiã puellam arsit & in uxorem accepit. Simile fecit Pisistratus Athenienſium tyrannus, accepta in uxorem Thimon ossã rustica puella. Alexander ille Magnus, præ omnibus adamavit Romanam ignobilem fœminam, atq; in uxorem accepit. Similiter & magnus ille Demetrius ardebat Lamiam tibicinem. Et magnus Pompeius Floram nobile scortum. Psammitichus Ægypti rex Rhodopen meretriculam uxorem accepit. Quin & recentiori ævo fecit idem Andreas Palæologus Peloponnesii despotẽ nobilissimus. Ea denique est Amoris libertas, quod nullæ regum potentumque minimæ ut amemus, cogere possunt: neque Deus etiam ipse cogit Amorem, quia ab initio liberum fore decrevit. Ea est fortitudo Amoris, ea potentia, ut vim omnibus inferat, solus ipse omnium effugiat violentiam, nihil est uspiam quod Amorem effugiat. Amor omnibus ineſt & per omnia propagatur, estque omnium effector & conservator. Vnde Augustinus, animam citra Amorem vocat extinctã, nec ea vacare posse, pudico vel impudico. Hinc Dionysius in libris de divinis nominibus dicit Amorem ipsum utcunque illum intelligamus, sive divinum, sive angelicum, sive spirituale, sive animalem, sive naturalem, esse ipsum insitivam quandam commiscentemq; virtutem, quæ superiora ad inferiorum providentiam movet, inferiora ad superiora convertit, æqualia ad socialem secum invicem dilectionem conciliat. Hinc causæ omnes, effectus suos tanquam proprias suas imagines amant: similiter effectus omnes, causas suas tanquam sui conservatrices redamant. Sic à superioribus descendendo, Deus angelos, illi cum Deo animas, hæ cum illis corpora sua fœliciter amant, regunt & gubernant. Rursus ab inferioribus ascendendo, corpora animas suas vehementer diligunt, nec absque summo dolore ab illis separantur: animæ cœlestium gloriam, cœlestes summi Dei majestatem sanctissimè amant atque venerantur. Hinc in ipsis supercœlestibus hierarchiis Seraphini omnium supremum locum tenent, qui non aliud quam amor interpretantur. Amore movent intelligentiæ orbes cœlorum: amore cœli inferioribus sua munera largiuntur: amore, stellę lumen suum in elementa diffundunt. Amor ipse est moderator omnium cœlestium motuum & influxuum, rector elementorum & cõservator omnium creaturarum. Hic radix vitæ, promotor salutis, ex-

tis, extinguit languores, vivificat moribundos, illuminat sapientes, instruit ignorantes: reducit errantes, mitigat iratos, humiliat superbos, consolatur oppressos, promovet destitutos. Ipse est mansuetudo semper coruscans, seipsum solus exaltans, semper quærens occasionem benefaciendi. Ipse dator deliciarum, joci, leporis facetiarum & oblectationum omnium, qui nulla læditur obtectatione, estque omnium actionum nostrarum extremum desideratissimum. Hinc Orpheus appellat amorem solertem, benignum, omniũ claves habentem. omnium regentem habenas. Omnia amore reguntur & existunt. Amor omnis generationis & propagationis autor: neque Deum ipsum, ut inquit Dionysius, permisit in se ipso manere sine germine. Hinc homines & animalia omnia amore rapiuntur ad procreandum sobolem, ut speciem suam quadam successione servent perpetuam: ut reddant naturæ, quod mutuo acceperunt: ut imaginem sui viventem sculpant in filiis. Similiter brutorum & hominum nulla generatio sine amore: eo semoto, vacua plantis jaceret terra: nam herbæ plantæ & arbores amore sua semina propagant, ut sibi similia gignant. Amor itaque non solum omnia facit, sed etiam omnia conservat & auget, omniumq; est effector & conservator. Tanta vis amoris est, ut solus possit humanum genus in perpetuo esse, in perpetua conservatione, successione, honestate, virtute, temperantia, justitia, fortitudine, magnificentia & pace servare: quod neque prudentia, neque eloquentia, neque vis armorum atque legum absque amore efficere possunt. Ipse est moderator justitiæ & æquitatis. Ipse fugat infamiam, compescit ambitionem, pellit odia, extirpat malevolentiam, semper nova gaudia humanis afferens ingeniis. Nihil illi grave, nihil molestum. Nusquam superfluus, nusquam diminutus, semper sibi ipsi constans, & nõ excedens terminos mediocritatis. Ipse est autor omnis mansuetudinis, humanitatis, clementiæ & liberalitatis, quod de Alexandro erga filias Darii, de Masinissa erga Sophonisbam, de Iulio Cæsare erga Cleopatram testantur historiæ. Amorem verò esse prudentissimum, nemo est qui id vel de seipso non sentiat. Ipse enim mentem nostram elevat, & nobilissimarum inventionum capacem reddit, acuit sensus, excitat ingenium, removet omnem inertiam & rusticitatem, exornat virtutibus animum, naturæque defectus arte supplet, etiam corpus eleganti habitudine decorat, munditia continet, homine mque cum lætitia & hilaritate in vita conservat. Ipse est magister, ductor & via in omni actione nostra. Ipse principium fœ-

licissimum, medium firmissimum, finis perfectissimus, radix vitæ, conservatio humanæ speciei, ratio naturæ, & cõpula universi. Ideo vocat illum Hesiodus omnium principiũ, per mundum omnibus prævidens. Plutarchus vocat deorum ministrũ, Orpheus etiam necessitati anteponit, & tribus illis inexorabilibus Parcis imperare dicit. Prudentiæ autem ejus experimentũ ex innumeris illud habetis lucidissimum, quod recitat Bocatius de Simone Cyprio, qui ex stolido & rusticissimo, ob Amorem puellæ cujusdam subitò evasit humanissimus, disertissimus, strenuissimus & prudentissimus. Est igitur Amor prudẽtissimus, siquidem hebetissimi quique amoris radio aspirante, hoc est, amando, redduntur acutissimi. Reddit enim amor amantem ad res gerendas prudentem & magnanimum, ad loquendum disertum & facundum, ad conversationem hominũ facetum, ad ludos jucundum, ad seria quæq; consultissimum. Reddit amor amãtem in actionibus cautum, circumspectum, providum: in studiis docilem, diligentem & intelligentem: in consultatione rerum omnium sagacem, solertem & sapiẽtem. Si amare stultum aut turpe esset, non amassent tot illustrissimi pariter & sapientissimi viri, Adrianus, Titus, Alcibiades, Themistocles, Porus, Demetrius, illeque sanctissimus David & sanctissimus Salomon: ipseque divinus Plato, Socrates & Aristoteles, Vergilius, Ovidius, Tibullus, Catullus, Propertius, Petrarcha, Dantes & omnes fermè philosophi & poetæ. Quin & apud Scythas, ut aut est Lucianus, in multo majore autoritate, honestate, veneratione & reverentia habetur, qui plures habet amicos, quam qui divitias possidet & regna. Denique prudentiæ amoris omnibus hoc evidentius lucidissimumq; argumentum est, quod amor magister est artium scientiarumq;, omniumq; virtutum autor & gubernator. Philosophia ipsa divinarum & humanarum rerum cognitio, ab amore nomen habet: virtutum etiam definitio non alia est, quàm amor ordinatus: neq; quisquam unquam artem aliquam aut scientiam invenire potuisset, nisi illum investigationis & inveniendi amor incitasset. Quis rectè docere aut discere artem aliquã aut scientiam posset, nisi ille qui docet doctrinam ipsam & discipulos diligat, & discipuli disciplinam ipsam ament & avidè cupiant: Solo namq; amore facillime adipiscitur quæcunq; ars & scientia, quæ omni alio medio sine amore frustra investigatur. Accedit ad hoc, quod in singulis artibus & sciẽtiis artifices ipsi nihil aliud quærunt & curant, quàm amorem: Estq; amor omnũ artium scientiarumq; finis. Hoc modo sacræ theologiæ facultas in

tas in eo potissimum versatur, ut doceat quæ hominum officia amet Deus: quomodo Deum ritè amare debeamus: quomodo Deo amici fieri ritè possumus. Sic in morali philosophia nihil aliud quæritur, quàm ut homines sibi invicem amici sint, nemo alteri faciat quod sibi nolit fieri: deniq;, quis amor ad patriam, ad principem, ad parentes, ad cognatos, ad benefactores, ad majores, ad alios omnes tam ad vivos quàm ad defunctos sit adhibẽdus. Simili ratione medicina nihil aliud curat, quàm ut quatuor corporis humores invicem amici sint atq; permaneant, atq; quos cibos & potus, quos vivendi & medendi usus amet natura. Similiter in agricultura nihil aliud consideratur, quàm quæ terra cujusmodi semina & quam culturam, amet, & quis colendi modus à singulis plantis & arboribus diligatur. Similis in reliquis artibus & scientiis consideratio est. In habitis modo quis & quid sit amor, quis verus amator, quæ amoris unitas, virtus, potestas, honestas, utilitas & necessitas. Hortor igitur vos nunc & admoneo, ut amorem, rem profecto divinam, totis viribus amplectimini. Amemus igitur omnes, amemus in primis Deum, post Deum uxoris amor rebus omnibus anteponatur. Amemus patriam, pro qua semper viri sapientissimi & sanctissimi multo periculo, multos labores, etiam mortem ipsam libenter impigreque susceperunt. Amemus principem justitiæ tutorem, amemus parentes, cognatos, benefactores. Amemus nos mutuo, hoc enim præ cæteris præcipit Christus in Evangelio, dicens: Hoc est præceptum meum, ut diligatis invicem. Amemus omnes quotquot sumus nobilissimum fœmineum sexum, à quo omne nostrum esse, omnisque nostri generis propagatio & conservatio (quod aliàs brevi periturum esset) omnisque familia & respublica dependet: quod neq; Romanæ urbis conditorem latuit, qui quum fœminis careret, cum Sabinis atrocissimum bellum susciperet non formidavit: cognovit enim, imperium hoc quod moliebatur, si mulieres non adessent, minimè duraturum. Verum de mulierum præcellentia & nobilitate, nolumus latius evagari, quia specialem de his libellum daturi sumus. Hoc vos, hic admonuisse satis sit, quòd quicunq; mulieres naturali appetitu non amaverint, ab omnibus virtutibus sunt excluſi. Amare igitur mulieres tantum abest à culpa, ut non amare, sit turpissimum vitium. Virtuti autem dat operam omnis amans, ut amicæ placeat. Sic hunc in armis exercet amor, illum in literis, & studet unusquisq; id agere, propter quod ante amicæ faciem laudetur. Adversabitur istis fortè aliquis tristis tetricus hypocrita, &

rugosæ frontis incurvicervicus cucullio, qui dum Curios simulat, Bacchanalia vivit, & de castitate loquens, clunes agitat, dicetque me vobis falsa dogmata concinere, docili ingenio vestro scandalum ponere, piis auribus offendiculo esse, vitæ præcipere, turpes mores docere, sacra cum prophanis confundere, amorem carnalem à divino distinguere: producet exempla, amore collapsos Adam, Samsonem, Loth, David & Salomonem, Nessum, Phaonem, Medeam atque Didonem. Huic vos respõdebitis, esse amorem essentiam unam non divinam, sed & necessariam, quę totum hoc universum moderatur atque gubernat: quæ quatenus in diversis subjectis diversimode recipitur, diversa recipit nomina. Hinc dicimus hunc amorem divinum, illum mundanum, alium sensualem, alium corporeum: & hũc vulgo laudamus, illum vituperamus: nihilo minus tamen una manet eademque essentia amoris, quæ cum omnino bona sit, nullum ab eo malum procedere potest. Itaque qualiscunque amor, malus esse nec dici potest: sed imperiti homines plerunque loquuntur de amore secundum dispositionem patientis: unde persuadere nobis conantur, quendam amorem esse detestabilem & malorum causam, quum revera mala hæc quæ ipsi ex amore provenire dicunt, non proveniunt à defectu objecti, sed à malitia subjecti: non ergo mulieres, non amor illorum causa malorum sunt: sed culpa illorum est, qui amare recte neseiverunt. Dicent iterum, solum Deum amandum esse. Non eo inficias: neque enim sic ego amandas censeo creaturas, ut creatorem ipsum negligamus, sed ut ipsum in omnibus amemus, & in Deo amemus omnia, in corporibus Dei umbram, in animis Dei imaginem, in angelis Dei similitudinem. Nunc igitur securi amate. Amor omnium bonorum est causa, principium, effector, conservator, finis & præmium, imò & suiipsius præmium: quia non est præmium præter amorem, quod amore sit dignum: Hinc est quod omnis qui amat, amorem præcipuè amat: id enim solum vult ab amante potissimum, ut redamet amantem. Hinc in ipsa etiam corporea pulchritudine non tam delectant forma & mores pulchri, licet nos trahant vi admiranda: sed si sentimus nos redamari, ipsa redamatio nos longè plus quàm sola pulchritudo ligat atque constringit. Hinc omnem diligentiam, solitudinem, curam & obsequium in hoc exponimus, ut amantes simus redamati: quod ubi consecuti sumus, fœliciſſimos nos existimamus: supra omnem enim voluptatẽ est fruitio amoris. Nolite igitur negligere amorem, nolite oblivisci amoris. Amemus imprimis Deum, nulla alia redignas Deo

Deo gratias referre possimus quàm amando. Ille amor beatissimus, pulcherrimus & optimus, superne ab intelligibili usq; ad inferiora descendens, ad divinam pulchritudinem, mentem nostram congregat atque convertit, nos quoque in omni operatione conservat, & effectus ad vota largitur, virtutem supplicationibus nostris administrans. Hinc apud Homerum legitur, Chrysen Apollo supplicantem exaudivit, quia sibi amicus erat. Et in evangeliis legitur de muliere peccatrice: Dimittuntur illi peccata multa, quia dilexit multum. Minus etiam peccat, quisquis propter amorem peccat, citiusque illi condonatur peccatum. sic multi sanctissimi prophetæ & sapientes propter amorem mulierum nonnunquam Dei neglexerunt mandata, sed veniam impetrârunt. David ille sanctissimus, amoris causa adulterium cum homicidio commisit: nec solum veniã meruit, sed adulteram insuper divina dispensatione uxorem retinuit, & in semine illius successionem regni accepit, ipso amore vel Deum placante, vel crimen excusante. Amor itaque peccata delet, animas in cœlum reducit, beatitudinis distribuit gradus, gaudium largitur æternum: nemo enim in cœlum ascendere potest, nisi qui cœlorum regi summè placeat: placet autem ei maxime ille, qui eum maxime diligit, dico autem maxime, quia Dei amor nec mensuram nec modum habet, sed ex tota anima, ex tota mente supra omnem mensuram Deum diligere oportet: qui quum summum bonum & summum pulchrum sit, illius amor supremus, optimus & pulcherrimus est. Amor etiam creaturarum bonus, pulcher & honestus est, quia Dei operum est, qui creavit omnia bona, sed ille amor mensuram & modum habet: Vnde si quis creaturas majore cura amet quàm Deum, is à vero amore excidit, & tota aberrat via. Verum ut omnis excessivus amor amantem convertit, & quodammodo transmutat in amatum: sic perfectus ad Deum amor, animam nostram ad Deum convertit & transmutat, efficitque Deo penitus similem, tanquam propriam Dei imaginem, & hæc est summa hominum fœlicitas, Deum scilicet fieri.

Oratio, habita Papiæ in prælectione Hermetis Trismegisti, de potestate & sapientia Dei, Anno M. D. XV.

COnsiderans illustrissime Marchio, Præstantissimi Patres, ornatissimique viri, varios humanarum rerum tumultus, simul atque duram novercalis fortunæ sortem, qua per inte-

grum nunc triennii curriculum bellorum armorumque implicitus negotiis usque fatigatus sum, diu & multum cogitavi argumentaque multa in pectus instituti, ac multis modis egomet mecum eam rem disputavi, quanam ratione quove consilio & ope post procellosum illum, utrasq; prætergressus scyllas, sanguinolenti maris transitum fœliciorem denuo nancisci possem vitæ portum. Occurrebat mihi magnopere necessarium esse fungi munere aliquo, & eo potissimum, quod plurimum honestatis nec minus frugi in se contineat. Atq; id repperi nunc tale quidem, quod cum decore peragere possum, quodq; à mea professione atq; militia non est alienum. Additiora videlicet sublimioris divinæq; philosophiæ mysteria in florentissimo hoc gymnasio vobis & referare & interpretari. Nam cum ab ineunte ætate multijugis literis eruditus, cœlestium influxu divinoq; genio, ab ingenio naturali corroboratus, rerum secretissimarum naturam, ipsiusq; naturę ordinem spectaculum omnium amœnissimum contemplatus sim, nihil magis ad me attinere arbitror, quàm ut sacrosanctam hanc amplexus philosophiam, ducem me præstem iis, qui ea maximè eruditione sunt digni, ut in Tycinensi gymnasio optimi quiq; adolescentes nostro munere atque opera, depromptis ex nostris thesauris novis atq; veteribus sacræ illius philosophiæ fructus intellectuque consequantur. Sed vereor hic (consummatissimi adjutores) ne qua fortassis animum vestrum subeat indignatio, ac me non modò arrogantiæ, presumptionis ac insolentiæ, verum etiam temeritatis vitio arguatis, quod ipse ego ut homo sic in natione barbarus, exercitio hactenus miles, habitu exotico, hanc cathedram conscendere, atq; in tam crudâ & immaturâ ætate tanta vobis & ea præsertim polliceri audeam, quæ præ rerum magnitudine gravissimam aliàs ac maturum inveteratumq; doctorem expectant. Verùm cùm ad vestri intellectus perspicaciam & promptitudinem, & ad vestram erga studia optima diligentiam atq; constantiam me converto, meamque haud ignaviter aliàs exercitatam & legendi & interpretandi consuetudinem cum his confero, nihil prorsus erit quod in hac re vel de capacitate vestra, vel de ingenio meo diffidam. Neque verò junior ipsa ætas prohibet, quin possem æquè bene vel meliuscule interdum quàm seniores aliquid discernere: siquidem non ætate, sed ingenio inspiratione que provenit intelligentia: neque enim numerus annorũ & multitudo dierum dant scientiam, sed ingenium cœlitus infusum, ac spiritus domini sapientiam præstat etiam parvulis quod in libro

libro Iobb plerisque rationib⁹ attestatur Helius filius Barachielis Buzitius. Quod si exempla quæritis, Samuel cùm esset pusillus, accepit spiritum Domini. Salomon quoque & Iosias in juventute acceperunt sapientiam, & Daniel puer duodecim annorum, spiritu sancto repletus est, & Paulus Apostolus non vult Timothei juventutem contemni. Et Ieremias audivit à Domino, noli dicere quia juvenis sum ego. Et Ignatius ad Nagnesianam ecclesiam scribens ait, non longi temporis sunt sapientes, neque senes sciunt prudentiam, sed spiritus ipse qui est in hominibus. Neque etiam mireris Marthio illustris. Ioannes Gonzaga strenuiss. militum dux, quod cum me proximis his annis fœliciss̃imis Cæsareis castris militibus præfectũ cognosceres, nunc me sacrarum literarum præpositum pulpito cernas. Neque etiam vos candidissimi auditores deterreat ipsum militiæ cruentum nomen, eò quòd Plato ipse ethnicus & Dionysius Christianus severiter præcipiant, sacra non nisi à sacris viris contrectari debere. Vnde me quispiam tanquam humano sanguine, in quo juxta Mosę verbum, jam nõ semel manus nostras consecravimus, pollutum, iccirco perinde ac prophanũ respuendum fore existimet. Nulla vos tam siniſtra infensaque opinio vel fascinet vel seducat. An nescitis apud veteres poëtas ac Philosophos Palladem atque Bellonam unam ac eandẽ literarum militiæq; deam extitisse? Habemus præstantissimorum virorum exempla, qui ob hoc ipsum divinis laudib⁹ præcipuè celebrata sunt, quòd utrisque & militię & literarum studiis claruerunt. Non dico nunc Demosthenem illum, qui ut extitit strenuus orator, tam erat ignavus miles. Vix enim conspectis hostibus abjecto clypeo in fugam se turpiter convertit: sed invictos Catones, Curios, Fabios, Decios, Scipiones, innumerosque alios tàm Latinorum quàm Græcorum duces: Præcæteris verò Iulium illum Cæsarem & Christianæ Reipublicæ augustum, Carolum cognomento Magnũ: qui utriq; utrisque sic operâ navârunt, ut discerni nõ queat, utro magis valuerint. Possem hujusce modi multos adducere, sed cum non sit præsentis intentionis meæ velle laudare militiam, satis erit si hoc vos commoneam, Christum ipsum Centurionem militem sic extulisse, ut diceret, se non invenisse majorem fidem in Israël. Et propheta ipse ob hoc singulares Deo agit gratias: Quia docet manus ejus ad prælium & digitos ejus ad bellum. Iacob item patriarcha benedicens filio suo Iudæ, ajebat: Manus tuæ cervicibus inimicorum tuorum. Est enim militia divina benedictio divinumque institutum, ut in Machabæorum historia

HYPOTHESES OMNIUM LIBRORUM

ſtoria ſacræ nobis literæ tradunt. Vbi Ieremias propheta Domini viſus eſt extendiſſe dexteram ſuam, ſtrenuoq; militi Iudæ Machabæo aureum gladium porrexiſſe, inquiens: Accipe gladium ſanctum, munus à Deo, in quo concides adverſarios populi mei. Quo verbo & me conſecravit invictiſſimus imperator meus, dum adoleſcentior & quaſi puer adhuc accepto è manu ſua gladio, haud ſine fœlici fortunatoque Martis ſucceſſu miles inſigniebar. Sed ut ſemel finiam & ad animi inſtitutũ redeam. Auguſtinus in libro de verbis Domini, & Gregorius ſcribens univerſis Neapolitanorum militibus, ipſeq; decretorum compilator Gratianus, ex illorum aliorumque ſanctorum patrum teſtimoniis unanimiter concludũt, Militiam nulli imputari in peccatum, neminemque propter militiam à ſacris ordinibus debere repelli. Nec refert cui quis militet, etiamſi infideli, dummodo fidem & reverentiam impleat militiæ: nam & David militavit Achis Regi Philiſtinorum, & multi fideles atque ſancti Diocletiano & Iuliano aliisque ethnicis Cæſaribus militaſſe leguntur, fide ſemper incolumi & laudata. Ne itaque nos inter prophanos connumeremur, catholica Canonum ſanctio, divinumque militiæ inſtitutum, ſacrarumq; attrectatio literarum nos excuſant: Siquidem & Lactantio Firmiano placet, eos qui ſacras literas docent, haud ſecus atque quibus antiſtitum manus impoſitæ ſunt ſacerdotes ſacros exiſtimari debere. Quin & milites ipſi à Pſalmiſta ſancti dicuntur, inquiente: Vtique gloria hæc eſt omnibus ſanctis ejus. EXULTATIONES Dei in gutture eorum, & gladii anticipites in manibus eorum, ad faciendam vindictam in nationibus, increpationes in populis. Ad alligandos reges eorum in compedibus, & nobiles eorum in manicis ferreis. Quod ſi quem veſtrum ſcandalizet, barbarum hominem in Lizeto gymnaſio bonas literas interpretari, is ſciat barbaros etiam homines eſſe rationales, & frui cœlo, atque linguæ noſtræ Mercurium, pectorique noſtro Saturnum, quorum ille interpretandi, hic arcanæ contemplationis autor, fœlici cœlorum dono non defuiſſe. Quod ſi quem inſuetum ſcholis militare ſagum transverſum agit, reſpondet illi Plutarchus. Non, inquiens, philoſophum facit promiſſior barba & veſtis pertrita, nec item Iſiacos linoſtoliæ: & quod vulgo dicitur proverbium, Habitus monachum non perficit: neque enim plantam cortex facit, ſed vegetalis natura: neque jumenta corium, ſed ſenſibilis anima: nec humani corporis habitus ſapientem, ſed cœleſtis ratio ſpiritalisque intelligentia. Aedepol multa ſunt auditores, quæ efficaciſſimis rationi-

rationibus ad ſuſceptam provinciam proſequendam nos adhortantur, & admonent adjuvantque Amici ſcilicet, qui innumeris in me collatis beneficiis, magnum mihi ad cœpta proſequenda ſtimulum adhibent, quibus eo ipſo morem gerendum duximus. Compellit me etiam Evangelica religio, ne erga Deum hominesque ingratus eſſe convincar, talentum quoque mihi concreditum ſuffodere videar, atque lumen ſub modio abſcondere, ne denique mihi, quæ ficulneæ, maledictio contingat, quæ fructum ſuum non dedit in tempore ſuo. Itaque juxta verbum libri Sapientiæ, quæ ſine fictione didici, ſine invidia communico, & honeſtatem eorum non abſcondo. Alliciunt me inſuper haud parum patria, urbs, locus, tempus, otium, tranquillitas, atque poſt tot bella pax atque libertas, quæ omnia nobis Illuſtriſſimus atque invictiſſimus de hoſtibus triumphator Hercules Maximilianus Sforcia Mediolani dux octavus, ſingulari ſua virtute ac ſapientia conciliat, continet & adauget. Qua de re Deum immortalem oramus, ut eum perpetuò fœlicem ac fortunatum faciat, egregiasque ejus laudes celſitudinis, fortunæ, virtutis, ingenii, rerum geſtarum gerendarumque in memoriam ſeculorum omnium conſervet & augmentet, ut omnia denique ei ex deſiderio optimi animi ſui, quo nocere nemini, prodeſſe verò omnibus velit, proſperè glorioſeque ſuccedant. Deberem etiam nunc ſplendidiſſ. Ioannes Gonzaga, tuis ampliſſimis virtutibus congruenter congratulari, atque condignas meritasque illis contribuere laudes, Tua ſtrenuè geſta, ſapientiſſimè conſulta, promptiſſimè adinventa in medium denarrare, ſi ſermonum unda ſenſuumque flamma mihi ſuppeteret: in aliud autem tempus hæc reſervabimus, nullaq; unquam abolebit oblivio. Atq; nunc unde digreſſus ſum redibo, & quod propoſitum meum ſit in hac ſuſcepta provincia, id paucis verbis aperiam. Animus eſt, Hermetis Trismegiſti dialogos de Sapientia & poteſtate divina inſcriptos, interpretari: quocirca prius nunc de Hermete ipſo Trismegiſto, cujus teſtimonio præ cæteris uti inſtitutum eſt, ut quis quantusque fuerit, & quo tempore floruerit, dignoſcatur, pauca dicemus: deinde quæ in dialogis, quos explanare intendimus, dogmata contineantur, brevi argumento docebimus. Legimus itaque apud Moſen magnum illum Hebræorum legiſlatorem atq; principem, in ſuo Geneſeos libro, Abrahamum ipſum Iudæorum patriarcham mortua uxore ſua Sara, plures ex pellicibus filios ſuſcepiſſe: Inter quos unus erat nomine Mydan. Is genuit filium Enoch nomine, qui ob interpretandi ſcientiam,

tiam,qua clarus habebatur,appellatus sit Hermes sive Mercurius,quod utrunq; interpretẽ sonat. Is itaq; noster est Hermes, qui apud Hebræos Enoch vocatus, Abrahæ ex Mydan filio nepos. Cujus rei gravis juxta ac fidus testis est autorq; peregrinus,Rab Abraham Avenazre in volumine suo astrologico. Adstipulatur ei quod scribit Eusebi. libro suo de temporibus, Cũ esset Isaac Abrahæ filius octoginta annorũ, Iacob verò ex Isaac Abrahæ nepos annorum viginti, Osyrim apud Græcos inter Deos relatum,eodemq; tempore floruisse apud Ægyptios aliũ Abrahæ nepotẽ Enoch nomine. Accedunt adhæc quæ recitat Diodorus Siculus de antiquorum gestis. Præterea Lactantius & dii pleriq; antiquitatum scriptores testantur,eo tẽpore quo vixit Osyris,floruisse Mercurium, qui postea vocatus est Trismegistus:Osyris namq; ingenti exercitu orbem peragrans,ut homines ab agresti rudiq; vita ad cultiorẽ nitidioremq; reduceret,Ægypti regno rerumq; omnium cura Isidi uxori relicto, adjunxit ei Mercurium,cujus consilio in rebus agendis uteretur,quandoquidẽ prudentia ac sanctitate cæteros mortales antecelleret. Hunc ferunt interemisse Argum, Ægyptiis leges & literas dedisse,verba in ordinẽ redegisse,multisq; indidisse reb. nomina,isq; apud Ægyptios primus astrorum observator, syderum cursus certis numeris descripsit,primusq; numerorum rationem vocumq; harmonias adinvenit. Palestræ quoque ad exercendas corporis vires,Medicinæ insuper ac lyræ repertorẽ ferunt,atq; oleæ plantam, non, quod Græci fabulantur, à Minerva,sed ab eo repertam. Ipse etiam Græcis interpretandi scientiam cõtulit,ac primus inter philosophos à physicis ac mathematibus disciplinis ad divinorum contemplationem conscendit. Primus qui omnem sapientiæ semitam perscrutatus oratione licet modica,immensa tamen sententijs de vera sapientia scripsit. Primus omnium de majestate Dei, de ordine spirituũ, de animarum naturis sapiẽtissimè disseruit. Primus itaq; theologiæ appellatus est autor & inventor: ferturq; universalia sacrorum complexus,conscripsisse viginti sex milia,quingenta & viginti quinq; librorum volumina,in quib. admiranda arcana, secretissimaq; mysteria ac stupenda pandit oracula: non enim ut Philosophus duntaxat locutus est, verum etiam ut propheta multa præsagivit. Nam priscæ religionis ruinam, novæ fidei ortum,Christi adventum,futurum judicium, mortuorum resurrectionem, renovationem seculi, beatorum gloriam, peccatorum tormenta prævidit atq; prædixit. Qua de causa ambigit Augustinus,peritiane syderum,an revelatione spirituum illa

illa cognoverit: Lactantius ipsum inter Sibyllas ac prophetas connumerare non dubitat. Hic itaque Mercurius noster, ut acumine intelligentiæ philosophos omnes excesit, ita sacerdos perinde constitutus sanctimonia vitæ,divinorumque cultu universis sacerdotibus præstitit: Vnde in tanta hominum veneratione habitus est, ut post Osyridem ab Ægyptiis rex appellaretur. Mos enim illis erat, quod & Plato recitat, ex philosophorum numero sacerdotes, ex sacerdotum cœtu regem sibi deligere. Regiam itaque dignitatem adeptus Mercurius, constitutione legum, administratione regni ac gestorum magnitudine, cæterorum regum gloriam obscuravit, unde meritò Trismegistus, hoc est, ter maximus nuncupatus est, quoniam maximus & sapientissimus philosophus,maximus ac religiosissimus sacerdos, maximus ac gloriosissimus rex extiterit, quapropter pro suæ virtutis admiratione divinos honores populus illi consecravit. Tunc pro Deo habitus in cœlos relatus,planetarum imus, præ cæteris ingenii ac scientiarum largitor,illius nomine insignitus,templa numinis sui erecta quãplurima. Nomen ejus proprium ob reverentiam quandam vulgo ac temere affari vetitum. Primus anni mensis penes Ægyptios suo nomini dedicatus. Oppidum quoque ab eo conditum extat, quod in hunc usque diem Hermipolis, hoc est Mercurii civitas, appellatur. Narrat etiam de ipso Chalcidius, moribundum illum astantes his verbis allocutum. Hactenus filii pulsus à patria vixi peregrinus & exul, nũc verò incolumis patriam repeto. Cumque post paululum temporis solutis corporis vinculis à vobis discesserо,nequaquam me tanquã mortuum lugeatis, nam ad illam optimam beatamque civitatem regredior,ad quam universi cives per mortis corruptionẽ venturi sunt. Ibi namq; Deus solus est,summus princeps, qui cives suos replet suavitate mirifica. Sed de autore hæc hactenus. De opere illius modo dicamus. Ejus titulus est Pimander, sive de Sapientia & potestate dei. Est autem liber iste elegantia sermonis refertissimus, copia sententiarum gravissimus, plenus gratiæ & decoris, plenus sapientiæ & mysteriorum. Continet enim in se vetustissimæ theologiæ profundissima mysteria, ac utriusque philosophiæ latentia arcana, quæ omnia non tam continet quàm explicat: Docet enim nos,Quis deus, Quis mundus,Quid mens,Quid uterq; dæmon, Quid anima, Quis providentiæ ordo, Quæ & unde fati necessitas, Quæ naturæ lex, Quod hominum phas, Quæ religio, Quæ sacra instituta,ritus, phana, observationes sacraque mysteria. instruit nos

HAVRA DIGITAL COPY

nos præterea de cognitione sui ipsius, de ascensu intellectus, de arcanis precibus, de divino connubio, deque regenerationis sacramento, atque ut paucis cuncta complectar, docet nos ritè scire atque callere leges divinorum, phas sacrorum, jusque religionum, & quo pacto fœlicitatem religione divina debeamus adipisci, quoque pacto mentem nostram, qua sola veritatem apprehendere possumus, ritè debeamus excolere. Ea enim est magorum sapientumque vulgata sententia, Quòd nisi mēs atque animus benè valuerint, corpus ipsum bene valere non posse: tunc autem hominem verè sanum esse, quando anima & corpus ita copulantur & inter se conveniunt, ut firmitas mentis corporis viribus non sit inferior. Firmam autem robustamque mentem, per quam sine fallacia mirabilia & cognoscimus & operamur, quo modo possimus adipisci, ipse nos Mercurii Pimander edocet. Quæ omnia vobis, ut autoris verba id expostulant, partim theologice, partim philosophice, partim dialectico rhetoricoque more enucleabimus, enumerantes scripturas, autoritates, sententias, opiniones, exempla & experientias ad rem ipsam pertinentes: Sacrorum denique canonum civiliumq; legum sanctiones dum dabitur occasio, haud impertinenter adducentes. Ignoscat mihi utriusque philosophiæ ac medicinarum facultas, ignoscat mihi sacræ theologiæ schola, ignoscat mihi veneranda canonum sanctio, legumque reverenda majestas, si quædam aliquando suorum dogmatum paradoxa interpretari discernereque conabor. Nam etsi scio harum rerum in hoc gymnasio in immensum me excellentiores doctores ordinariosque lectores haberi, nullam illis facturum me arbitror injuriam, sed operam illis accommodaturum, si cum illis hujusmodi doctrinarum fructus in alios diviserò: Multa siquidem illorum & scio & intelligo, & memini, polliceorque vobis effecturum me totis viribus, ut nihil sit in suscepta materia tum difficile, tam intricatum, tam obscurum, tamque arduum cuicunque facultati aut scientiæ ea traditio consonet, quòd me interprete non assequamini omnes, intelligentia, favente nobis ipso ter maximi Mercurii Pimandro, mente divinæ potentiæ domino videlicet nostro Iesu Christo Nazareno crucifixo, qui verus Pimander, qui magni consilii angelus, vero mentis lumine illustrat: quem verum deum & verum hominem, regenerationis autorem confitemur, futurique patrem seculi judicem expectamus. Vos igitur illustrissimi candidissimique viri, vos qui virtutem colitis, vos ad mea tantum dicta aures adhibete, animosque intendite ve-

dite vestros. Contrà, qui sanctas leges contemnitis, hinc vos effugite, & procul hinc miseri, procul ite prophani. Vos autem qui divina amatis, quique rerum arcanarum estis percupidi, & circa abditioris philosophiæ symbola, ac mirbilium dei operum reconditas vires, plenissimasque mysteriorum antiqui seculi traditiones curiosi estis exploratores, vos inquam adeste fœliciter, divinaque Pymandri mysteria attento animo audite. Conabor quippe vobis cum Trismegisto scientiæ decorem enunciare, ostendamque vobis quæ ratio sit consequendi intelligentiæ lumen, sapientiæq; sermones auribus vestris infundam, quod dum abs me agitur, vos quæso attenti sitis, atque sicut auribus ita & animis verba nostra excipite, nostrosq; labores silentio, animadvertentia, diligentia ac constantia vestra remunerate.

Protestatio.

VErum quia circa divina sæpe solet humana decipi consideratio, & nos quidem non dii sed homines sumus, nec humani quicquam nobis abesse putamus, nullo pacto vos latere volo, palamque coram te illustrissime Ioannes Gonzaga coram vobis venerabilibus ac deo amabilibus cum scholasticis tum ecclesiasticis patribus, coram omnibus vobis clarissimis auditoribus coram serpentibus terræ, volatilibus cœli, piscibus maris & universis pecoribus campi, coram cœlo terraque protestor, quod quæcunque abs me vspiam dicta scriptáve sunt, atque in posterum dicentur scribenturque, His nolo quenquam plus assentiri, quod & ego ipse facio, quàm ab ecclesia catholica fideliumque choro, ac sacro episcoporum collegio, ejusque capite summo Pontifice comprobatur: quibus omnia dicta mea & dicenda scripta ac scribenda subijcio, & omnibus ejus negotii censendi & judicandi potestatem habentibus, paratissimus semper ab illis & à quovis melius sentiente, fraterna Christianaque charitate erudiri & corrigi, & stare cujuslibet melius sentientis & intelligentis sententiæ. Quæ quemadmodum vobis nunc dico, ita in omnibus lectionibus meis ac lectionum partibus, lecturis, dictis, scriptis, dicendis ac scribendis quibusque meis, repetita esse volo, atque ea sic coram deo & omni creatura protestor.

Censura.

RElíquum adhuc supereſt unum, quod silentio prætere-

dum minime censeo. Idq; diligenter quæso advertite. Tria potissimum in usu sunt penes scholasticos disserendi genera: Vnum à Stoicis ac Peripateticis plurimum exercitatum; qui videlicet proposita re vel quæstione aliqua, alteram aut certam ejus partem disputando defendunt atque adprobant, reliquas circa hanc opiones confutantes: Alterum apud Academicos ac Socraticos usitatum, qui in medium adducta re aliqua vel quæstione, diversos ad id quod investigatur sententias rationesque adferentes, illisq; pluribus præpositis & ad rem ipsam invicem collatis, quod ex his verisimilius probabiliusque visum fuerit, id eligunt atque adfirmant: Hos utrosque modos in lectionibus nostris observare intendimus. Tertium verò disserendi genus Scepticorum est, quos penes nihil certum est quod sequantur, sed omnia illis indifferentia sunt, ideoque de omnibus in utranque partem disputant, & quæ naturæ ordine disiuncta distinctaque sunt, permiscent atque confundunt, & perinde ac gigantes montibus montes accumulantes, bellum contra deos gerere videntur, dum aliquot instructi syllogismis, homines rixosi ac meretriculis loquatiores, incunctanter audent quavis de re cum quovis linguam conferre: litigiosis enim quibusdam altercationum capitunculis ac sophismatum jaculis armati, omnium disciplinarum etiam sacrarum literarum fores se posse diffringere & penetrare arbitrantur: atque hi à quibusque consummatis philosophis ac theologis aspernantur respuunturque. Horum scientiam Iacobus apostolus appellat terrenam, animalem, diabolicâm: Paulus segregatus gentium doctor in suis ad Titum & Timotheum epistolis, stultam, vanam inutilem & contentiosam vocat. Super quo scribens Hieronymus: Dialectici, inquit, solent argumentationibus retia obtendere & vagam rethoricæ libertatem in syllogismorum spineta concludere, in ea totos dies ac noctes conterentes, ut vel interrogent vel respondeant, vel dent propositionem vel accipiant, assumant confirment atque concludant, quos quidem contentiosos vocat Apostolus. Hæc Hieronymus. Sed & multa contra eos loquuntur Gregorius Gizianzenus in libro secundo de Theologia, & Vrbanus Papa scribens Antiochenis, & beatus Athanasius in epistola quæ Enclion dicitur ad Aegypti & Libyæ episcopos, Divus item Ambrosius in libro de Trinitate, & multi alii sancti patres, quorum verba brevitatis causa adducere obmitto. Ex quorum dictis Gratianus decretista XXX. d. Nónne eligimus. Et XXIV. quæst.

quæst. II. cap. Transferunt, contra hos argumentatores constituit. Sed & leges civiles Codi. de summa Trinit. lege III. frenum illis injiciunt. Qui madmodum itaque argumentatores isti à quibusque ipsi ndidissimis philosophis sanctissimis theologis ac celeberrimis utriusque juris periris repelluntur, sic etiam illos à nostris lectionibus quam longè abesse volumus: nullius equidem vel argumenta vel quæstiones in cathedra recipere intendimus. Verùm ne doctorum virorum judicium vereri videar, neque etiam discipulorum meorum ingenio contra id quod pollicitus sum, non velle satisfacere videar, atque ne quis æstimet nos responsionis penuria declinare certamen, ideirco cuicunque vel circa autoris verba, vel circa testimonia per nos adducta vel aliter recitata seu exposita, quippiam exigere vel cõtradicere libuerit, huic in fine lectionis verbo vel scripto id agere licebit, cui ad singula verba & sententias in subsequenti lectione abunde respondentes satisfaciemus. Quòd si incommodum id erit, scripta scriptis referemus. Fecerunt sic veteres theologi, ex Græcis Origenes, Basilius, Athanasius, Cyrillus, Didymus, Eusebius, Chrysostomus, Nazianzenus: ex Latinis Tertullinus, Ruffinus, Hieronymus, Augustinus & illorum plures aliis: qui quidem sancti viri nihil magis odere unquam quàm verbosam illam contentionem, in qua plus stomacho quàm ratione certatur, plus ad vanam linguæ ac memoriæ gloriam, quàm ad pervestigandam veritatem: neq; verè aliud moriuntur disceptatores isti, quàm ut Pharisaica hypocrisi circumveniant hominem, donec capiant in verbo. Quòd si quis ante istos verbo non labatur, hunc juxta sententiam Iacobi apostoli, oportebit esse perfectissimum.

Gratiarum Actio.

CÆterum non existimâram me in tanta præstantissimorum virorum illustri corona hodie verba facturum, qui tanquam rutilantia cœli sydera cœlestiumque divina numinam ente, lumine, motu, terrenos quosque actus moderantia atque agentia, studium nostrum tam exhilarârunt, sibique usque adeo devinxêre, ut quo debueram eloquiõ gratias agere minime queam. Quapropter etiam numinum instar tu illustrissime Ioannes Gonzaga invicte militum dux. Vosque celeberrimi viri me in armis militem, in literis nunc doctorem, vobisque devotum addictumque pectus meum

benigno animo suscipite. Vos insuper candidissimi auditores, opera non secus ac lingua vobis me cum dabitur, satisfacturum ducite.

Oratio, pro quodam Doctorando.

MAgna mihi Gratia est colendissimi Patres ornatissimiq; viri, nec jucundior nec clarior ulla sors hodie mihi obtingere potuit, quàm ut hac solenni cathedra donatus orationem dicturus sim, maximè apud vos gravissimos doctissimosque viros, coram quorum doctrina, nihil obscurum dici, nihilque non recte intelligi potest, ita ut ego nec falsum aliquid vobis prædicare possim, nec vera justaque mihi obesse debeant. Nunc igitur de qua re & qua de causa de eadã ad præsens differere sit animus, paucis accipite: De justitia & jure illorum contrariis, de utrorunq; administratione, meritis simul & de meritis dicem⁹, ut in qua facultate coronam hodie accipio, quod ego meminero receptæ à doctoribus meis bonæ disciplinæ, quæ insuper illius docendi exercendiq; sit mihi voluntas, quæ præmiorum spes, palàm dignoscatis. Primum itaque quid sit justitia, definiamus, cuncta enim per definitionem (ut dialectico more loquar) apertiora sunt & magis elucescunt. Neque vos me pro incurioso habeatis, si divisionem nullam proposuero, de justitia absoluta & abstracta, fori & conscientiæ, politica & naturali, & si qua reliqua membra sint. Sed justitia prout est actus justi judicis determinatus, ad ipsum justum dici putetis. Quæ ab Vlpiano jurisconsulto, deinceps ab imperatore Iusti. de Iust. & Iur. l. definitur, esse constans & perpetua voluntas jus suum unicuique tribuens. Quam definitionem frater Astensis ita convertit, dicens: Iustitia est habitus secundum quem aliquis constanti & perpetua voluntate jus suum unicuique tribuit. Accipitur autem in hac definitione voluntas pro actu generali, non pro potentia: solent enim habitus definiri per actus, non per potentiam. Ius vero accipitur pro re justa, quam ita vel princeps vel judex vel populus vel consuetudo vel lex vel natura vel religio vel necessitas jusserit. Vltima autem hujus definitionis particula designat actum justitiæ per comparationem ad propriam materiam & objectum: Objectum autem justitiæ jus est, unde secundum Isidorum justitia dicitur, quasi juris status, & habetur de verbor. signifi. actus justitiæ judicium executor. Iudex in quantum talis, hoc est, secundum Isidorum in quantum jus dicens.

dicens. Vnde judex male judicans errore vel dolo, in eo quod male judicat, non est judex, cum non sit in eo justitia. 23. q. 2. ca. 1. Neminem erga imperium vel improbum decet esse judicem, nam ille per ignaviam ignorat, quam profitetur justitiam: hic per odium & cupiditatem corrumpit ipsam pro qua judicaturus est veritatem. Iustitiæ enim propria sunt & inseparabiliter cohærent, ut variis rerum gradibus atque formis, varias pro modo suo vires, motiones, actionesque distribuat, his quoque pro dignitate varias dotes, varios exitus atque terminos, atque ut in suis gradibus officiisq; quæque secura permaneant, ne aliis alia confundantur, singula suum exequantur munus statumque suum, & id quod suum est, & quod sibi convenit, teneant & exequantur, nec usurpent sibi quod à se alienum est, & proprium aliorum: Hæc igitur est, nulla imperitia, nulla iniquitate violata justitia, per quam ædificata est respub. & constituti sunt reges & judices, cujus sententia est in lege & judicio, in quibus rex præcipit & regit subditos, quos subijcit justitia, in qua sola est salus regis & subditorum. Hæc ubi regnat justitia, omnia felicitate gaudent, omnia terminantur in bonum. Vbi justitia, ibi nullæ contumeliæ, nullæ factiones, nulla dissensio, nulla prælia, nullæ insidiæ, nulla pericula, sed omnis modestia, concordia, perpetuaque pax & omne bonum. Ipsa est gloria regis, pax populi, tutamen patriæ, libertas plebis, disciplina subditorum, sine qua neq; domus, neque civitas, neq; exercitus, neq; commercium ullum consistere potest, adeo ubiq; necessaria, ut hac sublata, ne mundus quidem subsisteret: non infernus: non paradisus illa carere potest, quamvis illic omnes aliæ virtutes absint, hîc ob vitæ beatitudinem, non amplius necessariæ. Tanta est ejus potentia, tanta sublimitas, tanta gloria. Vbi ipsa adest, nihil abesse potest: ubi verò deficit, nullæ virtutes constare possunt. Nam prudentiæ si desit justitia, transit in versutiam, fortitudo sine ipsa labitur in pertinaciam, temperantia convertitur in desidiam, amor in turpem voluptatem, benevolentia in adulationem, respub. in tyrannidem, religio, in superstitionem, nec ulla virtutum in suo esse subsistere potest incorrupta. Hæc sola si desit justitia, quæ unica & sola contra omne vitiorum genus pugnans, potens est comparare hominem deo, & facere deo compotentem, ut ejus potestas à nemine possit superari, cujus justitia à nullo possit corrumpi, ergo metum omnem abijcit justus, integer vitæ scelerumque purus, non egens Mauri jaculis nec arcu, nec venenatis

HARVARD LIBRARY OF LAW

gravida sagittis pharetra. Cujus rei Aristides & Fabritius documento sunt quàm insuperabilis sit justitia, cum illi non auro, non summis victo, iis à justitiæ gradu depelli potuerint: quibus è contrario locari sunt, qui seipsos etiam magnis devictis imperiis arguentes, cupiditatibus resistere non potuerunt. Cum alius auro victus sit, qualis Pygmaleon & Anthenor: alius affinem acciderit, alius patriam parentemque perdiderit cupiditate, alius ira impulsus justitiam dereliquerit, amicitiam fidemq; corruperit, alius imperii cupiditate ductus impotentiam animi justitiam abjecerit, ut Romæ Sylla & Marius, & Curio: apud Hebræos Ieroboam & Mambres: alius libidine pressus, à justitia decidit, ut Romæ Appius Claudius, apud Hebræos etiam ipse sanctus David. Et ut ad superiora redeam, vere dicere possumus cum Hieronymo ad Demetriadem, quoniam omnium virtutum species, uno justitiæ nomine continentur. Vnde Ambrosius in Hexameron ait, Vbi prudentia, ibi malitia: ubi fortitudo, ibi & iracundia: ubi temperantia, ibi impatientia, plerunque autem alia vitia: ubi autem justitia, ibi concordia est cæterarum virtutum, non enim per se pars est, sed mater est omnium. Hæc itaque justitia ut est virtutum omnium domina, ita & nostra juris facultas omnium aliarum facultatum judex est atque regina: quod ita esse multis argumentis ostenderem, nisi jam ab antiquo vobis id non solum sufficienter persuasum, sed & rationabili demonstratione reique veritate ipsaque experientia scirem esse notissimum. Hoc igitur omisso, ad injustitiam veniamus, quæ justitiæ est opposita, in qua declaranda non est opus sermonem latius diffundere, cum ex supra dictis ea in oppositum sensum convertendo satis cognosci possit. Nam cognito uno contrariorum cognoscitur & reliquum, ut dicit lex. Institu. de his qui sui vel ali. jur. sunt. parag. Videamus & ff. de Accus. & inscrip. l. Qui accusare. quibus consonat verbum illud Aristot. illud Aristot. in libro de Cœlo & mundo prolatum, Quòd opposita juxta se posita magis elucescunt. Est itaque injustitia, ut describit eam Arist. lib. 1. Rhetoricorum, per quam aliena contra leges retinentur. Et quoniam unum quodq; vitium tanto gravius est, quanto magis repugnat virtuti oppositæ, ideo duplicem denotant doctores injustitiam: unam, quam vocant illegalem quæ opponitur justitiæ legali, quam politicam nominamus, & hæc quantum ad intentionem & actionem propter contemptum boni communis, est vitium generale, & secundum essentiam & objectū, scilicet

licet in quantum respicit objectum speciale, ipsa est vitium speciale. Aliam dicunt injustitiam secundum modum inæqualitatis ad alterum, & est vitium speciale utroq; modo oppositæ justitiæ particulari, inferens nocumentum alteri, de se repugnans charitati, & utraq; hæc injustitia est peccatum mortale, & maxime in eo qui scienter facit iniustitiam. Si quis verò per ignorantiam dictaverit injustam sententiam, hæc ignorantia neminem excusat, quoniam potuerit habere copiam jurisperitorum ff. de Iur. & fac. ig. l. regula. vel si sua scientia, studio & labore faciliter scire potuit rectum judicium, C. de Ing. manu. l. 3. ff. quis or. in bono poss. ser. in bonorum. l. ii. Vnde juxta Vlpianum, Qui iniquam vel injustam sententiam dixerit, injuriam facit parti læsæ. Omne enim quod non fit jure, injuria est, 141 quæst. cap. quid dicam. Sed de justitia & jure eorumq; contrariis hæc hactenus. Modo judices ipsos describamus. Oportet iustum quenque judicem, quod ipse aliis præcipit semet observare, nequando alium iudicans, in se ferat sententiam 3. quæst 7. Iudicet. Deinde ut causæ veritatem plene investiget, iurisque ordinem non pervertat, ac secundum autentica statua iudicet, non sit acceptor personarum. sed pauperem audiat sicut divitem, peregrinum ut indigenam, parvum ut magnum, iuxta verbum domini Deut. 1. non declinet favore vel clamore multorum, sicut præcipitur Exod. 23. Ne sequaris turbam ad faciendum malum, neque in iudicio plurimorum acquiesces sententiæ, ut à verò devies. Nullas preces inter iudicium alterius partis admittat, nec alicui plus debito compatiatur, nec propter timorem alicuis à rectitudine iudici deviet. Vnde dicitur Exod. 23. Pauperi non compatiaris in iudicio & Ecclesiastici 7. Noli quærere fieri iudex, nisi valeas virtute irrumpere iniquitates, ne forte extimescas faciem potentis. Oportet enim iudicem sic directum & roboratum esse, ut minis illecebrisq; contemptis, non aliter agat quàm deus, natura civilitasque dictaverint. Legem ipsum tanquam deum ante oculos habeat. Se verò non legis dominum, sed fidum interpretem diligentemq; ministrum existimet. Hæc qui observat, hic iustus iudex: qui iustus iudex esse velit, hæc illum servare necesse est. Hinc Sapien. 5. dicitur iusto iudici: Induet pro thorace iustitiam, & accipiet pro galea rectum iudicium, sumet scutum inexpugnabile æquitatem, acuet iram suam in lanceam, & pugnabit cum illo orbis terrarum contra insensatos. Hinc iusti iudices inter reliquos dignitatis suæ ti-

tulos clarissimi appellantur, & à contrario judices iniqui dicuntur turpissimi ff. de fena. l. fœminæ. & Spe. de Iur. omni judi. s 1. versi Maximi sunt. Sunt autem iniqui judices, qui (ut ait Lotetius quondam Cardinalis, postea dictus Innocentiua, in opusculo de miseria hominis) non attendunt merita causarum, sed merita personarum: non jura, sed munera: non justitiam sed pecuniam: non quod ratio dictat, sed quod voluptas affectat: non quod lex sentit, sed quod animus capit: non inclinantes mentem ad justitiam, sed justitiam ad suum commodum & ad suam mentem declinantes. Pauperum causam cum mora negligunt, divitum causas cum instantia promovent, in illis rigorem extendunt, in istis cum mansuetudine dispensant. Hæc ille. Quod si intrat in conventum ipsorum vir annulum gerens aureum cum veste cãdida, introierit & pauper in sordido habitu, intendunt in eum qui indutus est veste præclara, & dicunt ei, Tu sede hic, pauperi vero dicunt, Tu sta hic, aut sede sub scabello pedum nostrorum, mortificantes animas quæ non moriuntur, vivificantes animas quæ non vivunt, ut legitur xi. q. 3. Plerunque Et sunt verba Zachariæ prophetæ, quæ exponens Gregorius ait in homilia 26. Non morientem mortificat, qui justum condemnat: & victurum vivificat, qui reum à supplicio solvit. Vterque eorum inquit Salomon proverb. decimoseptimo & qui justificat impium, & qui condemnat justum, abominabilis est apud deum, imò & apud proximum & populum. Vnde Proverb. 24. legitur, Qui dicunt impio justus es, maledicent ei populi, & detestabuntur cum tribus. Redditur itaque iniquus judex omnibus, primum deo, cujus præsentiam præceptumque contemnit. Omnis enim judex ut legitur Paralip. 2. 19. non hominis exercet judicium, sed Dei: & quodcunque judicaverit, in eum redundabit. Offendit etiam remp. cujus maxime interest, ut recte judicent filii hominum, & quieta sit provincia regum, ut in Cap. ut fame. de senten. excom. Et lege, vulneratus. ad L. Aquil. ff. & lib. congruit de Offic. præ. Offendit & proximum, cui infert injuriam, ut de cri. sal. c. ij. Et ita propter enormitatem offensæ unico delicto pluribus tenetur. L. 1. ff. de Iniur. Et cap. Cum desideres parag. fin. de sen. excõi. Et ca. Parochiam. eod. titulo. Tenetur enim parti quam læsit, non solum in re quam perdidit per litis sententiam, sed etiam ad omnia damna passa & litis discrimina, prout dicitur L. I. de pœn. ind. mal. Ind. & in jure autenticorum condemnatur in triplum, si civilis sit, si

sit, si trivialis, punitur in confiscatione propriæ substantiæ, & in exilium mittitur, ut in authent. ut legitur in exord. lib. 3. parag. si quis autem. & L. diversorum ff. de variis & extraord. cog. l. u. tenetur læso in quantum bonum & æquum videtur religioni indicantis: tenetur & crimine falsi, quia fallarius est & falsitatem commisit, & pœnam deportationis & perpetui exilii & ultimi supplicii meretur. ff. ad l. Cor de fal. l. 1. parag. qui judicem. & §. ultim. Insuper infamis est, C. de pœn. indi. mal. jud. L. ij. Et crudelis in jure dicitur xi. q. 1. nolo. Hæc in foro civili, quamvis multa pretereo. De foro Canonico quæ pœnæ statuuntur, nemo vestrum ignorat, qui legeritis terribilem illam & metuendam decretalem per Nicolaum quartũ Christi vicarium, in concilio Lugdunensi editam, recitatam libr. 6. Decretalium, titulo de re judic. Cum æterni tribunal judicis ante quod omnes stabimus. Item ubi iniquus judex in sententia maledictionum per annum suspenditur ab officio, hoc est, secundum Ioannem Andreæ in Novella, quod tanto tempore careat officio judicandi: & si sacerdos est, divina non celebret, & alias horas canonicas in ecclesia solenniter non inofficiet. Si sit diaconus, evangelium non pronunciet, Si subdiaconus, epistolam legere non præsumat: ac insuper propter execrabilem criminis sui enormitatem omnes aliæ pœnæ alicubi per canones & leges pronunciatæ & pronunciandæ in eundem locum habeant. Denique nisi pœnituerint, & omnibus offensis satisfecerint apud illum judicem, ubi vix justus salvabitur, qui malè judicata & judicabit, & restituet justitiam injuriam passis in die iræ & maledictionis, die calamitatis & miserię, die retributionis & justitiæ, certè delebuntur de libro viventium & cum justis non scribentur. Væ, hoc est, damnatio æterna erit illis qui condiderunt leges iniquas, & scribentes injustitiam scripserunt, justificârunt impium pro muneribus, & justitiam justi abstulerunt ab eo, & percusserunt animam innocentis. Nunc ergo ut me quàm brevissimè recolligam, Sciant se omnes qui justitiæ præsunt, & qui se pontificii juris legumque interpretes ac doctores appellari volunt, teneri & obligatos esse ex professione nominis sui & dignitatis suæ, prius servare legem quàm præcipere, prius docere populum verbo & exemplo legis canones regulasq; vivendi, quàm incautos tam graviter punire: necesse est enim, ut qui legem servare debeant, legem ipsam prius cognoscant, alioquin jus ipsum summa esset injuria, & lex ipsa nihil aliud quàm subdolum rete iniquitatis. Tenetur insuper prius ostendere gratiam & misericor-

diam legis,quàm violentiam & pœnam. Puniant deinde non imprudentes sed malevolos, doleantque causam esse puniendi,punitos deinde revocent ad honestam emendationem. hoc est opus proborum Iurisconsultorum: qui secus agunt,sciant se erga deum & justitiam ipsam de dignitate & professione male meritos esse. Nos igitur omnes unanimes, quicunque hanc sublimem & sacrosanctam juris facultatem tanta autoritate profitemur, induamus pro thorace justitiam, & accipiamus pro galea rectum judicium: sumamus scutum inexpugnabile veritatem, acuamus iram in lanceam, & sic pugnabit nobiscum orbis terrarum contra errores iniquorum,& insensatos.

Oratio ad Metensium dominos, dum in illorum advocatum,syndicum & oratorem acceptaretur.

SI voluntatem erga vos meam, Amplissimi Patres domini mei metuendi, pari eloquio dicendique elegantia adimplere possem, deberem jam hanc tam insignem Rempublicam nostram, vestrasque in hac eadem administranda egregias laudes non minus ornatissimo atque longo sermone extollere, vestræque clementiæ condignas gratias agere,qui me ad hoc præsens advocati & oratoris vestri munus nullis meis meritis præcedentibus,tanto dispendio & longanimi expectatione evocare dignati estis. Sed ut laudare vos non mihi modo, sed omnibus ferè perquam facile est, ita condignas vobis gratias remetiri apud me præsertim difficilimum est. Nulli enim nisi penitus elingui, in tanta virtutum vestrarum ubertate celebranda,quarum copia atque splendor,verborum abundantiam facilè accumulat dicenti,deesse posset oratio. Ego tamen in hoc mihi ad præsens & consultò temperare constitui, ne quis me vestræ cellitudini arbitretur,vestram gratiam adulationis assentatiuncula velle aucupari credat. Neque etiã vos estis tales, qui laudes vestras verbis prædicatas audiri plusquã operibus præstitas palam ab omnibus cerni cupiatis. Sufficit vobis constantissima fama vestra, qua ob tam invictam justitiam,tam infatigabilem prudentiam, tam castissimam clemẽtiam, tam innocentem temperantiam, tam religiosam fidem, præ cæterarum civitatum Reipublicæque rectoribus, per cæteras civitates, regna & nationes, magni & clari estis, ut nulla uspiam sit Respublica, quæ hanc vestram iis virtutibus præcellat,vix æquare possit, idque adeò notum est,ut probatione non

non egeat, mihique id citra adulationis suspicionem liceat testari. Optoque apud omnipotentem Deum, ut hanc ipsam Rempublicam vestram perpetuò secundet, felicem fortunatamque faciat,eximiasque vestras laudes virtutis fortunæ, rerum gestarum gerendarumque in perpetuam memoriam illæsas conservet & augmentet, ut omnia vobis ad ornamentũ, incrementum,dignitatem & amplitudinem Reipub.ac nominis vestri prospero glorioso{que} eventu succedant, mihique apud vestram clementiam, tam optimam opinionem dignitatemque adepto,id quoque detur, per quod vestræ de me existimationi aliquando condigna gratiarum repensa satisfaciã. Hoc autem eò mihi difficilimum est, quò scio me vobis plus debere quàm possim persolvere. Nec ignoro quanta sit Advocati & Oratoris provincia,in qua exemplo Demosthene,Ciceronе, Hortensio, excellentissima ingenia sæpissimè succumbunt. Mihi autem ingenium per quàm mediocre,prout homo sum,paucioris experientiæ ac literaturæ minoris, nec inficior, etiam eloquentia tenuissima. Neque enim is sum, cujus vox tanta suavitate delectet, cujus verba tanto ornatu splendeant, cujus sententiæ tanta gravitate vincant, cujus oratio tanta vi persuadeat, ac si Cicero vel Demosthenes aliquis essem, sed mediocritas quædam est mihi loquendi duntaxat, non eloquendi,& in rerum veritate enunciandi, non in proloquendo phaleratis verbis fucatas sententias.Nec vos in hoc me improbabitis,qui vera libenter auditis,scelusque esset tanquam læsæ majestatis, coram vobis incerta fucataque dicere,nedum falsa. Integritatis meæ testis est mihi præsentia mea: si alia probitatis meæ indicia quæritis, possim fidei causa ostendere ea quæ nota sunt,patriam non obscuram, progeniem non ignobilem,familiam non pudendam, domum non sordidam, mores inculpatos, vitam sine crimine, famam apud probatissimos viros sine macula, non indignus aliquando habitus, cui à summo pontifice, ab Imperatore, à multis prælatis ac regulis fides & gratiæ haberentur, quem filium & amicum vocarent, quorum mensa convivis assiderem, quorum familiaribus epistolis ac publicis literis sum veneratus, quos virtutis meæ testes usque mecum adservo, longè mihi gratiores quàm pecunias, quarum ego nunquam cupidus fui, nec ubi adsunt unquam avarus. Verum postquam uxorem duxi, à publicis negotiis principumque aula sortem meam familiaritate, ut quæ longè plus ambitionis habeat atque periculi quam tranquillitatis, abstinere proposui, & propri-

pria deinceps industria vixi, meisque me angustiis continui sorte mea contentus, variasque fortunæ ambages infracto animo pertuli, nulli onerosus. Postquam autem vestra Celsitudo jam pluribus literis, missō insuper ad me vestro Secretario, me in Oratorem suum postulasset, ipseque dominus præceptor Rivi-eversi, atque illius frater germanus præceptor Metensis unā cum magnifico barone & genitore suo, quibus plurimum debeo, idipsum à me multis precibus contenderent, nephas arbitratus sum tantorum virorum ac de me optimè meritorum preces rejicere, vestramque gratiam contemnere. Itaque spretis omnibus aliis commoditatibus ac magnificis titulis, quorum plures tunc apud Allobroges mihi proponebantur, vobis me firma deliberatione dedicavi, confidens me taliter effecturum, ut hæc de me tam optima opinio vestra nō omninò frustretur. Sed ne diutius huic sermoni insistens vobis molestus sim, ac majorum negotiorum consultandorum tempus præoccupem, non aliud agendum restat reliquum, nisi ut ego qua maximè possim veneratione, devotione, religione, pollicear demque fidem, me nusquam vobis nulla in re, consilio, fide, taciturnitate, & reliquis muneris hujus debitis ac oneribus quacunque fors ceciderit, defuturum. Faciam ergo nunc quod me decet, vos accipite quod vobis debetur. En habetis me quem jamdudum optastis. Titulum Advocati & Oratoris vestri amplector. Recognosco vos dominos meos certos & indubitatos, vobisque omnem reverentiam, obedientiam ac fidem exhibeo, qualem Orator, & ad consilia Reipublicæ vestræ admissus, jure & consuetudine præstare tenetur, & quicquid vestræ Reipubl. causa efficere præceperitis, quàm studiosissimè prosequar, experiar, enitar, faciam, perficiam, neque fidei, neque industriæ, neq; diligentiæ nunquam defuturus. En facultas, persona, animus, omnia in vestra potestate sunt. Hæc dixi vobis brevius, quō vestra prudentia ex paucis multa percipere solet, nobisque veniam dari postulamus, si non vestram celsitudinem condecentem, sed secundum vires nostras temporisque indigentiam extemporaneam orationem diximus.

Oratio, ad Senatum Lucenburgiorum pro Dominis suis Metensibus habita.

CElsitudinem vestram, clarissimi Senatores, tot repetitis turbare commonstrationibus testamur superos & Deum ipsum, non minus quàm id eandem vestram nauseat celsitudinem,

em, & meos dominos tædere. Sed haud utrobique par est, um vestræ sublimitatis autoritas id solo jussu potest, quod os citra tamen juris ambiguum dubii expectamus. Non uod justitiam æquitatémve formidemus, non quod vestræ ntentiæ unius aut alterius utriusve exitum timeamus, sed onstantiam formidamus eorum; quibuscum nobis negoum est, publicanorum, hoc est, redemptorum vectigalium strorum, à quibus cives nostri ut alienigenæ & peregrini omines, tanquam indigenarum vestrorum injuriis obnoxii nt, non modico damno affecti sunt simul & injuria. Causa pendet coram judicio vestro, magno nostrorum cum inmmodo tum impensa. Pendet ab anno ultra in hunc usque em. Interim vobis sæpè à nostris civibus in ea causa supplitum est, articulatum est, scriptum est. Exhortati sunt vos omini mei civitatis Mediomatricum Decuriones plus semel. os feci stis quod in vobis fuit, scripsistis, mandastis, præcepistis is vestris redemptoribus quod æquum fuit. Si decretis vetis obeditum est, laudamus operam: sin minus, quid monti alatur, non satis intelligimus. Constat, quòd redemptores i, neque hoc neque illud auscultant, sed obdormierunt ad tras vestras, non absq; nostrorum & damno & injuria. Quæ s, si audendum est verum fateri, neque modestiæ proborum orum, neque continentiæ publicorum munerum officia entur. Debuisset revera redemptoribus istis pudori fuisse, quidem regii vestri senatus mandatis hactenus non fuerunt temperantes, vel sic se ac tales præstitissent, ut tanquam de ficio eorum male meriti, aliquando jure argui non possent. uod si justitiæ prompta largitas claros facit senatores, quæ& mper & omnibus à nobis concessa est, vos eandem nobis oque confidimus concessuros, omnemq; hanc controversiā litem in hac præsenti congregatione vestra, & per vos statuhodierna die, vestra senatoria sententia sopituram. Pro hoc stremo nunc miserunt me domini mei, obtestanturque celtudinem vestram, ut sublatis quibusque iniquis exactionius, semotis quibusque judicii subterfugiis damnosisque dilionibus, judicium civibus nostris, æquitate juris suadente, ltis accelerare. Cæterum nunc quod causæ hujus caput est dico quod ad exactionis vectigalium nostrorum novitatem tinet) hæc res dominis meis hucusque visa est ultra jus & æuum, ultra hactenus & ab antiquo observatam veterem consuetudinem inducta, nec ullo sano consilio senatorioque decreto roborata. Fortassis sunt aliqui ex istis mercenariis redempto-

demptoribus & publicanis, qui excogitatis novis titulis sese Reipub. vestræ probè consulere contendunt: si ejusmodi exactionum rapacitate, à vicinis populis quamplurimum emunxerint, ac tanquam auri spongiæ vicinorum opes exugentes in fiscum vestrum intulerint, quasi omnis Reipub. fœlicitas, in ampliandis vectigalibus contineatur, quorum tamen bona pars in privatam eorum arcam dilabitur. Quòd si horum rationes prævalebunt, si ita mentibus vestris persuasum est, frustra nobis ad orandum hic locus vacaret. Sed dominis meis de celsitudine vestra longè melior opinio est, ut qui sitis cùm æquissimi tùm justissimi animi, quo vestræ Reipublicæ quàm plurimum prodesse, alterius non nocere velitis. tum simul integerrimæ prudentiæ scientiæq; in pectore vestro jura omnia recondita habentes, ipsas de novis vectigalibus non instituendis leges censurasque non ignoretis. Itaque orant vos domini mei, ne patiamini exemplum hujusmodi induci, quo fiet ut exactio generet exactionem, innovatio generet innovationẽ. Quòd si sic futurum est, ut ita metiantur exactiones, quem tandem futurum arbitramini exigendi vel modum vel finem, nisi fortè Deo ipsò repetundarum acturo, aliquando male gesti muneris rationem reddendam? Nollent domini mei juri vestro quicquam derogare, nollent in suo dominio subditos vestros supra veterem morem illa innovata exactione gravare. Vt ergo minimum dubium sit, & nulla controversia, vos idem quoq; erga nostros cives facturos speramus. Quòd si præscripta per vos imperiali potestate auctoritateque Lateranensium concilii id vobis justum videatur, ut liceat vobis vectigalia taliter extendere, sitque vobis talis prærogativa libertas: jam occasionem dederitis dominis meis etiam sua vectigalia extendi, ac victa per vestrorum excessus nostra temperantia, in vestros populos consimilia rependere. Facturi autem id sint nec ne, jam vobis in manu est, vos bono publico consulite occasio dum est. Cæterum dominis meis celsitudini vestræ integerrimo animo deditissimis, semperque vobis bona, prospera gloriosaque ominantibus, de his quod supereſt, litem suam partes declamabunt.

Oratio, in salutatione cuiusdam principis & episcopi pro Metensibus scripta.

ADsum hic præsentes, præstantissime præsul simul atque princeps illustrissime, adiunt inquam ex decurionibus civitatis hujus ad hoc ordinati, ut omnium eorum totiusq; populi

populi ac civitatis nomine salutent excellentiam tuam, congratulentur hoc jucundissimo adventui tuo. Adsum & ego à dominis meis ad hoc muneris deputatus, qui eorum erga excellentiam tuam optimum affectum omni sermonis fuco semoto, veridica oratione exponam, qui certe, ut brevissime dicam, talis est. Salutant te domini mei quàm maxima veneratione, reverentia & honore id eos facere decet, tuæ excellentiæ debetur, tua sublimis dignitas deposcit, ac insatigabiles virtutes tuæ merentur: Congratulantur hoc jucundissimo adventui tuo, ominantes ut te bene secundent superi, semperque in melius provehant, omne nque fortunæ invidiam abs te procul arceant, offeruntque tibi quantum in eis est, omnem benevolentiam, favorem, beneficentiam, & si quid penes eos aliud est, quod excellentiæ tuæ conducere queat. In quorum testimonium donant te munusculo quodam, non tanquam tanta tua sublimitate digno, sed tanquam signo seu monumento eorum erga te benevolentiæ amicitiæque quo testentur tibi integritatem animi sui, significent tibi optimam voluntatem suam, exponant tibi semper promptum paratissimumque obsequium suum, orantque excellentiam tuam id ipsum eo animo abs te gratum & acceptum haberi.

Oratio in salutatione cuiusdam magnifici viri, pro dominis Metensibus scripta.

VEtus mos est civitatis nostræ splendide Vir, & apud magnificos dominos meos eorumque prædecessores, pro eorum optima voluntate laudabili consuetudine observatus, quaique eximii alicujus status personas per eorum civitatem transeuntes, jocunda quadam gratulatione, addito etiam munusculo aliquo, tanquam amicitiæ suæ benevolentiæque pignore, salutare. Quod cùm hodie mihi à dominis meis erga magnificentiam tuam efficere injunctũ est, deberem jam pro illustri natalium tuorum gratia, pro integritate virium tuarum, pro virtutũ tuarũ uberrima copia egregias laudes tuas, si non omnes, saltem aliquas condigno sermonis eloquio cõplecti, tuoq; adventui condigna oratione congratulari. Sed ne sermonis prolixitate tibi jam in itinere defesso, aliisq; arduis negotiis intento molestus sim vel impedimento, tum ne dicendi colore publicæ integritati fideiq; dominorum meorum tanquam adulantium tibi obesse videar, ab hoc consultò mihi temperare constitui, relinquens ea vulgatissimæ ac constan-

stantissimæ famæ tuæ, qua & apud nos & apud cæteras provincias magno probitatis exemplo, magno virtutum gloriæque splendore clarus haberis, longeque plus laudabilis es, quàm id mea etiamsi elaboratissima sit oratio, explicare posset. Faciam igitur quod reliquum me decet, tu accipe quod tibi debetur: Accipe, inquam, salutem dominorum meorum tibi quàm maxima reverentia exhibitam. Accipe eorum in te munusculum hoc benevolentiæ suæ monumentum. Demum si quid est, quod eos colloqui velis, parata tibi promptaque dabitur audientia. Quòd si etiam loci patriæque visendæ cupidus huc accesseris, En habes hic urbem antiquissimam, quondam Romanorum sociam & amicam, postea clarissimorum regum sedem invictam, porrò inter sacri Romani imperii civitatis haud minimam, in qua quicquid rerum antiquissimarum novarumq; animum tuum cognoscere oblectat, omniũ lustrandorum libera erit facultas, dominis meis in omnibus tibi semperque bene ominantibus.

Oratio, per quendam affinem suum Carmelitanum, sacræ theologiæ baccalaureum formatum, in acceptione Regentiæ, Parisiis habita.

SI unus ego ex Periandri Corinthii aut Lycophronis schola essem, qui fœlicitatem ipsam in gloria & honore locasse feruntur, susceptor amantissime, multum gauderem me his ornatissimi eloquii tui divitiis coram tantis viris tam cumulatissimè laudatum, insuper & hac rosea veluti ovali corona tam magnificè adornatum. Sed ipsa cùm professæ religionis humilitas, tum ipsa humanitatis meæ mediocritas faciunt, quò minus hasce tam insignes laudes, quas tua eruditio mihi cæcutiente amore adscribit, pro meis agnoscam, admirorque colendissimi patres, quidnam commoverit reverentiam vestrã, post alia multa in me collata beneficia, me his ornamentis titulisque decorare, huic sublimi loco sufficere, tanta venerationis pompa comitari. Certè non sum is, cui tam egregiæ laudes ac splendidi tituli, tam sublimia pulpita conveniant. Vestra hæc munera sunt, vobis ista debentur encomia, qui tanquam cœlestia cœli sydera, divinæ & humanæ sapientiæ lumine repleti coruscatis, à quibus mihi longè satius esset doceri quàm laudari, quàm coronari, quàm proferri. Sed vestra hæc est erga me humanitas & benevolentia, non meum meritum. Quicquid ergo isthic nunc de me bene dictum est, totum id vestræ refero benevolentiæ, sed & totũ me id vobis debere

bere fateor. Conabor igitur & nitar fauente Christo vestrisq; conatibus, oliquando evadere, qualem nunc me prædicatum audistis aut forte opinamini, vobisque dum dabitur occasio, de tanto in me collato honore, non minus re quàm sermone me satisfacturum ducite. Sed jam precor vos domini, modicà hæc amicitiæ & obsequii pignora, vinum videlicet lætitiæ symbolum, fructusque futurorum bonorum indices, hilari animo mecum convivantes excipite. Vos fratres amantissimi, currite, festinate, & clarissimis istis dominis meis singula diligenti cura ministrate.

Oratio pro filio Christierni, serenissimi Daniæ, Norvegiæ & Sueciæ regis, &c. habita in adventu Cæsaris.

SI mihi Imperator Auguste, domine & avuncule colendissime, vincendus esset hic gemebundus animi dolor, quo divam Margaretam amitam & prope plus quàm matrem nostram, ac omnium optimam principem, tam acerbo fato amissam lugemus, multo effusiore gaudio jam tuæ majestatis adventui gratulaturus forem, & ultra quàm ætatis & studii mei quantulacumq; fert opinio, sermonis mei nervos omnes in te uno salutando intenderem. Nunc verò uno hoc eodemq; tempore, & summa tristitia & pari lætitia distractus, nam hinc doloris magnitudine superatus, inde reverenda specie venerationis tuæ attentus, redigor ad silentium, nec ulla est mihi sermonis facultas, attamen tum tacens tum loquens usquequaque tuæ majestati gratulor. Congratulantur & mecum astantes hæ principes, mihi quidem sorores unicæ dilectæ, tibi verò ex sorore æquè atq; ego nepotes. Tuo adventui gratulamur, tua præsentia solamur, tuæ clementiæ gratias agamus. Cujus alta bonitas, præsens comitas, non patietur nos penitus orbatos esse, nec spoliatos spe bona relinquet. Agimus etiam gratias pro ingentibus illis beneficiis, quibus nos diva princeps amita nostra, non secus ac propriam prolem hactenus prosecuta est. Pro cujus æterna gloria, cum aliud maius referre nequimus, deum ipsum indefessis precibus incessanter oramus. Tibi autem imperator clementissime, inprimis illustrem regem, dominum & parentem nostrum, tuæ majestatis fratrem sororium, cùm has adstantes puellas principes sorores meas meq; simul tuos nepotes, tum omnem nostram familiam commendamus, tuoq; patrocinio devovemus, atq; ne nos deseras, ne negligas, ne consueta tua benevolentia & favore destituas, ego unus omnium voto, tuam clementiam supplex oro atque ob-

testor, qui deum optimum maximum in tui nominis famâ & gloriam, utq; tibi omnia prospere felicissimeq; succedant, obnixe perpetuoq; deprecabimur.

Oratio, habita in funere divæ Margaretæ Austriacorum & Burgundorum principis æternæ memoriæ dignissimæ.

VEtustissima majorum instituta sunt, reverendissimi, illustrissimi, clarissimi, generosi, nobiles, egregii, prudentes & præstantissimi viri vosq; cæteri auditores omnes attentissimi, laudabili cõsuetudine ab illis ad nos usq; derivata, clarissimorum principum, quicunq; magnitudine rerum aut domi aut foris, aut pace aut bello gestarum, aut alia quavis vitæ gloria floruissent, cùm luce hac excessissent quam ornatissima fieri potuit oratione à summis autoritate viris & dicendi copia affluentissimis Oratoribus, narrando eorum vitam omnem, ortum, cursum, exitum resq; gestas, adornatis laudibus funera celebrari, ac composita sermonis pompa publicè illis parentari. Quod cùm mihi hodie injunctũ sit munus, divæ principis nostræ Margaretæ, & Germaniæ & Burgundiæ unici decoris, funus perorare, funus inquam tam acerbum & flebile, quod non solùm provinciales lugent, sed etiam exteri populi certatim illachrymantur, quod etiam dolent flentq; hostes, vixq; universus Christianus orbis sibi temperat à lachrymis, impium esset non parére, & onus hoc, licet humeris meis longè impar & pergrave, uno modo recusare, qui unus sum ex omnibus, qui hanc mihi delatã provinciam refutare nullo modo possum nec debeo. Optarem autem nunc mihi eam ingenii felicitatem, orationis vim ac dicendi copiam, ut cujus vitæ & rerum gestarum laudes in præsentia vobis enarraturus huc concessi, quibus deceret orationis & verborũ insignibus rite posse absolvere. Certè nulla mihi mediocritas in tam celebri rumæ principis funere perorando adhibenda esset, in cujus vita omnia ampliss ima, excellentissima, eminentissimaq; fuerunt. Sed non mihi tantum est ingenii, non mentis, non spiritus, non viriũ, qui quanto magis in divinæ hujus principis laudẽ celebrandam animũ intendo, eo mihi res ipsa sese sublimiorẽ difficilioremq; offert. Neque verò cuiquam possibile puto, etiamsi omnes id molirẽtur, omnes ejus laudes attingere, quæ principum omnium decus & insignium mulierũ quæ sunt, quæq; fuerunt unquã, extitit honestissima atq; nobilissima, foris domiq; præclarissima, majorum nobilitate illustrissima, omnium virtutũ genere ornatissima, ornamentũ patriæ, decus totius fœminei sexus, nec fœminis so-

nis solùm illustribus, sed & clarissimis viris inimitabile exemplar, nec nostra solũ ætate, sed omni temporum posteritate memorabilis, quippe qua nulla ætas nec tulit nec feret majorem, vixq; ei parem. Quod tantũ dicendi flumen, quod tam huberrimum orationis genus, quod posset cum ejus incredibilibus & divinis laudibus comparari? Vnde in tam immenso virtutum agmine potissimũ dicendi sumemus initium? Num laudabimus genus & nobilitatem? cujus tanta erat nobilitas tanta claritas, tanta præstantia generis, ut omnes Christiani orbis reges atq; principes propinquitate sanguinis & generis affinitate contingeret, quorum plurimorum oratores, summos viros, sed afflictos & atro colore, mutato vestitu huc missos videtis ad honestandum hoc funus, & celebrandum clarissimæ principis exequias. An laudabimus modestiam, prudentiam æquitatem, mansuetudinem, pietatem, constantiam, justitiam, religionem? undique tot admirabiles & heroicæ ejus virtutes sese proferunt, quibus supra quàm humana conditio pateretur nomen suum æternitati consecravit, ut in posterum sancta divinaque princeps habeatur. An res gestas extollemus? Tanta sunt ejus præclarissima facinora, ut penè mirandum sit tanta ac tot simul fœminam patrare potuisse, quibus jam non summam reginam, non summam imperatricem, sed numen, sed deam in terris sese præbuit colendam. Hæc omnia cùm non modò longissimum, sed penitus infinitum ac impossibile sit oratione velle complecti, quæ magnis historiarum voluminibus vix explicari possent: tamen narraturus sum de splendore & laudibus ejus, non quanta se offerunt, sed quantum temporis angustia patitur. Itaque capita rerum duntaxat, non res ipsas perstringemus, atque de his ipsis etiam multis admodum pauca quædam, & ea breviter expediteque dicemus, & ea sola, quæ sunt exploratissima, quorum testes hîc adsunt, qui hæc omnia aut planè viderunt, audiverunt, cognoverunt, experti sunt, quique de nobilitate clarissimi generis sui, de præclarissimis virtutibus & integerrimè acta vita, de rebus per illam magnificentissime & supra omnem opinionem gloriosissime gestis, de quibus omnibus dicturi sumus, falli non possunt. Hos ego mihi judices, hos mihi testes adhibeo, horum præsentia fretus, nunc rem ipsam audentius aggrediar. Sed illud vos inprimis admonitos volo, me non juxta rhetorum præcepta, è vulguatis illis demonstratoriis locis artificiosam orationem velle contexere, non enim quod ars, sed quod ingens animi dolor, & sui impotens suggerit

affectus, quæ occurrunt memoriæ sparsim, & nullo artificioso ordine colligemus. Quem etenim ordinem servare potero in re, in qua omnia sunt acerba, tristia, confusa, funesta, & potius fletu, luctu, lamentis, lachrymis, quàm verborum leporibus & eleganti sententiarum ordine exprimenda, etsi illum dicendi series maxime expostulatur? Sed ut à nobilitate generis narrandi initium faciam, habuit hæc gloriosissima princeps nostra paternum genus ex Germania orbis terrarum provincia amplissima, atque ex gente Austria, totius Germaniæ familia antiquissima, superillustri quidem & excelsa, nec solum hoc tempore clara, sed etiam Drusi & Traiani temporibus propriis regibus semper potentissima, atq; post receptam Christianam religionem, semper regum Cæsarumque progenitrix præ cæteris fœcundissima. Hodie verò cùm multitudine summorum ducum, tùm potentia invictissimorum regum & imperatorum, ac fœlicitate partu imperii, in toto Christiano orbe prima & suprema. Maternum autem genus habuit ex Gallia, provincia æque latissima, & ab omni ævo nobilissima, atque ex Burgunda gente non minùs potentissimorum regum, ac magnitudine rerum gestarum, multarumque & in Gallia & in Germania provinciarum atque gentium imperio celeberrima. Quod si nunc reges potentissimos, si duces præstantissimos, qui per superiora tempora ex utraque hac stirpe, ceu è fontibus totius nobilitatis processerunt, recensere vellem, & hac una oratione complecti, nec triduo quidem dicendi finem facturus essem. Quis enim ignorat, cumulatas fuisse omnis orbis Christiani vires, ut nobis hanc serenissimam principem Margaretam ac ejus fratrem germanum Philippum Castellæ regem, atque per illum hunc Carolum Augustum ac Ferdinandum Vngariæ & Bohemiæ regem jam etiam Cæsarem producerent. Sed nos in progenitoribus suis enumerandis sermonem hunc non extendemus, non amplificabimus, sed brevitate quanta fieri potest maxima, In angustum comprimentes, de iis velut delibando recensebimus. Habuit diva nostra princeps patrem Maximilianum archiregem atque Cæsarem invictissimum, & superioribus illis Augustis non æquandum modò, sed in multis etiam anteferendum. Paternum avum habuit Fredericum tertium imperatorem, principem omnium justissimum, clementissimum, piissimum, cognomento pacificum. Hinc cum Carolus Belgarum atque Burgundionum princeps metuendissimus Novesium inferioris Germaniæ oppidum copiosissimo exercitu

exercitu obsideret, evocatus tum Fredericus à circumvicinis principibus & civitatibus, comparata imperii viribus non contemnenda bellica expeditione Novesium contendit. Vbi pacificus imperator pro hostilitate, propugna, pro bello rebus omnibus optima pace optime compositis, & oppidum insuperabili obsidione liberauit, & inita cum Carolo strenuissimo principe strictissima amicitia ejus unicam filiam nomine Mariam, virginè splendidissimam atq; pudicissimam, multarum provinciarum atque gentium hæredem, filio suo, quem diximus, Maximiliano sponsam impetravit. Hæc extitit divæ principis nostræ mater, hic verò pater, illi utrique avi, viri profectò de quibus cum Ecclesiastico verè dicere poterimus, quorum pietates non defuerunt, & cum semine eorum perseverat bona hæreditas, filii eorum & nepotes eorum propter eos in æternum manent, semen eorum & gloria eorum non derelinquetur, nomen eorum vivit in generationem & generationem. Paterna illi avia fuit Helionora, Eduardi Lusitaniæ regis filia, consecrata & uncta imperatrix, vereq; Augusta. Aviam autem maternam habuit ex Borboniorum ducibus atq; Francorum regibus prognatam, genere æque nobilissimam & clarissimam suorum temporum, laudatissimique nominis fœminam, nomen illi erat Isabella. En stirpis hujus nobilitatem, vetustatem, gloriam, de quibus nunquam satis multa dici possent. En semina, en radices, quæ pulcherrimum hunc & precioſissimum fructum protulerunt. Sed hæc de nobilitatis præcellentia hactenus, de qua tamen non ea quæ pro magnitudine rei dici potuissent complexi sumus, sed duntaxat quæ visa sunt memoratu necessaria. Nolumus enim sic maiorum suorum laudibus niti, quod videamur suas proprias proferre non posse. Ipsa nobis diva princeps nostra laudanda est ipsa nobis suis propriis coloribus & lineamentis exprimenda. Princeps quæ forma venusta, moribus modestissimis, prudentia præstans, & quæ ætatem suam honestissimis, eisdemq; clarissimis facinoribus peregerit, longè peregrina verit, multa viderit, multa peregerit, semper maximis in rebus maxima cũ laude versata, & omnium quos ætas nostra tulerit optima atque clarissima. Nata est in hanc lucem princeps serenissima, anno humanæ redemtionis Millesimo quadringentesimo septuagesimonono, mense Ianuario, die decima, hora horologii antemeridiana 11. nata in celeberrima Advaticorum urbe, videlicet Bruxellarum, atque per reverendum dominum Ferricum Tornacensem episcopum juxta ritum ecclesiæ in templo divæ Gudulæ per sacrum

sacrum baptisma Christianæ religioni initiata, fidejubentibus illustribus principibus Philippo à Ravenstein è ducibus Clivorum, & Ioanne Austeraniæ principe, atque superillustri domina Margareta, materni Avi secunda conjuge, ad cujus imitationem nomen huic divæ Principi nostræ tunc impositum est. Nata est autem, quo tempore fames, pestes, bella, factiones, & omnium tragicorum malorum agmen quasi mare quoddam exundans erat, universas has provincias ira, rabie, odio, sanguine, cæde, scelere involuens atque permiscens, dum plebs seditiosa & rerum novarum cupida tumultuabatur, cives mutuo ardebant odio, dissidebant in varias factiones nobiles, insurgebant populi, discordabant rectores, patria omnis in ambiguo erat, & plura hostis possidebat. Inter has densissimas afflictionum tenebras nata diva princeps, tanquam nova quædam lux per universam provinciam visa est diffundi. O altissimum divinorum consiliorum abyssum, ô infinitam divinæ bonitatis providentiam, ô summam dei clementiam, qui (quod credendum est) propter demerita nostra, constitutis nobis inter tot ærumnas & calamitates, abundantibus malis nostris sua abundavit & gratia, & talem nobis principem in lucem produxit, quæ nos, patriam, quæ penates, tot periculis, tot discriminibus fuerat liberatura. Ipsa enim nutritionis annos vix egressa, quibus parentibus, quibus majoribus originem traxisset, supra ætatem ad miraculum spectantium ostendit. tam multa de se pollicebatur præclara & excelsa indoles, ut ætatem fama, famam admiratio, admirationem virtus vinceret, esset que apud omnes populos expectationis admirandæ. Nec fefellit illos opinio. Siquidem defuncta paulo post matre ejus Maria principe clarissima, ac viduo parente ejus divo Maximiliano Cæsare, & immortale bellum esset nobis cum Francigenis, & vicinia omnis armis fremeret, sola ipsa tunc solidæ pacis instrumentum, medium, nodus & copula comperta est, atque provincialium opera Carolo Francorum Delphino, ac Lodovici undecimi Francorum regis filio unigenito in matrimonium desponsata, vix trium annorum nata, in Franciam adducta est, ubi maxima cum pompa, nec minori cum lætitia & gratulatione excepta, à prælato Lodovico sapientissimo rege, non irrito nec vano omine pacifica cognominata est. Manst in aula regis omni celebritatis genere honorata, educata inter nobilissimas puellas, optimisq; moribus imbuta, tantum de se subito per universum hoc regnum adultæ iam nobilitatis specimen præbuit, ut à cunctis velut numen quoddam ve-

neraretur

neraretur & revereretur. Quam præclarissimam & generis & educationis morumque nobilitatem, etiam corporis elegantia & animi ornamenta sociabant. Erat enim illi vultus perbenignus & jucundissimus, aspectus hilaris, plenus autoritatis & gratiæ. Dignitas oculorum talis, ut nitidissimum quendam nobilitatis splendorem profundere viderentur: gratia oris maxima, vox suavis & sermo expeditus, summa totius corporis elegantia, & quæ regium atque imperatorium quiddam præ se ferre venustate quadam majore quàm humana videretur. Ad tam præclaram corporis venustatem accesserunt honestas, mansuetudo, modestia, pudor, verecundia, cæteræque virtutes tantæ, ut se tanquam exemplum & speculum quoddam virtutum, omnibus præberet contemplandam. Nulla præclarior, nulla nobilior, nulla amabilior puella habebatur, sic cæteras omnes puellas atq; virgines nobilitate, gratia, virtutibus anteibat. Verùm mortuo Lodovico Francorum rege cùm Carolus rerum potiretur, persuasus à regni primoribus ut Britanniam imperio suo adjiceret, Margaretam jam adultam, nobilitate, venustate ac morum integritate licet nulli secundam, repudiavit, & Francisci Britonum ducis defuncti superstitem unicam filiam, Britanniæ hæredem, divo Maximiliano Cæsari per oratores desponsatam, Britonibus ingenti prælio victis accepit uxorem. Vtrunque factum cum maximorum bellorum potissima caussa fuisse debuerat, tamen contentionem & injuriam hanc omnem, ipsa licet repudiata Margareta princeps, nova pace sopivit. Caroli autem repudium (mirum) quàm constanter tulerit, quanta animi magnitudine toleraverit. Iamq; præclara illa adolescentiæ indoles, integritas, cum antea semper superaret ætatem, magis magisque inclarescere cœpit, atque per singulos virtutum gradus majori cum ratione consilioque insurgere, maximis rebus par ingenium, difficilimis non minorem constantiam exhibuit. Vitæ probitas singularis, animus benignus, & qui nunquam ad iracundiam, nunquam ad odium, nunquam ad inferendas injurias, nunquam ad vindictam, nunquam ad bella, sed semper ad beneficentiam, laudē, concordiam ac pacem flectebatur, tantumque de se subito apud omnes populos adultæ jam & plusquam masculæ virtutis specimen præbuit, ut fama ejus non in istis atque finitimis provinciis clausa teneretur, sed per remotissimas nationes longe lateque extensa, maxima cum laude & admiratione vagaret, & publica omnium vox esset, nullam unquam natam esse

hac principe clariorem, nec meliorem. Hac constantissima atque optima fama permotus Ferdinandns Hispaniarum magnificentissimus rex, cum experientissimus tum acerrimi ingenii princeps, sic in hanc indolis altitudinem exarsit, ut post toties devictos Afros, & aucto imperio suo Granatæ regno, conquisitis etiam & subactis ad Antipodas usque multis admodum & opulentissimis insulis, jam tot urbibus, tot oppidis, tot regnis auctus, tot clariss. victoriis terra mariq́ue nobilitatus, tot immortalibus triumphis celeberrimus, nihil inter tantæ felicitatis titulos prius haberet, quàm ut hanc laudatissimam puellam divam principem nostram, Margaretam inquam, quam tunc multi reges & principes appeterent, ambirent, observarent, filio suo unigenito, tot opulentissimorum regnorum ac potentissimorum principatuum successori, desponsare posset. Itaq; ut id conficeret, summo studio, nec minori ingenio annixus, missis splendidissima legatione Oratoribus summis viris, voti sui supra opinionem compos factus, nõ solum nobilissima puella nobilissimo Hispaniarum infanti desponsetur, sed ipse etiam Philippum divæ Margaretæ germanum fratrem florentem adolescentem, & principem omnium quos nostra ætas tulerit optimum atque clarissimum, sibi generum ac filiæ suæ maritum. Proinde nunc Margarita nobilissima puella consensa navi, & ingenti classe in Hispanias navigatura, cum illam jam alta maria tenerent, excitatis procellis in classem ejus efferveſcebant, sævisque jactata fluctibus, ad Anglicum litus compulsa, cùm sævientibus undis perdurare maris intemperies, plus integrum mensem anchoris hærere coacta; nunquam interea ad litus egressa est. Quam tunc Henricus septimus Anglorum rex, & unus sui seculi regum opulentissimus magnificentissimusque instaurata classe ejus, recentibus commeatibus, insignibus & vere regiis muneribus, ac omni honorificentia prosecutus est. Solvensque deinde ex Anglico litore in altum progressa, illisis inter se navibus, soluta proca cum naufragium timeretur, in scapham paucis admodum sociata insilens, ut in aliam navim abduceretur, tempestuosis fluctibus exponitur. Circumcirca mortis pericula imperabant, lachrimabant omnes, ingemiscebant, singultiebant, non tam proprium quàm tantæ principis casum: & extensis ad cœlum manibus, divos inclinantes vota nuncupabant. Sed qua animi fortitudine, qua patientia, qua constantia imperterrita puella hos undatum rapidos insultus, & manifesta vitæ discrimina toleraverit, re-

rit, restiterit, effugerit, his qui aderant, qui viderunt, qui experti sunt, res divina potius quàm humana visa est, nec ulla nisi divina vi liberatam indubitatè credunt, omnesque in illa tanquam miraculum admirati sunt, in tanto periculo tantam fortitudinem, tantam constantiam, tantam patientiam, quæ procul dubio singularem & plus quàm virilem animi magnitudinem ad res maximas præsagiebant. Sed & (quam ferè præterii) res sempiterna memoria digna est, quòd cum juxta Nantirum in eo periculo morem, manus sibi cum aliquot aureis obligaretur, ut erat Gallicè tum prosa, tum rithmo facundè docta, ipsa sibi epitaphium lusit, atque in cera tum alligari jussit, in hæc verba:

Cygyst Margola noble dam iſelle,
Quefut deux fois martes, & encore eſt puelle.

Tandem cum superatis periculis in Hispaniam ventum esset, qua pompa, qua veneratione, qua reverentia, qua observatione, qua honorificentia, quibus magnificentiæ triumphis tunc excepta semperq; culta fuerit, conjicere magis possum⁹ quàm explicare, effusi omnis sexus, omnis ætas, litora, vias, compita, campos complent, ut benignissimam principem, commune omnium gaudium conspicerent, & vel gestu vel nutu salutarent. Quippe rex ipse tantæ felicitatis suæ gaudium publico eoque aureo numismate ad perpetuam memoriam testatus est, in quo illud evangelicum verbum legitur: Inventa autem margarita una pretiosa. Verùm si singulos qui illi in Hispaniis magnificentię honores exhibiti sunt, hìc enumerare deberem, profectò nullum oratio inventura esset exitum. Neque præterea hìc aliorum gesta recitare, sed divæ principis nostræ proprias virtutes enarrare constitutum est, quæ ut erat tunc puella facundissima & vivacissimi ingenii, Hispanicam linguam paucis mensibus edocta, tanta sermonis suavitate, animi mansuetudine, morum comitate ac imperatoria quadam & indicibili gratia effulsit, ut gratia cum dignitate, dignitas cum gloria & autoritate certarent: nullis laboribus, non industriæ, non diligentiæ, non solertiæ pro gloria comparanda pepercit. Nihil inconsultè tentavit, nihil nisi cum laude peregit. Hispanias omnes in longum & transversum ad Gades usq; magna cum laude peragravit, universo populo, quacunque transibat quàm gratissima, ac si jucundissimo suo adventu omnium salus adventasset. Quam profectò si quis non laudasset, non extulisset, non adorasset, veluti majestatis reus, in penates, in patriam, in principem infensissimus, & ingratissim⁹ huic seculo ab omni-

bus judicatus fuisset, tantam gratiam sibi apud Hispanos omnes populos profectò ingenio & judicio pollentes, brevi comparavit heroicis illis suis virtutibus. Nam salutabat libenter omnes: comitate & mansuetudine plus quàm solent privati, sermones ejus semper læti, festivi, perjucundi, & pro tempore rerum auditorumque conditione, gravitate simul & prudentia referti, semper autem honestate & majestate pleni. Audiebat omnes perhumaniter, respondebat perbenigniter, neminem à se tristem discedere permittebat. Facilitas & benignitas in familiam incredibilis. Tanta semper modestia, ut neque factis neque dictis quenquam unquam lacesseret, nemini unquam detraheret, neminem unquam vituperaverit: quin & alienos errores quamplurimos aut blande benigneque excusaret, aut si excusationem non reciperent, modeste castigaret, virtutes omnes honoribus & beneficiis persequeretur, benefacta omnia quantumcunque modica, magis tamen laudibus extolleret. Acerrima semper alienæ laudis, dignitatis, honoris propugnatrix: nec in illos quidem, qui cum eam, tum majores ejus aliquando non parvis affecerunt injuriis, unquam vel unum verbum refuderit contumeliæ. Quæ cum jam etiam in eo rerum statu atque fortuna constituta esset, ut multa sibi in adversarios & licere & posse cognosceret, nullam tamen unquam vindictam, nullum bellum, nihil hostile, nihil violentum machinata est, sed malevolentiam omnem potius beneficio extinguere, quàm injurias bello & vindicta ulcisci nitebatur: ita omnia ejus proposita, studia, conatus, voluntas ad unum semper finem spectarunt pacis & concordiæ, justitiam ita peculiarem, quasi hæreditatis jure sibi relictam, custodiebat: sed clementia sic temperatam, ut in maximis delictis mediocri pœna contenta esset. Liberalitate & magnificentia admodum laudatissima, & ut erat in ea summa nobilitatis majestas cum summa animi magnitudine, consilio, prudentia, fide, constantia, continentia conjuncta, ita erat in ea summa divini cultus pietas, summa Christianæ fidei religio. His heroicis virtutibus effecit, ut jam non solum Hispania, & Gallia, sed Germania, sed Italia, sed universus orbis Christianus hanc unam loquerentur, laudarent, celebrarent, virtutesq; tantas in adolescentula, in fœmina stupescerent & admirarentur. Quod si omnes divini animi sui super excelsas virtutes retexere vellem, nunquam præ multitudine & affluentia illarum finis futurus esset orationi, & angustia temporis, & quæ supereſt rerum agendarum moles nos

nos adhortantur, ut illa in præsentia mittentes, ad ulteriora proceda mus. Cum itaque jam & diva Margareta, princeps omnium regnarum splendor, in Hispaniis, omni honoris & dilectionis genere celeberrima haberetur, non potuit hoc ferre probis omnibus semper inimica fortuna, quæ ut superius audistis, cum jam primum illam Francia repudiatam remisisset, deinde in Hispanias navigantem tempestatibus & naufragiis oppugnasset, rursus tunc eam principem, in quâ Charites omnes, tot ornamenta contulerint, funesta clade prostravit. Nam maritum suum, præstantem adolescentem, & in quē Ferdinandus rex & tota præterea Hispania, non dubias spes collocaverant, fore ut per illum ex Margareta principe immortalitatem quandā, jam per tot secula vetustissimæ Gothorum propagini adipiscerentur, ante triennium concitata, inexorabili Parcarum sorte abstulit. Nec diu post filium, quem gestabat utero, in quo tota residua spes collocata erat, vix dum natum, non absque propriæ vitæ periculo, pari clade surripuit, tota Hispania mox ingenti luctu completa, cum tandem non superesset cui tot regna destinarentur, alius hæres, siquidem & prior Ferdinandi filia regi Lusitaniæ desponsata, una atque filius ejus sub eundem annum obierant. Philippus divæ Margaretæ frater, cui altera Ferdinandi regis filia collocata fuerat, tanto imperio successor designatur: atque omne Hispaniarum imperium à validissimis Gothorum ducibus, per quinque supra octoginta coronatos reges perpetua successione strenuissime rectum, tunc ad Austriacam familiam translatum est. Margareta verò amisso viro & filio, ex Hispaniis in patriam rediens, per Gallias & Francorum regnum iter fecit: ubi per totum regnum, quacunque transibat, omni magnificentia honorificentiaque affecta, per singula oppida & civitates officiosissime excepta, in ejus gratiam & singularis clementiæ symbolum aperti carceres, donata venia tontibus, impunitas concessa maleficis, innumeraque alia reverentiæ officia singulari favore illi exhibita: nec minori favore & reverentia reversa in hanc suam patriam, à provincialibus excipitur. Non enim potest diu in occulto latere virtus. Splendet undique & remotè lucet, & quo magis diversa fortuna atteritur, hoc semper exurgit illustrior. Ergo cum una esset Margareta Princeps virtutum decus, & lucerna optimis moribus & exemplis prælucens, vix annum domi morata, à Philiberto Allobrogum & Pedemontium subalpinæ Galliæ Italiæque florentissimis prin-

cipe

cipe in matrimonium postulatur. Is ducum longe potentissimus, imperatoria & regia stirpe natus, cujus fines in Gallia & in Italia longe lateque diffusi: hinc Allobrogibus, Carocellis, Centronibus, Caturigis, Latobrogis, Veragis, Vocontiis, Antuatibus, Segusianis, Sequanis, Lemanis & aliis plerisque populis imperat: inde verò subalpinam Italiam, quæ Pedemontium dicitur, provinciam amplissimam, oppidis & arcibus populatissimam possidet, cum quibus & Augustam prætoriam, Sybillinam, Eporedium, Apollineas, Vercellias, Phætonteam, Taurinum, Montem vicum, ab Annibale olim admiratam, munitissimas civitates, & ad Ligusticum mare Niceam nobilissimam urbem, atque portum Herculis, quæ hodie dicitur Villa Franca, trophæis Cæsaris claram, tenet: utrisque & generis nobilitate, & ditionis amplitudine illustrissimus, & plerisque etiam regibus anteferendus. Paternum & avitum genus à priscis illis Saxonibus & Othonum familia, nunquam interrupta posteritate recta linea accepit: Maternum autem genus, ex antiquo Francorum sanguine traxit. Mater illi fuit Margareta Borbonensis, illustrium matronarum princeps sapientissima, & Isabellæ illius quæ nostræ principis materna avia extitit, soror germana. Huic tam generoso ac simul formosissimo principi cum jam nobilissima venustissimaque princeps Margareta faustissimis ominibus nupta esset, ut erat jam maturioris adolescentiæ, annum agens circiter secundum supra vigesimum, tum aliis virtutibus, tum præcipuè consilio, prudentia, æquitate, justitia, & incredibili religionis observantia, per universas illas provincias, tanquam cœlestem quandam lucem effundebat. Tanta sapientia pollebat, ut judicium ejus velut divinum quoddam oraculum, sanctitatis honestatisq; plenum haberetur. Quibus illustribus virtutibus sic Allobroges omnes atq; Pedemontanos Italos in sui dilectionem, reverentiam & admirationem traxit, at omnes ejus mansuetudinem colerent, majestatē observarent, judiciumq; pertimescerent: tantā tamq; amplissimā autoritatē, tantū animorū consensum, tantā fidē adhibentes, ut nihil contra ejus sententiam faciendum decernendumque putarent. Proinde applausus erat maximus videre, nullam fœminā viro gratiorē quām illam suo, non virum ulli tam cordi fuisse uxori atq; ille suæ. Dii boni quanta voluptas, florentissimo principi nuptā clarissimam principem, juvenē juveni, pulcherrimā pulcherrimo, amantissimam amantissimo, ut jam nullam felicitatē illis fatorū indulgentia maiorē tribuere

tribuere potuisset, quam ut in hoc perjucundo amore, & tranquillo otio, auspicatæ prolis parentes facti, illis in extrema senectam requiescendum fuisset. Verum invidit hoc illis nimiū crudelis fortuna, ac tam felicissimū conjugiū post paucos annos indignissima clade funestavit. Nondum n. quatuor annos nupta, nullius prolis mater facta, amantissimū maritū extulit. Nec diu postea etiam germanū fratrē suū Philippū, Castellæ glorioſissimū regē, Hispaniarū omniū principem, acerba fatorum serie amisit. O fatorum æmula, crudelis & impia fortuna. Hæc tua scelera, hæc tua facinora, hæc tua ludibria, quæ probis omnibus insidiosa & infesta, non nisi ignavis & improbis impense faves. Num tibi satis erat, quæ in hanc optimam principem indignissime lusisti hactenus, nisi rursus atque iterū illi tam amantissimū maritū, tam dilectissimū fratrē, utrosq; florentissimos principes, è complexu, è sinu tam immaturo interitu tam immaniter eriperes. Quæ princeps à fortuna tot laboribus, tot ærumnis, tot acerbis eventibus persecuta dici aut fingi potest? Quæ unquam orbis regina in tanto fastigio ejusmodi bella cum fortuna gesit invicta, sicut hęc nostra splendidissima Margareta? nihil à virtute majorū suorū degenerans, nec ad res magnas gerendas animū gerens remissiorē. Et licet adhuc junior, duodetrigira annorunt, esset, perpetuo tamen manere vidua secū constituit omnēq; reliquam vitam in cælibatu pudicissime vixit. Clades omnes calamitatesq; domesticas, interitū viri, mortē fratris ita constanter moderateq; pertulit, doloris acerbitatē, violentiā fortunæ, animi magnitudine coercens, cōprimens atq; vincens, hoc usurpato Gallico verbo (fortune infortune fortune) infelicē sortē suā posteritati testaricontenta. Philippo Margaretæ fratre & principe nostro sub cujus imperio jam aliquot annos felicissima pace fruebamur vita defuncto, rursus claudicare cœperūt, quæ vivo eo pacta fuerunt, rursusq; ad dubiū statū, ad regimē incertum redacti, & inimicorū nostrorū insidiis, insultibus, prædis, incursionibus expositi eramus, hostesq; finitimi, non virtute sua, sed calamitate nostra, fortiores facti, res novas molichantur. Bellorū magna suspicio, undiq; arma prorumpere, cuncta timore trepidare videbatur: nec ullum avertendi belli, nec suscipiendi, nec sustinendi consilium, nec vincendi ulla spes erat. Præterea principes patrii provinciales que & cæteri tum nobiles tum cives & plebei in diversa distracti, omnis provincia plena terroris erat. Quid faciendum erat in rebus desperatis? Abesse cogebatur Maximilianus Cæsar, Carolus

Carolus nepos adhuc pueritia imbellis: non erat, quo duce tantum malum amoliri speraremus, nullum præsidium erat, nisi in deorum immortalium suppliciis, quorum intercessione placatus omnipotens Deus, qui nos non usque adeò exosos habuit, provincialibus & rectoribus tandem unanimem mentem dedit, & procul circumspicientibus Margaretam principem viduam, & in suis antipherenis sese continentem illis ostendit, quæ sola propulsandi belli, & concordandi tot dissidentes populos, tuendiq; nepotes commodissima esset atq; securissima. Hanc tunc omnes certatim nuncupabant, hanc clamabant, hanc volebant, hanc communi voto gubernatricem sibi tot potentes provinciæ postulabant. Quod ut volebant, ut optabant, atq; eo tempore optandum maxime fuerat, ita concessit Maximilianus Cæsar, atq; ipsam divam principem Margaretam hujus imperii cohæredem, justissimam rectricem agnovit, summa autoritate constituit, summa pietate pronunciavit, ipsiq; omnium harum provinciarum imperium tradidit gubernandum: cujus curam omnem, ipsa non minori cũ in parentem tum in patriam pietate suscepit: rediensq; iterum in hanc patriam, velut nomen aliquod è cœlis in salutem hominum prolapsum, sic moxiratissimorum hominum mentes flexit, tumultus plebis sedavit privatas nobilium inimicitias sustulit, contentiones provincialium acerrimas pacificavit, suspiciones omnes abstulit, obsequium civitatum, benevolentiam rectorum inter se conciliavit, rem omnem ita composuit, ut & optimatum dignitatem non minuerit, & populares à potentum violentis concussionibus tutos conservaverit. Vestram denique ô nobiles dignitatem quo studio defenderit atq; auxerit, fortunata illa ordinis vestri conditio testatur. Tum ad finium custodiam conversa, recensendo arces, distribuendo præsidia, recognoscendo præfecturas, arces & munimenta ab hostibus jampridem diruta & incensa refecit, munitiora turribus & mœnib. oppida suis ordinibus instruxit: nullos labores, nullas occupationes, nullas molestias declinavit, nullis consultationibus, nullis interponendis decretis defuit, omni tempore pro patria, pro republica impeditissima, quousq; omnia cõpleret. Provincias omnes, quarum acceperat ditionem, sic administravit, ut ejus imperium probarent omnes, pœniteret neminem. Erat in ea quoddam temperamentum severitatis atque clementiæ, ut nunquam à justitia misericordiam, nunquam à misericordia justitiã remitteret, omnibus reddendo jure, & libellos sua manu subscribendo, prom-

promptissima. Diligens in consultando. Cum provincialibus de rebus majoribus, nonnunquã etiam cum externarum gentiũ legatis deliberando, quæ ad publicã pacẽ & reipublicæ salutẽ conducere videbantur. Omnibus semper & majoribus & minoribus mansuetissimã sese exhibebat, hospites & externos legatos oratoresque magnificentissimè excipiebat victus aulæ suæ largus, & rerum omnium affluentissimus. Neque verò postremũ inter laudes ejus reposuero, quòd ut erat illi vox sonora, expedita lingua, promptũ ingenium, fluens & elegans sermo, gravis & sententiosa oratio, plurium linguarũ sciens, sæpissime orare solebat ad populum: non rarò etiam externorum principum oratoribus, cum ornatissima oratione, tum prudentissima gravitate respondere. Cæterum nihil unquã per tyrannidem egit, sed omnia æquitate & justitia gessit. Ipsa nobiles in concordia, civitates in tranquillitate, universum populum in pace conservabat. Splendebat nobilitas, fulgebat aula, vigebat omnium artium quæstus, crescebant tabernæ, affluebant mercimonia, confluebant mercatores, augebantur nundinæ, florebant studia literarum, omnia felicitate gaudebant. Quod itaq; subactis bellorũ ardoribus, pacatis hostiũ animis, pulcherrima hac pace, totius inferioris Germaniæ concordia, imperii gloria, vicinorũ omnium quiete nos tuti & læti domi foriſq; viveremus, nullis oppressi vectigalibus, nullis obstricti exactionibus, nullis angariis aut perangariis, nullis indictis aut superindictis onerati, sed liberis cõmeatibus, commerciis præ cæteris nationibus omnium felicissimi haberemur, totũ hoc illius cura, illius opus erat. nec quemquam vestrũm esse arbitror, cui non sint hæc jampridẽ cognita. Magnus nobis est hic campus, magnus cursus ad laudem apertus. Sed temporis ratio non patitur, nec auditorum præsentia postulat omnem gestorũ illius seriem, & quas ter maxima Princeps laudes merita est, retexere: Neque enim id nunc ago, majora enim sunt quàm ut eis ulla quadret oratio. Verum ex immensa illorũ turba pauca quædam atque præcipua decerpam: quæ etsi etiã tacente me vos non ignorare non dubitem, paucis tamen hæc aperire, & memoriã vestram breviter quasi excitare admovereque pergam. Nam ab initio hujus imperii filii, cum Geldrorũ dux tunc hostis minacissimus, & adjutus Gallicis armis, hanc provinciam ingentĩ metu perterreret, & Francorum milites jam primum Campaniæ fines prædabundo exercitu ingressi, direpto Tornaco insigni Campaniæ pago, post annum deinde reversi & oppressuri

preſſuri Dieſtum oppidum, repulſi, incenſo Hala oppidulo, obſeſſis, captis & diraptis Thennis, opimis ſpoliis onuſti redeuntes, cum in Arduenna ſylva præoccupati nocte conſediſſent, à Namurcenſibus intercepti, & plebeiorum pauca manu fuſi & trucidati eſſent: Et Margareta princeps tam recenti imperio ſe Francorum potentiæ imparem fore cõſideraſſet, quo conſilio, qua ſingulari prudentia, quo infracto animo Henricum Anglorum regem tunc ſibi adjunxerit; ac Francorum & Geldrorum vim repreſſerit, patriam latrociniis liberaverit, & nos felici pace frui fecerit, nemo veſtrum eſt qui ignoret. Non multo poſt, ſed eodem fere tempore fremeſcebat tota Germania bellis, fervebat vehementius Gallia, æſtuabat Hiſpania, incendebatur armis Italia, non Anglia, non remota Scotia pacem habebant, non ipſe ROMANUS PONTIFEX ab armis quieſcebat, iterumque nobis circumcirca hoſtis imminebat totus orbis terrore & formidine plenus erat: ſola tunc Margareta princeps diſſidentem Chriſtianitatem pacavit, & ſuo quaſi natu reſtituit: quæ tot potentiſſimorum invictiſſimorumque regum arma tunc in unos Venetos converſa fuerunt, quia mole & magnitudine imperii ſui vicinis exitio imminere videbantur. Non ſunt ſolùm hæc audita vobis & in triviis decantata, ipſi vidiſtis, ipſi interfuiſtis inquam, anno ſalutis Milleſimo quingenteſimo octavo. Quid nunc illa quæ poſtea egit, quàm famigerata, quam mira, quam memoranda? Quòd Friſios populos, populos, inquam, acerrimos & efferos, gentemque ferociſſimam ac plane ad effrenæ libertatis propugnationem natam, & ingentibus viribus rebellantem, illorum provinciam ampliſſimam & invictam, urbesque opulentiſsimas munitiſsimasque ſua virtute, ſua conſtantia, ſuo conſilio, non tam armorum quàm benevolentiæ vinculis ad deditionem compulerit, huicque imperio adjecerit & imperata facere coegerit: Quod nec Philippus frater, nec Maximilianus pater, nec Carolus maternus avus potentiſsimi & bellicoſiſsimi principes aſſequi potuerunt. At hodie gentes illæ quantumvis efferæ, & quæ antea nil niſi libertatem & arma fremebant, pacatæ omnes conquieſcunt, illiusq; imperio admodum lætantur. Illius fatum nunc tota illa provincia luget, luget, inquã, principẽ, quam in omnẽ poſteritatem admiratura potius ſit, quàm aliam unquam ſimilem habitura. An non etiam omnimoda gloria dignisſimum facinus eſt quæſo, quòd bellum illud poſtremum, cum Geldrorum duce toties jam antea ſemper metuendo hoſte ſuſce-

ſuſceptum, tanta cum virtute animique magnitudine geſſit, quouſque tam potenti principi ac hoſti, pacis & perpetui fœderis conditiones dixerit, atq; ut communi ſeviret tranquillitati adegerit. Injuriarum & antiquæ hoſtilitatis uſque adeò oblita, ut quem autoritate & armis ad concordiam reduxerit, etiam comitate & benevolentia in mutuam gratiam & amorem receperit, plusque novis officiis demerita fuerit amicum, quàm armis adorta ſit hoſtem. Non minus præclarum veroq; imperatorium facinus, quod Trajectum civitatem opulentiſſimam populumque potentem, omnemque ſuperiorem & inferiorem adjacentem provinciam ſubactam, Brabantiæ partim, partimque Hollandiæ ſubjecit, imperiumque hoc tot viribus, tot oppidis, tot arcibus adauxit. Nec malè nota dico, ſtant oppida plus decem & octo inſignia & præclara ac munitiſſima. Stant arces oppidaq; alia & municipia, omnia quidem egregia & munita ultra ducenta, quæ huic imperio adjecit. Prætereo aream illam munitiſſimam mœnibus, turribus, foſſis, propugnaculis, copia rerum viribusq; inſtructiſſimam, quam ipſa pro tuenda Trajectenſi urbe ac pro coërcendis ſeditionibus recentibus his annis extruxit. Dicet hîc fortè aliquis, & contractiori vultu arguet, communem hanc plurimorum optimatum atque ducum laudem me huic uni atque ſoli adſcribere: quod ego inficiari non auderem, niſi tanta fuiſſet in principe hac autoritas, ut cæteri omnes ejus nutum obſervarent: & quod illa prius ſuo conſilio deliberaſſet, ſequerentur, parérent, obtemperarent, ac diſſentienti adverſaretur nemo. Cui univerſus populus ſic parebat, ut huic uni & inermi & fœminæ, cederent viri atque armati omnes. Cujus nutu tota provincia vel ab armis flectebatur ad pacem, vel à pace ad imperium concitabatur armorum. Quod etſi multorum ad hæc quæ diximus præclara facinora acceſſerunt, quibus ſuas laudes non invidemus, non auferimus, non detrahimus: unius tamen principis conſilio & autoritate regebantur omnia: fateor enim ingenuè, non me poſſe unius Margaretæ principis geſta narrare, quin ſimul etiam colligenda ſint multa in hac una multorum ornamenta, de quorum laudibus atque ſplendore, cum & multa & illa quidem præclara atque illuſtria ſeſe dicenda offerant, cum non ſit hoc noſtri inſtituti, multa præclara tranſeunda mihi eſſe video. Tranſeo igitur nunc ad id quod potiſſimum eſt, atque omnium linguis & literis monumentisque extollendum: Quòd cùm inter Carolum Cæſarem & Franciſcum Francorũ regem poſt tot cruentiſſima bella, jam

ad extremas etiam injurias ventum esset, & utrinque deplorata concordia videretur, nec spes ulla pacis esset, nisi utramvis in partem bellorum victoria maxima mortalium clade alteri exitium attulisset: tam dirum, tam pertinax, tam calamitosum & universo orbi Christiano exitiale dissidium, quod non à potentissimis regibus, non à Christianæ religionis summo pontifice componi nec placari potuit, ipsa, & ipsa quidem sola, & ad suam sententiam composuit, restituit, refecit. O divinam divinæ principis sapientiam. O nunc tam & infatigabilem prudentiam. O potentissimam virtutem. O clementiam æterna memoria celebrandam. O præclarissimum facinus, nullo unquam tempore intermoriturum. Sola ipsa, atque sic sola, ut nulla secum alia id sibi arrogare queat, execrandum ab omnibus, & exacerbatum tot injuriis odium, quod tam multos annos inter invictissimos reges inolevit, è medio substulit & extinxit. Sola injectam clarissimis regibus, (haud dubio stygiis erynnibus hanc imminentibus) abyssalem caliginem illustravit, regesque sibi mutuo infensissimos hostes, non solum pace & concordia conciliavit, sed & perpetuis propinquitatis atque necessitudinis vinculis adstrinxit, affinitate, & fraterno amore arctissimè conjunxit, copulavit, adunavit, injuriarumque omnium oblita potentissimis & antiquissimis hostibus, qui cum patre suo, cum avo suo, cum socero suo, cum nepotibus suis, tot cruentissima & atrocia bella toties gesserunt, salutem dedit: etiam de suis suorumque cum fortunis tùm viribus non minimum remittens, insuper & officiis demeruit atque vicit. Vbi sunt nunc tot ac tantæ tamq; incredibiles virtutes, magnanimitas, prudentia, consilium, justitia, liberalitas, clementia, munificentia? Vbi venustas, valetudo, agilitas, dexteritas? ubi nobilitas, quæ vel sola digna erat imperio? ubi rerum gestarum gloria? ubi princeps illa, quæ perpetua luce illustrium exemplorum patriam nostram illuminabat atque illustrabat optimis institutis? Proh dolor, extincta est, extinctum est nobis lumen illud nobilitatis clarissimum & splendidissimum. Discessit præsidium patriæ, splendor, gratia, consilium autoritasque: quæ plebis incolumitatem, quæ civium concordiam, quæ nobilium splendorem, quæ omnium nostrum salutem studiosissimè semper diligentissimeque curavit: quæ tot capitales inimicitias, tot privata odia toties repressit, sopivit & extinxit: quæ toties dissidentes Christianos principes conciliavit, pacavit, & felici paci restituit: quæ has potentissimas provincias tam multos annos ita rexit

rexit & gubernavit, ut nihil illæ sub suo imperio perpessæ sint calamitatis: ita conservavit, ut cæteris circum vicinis provinciis & populis, diuturnis & continuis bellis vexatis, nos soli tranquillissimè pacatissimèque viveremus. O verè optimam ac heroicam principem. O felices atque perbeatos populos, quibus talem principem atque gubernatricem habere contigit. O nunc miseros & calamitosos, quibus talem rursus contigit amittere: haud dubie nostris demeritis peccatis id exigentibus. Qui cùm indigni facti essemus tanta principe, ideo Deus illam nobis abstulit, quod suam esse maluerit: Nam cùm vix quinquaginta duos annos confecerit, immatura fatorum acerbitate nobis sublata & extincta est, extinctæ simul tot præclarissimæ virtutes, quas nunc fletu magis quàm laudibus ullis exprimere convenit. Heu nos miseros, heu nos infelices! An fortè sperare audebimus aliam, quæ consilio, quæ prudentia, quæ tanta rerum experientia, Reipublicæ studiis invigilare, eamque regere & administrare, & qualem ab hac diva principe relictam acceperit, talem continere & conservare possit? O utinam id non tam sperare quàm verè confirmare possemus. Sed quàm difficile est magnorum ædificiorum fundamenta, sine totius structuræ concussione aliò transferri: tam difficilimum est imperium quodcunque absque Reipublicæ ingenti turbatione aliò deferri. Quæ erit illa, quæ gratia consilio, moderatione, justitia, experientia, magnitudine animi, & Reipublicæ administrandæ scientia illi conferri, aut vitæ integritate, autoritate, rerum gestarum gloria illam adæquare possit? Quæ una erat præ sui sexus ordinibus æternis præconiis extollenda, cui nulla secula majorem, nedum parem protulerunt. Heu erepta est nobis princeps illa & gubernatrix, atque præsidium firmum & constans, quæ libertatem nostram, quæ pacem, quæ otium, quæ tranquillitatem, quæ salutem nostram studiosissimè atque acerrimè defendebat: cujus præsidio quandiu vixit freti, nullum periculum, nulla tempestas nobis nocere potuerunt. Qua nunc sublata, relicta est omnis provincia instar navis, quæ undis insurgentibus, spoliata magistro & solito carens gubernaculo, æstuosissimis fluctibus atque procellis agitatur. Sed nequaquam est nobis desperandum. Non est abbreviata manus domini, quæ nos protegat. Habemus Carolum imperatorem felicissimum, & Ferdinandum Cæsarem strenuissimum, utrunque e Augustum, in quorum fidem & securitatem omnia fata & successus nost-

tutò collocare & possumus & debemus. Est etiam illorum soror Maria illustrissima, nuper Vngariæ regina, nunc vidua: quæ si nobis gubernatrix contingat, sperare licet illam hac diva Margareta amita sua nobis non minus beneficam futurã. Ad te ergo nunc mihi gloriosissime Cæsar quãta possum maxima atq; altissima voce sermo vertendus est: præreptam jam tibi talem amitam, sed plusquam matrem, cujus salute non minima tua salus tranquillitasque constabat. Amisisti sociam curarum tuarum, præsidium consiliorum tuorum, omnis fortunæ & dignitatis tuæ procuratricem, tot provinciarum tuarum præfectam, quæ tantas ærumnas, tantos labores pro dignitate & defensione imperii tui sæpe suscepit, tot tumultuantes fluctus sæpe sedavit, hostes (quicunque tibi contigerant) superavit, pacavit, reconciliavit: fines patrios & aviti regni tibi latissimè propagavit & amplificavit: ipsa tibi victoriam, patriæ pacem, civibus concordiam, plebi præsidia, opem defensionemque reliquit. Tuam gloriam omni semper studio procuravit defenditque. Res à te gestas omnes, tanquam digitis numerabat, prædicabat, recitabat. Cumque post amissum virum adhuc juvenis esset, in tuam gratiam cœlebs vivere delegit, ne hæredum, si quos genuisset, divisione, regnum tuum debilitaret. Deum omnipotentem, sic quotidie in successus tuos religiosissimè precabatur, ut quem magis propè tibi quàm sibi cuperet esset propitium. Sed à te digressus ô maxime Cæsar, ad Deum optimum maximum orationem convertam. Hujus illa religionem semper observantissime coluit, semper in illa cum gloria sine superstitione vixit, pro illa cum gloria acerrimè pugnavit. Germanicis hæresibus sic restitit, ut ni ipsa fuisset, provinciæ istę omnes supra quàm superior Germania, in profundissimas errorum hæreses prolapsæ fuissent. Huc etiam spectat, quod inprimis dicendum erat, fundata per illam sacra officia, refectas sacras ædes, restituta templa, & basilicas à fundamentis magnificentissimè extructas, quę passim extant & celebrantur, & quæ illa virtutis & religionis suæ monumenta reliquit. Quam illa dii boni apud Segusios, Bressanos hodie vocant, in suburbiis civitatis Burgensis augustissimum templum divo Nicolao Tollentino sacrum à fundamẽtis condidit, ac conventum fratrum Augustinianorum magnæ congregationis Longobardiæ ibidem piè sanctèque fundavit, agros, municipia & census perpetuos contulit, quibus fratrib⁹ illis in singulos annos abundanter providit: in templi ve ô & monasterii extructione supra ducenta millia aureorum impendit,

pendit, & adhuc plus viginti millia pro absolvendo tanto ædificio impendenda restant. Illic maritus suus Philibertus, ibi mariti mater Margareta, sumptuosissimo Mausoleo sepulti jacent, quos penes & ipsa sepulturam delegit. Jam verò & apud Morinos, Flandros inquam, extra oppidum Brugis in suburbio templum erat, divæ virginis annunciationi dedicatum, & à certis religiosis fratribus cultum: quibus tandem intra urbem translatis, vacans & desertum templum diva princeps introductis monialibus sororibus, quas rubras vocant, restituit, atque in singulos annos statutis censibus cumulatissimo & verè regio munere dotavit. Præterea in eadem urbe in templo divæ virginis, ubi Mariæ principis & matris suæ corpus requiescit, ubi & Philippi fratris sui cor repositum est, queis cum ipsa cor suum voluit reponi, ingentia dona contulit. Non minus etiam in regno Castellę in civitate Auila, in conventu fratrum beati Dominici, quos penes prior maritus Ioannes Hispaniarum infans sepultus est, pro illius salute, & lampades perpetuas perpetuasq; preces ingenti ære constituit. Transeo innumera alia pietatis & munificentiæ suæ religiosa dona, tẽplis, satellis, xenodochiis variis in locis exhibita: quæ si omnia prosequi vellem, ipsa nos eorundem copia obrueret. Sed illud præterire non possum nec debeo: Cùm esset à longo ævo inter thesauros ducibus Sabaudiæ sacrosanctum salvatoris nostri sudarium, quod illi quocunq; irent cæteras inter prophanas sarcinas pro amuleto circumferebant: id ubi rescivit Margareta nostra, princeps religione & pietate insignis, indignum scelus arbitrata tam sacratissimum thesaurum sic inter prophanorum manus inhonoratum versari, capsam auream valore plus duodecim millium aureorum donavit, in qua repositum custodiretur, marito persuasit: quia unà secum magnificentissimum sacellum in arce Camberacensi, constituto ibidem Canonicorum collegio, maximis sumptibus extruxerũt: ubi deinceps omni reverentia adservatum, stupendis claret prodigiis atque miraculis: quibus procul dubio divina clementia ostendit, hanc à religiosissima principe impensam sacrosancto sudario venerationem reverentiamque fuisse sibi acceptam atque gratissimam. Sed habet hoc ex Austriaca & Burgundiaca utraque familia, qui à suscepta semel catholica religione, pietate insignes, in ecclesiam munificentissimi semper extiterunt. Possem recensere ex utriusque familiæ atavis multos admodum, qui pro fide Christi adserenda, pro ecclesiæ majestate tuenda, sanguinem admirabili constantia effude-

runt, & qui pro fidei constantia ac vitæ sanctimonia in divos relati sunt. Sed ponam orationi modum ? satis enim habet laudum quæ ita vixit, ut nulla fuerit charitate in pauperes, munificentia in religiosos, honorificentia in sacerdotes, observantia in pontifices, cum honestate morum, integritate vitæ, synceritate fidei illi præferenda : ut si in comparationem veniamus cum priscis illis reginis, certè nulla secula nobis non cessura sint : neque ullam laudem tantam comperiemus, quæ ad magnitudinem meritorum suorum possit accedere. Cujus vita omnis integerrima, cujus adolescentia non otio, non voluptatibus contracta, sed quæ juventutem honestissimis exercuit laboribus, reliquam omnem ætatē negotiis & virtuti intētam, cùm maxima dignitate, autoritate, gratia, tū optimis cōsiliis, & illustribus factis adornavit, adversa quam plurima passa, utramque fortunam experta, magnitudine animi utramq; vicit & sub jugum misit : nec prosperis unquam elata, nec fracta adversis. Patriæ saluti & præsidio fuit omne genus hominum, etiam inimicos beneficiis affecit : juvit plurimos, offendit neminem : nec divina nec humana jura contempsit, nihil unquam flagitiose, nihil crudele, nihil avare gessit fautrix bonorum, amatrix concordiæ, conservatrix pacis, corde, ore, animo, factis, dictis integerrima : fide, justitia, pietate, religione, cæterisque quę ad sanctissimam ornatissimamque principem pertinere possunt accumulatissima. Sed amisimus, heu amisimus lucem illam, cujus splendore omnes illustrabamur. Amisimus illam sacram anchoram, in quam spes nostræ tutissimæ & certissimæ confidebant. Miserrimè sumus afflicti, nihil calamitosius universæ patriæ, nihil incommodius, nihil tristius, nihil dolentius nobis hoc tempore evenire potuisset. Quid agemus, quid habemus in quo nos possimus consolari nunc morte sanctissimæ principis ? Sordemus in obscuro omnes, flemus omnes, lugemus omnes, lugent omnes inferioris Germaniæ provinciæ, civitates, oppida, villæ, pagi, vicus, & patria omnis in luctu, planctu, fletu, mœrore & acerbitate versantur. Luget omnis ætas, omnis sexus, omnis status, magni, parvi, decrepiti, senes, juvenes, infantes, mares, fœminæ, virgines, innuptæque puellæ. Lugent Morini, Atrebates, Arteſi, Aduati, Batavi, Frisii, Namurtii, Nervii, Cymbri, Hannonii, Lucemburgii, Trajectini, extinctam illam gubernatricem suam tam beneficam atque clementem. Luget Burgundia, lugent Caroletenses. Luget Mechlinia tam humanissimam dominam atque regnatricem. Luget Sabaudia omnisque subalpina Gallia extinctam

tinctam tam piam atque pudicissimam suam custodem. Lugent matronæ atque puellæ, & omnis fœmineus sexus fati ejus acerbitatem, amissam, surreptam, sublatam, quæ erat omnium virtutum exemplum, ac totius sexus sui decus & ornamentū. Lugemus omnes, qui eam amisimus. Lugent amici, lugent etiam hostes, quibus toties ipsa pacem reddidit. Luget invictissimus Imperator Carolus, luget potentissimus rex Vngariæ & Cæsar Ferdinandus, causam doloris omnium justissimā habentes: lugent cæteri Christiani orbis principes & reges, qui omnes illi affinitate conjuncti sunt, tantæ principis jacturam, quorum oratores hìc magna parte videmus, voce, vultu, gemitu, vestitu funestos atque afflictos, & inter acerbissimos luctus nostros mœrore confectos lachrymari. Sed ab his digressus, orationem ad vos ô Provinciales convertam, ad vos nunc loquor. Quid lugetis ? quid lachrymamini ? quid fletis ? Nolite flere super tam beatissimam principem, sed flete super vos & super filios vestros. Nihil illa passa est mali per mortem, cujus vita præclarè acta, nullis turpibus illecebris, voluptatibus, cupiditatibus inquinata, nullo flagitio, nullo impietatis scelere contaminata exiterit. Quòd si honestas & pudicitia corporis, si animi virtutes & optimi mores, si observantia justitiæ & religionis, si rerum optimè gestarum gloria & præmium, si pietas in parentes, in patriam, in amicos, etiam in hostes : si protectio pupillorum & viduarum, si auxilium pauperum & orphanorum, si consolatio afflictorum, si labores pro catholica religione tuenda suscepti, si exterminatio hæresum, si constans & indubitata fides, si bona opera quæ in hac vita peraguntur, si mors patientissimè & cum ferventi in Deum amore excepta, animum postquam corpore excesit possunt efficere beatum, nequaquam nobis dubium erit, hanc beatissimam principem nostram Margaretam, rectà in cœlum migrasse, ubi paratus est illi locus, in quo cum diis immortalibus felicissimo semper ævo fruatur. Absit ergo putemus illi aliquid contigisse mali : nobis verò & successoribus nostris ingentia inde succedunt incommoda, quibus sublata hac rectrice (nisi Cæsar providerit fortasse) rursus discordiæ, injuriæ, factiones, finitimorum contemptus & hostium, qui jam nihil non audebunt, omnia molientur, insultus imminebunt. Quare non jam principis hujus mortem, sed provinciarum istarum, sed totius patriæ casum calamitatumque, jacturam & manifestam cladem vobis censeo deplorandam. Ipsa superstite, omnes fœlices nos prædicabant : ea autem

vita defuncta, omnia in luctum & lachrymas abverturntur, & non est qui miseriam nostram consoletur. Sed hæ omnes nostræ querelæ sunt, de illa nihil dubitandum est, quippe quæ miseras has terras cœlesti illo & æterno domicilio commutavit. Cujus certissimam nobis fidem faciunt, cum bene acta vita, tum quòd omnia ea diligentissimè absolverit, quæ catholicam & orthodoxam principem decent. Imminentem sibi mortem interrita expectavit: sacrosancta ecclesiæ sacramẽta, & salutis nostræ viaticum devotissimè suscepit. Et ut in vita fuerat omni modestia mansuetissima, ita in mortis pugna summa cum tranquillitate decessit, religiosissimeque Deo omnipotenti reddidit spiritum. Mechliniæ vivens sedem sibi delegit: ibi moribunda obiit, hoc currente anno salutis humanæ M.D.XXX. ætatis suæ ferè quinquagesimo secundo gubernii sui fermè vicesimo secundo aut tertio. Decessit primo Calend. Decembris hora una & media post medium noctis. Sepulchrum & monumentum corporis sui esse voluit Burgis apud Sedusios, Cor suum Brugis penes Morinos vel Flandros, Viscera sibi vendicavit Mechlinia. Hoc amoris officium marito, illud sanguinis & naturæ necessitate parenti, hæc benevolentiæ vinculis patriæ debebantur. At nunc tandem orationi finem impono, ne mea impotenti facundia tam sanctissimæ principis laudes denigrare plus quàm celebrare videar. Celebrabuntur enim melius & copiosius historiis, nec æras ulla sua præconia conticescet: admirabuntur & obstupescent virtutes suas posteri, inter divasque relatam omni pietate venerabuntur.

HEN-

HENRICI CORNELII AGRIPPÆ ARMATÆ MILITIÆ equitis aurari. Sacræ Cæsareæ majestatis à consiliis & archivis Indiciarii,

DE DVPLICI CORONATIONE CAESARIS apud Bononiam Historiola.

PRÆFATIO AD LECTORES.

PRæfari mihi licet (quod his qui interfuerunt testibus verissimum est) triumphum maxime memorabilem, & multorum fide majorem me scripturum, quo invictissimus Cæsar Carolus ejus nominis V. cum Hispaniarum tum utriusque Germaniæ & Romanorum archirex, à summo Christianæ religionis pontifice Clemente VII apud celeberrimam Flaminiæ urbem Bononiam, primum in Longobardorum regem, deinde etiam in Romanorum Imperatorem mundique dominum coronatus est. Putabitis ut arbitror, ex rei magnitudine fortè ingeniũ meum metientes, pro sublimitate & celsitudine tantæ majestatis, me nimium multa magno volumina scripturum. Atque revera optaveram ego plura quæ scriberem, quorum maximã partem post terga relinquere, vestramq; in his expectationem, invitus licet, fallere cogor, sermonis ubertate ob instructionis inopiam excluſa, quam non nisi tumultuario exemplari festino calamo ex Italia ad sereniſſimam principem noſtram divam Margaretam transmiſſam, cùm ejus juſſu in publicum edẽdam accepiſſem, ea officii mei neceſſitate inductus, qua obedientiæ meæ ſacramento debitam pietatem pro virium mearum captu exhiberem, æditionem acceleravi, nephas arbitratus tantæ principis, cui mos omnino gerendus erat, deſiderium differre, aut publicum hoc & communis lætitiæ argumentum diutius ſuſpendere. Nõ eſt ergo ut hoc loci ex me effuſam ſparſamque hiſtoriam expectetis, qualem non dubito alios pleroſque, cum Germanos tum Hiſpanos & Italos, qui huic tam feliciſſimo ſpectaculo interfuerunt, in ſingula propenſi, ſingula comprehenſi, ſingulorum memores, rem maximam maximã

НАУКОВА БІБЛІОТЕКА ОДМУ ІМ. І. МЕЧНИКОВА

etiam eloquentia & exactiore descriptione traditurus: quam ego etiam alibi inter annales ampliorem, & fortè feliciori stilo tradere conabor. Sed nunc epitomen duntaxat eorum quæ gesta sunt, & amplissimi triumphi breve compendium, quæque magis in aperto sunt, è multis potiora accipietis: quorum festivissimis spectaculis licet impar & humi depressa mea serpat oratio, in hoc tamen non improbabilis erit, quòd ex fide recitantur omnia, quam longè plus quàm eloquentiam ipsa desiderat historia.

QVOMODO CAROLVS CAESAR IN Longobardorum regem coronatus est.

ANno à Christo nato Tricesimo supra millesimum quingentesimum, existentibus in Bononia celeberrima Flaminiæ urbe, sanctissimo patre Clemente VII. summo Romanorum pontifice, atque divo Carolo Cæsare ejus nominis V. Hispaniæ, Germaniæ & Romanorum archirege, ad quem tum multi principes & legati, ac diversarum provinciarum proceres, omnisque Italica nobilitas effuso quodam & maximo comitatu, ingensque populorum multitudo confluxerat venerandum, octavo Calend. Martias, in maxima omnium gratulatione Longobardica coronatio cœpta est. Dies ille ubique festus, ubique solennis agebatur. Civitas tota frequens profusaque in honorificentiam Cæsaris ferebatur. Indictum justitiũ, clausæ tabernæ, expurgatæ plateæ omnes, & virentibus frondibus instratæ. Exornatæ tapetibus parietes, personabant campanæ, resonabant timpana, modulabantur tibiæ, ubique exultantium voces audiebantur, omnia urbis loca ingentia lætitiæ signa præ se ferebant. Iamque invalescente die, cunctisq; quæ ad regiæ coronationis magnificentiam conducere videbantur magnifico apparatu dispositis, duo Cardinei ordinis purpurati patres, videlicet Medices & Dorius Cardinales protinus palatium adeunt, ubi erat invictissimus Cæsar, rex catholicus, purpurea ac diversis ramusculis argento crispato intextis variegata talari toga indutus, aliquot principibus innumeraque Italorum, Hispanorum, Burgundionum, & utriusque Germaniæ Alemannorum, aliarumque diversarum nationum nobilitate stipatus: qui à reverendissimis illis patribus primum quibus decuit officiis salutatus, magno omnium applausu ad Lõgobardicæ Coronationis sacrum, quod in ejusdem palatii sacello instructum erat, hoc quem dicemus ordine producitur. Prægrediebatur Cæsarem ornata auro & purpura, magnificis sumptibus ingens nobilitas. Post cujus agmen succedebant innumeri Barones, Comites, Marchiones, & plerique duces ac principes. E quibus proxime antecedebant Cæsarem, inclytus dux Ascaloniæ, & Marchio à Moia, qui regium ensem in sua vagina Cæsari præferebat. Tum generosus Marchio Asturicæ, regale sceptrum gerebat. Deinde magnificentissimus Alexander de Medices, summi pontificis nepos, & dux Pennæ, aureum illud pomum mundi typum ferebat. Demum illustris princeps, sacri Romani imperii vicarius perpetuus, Bonifacius Palæologus, Marchio Montisferrati, regiam coronam ambabus manibus gestabat. Evestigiò divus Cæsar medius inter illos duos reverendissimos Cardinales incedebat: quem à tergo proxime sequebatur, strenuus ac illustris princeps, Henricus comes à Nassau, & Marcio Zenettæ, aurei velleris miles, ac Cæsarei cubiculi præfectus primarius. Post quem externorum regum ac principum, variarumque gentium auratis vestibus Oratores & legati: tum purpurati Senatores, candidati Consules, ac Scriniorum magistri, Secretorum scribæ atque Quæstores, reliquorum aulicorum agmina, singula pro sui ordinis dignitatisque gradu discriminatim succedebant. Hac insigni pompa, ad (quod diximus) sacellum usque itum est, ubi præstolabatur Cæsarem reverendissimus cardinalis Dertusensis, qui clarissimo pontificatus habitu indutus, in pontificia sella sedebat ad altare, multorum antistitum cæterorumque ecclesiæ prælatorum turba sociatus. Cui exhibens Cæsar debitam reverentiam, ab eodem quibus decuit officiis & honoribus excipitur. Conversus deinde Cæsar ad altare, genubus flexis adorabat. Quem assumentes prædicti duo cardinales, fecerunt sedere in medio ipsorum: & principes illi qui Coronationis insignia portaverant, suis per ordinem locis sedere jussi sunt. Tum infulatus cardinalis accepto prius à Cæsare consueto jurejurando, ex mandato beatissimi patris illi per Breve apostolicum ab episcopo Maltæ præsentatum sacris quibusdam preculis ab hoc institutis benedicens, auspicatissimum felicissimæ coronationis dedit exordium. Productusque est Cæsar ad altare. Ibidem per aliquot sacrorum ceremonias precesq; & invocata alta voce quam litaniã vocant, sanctorum suffragia, provolutus in stratum illi magnifice paratum, jacebat. Peractis precibus illis, accesserunt Cæsarem illustris comes à Nassau, & alter generosæ nobilitatis vir, Dominus de Noir, comes, Cæsarei corporis secundarius custos: qui attollentes Cæsarem, exuerunt illum utraque veste sua, superiore

sumptibus ingens nobilitas. Post cujus agmen succedebant innumeri Barones, Comites, Marchiones, & plerique duces ac principes. E quibus proxime antecedebant Cæsarem, inclytus dux Ascaloniæ, & Marchio à Moia, qui regium ensem in sua vagina Cæsari præferebat. Tum generosus Marchio Asturicæ, regale sceptrum gerebat. Deinde magnificentissimus Alexander de Medices, summi pontificis nepos, & dux Pennæ, aureum illud pomum mundi typum ferebat. Demum illustris princeps, sacri Romani imperii vicarius perpetuus, Bonifacius Palæologus, Marchio Montisferrati, regiam coronam ambabus manibus gestabat. Evestigiò divus Cæsar medius inter illos duos reverendissimos Cardinales incedebat: quem à tergo proxime sequebatur, strenuus ac illustris princeps, Henricus comes à Nassau, & Marcio Zenettæ, aurei velleris miles, ac Cæsarei cubiculi præfectus primarius. Post quem externorum regum ac principum, variarumque gentium auratis vestibus Oratores & legati: tum purpurati Senatores, candidati Consules, ac Scriniorum magistri, Secretorum scribæ atque Quæstores, reliquorum aulicorum agmina, singula pro sui ordinis dignitatisque gradu discriminatim succedebant. Hac insigni pompa, ad (quod diximus) sacellum usque itum est, ubi præstolabatur Cæsarem reverendissimus cardinalis Dertusensis, qui clarissimo pontificatus habitu indutus, in pontificia sella sedebat ad altare, multorum antistitum cæterorumque ecclesiæ prælatorum turba sociatus. Cui exhibens Cæsar debitam reverentiam, ab eodem quibus decuit officiis & honoribus excipitur. Conversus deinde Cæsar ad altare, genubus flexis adorabat. Quem assumentes prædicti duo cardinales, fecerunt sedere in medio ipsorum: & principes illi qui Coronationis insignia portaverant, suis per ordinem locis sedere jussi sunt. Tum infulatus cardinalis accepto prius à Cæsare consueto jurejurando, ex mandato beatissimi patris illi per Breve apostolicum ab episcopo Maltæ præsentatum sacris quibusdam preculis ab hoc institutis benedicens, auspicatissimum felicissimæ coronationis dedit exordium. Productusque est Cæsar ad altare. Ibidem per aliquot sacrorum ceremonias precesq; & invocata alta voce quam litaniã vocant, sanctorum suffragia, provolutus in stratum illi magnifice paratum, jacebat. Peractis precibus illis, accesserunt Cæsarem illustris comes à Nassau, & alter generosæ nobilitatis vir, Dominus de Noir, comes, Cæsarei corporis secundarius custos: qui attollentes Cæsarem, exuerunt illum utraque veste sua, superiore

BIBLIOTECA UNIVERSITARIA MUNICIPAL

rioꝛe videlicet toga & interiore ſubucula: relaxatisque thorace & camiſia, ſpatulas cum toto dextro brachio denudaverunt. Quem cardinalis ille ſacrorum antiſtes, ſtatis ceremoniis precibusque ſacroſancto catechuminorum oleo intra ſpatulas & in dextro brachio perunxit. Et reverendus pater Guilielmus Vandanaſſe Caurienſis Epiſcopus, Cæſareæ majeſtatis Eleemoſynarius primarius, cotum manibus geſtans, uncta loca detergebat. His peractis reveſtitus ſuo habitu Cæſar, ductus eſt in ſacrarium: ubi ſumpta regia abolla, toga videlicet argentea prælonga & deſuper cincta, ſuperindutusque regio patagio, ex villoſa purpura auro criſpato inter texta, armelinis candidiſſimis pellibus ſuffulto, cujus rejectum in terga humerale, circũ ſpatulas diffuſum pendebat. Hoc regio ornatu tecto capite cõſueto birro, medio duorum cardinalium regrediuntem Cæſarem cum principibus, generoſus vir Adrianus à Croy Rhodii dominus & Cæſareæ majeſtatis architriclinus primarius, levata Indica arundine præibat, illuſtri comite de Naſſau à tergo prælongæ abollæ pariter atque patagii fimbrias ſuſtinente: ductusque eſt Cæſar in ſolium, quod illi juxta ſummi pontificis cathedram paratum erat. Non longè ſedebant cæteri principes, circumſtabantque purpurati proceres. Iamque adventare cernebatur beatiſſimus pater ſummus Pontifex ſuis cardinalibus & multis admodum epiſcopis eccleſiæque prælatis comitatus. Quo ad ſacelli oſtium appropinquante, aſſurgens de ſolio ſuo Cæſar, illi in occurſum progreſſus, quam maxima potuit honorificentia Pontificem excepit: à quo viciſſim benigniſſime conſalutatus, pariter cum illo ad altare regreſſus eſt, ubi utrisque & Pontifici & Cæſari magnificis ſtragulis, ac aureis pulvinis inſtrata pulpita parata erant. Iamque procumbente ante ſolium ſuum Cæſare, Pontifex flexis genubus inclinato capite, rem divinam quam miſſam dicimus, exorditur: Prælectoque confeſſionis ſymbolo, ac data reatuum abſolutione, pontificiã cathedram conſcendit, Cæſare pariter in ſuo ſolio, cæterisque cardinalibus & principibus ſuis in ſubſelliis ſedentibus: Poſita enim erant coronationis inſignia ſupra altare. Interea reverendiſſimus cardinalis Dertuſenſis, papalem (ut vocant) miſſam ſolennibus ceremoniis peragebat. Cumque ventum eſſet ad canticum illud, quod (quia ad gradus pulpiti cantatur) gradale dicunt, productus eſt Cæſar per cardinales illos, qui ſibi collaterales aſſidebant, ad pontificem, coram quo procumbens in genua nudo capite, ab eodem precibus aliquot ſacriſque ceremoniis benedictus eſt. Poſuitque pontifex in dextræ manus anularem

anularem illius digitum, anulum quem Piſtauriensis Epiſcopus paratum tenebat, cui magni pretii adamas infixus erat: accinxitque illum gladio ſuper femur ſuum. Quem elevatus in pedes Cæſar educens, & ter in aera vibratum, terque in terras defixum, porro ſupra ſiniſtrum brachium ſuum reclinatum, repoſuit in vaginam ad ſiniſtrum latus ſuum: rurſusque procumbens in genua, coronam quam vocant chalybeam, pontifex non absque ſolennibus ceremoniis capiti ejus impoſuit, remque Longobardiæ pronunciavit: ponensq; in manus ejus ſceptrum & mundum, ad ſingula ſacris quibusdam precibus & ceremoniis benedicens, plenariam regni tradidit adminiſtrationem. Quem poſtea ad pedum beatorum oſcula provolutũ, & gratias agentem, reverendiſſimi Cardinales attollentes, in regium ſolium inthronisârunt, regemque Longobardiæ proclamârunt. Tunc aſſurgens in pedes beatiſſimus pontifex, illud divorum Ambroſii & Auguſtini jubileum canticum: (Te Deum laudamus,) alta voce exorditur. Quod perinde pontificii cantores ſuaviſſima vocum melodia proſecuti ſunt. Continuata deinde ſuis utrobique obſervatis ritibus Miſſarum ſolennitate cum caneretur antiphona illa, quam offertorium dicunt, proceſſit ad altare Cæſar, & oblato munere ſuo, ſacri calicis operculum (patinam vocant) oſculatus eſt. Rurſusq; ad canticum Agnus Dei, accedens ad oſculum pacis, pontificem in maxillam dextram ſumma cum reverentia oſculatur. Cumq; jam poſtrema Miſſæ antiphona (quæ communionis nomen habet) caneretur, productus iterum ad altare Cæſar, ibique in genua procumbens, orationi religioſiſſimè intentus, ab ipſo reverendiſſimo Cardinale, qui pontificiam Miſſam peregerat, ſacratiſsimo Euchariſtiæ ſacramento refectus eſt. Porrò peractis omnibus beatiſsimus pater ſummus pontifex benedicens populo, centum annorum pœnitentiam ſingulis condonavit. Accipiens deinde per manum Cæſarem, qua venerant pompa, maximo omnium cum gaudio regrediuntur in palatium, ubi mutuo ſibi congratulantes conſalutantesque, unusquisq; reverſus eſt in triclinium ſuum. Eadem die poſt ſacram coronationem pomeridianis horis ingreſſus eſt Bononiam, magnificentiſsimus princeps Franciſcus Maria Rovera dux Vrbini, Romanæ urbis præfectus Cæſareus, cui generoſus Dominus à Rhodio, Cæſareæ domus magiſter primarius, cum multis Cæſareæ aulæ ſatrapis obviam profectus, Cæſareæ majeſtatis verbis honorificentiſsime excepit: neq; minus pleriq; cardinales & epiſcopi cum pontificiis aulicis eidẽ duci occurrentes, utro-

rumque

rumq; magnifica pompa in urbem traductus est. Residuumq; diei illius festivissima lætitia transactum, instaurati magnificis sumptibus ornatissimi triumphi, extructi arcus, parati ludi, variaq; gaudiorum spectacula, quæ urbs superba publico ærario, tum officiosi cives privatis sumptibus ultrò exhibuerunt. Per universam urbem, perque suburbia, per singula compita, cantibus & tibiis dulcissimisq; variorum musicæ instrumentorum modulis personabant tripudantium catervæ, felicem sibi illum diem congratulantes, ac Carolo Cæsari magnis lætitiæ clamoribus applaudentes: excitati ignes tanta copia, ut nocturnas tenebras flammarum splendore exuperarent, totamq; cum die noctem felicissimis gaudiis peregerunt.

Quid sequenti Longobardicam Coronationem die actum est.

POstea die perdurantibus adhuc publicis præcedētium gaudiorum ostentis, civibusq; Bononiensibus adhuc majora molientibus, nuntiatur interea adventus potentissimi Allobrogum principis, quem ducem Sabaudiæ hodie appellamus, tum aliorum quorundam è Germania superiore principum, in quorum occursum repente undarum in speciem effusa populi utriusq; sexus multitudo extra urbem, omnes vias opplevit, densissimisq; turbatum globis principibus illis quam longissimè procedere obviam gestiebat. Conspicitur primum illustrissimus Sabaudiæ dux Carolus, & Carolo divo Cæsari cognatus, cum insigni antistitum, abbatum, comitum, baronum, aliorumq; nobilissimorum virorum, auro & purpura resplendentium ornatissima turba, innumera equitum multitudine longa phalanga adventare. Quod ubi in aula Cæsaris rescitum est, illustris comes Henricus à Nassau, cum ornatissimo Cæsareorum procerum agmine adventanti Allobrogum principi occurrens, regiis Cæsareæ majestatis verbis salutem illi annunciabat, felicemq; adventum gratulabatur. Traduxitque intra urbem in palatium ad Cæsarem primum: cujus manum exosculatus, & ab illo benignissimè exceptus, post mutuas aliquot consabulationes dimittitur, accedensq; pontificem, post pedū beatorum oscula traducitur in diversorium suum illi magnificentissimè paratum, ubi ad imperatoriæ coronationis pompam (quæ in sequentem diem futura erat) se interea magnificentissimo ornatu apparabat. Non multo post Allobrogum principis ingressum venit serenissimi principis Ferdinandi, Vngariæ & Bohemiæ regis & Austriæ archiducis, Cæsareæ majestatis

jestatis germani fratris legatus & orator, nobilis & reverendus Dominus Bernhardus, episcopus Tridentinus. Venit etiam ex comitibus Palatinis Rheni atque Bavariæ ducibus, illustrissimus princeps Philippus, Cæsareæ majestatis agnatus, uterque Teutonico apparatu & equitum numero conspicuus, magnoque nobilium & equestris ordinis strenuorum virorum agmine stipatus: qui vicissim non minori consalutationis pompa congratulationisque gaudio excepti, sua diversoria magno omnium applausu traducti sunt. Nimis longum foret recensere, quibus honoribus principes illi à summo pontifice, à Cæsare, à patribus, à Bononiensi magistratu excepti sint: quibusque felicissimis studiis dies illa transacta est, tota in principum illorum ingressum occupata. Omnes plateæ, omnes domus, omnes fenestræ, omnia compita conspicientium multitudine complentur. Occurritur illis undiq; ornatissimis consalutantium, tālemque illis Cæsarem congratulantium pompis. Hinc insignes apicibus sacerdotes, & vetustissimæ scholæ, omni doctrinarum genere insignes, cum discipulis doctores: inde conspicua gravitate togati senatores, & municipali purpura venerandi civitatis consules, festivaque nobilitatis juventus. Feruntur omnes gaudio, singulaque loca publica lætitia occupabat. Ipsa plebs passim portas ac fenestras virentibus sertis coronabat, alii ad nocturna lumina funabula parabant, alii lignorum strues congerebant, alii fasces pice & bitumine illitas ad flammarum fomenta subjiciebant, alii ad solennia sequentis diei spectacula, ttiumphales arcus multiformes instaurabant, alii trophęa erigebant, alii ludorum magnificentiam adornabant, alii partas de hostibus innumerabiles Cæsaris victorias, superbè magnificeque effingebant, alii inventas novas terras, & ad Antipodas usque toto Oceano quæsitas remotissimas insulas ostentabant. Nullus aut ætate aut valetudine tam imbecillis, qui otio detineretur, qui non aliquid ad publicum gaudium, pari lætitia diligentiaque aut excogitaret aut operaretur: non matronæ: non virgines, non pueri, non tremulæ anus titubantesque senes suis muneribus. vacabant, quo felicissimam Caroli Cæsaris in Romanorum imperatorem coronationem, auspicatissima solennitatis pompa perpetuæ posterum memorię consecrarent. Sic tota illa dies cum in illustrissimorum principum illorum ingressum & consalutationem, tum in Cæsareæ Majestatis in Romanorum imperatorem futuram postera die coronationem, concelebrandam, festivissimis laboribus transacta est.

Qua

Qua pompa augustalis coronatio incœpta sit, & quo ordine summus Pontifex templum divi Petronij ingressus.

DEscribenda nobis nunc est Augustalis coronationis solennitas, quæ postridie à Longobardica coronatione peragēda restabat. Erat illa dies sexta Calend. Martias, dies ter felicissima terque albo calculo signanda, dies qua in hanc lucem æditus Cæsar, maxima omnium spe, nec vana quidem, mundi dominus natus est, dies qua de Gallis ab antiquo hostibus jam sæpe antea victor, tum etiam triumphator, capto illorum rege, gloriosissima & inaudita superis temporibus semperq; veneranda victoria potitus, unde tandem hæc nobis cum Gallis felicissima pax & affinitas parta est: Qua eadem die nunc Augustale Romani imperii diadema, è septimi Clementis summi Christianorum pontificis beatissimis manibus susceptit. Iamjā aderat optatissima illa dies, qua fugato atræ noctis nubilo cœlum matutino crepusculo, disiecta obscura tenebrarum caligine, ante solis exorientis radios adhuc propriæ lucis candore resplenderet, cum discursu triumphali nobilium turbæ plateas complent, tantaque hilaritudine cuncta gaudebant, & serena facie gestiebant, ut præter peculiarem morem etiam equi & canes, & quæque domestica hominibus animalia jucundis gestibus vocibusque exultare sentirentur, canoræque aviculæ suavissimos concentus ultra consuetum adsonarent, exultantiumque vocibus ipsum cœlum teboaret. Admurmurabant dulci Zephyro perflati arbores, erumpentibusque odoriferis floribus turgentibusque gemmis, amœna viridaria arridebāt. Sic campi, sic nemora, sic prata florulento virore alacritatem præ se ferebant, ut non bruma, sed ver ipsum pareret. Omnis creatura futurum imperatorem temporum dominum orbisq; totius rectorem, velut numen aliquod cœlitus demissum venerare videbatur. Longum esset hic referre incredibilem inæstimabilemque vestium ornatum, quibus inter se cum pomposi Hispani, tum magnifici Itali & profusi Burgundiones, & vinci impatientes Germani, magnificentissimis sumptibus concertabant, & quisque quibus potuit quām maximo sumptu comparatis, suum præ cæteris in Cæsarem affectum ostentare nitebatur. Hi aureis, illi argenteis, isti holosericis, alii polymitis, alii plamis, alii villosis tū infectis purpura & tinctis murice & cocco, tum Attalica Semira midaque textura & Phrygio opere elabo atis, insertisque cum unionibus variarum gemmarum lapillis

pillis resplendebant. Equi omnibus tales, quales Turno fuisse describit Vergilius, & Homerus ad Troiam venisse narrat Memnonis. Ea erat pomparum solennitas, cui nihil adjici ad gloriæ magnitudinem potuisset. Iamq; crescentibus orientis solis radiis illuxerat clara dies, cum principes & satrapæ cæterique nobiles, palatium protinus adeunt, ubi in amplissimam basilicam, ad alteram palatii contignationem ascendentes, omnes ad Cæsarem conveniunt. Quod ubi resciisset pontifex, dispositaq; esse omnia ipse prior pontificio ornatu sacrisq; vestibus indutus, multis admodum cardinalibus & episcopis singulis in pontificialibus eorum sociatus, templum divi Petronii hoc ordine ingreditur: Prægrediebantur bini & bini, cubicularii, ostiarii & scribæ apostolici. Post illos duodecim Bononiensis scholæ veteranī legum doctores equestri ordine & palatinatus dignitate à Cæsare recenter donati. Deinde octo ejusdem civitatis viri patricii venerabili pompa succedebant, quos sequebatur Rector universitatis sua purpura superbus. Deinde prætor urbis Bononiensis, quem Potestatem vulgo vocant, in veste aurata admodum conspicuus. Postea ibant auditores Rotæ cæterique judiciorum officiales. Demum LIII. cum episcopi cum archiepiscopi, singuli in pontificialibus suis venerabiles. Hos proximè sequebantur reverendissimi cardinales per ordinem videlicet Medices, Dorias, Grimaldus Gaddi, Mantuanus, Pisanus, Sanctæ crucis Cornarus, Grimannus, Perusius, Ravennates, Inchesordius, Campegius, Anconitanus, Sanctorum quatuor, Senensis, Farnesius, singuli in suis myrris & palliis, quæ pluviala vocant, quorum patagium scuti instar in terga dependet. De hinc duo ecclesiæ tribuni sive capitanei, quos Italicum vulgus confalonerios vocat, magnanimus comes Ludovicus Rangon, & magnificus dominus Laurentius Cibo, ambo armati incedebant. Post quos adhuc alii tres reverendissimi cardinales, Ceserinus, Cæsius & Cibo, beatissimo Pontifici assistentes ambulabant, in quorum medio sanctissimus pater Clemens ejus nominis Papa septimus, pontificio ornatu triplici diademate coronatus, in aurea pontificali cathedra ab octo purpuratis stipatoribus sub aureo umbraculo sublimis ferebatur. Quem deinceps ingens abbatum, protonotariorum, aliorumque cum ecclesiasticorum prælatorum tum secularium nobiliumque satrapatum magnatumque turba sequebatur. Cumque jam beatissimus pontifex intra templum prædictum ad altare majus usque applicuisset, singulis sua loca occupantibus, incœptum

est officium, quam concinentibus psalmis. Tertiam vocant: tum exhibita pontifici consueta obedientia à seniori cardinalium Farnesio incœpta, singulis deinceps pro suæ creationis ordine cardinalibus manum pontificis deosculantibus. Proinde singuli archiepiscopi, post etiam episcopi consimili ordine ad pedum oscula processerunt. Interea missi sunt duo ex reverendissimorum cardinalium cœtu, videlicet Salviatus & Rodolphus Diaconi Cardinales, ut Cæsarem adducerent in templum, qui hac quam nunc dicemus pompa palatio egreditur.

Quo ordine ex Palatio itum est in templum.

ANteibat ingens nobilium puerorum catavera, pulcherrimam de se speciem præbens: subsequebantur magno numero fulgidæ nobilitatis & equestris ordinis viri, omnes quidem magnifico ornatu spectabiles. Deinde complures barones, comites, marchiones & plerique duces, & sacri Romani imperii principes, quibus Cæsareæ aulæ diversorum munerum præfecti, satrapæ succedebant: Deinde externorum regum atque principum, videlicet Franciæ, Angliæ, Scotiæ, Lusitaniæ sive Portugalliæ, Vngariæ, Poloniæ, Bohemiæ, Austriæ, Sabaudiæ, tum etiam Cæsaris multorum suorum regnorum principatuumque, Castellæ Legionum, Arragoniæ, Navarræ, Neapolis, Siciliæ, Granatæ, Burgundiæ totiusque Austrasiæ & reliquorum paludati Heraldi, cæterique cum Fecialibus tum Caduceatores & Corynophori inspectione digni ambulabant. Post quos Cæsareæ aulæ architriclini, quos vocant magistros domus, cum suis arundinibus (Scipiones antiqui vocant) bini & bini pariter incedebant. Supremus autem & primarius magister, generosus Dominus à Rhodio, elevata arundine sua sequebatur illos solus. Continuo Cæsar, & qui coronationis insignia ferebāt principes, hoc ordine successerunt: Primum ibat illustris princeps Bonifacius Palæologus marchio Montisferrati, toga holoserica coccinea indutus & superveſtitus ex villosa purpura, patagiata chlamyde, candidissimis armellinis pellibus suffulta, tum & maximi sumptus gemmata tyara caput ejus integebat, sacrumque imperiale sceptrum aureum magnificentissima cum arte tum impensa elaboratum, dextera præferebat. Iuxtà sequebatur illum: strenuissimus & magnanimus princeps Franciscus Maria Rovera, dux Vrbini, etiam suo ducali ornatu incedens, qui imperatorium gladium (cujus capulus & vagina arte aurifica & gemmaria supra omnem æstimationem ad miraculum spectantium sunt elaborata) sua dextera elevatum attolebat. Insequuntur istos per ordinem, ex Palatinis Rheni & Bavariæ ducibus illustris princeps Philippus, ducali purpura ac tyara magnificè ornatus, qui aureum mundum manibus sustinebat. Deinde potentissimus Sabaudiæ dux Carolus in suo ducali habitu tam superbissimo sumptu elaborato, ut tyara illius supra C. milia ducatorum æstimata sit. Hic sacrum imperii diadema ex auro obryzo pretiosissimis lapillis refertum, adeoque sumptuosum, ut omnem æstimationem excedat, ambabus manibus gestabat. E vestigio divus Cæsar Carolus abolla regia vestitus, superindutus ex crispato auro Babilonicæ texturæ prælongo patagio, corona regia insignis, medius inter prænominatos illos duos pontificio ornatu infulatos diaconos cardinales incedebat, ejusque postremas fimbrias illustris comes Henricus à Nassau sustinebat. Proximè deinde sequebantur quatuor insignes episcopi, tum regum Franciæ, Angliæ, Scotiæ, Portugaliæ, Vngariæ, Bohœmiæ, Poloniæ, ducis Ferrariæ aliorumque principum, tum Venetorum, Genuensium, Senensium, Lucensium, Florentinorum, & aliarum gentium oratores atque legati, clarissimi quidem omnes. Postremò Cæsarei consilii senatores ac viri consulares secretorumque scribæ, & reliqua togatorum turba suis discreta ordinibus succedebat. Denique post longum illorum ordinem novissimo loco fulgentes auro loricati aliquot bipenniferi, processionis totius pompam claudebant.

Quibus Ceremoniis Augustalis coronatio peracta est, atq; generosus Adrianus de Croy dominus à Rhodio, in comitem provectus est.

CONvenerat omnis hæc multitudo, in ea quam diximus altiore palatii basilica, ex qua narrato ordine in inferiorem quæ in primo solario est basilicam descendebat. Erat ibi perforato muro constructum ostium peramplum, à quo extructus pons sublimis utraque parte munitus, & undique virentibus sertis ex hedera, myrto lauroque vestitus, insertis pontificiis & Cæsareis clypeis, per forum medium ad ostium templi divi Petronii per ducentos fermè passus, ea altitudine, qua erat prima palatii contignatio, sublimis protendebatur, atque exinde intra templum in chorum usq; contra altare majus paulatim declinabat: ad cujus extremum contra

ostium templi in sublimi suggesto fabricatum sacellum, divæ virginis intra turres phanum representabat: per hunc pontem in templum usque tota pompa sublimi procedebat. Cumque jam Cæsar ipse ad sacellum usque (quod diximus ad extremum pontis extructum) perveniisset, à Romanis canonicis & decano divi Petri (qui ad hoc ex urbe Romana Bononiam venerant) correptus, ductus est intra sacellum ad altare, ubi paratum illi erat pulpitum pretioso tapeto ac aureo hypocorismate instratum, in quod procumbens in genua Cæsar, post brevem orationculam jusiurandum beato Petro ejusque sanctissimo vicario Romano pontifici præstitit, in manus Salviati cardinalis, ea forma, qua Ludovicum Caroli filium juratile. Decreta confirmant. Tunc per venerabilem Ciceræ episcopum Aniostum Ferrariensem, summi pontificis architriclinum indutus Cæsar linostolio, quod superpellicium vocant, acceptaque quæ dicitur amicia in canonicum sancti Petri investitus est. Cui sic stanti ante altare, decanus & singuli per ordinem canonici, exhibita augustali reverentia, manus deosculati sunt. Egressus deinde sacellum illud, à duobus illis ducibus cardinalibus medio interceptus, traductus est intra templum, ad cujus ostium ab aliis duobus reverendissimis & post priorem senioribus episcopis cardinalibus, Anconitano & sanctorum quatuor coronatorum, summa cum honorificentia obviam exceptus, post certas preculas intra templum abducitur. Vix Cæsar cum cardinalibus prætergressus ostium templi, insequentibus aliquot armatis stipatoribus; pons ipse super quem ingrediebantur xx. fermè pedum longitudine confractus corruit, ceciderunt que innumeri, unus aut alter moribundi, pauci vulnerati inventi sunt: res ab omnibus miraculo tenus habita, non omnes unà periisse. Plerique hanc rem in omen vertentes, ex confracto ponte nullum deinceps alium imperatorem coronatum iri, vaticinari ausi sunt. Iamque Cæsar ingressus templum ad sacellum divo Gregorio intitulatum traducitur, ubi positis superpellicio atque amicia, per venerabilem Caurienſem antistitem, sacris vestibus, humerali & alba, & Dalmatica, & tibialibus, & sandaliis indutus est, ac imperiali trabea circumdatus, quæ Babylonicis ac Phrygiis artibus contexta, & insertis pretiosissimis gemmis multiformiter variegata, sic ut cum descriptione sit difficilis, tum pondere fere importabilis, magnificentia ejus etiam supra omne pretium inæstimabilis existat. Hoc sacro atque pretiosissimo habitu adornatus Cæsar, duobus præsulibus à quovis latere,

latere, videlicet Barrensi, Palatinensi, Brixensi & Caurensi, ac illustri comite de Nausſau à tergo, gemmatæ trabeæ grave pondus sustinentibus, medius duorum cardinalium ad medium usque templi, cui loco Rotæ Porphyreæ nomen indiderant, traductus est: ibi trinam benedictionem accipiens, proinde ducitur ad altare majus, quod divi Petri apostoli Romanam aram repræsentabat. Ibi super aureum mattam, aureo pluvino subdito provolutus, usque post cantatas litanias aliaque suffragia, permansit: quem postea attollentes duo cardinales, videlicet Campegius prior presbyterorum, & Cibo prior diaconorum, in sacellum divo Mauritio adscriptum, abduxerunt: ibi per præstantissimum patrem cardinalem Farnesium Ostiensem antistitem, & cardinalium episcoporum priorem, sed & totius reverendissimorum cardinalium collegii seniorem atque decanum (exutus prius & solutus vestibus) sacrosancto chrysmate, à dextræ manus restricta usque in cubitum, atque intra utrasque spatulas in dorso, non sine sacratissimis benedictionibus & ceremoniarum ritibus delinitus est, & per venerandum Caurienſem episcopum detersus, & quo fuerat indutus sacro pretioso que amictu restitutus. Tunc rursus Salviatus & Rudolphus cardinales qui Farnesio astiterant, unà cum illo conducunt eum ad summum pontificem primum, qui sacro pontificii ornatu in sancta apostolica cathedra omnipotentis dei vicarius sedebat juxta altare. Cui exhibens solennem reverentiam Cæsar, super stratum magnificentissimum ante illum procumbebat. Accedens autem ad altare pontifex, rem divinam pari religione, maxima cum solennitate inchoavit, peractaque confessione cum absolutione, ac intonato per eum alta voce Missæ introitu, & suffito altari, accedens pontificem divus Cæsar osculatus est illum in maxilla & in pectore: deinde præcedentibus principibus atque coronationis insignia ferentibus, traductus est Cæsar in solium, quod illi paratum erat in imo chori, quo etiam abductus erat pontifex, in cathedram illi paratam. Redeuntesq; principes ad altare, posuerunt insignia, quæ per ceremoniarum magistrum qui sacris præerat, locata sunt super altare, reversique sunt principes ad Cæsarem in subsellia sua. Interea cum res divina diversis ceremoniis usque post canonicæ epistolæ lectionem (quam duo acolyti. Ioannes Albertinus subdiaconus apostolicus Latinè, & Braccius Martellus camera camerarius pontificis Græcè canebant) peracta esset, adduxerunt Cæsarem prædicti duo cardinales ad pon-

tificem ante quem super pulvillo aureo Attalicæ stragulæ injecto in genua procubuit. Tunc per episcopum Pistaurien-sem sublatus ex altari sacer gladius, & datus diacono cardinali, è cujus manibus accipiens illum pontifex, & eductum & è vagina sua benedicens, dedit in dexteram Cæsari, & belli jura tradidit, inquiens: Accipe gladium sanctum, munus à deo, in quo concides adversarios populi dei Israël. Quem rursus accipiens è manu Cæsaris, qui Missæ ministrabat diaconus cardinalis, remisit in vaginam reddiditque pontifici: qui juvantibus cardinalibus accinxit illo Cæsarem super femur suum sinistrum. Tunc surgens in pedes Cæsar, eductum gladium valida dextra ter in aëra vibravit, & ad singulas vices aciem in terram defixit. Porrò remisit illum in vaginam suam, & reclinavit se in genua ante pontificem: qui solennibus ceremoniis, ad singula benedicens, aureum illud pomum mundi repræsentaculum, dextræ: atque sceptrum immortale virtutis & fidei pignus, sinistræ manibus ejus per vices imponens, orbis imperium illi tradidit gubernandum, quod & ille magno animo regendum suscepit: Postremò solennissimis ceremoniis sanctissimisque benedictionibus imperiale diadema sacrato capiti imposuit, sacratissimum illi imperatoris nomen characteremque contribuens. Mox omnis ætas, sexus & ordo, ad sacrati capitis diadematisque conspectuum effusissimo gaudio stupefacti, & quasi extra se positi sunt. Quorum intimam candidissimi animi lætitiam, quæ res magis exprimere potuit quàm lachrymæ, quæ passim spectantium genas irrigabant: Tunc provolutus ad pedum beatorum oscula Imperator, jacentem illum ad pedes suos Clemens pontifex clementissimo affatu, juvantibus cardinalibus attollit. Tum discinctus est & gladius, & evaginatus traditus est strenuissimo duci Vrbinati, præferendus. Tum duo illi reverendissimi cardinales, Salviatus, & Rudolphus, imperatorem jam diademate coronatum, in sinistra sceptrum, in dextra mundum gestantem, in thronum suum, qui juxta summi pontificis cathedram magnificentissime apparatus erat, produxerunt: & statutis ceremoniis inthronisarunt Carolum V. Romanorum imperatorem semper Augustum, mundi totius dominum, universis principibus & populis semper venerandum metuendumque denunciantes. Sedebatque imperator ad sinistram pontificis, superior primo cardinali episcopo: assidebantque, illi duo cardinales diaconi, sicut assidere solent pontifici, & quatuor episcopi. Interea cantata sunt pro imperatore

ratore suffragia, quam Litaniam vocant, invocantibus divos cardinalibus diaconis, & respondentibus cantoribus: Tu illum adjuva: loco illius quod dici solet: Ora pro nobis. Finitis tandem suffragiorum supplicationibus, sanctum domini Evangelium utraque lingua, primum Latina per Cardinalem Ceserinum, deinde Græca per Archiepiscopum Rhodiorum, alta voce lectum est. Postea fidei Christianæ Nicenum symbolum dulcissima harmonia cantatum. Cumque ad Offertorium ventum esset, Imperator depositis in manus principum diademate, sceptro & pomo, ac simul magnificentissima illa trabea, nudus capite in sacra Dalmatica tunica procedens ad altare, obtulit munus suum ad pedes pontificis. Erat autem munus xxx. nummum aureorum, & singuli valoris ducatorum x. eò quod esset ei dies illa natalitia, qua jam xxx. ætatis annum complevit. Consuevit enim quotannis die illa totidem nummos aureos offerre, quot annorum tunc complesset ætatem. Facta oblatione offertur pontifici solennibus ritibus lavamen: qui lotis manibus accessit ad altare: quem secutus Imperator, ministravit illi, & hostias & vinum, & aquam sacrificanda porrigens, deinde flexis genibus procubuit in pulpitum, aureis peristromate & pulvinis constratum, quod illi paratum erat ad cornu altaris, permansitque ibi intentus sacro Missæ canoni usquequo caneretur: Agnus Dei. Tum surgens adiit pontificem, illumque oscula pacis in dextra maxilla atque in pectore deosculatus est. Tum secutus pontificem ab altari, ambo reversi sunt ad sedes suas: juxta quas prostrati in genua, junctis manibus, nudis capitibus, devotissimis orationibus intenti, sacratissimum Eucharistiæ pabulum summa cum religione expectabant, quam summus sacerdos, & pontifex super patinam reliquerat in altari. Accipiensque Cardinalis Cibo, qui diaconus Missæ ministrabat, sacram patinam, elevansque ante altare, coram universo populo monstrabat, tradiditque deinde alteri Cardinali Cesis, qui subdiaconum agebat. Hic accipiens illam, religiosissima reverentia pertulit ad pontificem: qui accipiens manibus Eucharistiam, quæ majuscula hostia erat, benedixit & fregit per medium, in cujus una parte devotissima mentis contemplatione Christi corpus depastus est. Deinde allato sibi benedicto calice, sacratissimum Christi sanguinem aureo calamo pari devotione exuxit: porrò ex alio calice vinum ablutionis hausit. Deinde fregit alteram partem hostiæ, deditque duobus Cardinalibus, Cæsarino diacono, & Alberi-

no subdiacono. Communicato pontifice & duobus illis cardinalibus, procubuit ante illum Imperator: coram quo illustris comes à Nassau, & generosus dominus à Rhodio: hic cubiculi, illi architriclinii, præfecti primarii, magnificentissimam mappam ex byssо auroque contextam, atq; ex margaritis aliisque pretiosis lapillis elaborato sumptuoso limbo circundatam, tenebant. Tum pontifex Imperatori sacrosanctissimum dominici corporis Sacramentum, in alia minore hostia propriis manibus ministravit. Quod cum ille devotissima reverentia accepisset, surgens, pontificem in maxillam osculatur: rursusq; recumbens in genua, è manibus diaconi cardinalis, vinum, quod vocant perceptionis, recepit, prægustante sibi reverendo Caurienſi episcopo. Deinde pluribus orationibus à pontifice benedictus, surgens regressus est in thronum suum indutusque Imperiali trabea, acceptis in manibus mundo atque sceptro, impositо sacro capiti diademate, vocari ad se jussit generosum virum Adrianum à Croy Rhodii dominum, jamdudum aurei velleris militiæ adscitum ac architriclinio supra cæteros præfectum: cui ante majestatem suam procumbenti, in hæc verba locutus est: Non me latent generosæ Adrianæ majorum tuorum vetustissimæ nobilitatis imagines, eorundemque prædecessores nostros ingentia merita. Sed nec tuam in majorum tuorum virtute imitanda constantiam ignoro, qui tua strenuè gesta magnificeque facta expertus, dignum virtutibus tuis præmium referre statuens, te unum vocavi & elegi, in quem hujus sacri diadematis primitias impenderem, teque, quod & merita tua depoſcunt & virtutes tuæ merentur, in sacri Romani Imperii Comitem proveherem. Quæ dignitas nunc nostro Imperio gloria, tibiq; ac tuis successoribus perpetuum decus esto: Sacri Romani Imperii comes bona fide appellantor, tuoque Rhodio dominio, cum adjacentibus illi terris tuis, tu & successores tui, deinceps Comitatus titulo fruuntor, æqualem cum cæteris Rom. Imp. comitibus dignitatem habento, paribus honoribus, privilegiis, præeminentiis libertateq; sine ulla contradictione utuntor. Qui in istis contradicere tibi ausus fuerit, aut obstinatus non paruerit, sacri Romani Imp. rebellis, & majestatis nostræ reus habentor. Attonitus insperatæ dignitatis gaudio Rhodius Comes, cum longiore sermone Imperatori gratias dicere intenderet, pontifex ad altare concessit, Missamque cum benedictione peregit, omnibus & singulis cum in templo tum foris, Imperialis coronationis venerationi

nerationi intentis, plenariam peccatorum omnium remissionem condonans.

Quæ in foro & civitate durantibus sacris interea gesta sunt, & quo apparatu Bononienſis populus coronatum Imperatorem videre gestiens, excipiebat.

DVm hæc quæ diximus in templo geruntur, erant in foro quod ante templum est, eremæ marmoreæ duæ columnæ, supra quas insidentes, una prægrandis ac biceps aquila, duoque à lateribus inaurati leones, qui epistomiorum fungentes officio, interea quo sacra peragebantur perque totam diem & profundam noctem, hinc leones album, inde aquila rubrum, suavissima vina continuo profundebant: juxta verò auratis cornibus & ungulis bos Troianus, varii generis minutis bestiolis cum quadrupedibus tum volatilibus infarcitus, integer in prælonga ac robustissima cuspide volutus torrebatur. Pluebant à fenestris panes artolagani, placentulæ, brachiola, panesque dulciarii, tum fructus varii, poma, pira, castaneæ nuces, & incrustatæ zaccaro auellanæ, amygdalæ, coriandri, atque id genus plura, quæ expectabundam plebem juventutemq; interea cum reficerent tum solatiarentur. Præterea ingens electissimorum militum exercitus, multiplici cataphractorum equitum turma, gemina & Hispanorum & Germanorum peditum acie, numerosisq; sclopetariorum sagittariis, tum supra viginti ingentium bombardarum machinis instructus, ne qua seditio oriretur, omnes aditus occupabat, ac circa palatium atque templum custodias agebat: cui Antonius de Leva dux primarius, nomine Cæsaris imperabat. Eratque ipse armatus totus, sedens in cathedra sua in foro ante prætorium, & cæteri militum duces, cum Hispani, tum Burgundiones & Alemanni juxta illum. Peractis sacris data est mora quieti, dictaque Imperatori Panegyrica quousque populus templo excederet, cæteriq; ad processionis pompam sese conscensis equis in ordinem disponerent. Iam ergo promiscuus utriusque sexus populus, qui supra centum milia hominum æstimatus est, egrediens templo, per varias turmas & cuneos Imperatorem suum videre gestiens, quo ille ingressurus esset, ferebatur: omnes sui ordinis & decoris obliti, quem sors cuique locum obtulisset, occupabat. Conscendunt alii tecta, & summis pendent tegulis, alii trabibus insident, alii columnis implexi, alii muris hærent: omnes fenestræ, omnes rimulæ suis

spectatoribus refertæ: perforati parietes & diruptæ maceries, quo oculos suos tam expectati Imperatoris spectaculo populus expleret, nullus locus non occupatus, ne iis quidem, qui non nisi ruinosum & periculo proximũ caperet vestigium. Laborabant referta hominum pondere tecta, neque minus vias omnes densissimæ populi turbæ opplebant: non ætas, non sexus, non valetudo, quenquam detinere potuit, omnes pari gaudio, pari alacritate ad novi Imperatoris spectaculum tanquam ad numen aliquod in communẽ omnium salutem è cœlis demissum, procurrere. Quid referam civitatis apparatus, publicè privatimque supra modum adornatos. Quacunque via ingressurus erat Imperator, expurgatæ plateæ, & viridibus juncis graminibusque, & multorum colorũ floribus insperſæ, suavissimos odores latè profundebant. Parietes omnes peripetasmatibus auro purpuraque distinctis, & hinc atque hinc longè pendentibus latè radiabant, affixaque matronarũ sumptuosa monilia, pendentiaque longis tractibus aurea balthea, tum aurea & argentea vasa instar scalarum per gradus exposita, crebris repercussi solis radiis fulgurabant: neque minus venustissimæ quæque mulieres & puellæ in fenestris & porticibus per distincta intervalla dispositæ pretiosissimis vestibus & monilibus ornatæ, transeuntium quorumque oculos perstringebunt. Sed vicit privata studia publicus apparatus. Extructi arcus triumphales, erecta trophea, æditi ludi, celebratæ multæ admodum Imperatoris felicissimæ victoriæ, parata ad omnes angulos spectaculorum ostenta, & inscripta aureis literis encomiorum & panegyricorũ heroica carmina. Nihil unquã visum aut etiã auditũ festivius, nihil lætius, nihil magnificentius ejus diei spectaculo.

Qua pompa post coronationem publica processio habita est.

CAeternum nunc processionis ordo recitandus est: Digressa enim à templo plebe, pontifex summus sacerdotalibus interea exutus, acceptaque in caput magnificentissima corona ac triplici insignita tyara, unà cum Imperatore diademate coronato, templo prodibat: ad ostium ptoductus est pontifici nivei candoris equus gradarius aureis habenis, ac monili frontalitio purpureoque ephippio insignis. Ad cujus strapedes insilente pontifice cùm Imperator manum appossisset, vix passus hæc clementissimus pater, his verbis Imperatorem

torem alloquitur: Nequaquam id feceris fili mi Imperatorque invicte. Satis mihi supraque satis humanitatis tuæ obsequentissima voluntas, quam tamen non in meam personam, sed illius cujus vices gero, habeo acceptissimam. Cumq; jam insendisset equum pontifex, apprehendens frenum Imp. ductoris obsequium illi aliquot passus exhibiturus: quod beatissimus pater nequaquam passus est. Tum datus est Imperatori equus, etiam niveo candore & sublimi altitudine illustris. quin & magnificentissime ephippiatus phaleratusque auro & gemmis undique refulgens: cui insidens Imperator, altior omnibus eminebat, ut à cunctis conspiceretur. Post cæteri principes totaque nobilitas consensis equis, hoc ordine procedebant, ut duo & duo pariter ambularent. pontificii à dextris, Cæsarei à sinistris præequitabant, cocco & purpura relucentes, cum cardinalium pontificumque, tum principum secularium familiares ministri. Sequebantur auro & argento magnifice fulgentes pontificii ac Imperatorii satrapæ, & phaleratis equis bellorum maximi duces. Post quorum agmen duodecim Bononiensis populi vexilla alba, rubra cruce insignita, totidem signiferi pedites præferebant. Quos e vestigiò Tribuni plebis sequebantur, quibus sexdecim Bononiensium Collegiorum rubra vexilla succedebant, post quæ Bononiensis scholæ duodecim legum doctores, sua purpura aureisque armillis insignes, atque Bononiensis urbis gubernator elevatam arundinem tenens, suis lateronibus & satellitibus stipatus: tum nobilis & strenuus vir Angelus Raynuntius capitaneus justitiæ, phalerato equo insidens, armatus & aurea lacinia superamictus, Bononiensis urbis vexillum attollebat. Deinde quatuor rubra vexilla totidem pontificii satellites, quos vocant cursores, ferebant: ad quæ pontificii cubicularii, atque ipsa ducis Pennæ familia sequebatur. Post quos antiquum populi Romani vexillum Iulius Cæsarinus comes portabat. Deinde quod dicitur divi Georgii vexillum junior Marchio Anguillariæ gestabat. Postea Romani Imperii Aquilam generosus ex Vergeria prosapia baro Autregius attollebat: succedebat, vexillum pontificis, vexillum ecclesiæ, porro vexillum Crucis: quorum primum comes Ludovicus Rangon, alterum nobilis baro Gabriel Romanæ militiæ tribunus, tertium magnificus Laurentius Cibo nudo capite gestabant. Sequebãtur deinde sex albicantes equi superbissimis ephippiis phalerisque magnificentissime adornati, quos totidem purpurati helciarii à manibus ducebant.

Tum

Tum quatuor pontificis insignes tyaras totidem cubicuiarii ferebant, quos deinde longissimus cæterorum, cubiculariorũ, acalytorũ & pontificiæ aulæ clericorũ scribarumq; ordo sequutus, tum causidicorũ, advocatorum, & Injurisconsultorũ ingens numerus. Porrò auditores Rotæ suo cocco & purpura insignes obequitabant. Sequebantur deinde tympanistarum, tibicinum, cornicum, tubicinum, singuli suum taratantara tonantium multitudo non modica. Quos è vestigio sequuntur ostiarii, janitores, lictores, virgiferi, bacularii, corynophori: deinde principum regumque & Imperatoriæ Majestatis Heraldi suis paludamentis ac phaleris magnificentissimi. His succedebant diversorum populorum tum principum atq; regũ oratores & legati Postea subdiaconus quidam summi pontificis pastoralem baculum triplici cruce insignitũ præferebat, post quem alter pontificiam prædivitẽ tyaram ostentabat. Sequuntur alii duo, qui totidem ardentibus lychnis aurea candelabra gestabant. Deinde dominici corporis adorandum Sacramentũ in sua capsula, super nivei candoris aurato tegmine magnifice phalerato gradario ferebatur sub holoserico umbraculo, quod duodecim Bononiensium, cum viri patricii tũ doctores physici sustentabant, atq; duodecim candidæ ceræ ardentib. tedis pontificii cubicularii ab utraq; parte comitabantur. Proxime deinde sequebatur summi ponrificis sacrista, cãdidam virgam manu gestans. Tum procedebant celeberrima pompa, ad septuaginta ferè diversi ordinis & per sua distincti agmina comites, marchiones, duces & principes, omnes aureis vestibus, & singuli suis lateronib. & satellitib. magnifice stipati. Quos deinceps ferè ducẽti holoserico & polymito vestitu superbissimi satrapæ, etiam suo satellitio stipati per ordine sequebantur. Postea elevatis arundinibus suis Imperatorii architriclini, quos Magistros domus vocant, tum & Magnus Magister, jam comes à Rhodio succedebat solus, quem proxime armorum rex Heraldus, cui à Burgundia nomen est, paludatus antecedebat aureo argenteoque nomismate plenas bulgas (hypoperas alii vocant) ab equi ephippio suspensas ferens, è quibus ad utraque viæ latera, cum inter eundum tum inter redeundum plenis manibus in plebem spargebat, Imperatoris liberalitatem proclamans, quæ tunc Imperium, Imperium, Imperium, vivat Carolus Imp. catholicus, vicissim acclamabat. Erat autem nomisma quod largiebatur, Imperatoris effigiem, cum inscriptione, CAROLUS V. IMPERATOR

TOR AUGUSTUS, ab una parte insculptam habens: ab alia verò ejusdem divi Imperatoris sphrageticum signum, duas videlicet columnas, in quorum medio annorum Christi numerus arithmeticis apicibus expressius erat, circumscriptumque PLUS ULTRA. Post magnum domus Magistrum purpuratorum patrum, reverendissimorum videlicet cardinalium cœtus, suo cardineo ornatu procedebat: sequebantur suo ordine principes illi superius nominati, sacri imperii insignia ferentes. Evestigiò beatissimus pontifex, atque à sinistris ejus divus Imperator diademate illo sumptuosissimo coronatus, aurea gemmataque trabea circumamictus, sed illa superinæstimabili quam antea diximus propter importabile pondus relicta, ambo eodem sub umbraculo, quod à tribus Venetorum Oratoribus, & aliis tribus Bononiensium patriciis attollebatur, mirifico decore incedebant. Quos ab utroque latere pontificii Imperatoriique laterones, cum Hispani cum Burgundiones, & Germani Alemannique stellites longissimo tractu à plebis intercursu constipabant. Acclamabant omnis sexus: omnis ætas, omnis status, vivat Carolus, vivat Imperator, Imperii quoque nomen in cœlum tollebant: tum redolentissima diapatmata imposita thymiateriis adolebant, cyprioque pulvere transeuntes perfundebant. Sequebantur proxime à tergo pontificẽm duo cubicuarii, & duo alii ob pontificis in eos fidem ac benevolentiam conspicui viri, horum unus illis à secretis scriba, alter verò vitæ illius valetudinisque præ cæteris curam agens physicus atque medicus. Imperatori verò proxime succedebant illustris comes à Massau, deinde archiepiscopus Bartensis, post Caurensis episcopus, demumque generosus simul & reverendus Georgius Austrius episcopus Brixiensis, postea spectabilis vir Nicolaus Pernotus dominus Grandivallis, tum spectabilis dominus Michael Majus, Imperatoriæ majestatæ apud summum pontificem Orator perpetuus: porro innumeri canonum legumque doctores ac viri consulares, multi etiam ecclesiastici proceres & prælati. Horum omnium turbam postremo premebant longis ordinibus cataphractorum equitum galeatæ phalanges, suis signis tesserisque distinctæ, ut quæ marchioni Ascolensi, quæ comiti à Rhodio, quæ baroni Antregio, quæ Viennæ domino, quæ baroni sancti Saturnini cæterisque strenuissimis ducibus parerent, facile internoscerentur, quorum agmen auratis loricis interlucentes hypotoxotæ claudebant. Hac celeberrima pompa pontifex atque Imp. ad divi Domini tem-

HAEC OBLATIO DIGITALIS UNIVERSITÄTSBIBLIOTHEK

mini templum versus progrediebantur. Cumque medium itineris ad quingentos fermè passus pariter jam emensi essent, tunc multa honorificentia sese consalutantes, pontifex benedicens Imperatoris, per aliam viam divertens, cum suis stipatoribus ad palatium regressus est, Imperatore suis cum ordinibus ad præfatum templum procedente. Cumque jam desiliisset equo ad fores templi, aderant ibi ex urbe Roma in albis suis canonici divi Ioannis ad Lateranum, qui Imperatorem qua decuit reverentia excipientes institutis ad id ceremoniis, in canonicum tum Lateranensem adsciverunt. Tum Imperator divi patris Dominici sacram ædem ingressus, deo gratias agens, adorabat ad altare, peractisque precibus sumpto in caput diademate, paratum ibi solium conscendens, assumensque in manus cum aureum pomum tum evaginatum gladium, multos & strenuos & bene meritos viros equestri ordini ascivit, ac aurata militia condonavit. His peractis rursus conscendens equum Imperator, eadem qua venerat pompa, sed per aliam viam palatium versus regreditur. Itaque jam arcubus & spectaculis omnibus præteritis & perlustratis, ubi ad forum ventum est, extemplò qui restiterunt ad custodiam supra octo milia delectæ militiæ cum Hispani tum Germani pedites, sclopetas omnes tum & majores machinas tanto sonitu fulgureque exonerant, ac si Iupiter ipse quicquid uspiam in thesauris suis fulminum tonitruorumque conclusum habuerit, id totum pariter simulque tunc cœlo demisisset. Præterea personabant in cœlum campanæ, tum verò vario genere tympanorum, tibiarum tubarumque nubes perstrepebant. Tum populus omnis ingentibus clamoribus Imperii vocem in cœlum efferens, Caroli nomen ejusque victorias & triumphos indefessis vocibus extollebat. Omnes supinis manibus gratias agebant deo gratulabanturque novo Imperatori, applaudebant mutuo sibiipsis, felicem Carolum Augustum, felicem eo Imperatore Italiam, felices sese omnes qui eum diem vidissent, exclamabant. Tum excitati per universam urbem ignes, turres omnes festivis facibus & impositis stipitibus flammis coruscabant, fenestræ omnes lucernis, cedis & cujuscunque generis ficti luminis cœlestium syderum splendorem vincebant: suburbia præterea & circumquaque adjacentes pagi oppida, villæ & castella, accensis in cœlum ignibus diei noctem æqualem reddebant, pulsantibusque campanis lætitiæ signa latè monstrabant. Nulla species pulchrior, nulla pompa felicior, nullus triumphus illustrior unquam visus est. Nullus dierum, quos annalium vetustas consecratos in literis habet, cujus tam insignis gratulatio, tam effusum gaudium, tam celebres triumphi cum fuerint tum esse debuerint, unquam à condita urbe, Bononiensi populo illuxit.

De reditu Imperatoris in palatium & convivij solennis apparatu.

HAc magnificentissima pompa inclinante se jam die, reversusq; ad palatium Imperator desiliens equo, primum eos qui signa & vexilla præferebant, tum umbraculum gestaverant, & alios plerosque cum nobiles tum cives & scholasticos equestris ordinis auratos milites, procreavit. Deinde Basilicam amplissimam aulam auratis laquearijs & Babylonicis peripetasinatibus suspensam tapetisque instratam, principibus comitantibus ascendit. Cernebantur ibi appensi laquearibus argenti polymixi pensiliaque candelabra, quæ luminosis cereis redolentibusque lychnis referta, lumina latè profundebant. Conspiciebatur ibi etiam extructus amplissimus abacus, varij generis aureis escarijs & poculis, puta lancibus & lebetibus, cenophoris, amphoris, phialis, scyphis, cyathis, pateris tragematarijs miro artificio cælatis, gemmatisque calicibus, & id genus epitrapeziis confertus. Ad caput autem Basilicæ sub aureo conopæo Imperatoris mensa sita erat, & juxtà non longè altera mensa, qua magnificentissimus Subaudiæ dux cæterique principes, qui coronationis insignia portarunt, recumbituri essent. Erant etiam cæteris principibus ac prælatis primoribusque satrapis suspensa peristromatibus & instrata auleis, suisque abacis & mensis magnifice parata cœnacula. Iam hora aderat convivii, & instructis mensis accumbebat summum thronum Imperator, ac deinde per ordinem cæteri principes suas mensas accumbunt. Dantur aquæ manibus, & solenni Oratione mensæ benedicitur. Tunc primores satrapæ (Dapiferos idcirco vocant) præeuntibus cum suis scipionibus architriclinis, argenteis canistris panem, & auratis patinis varia tuceta, leucophaga, frictellas, tortas, & quicquid præclarum ars Apitia excogitare potuit, inferunt. Deinde secundis mensis grandioribus lancibus exquisitissimas per ordinem epulas copiosè apponunt, assa, elixa, jusculenta, frixa, pastilia, promulsidaria, pultaria, crustulenta, aliaque lautissimorum eduliorum genera sapidissimis succorum multijugis condimentis suffusa, multa quoque supra appetentiam discumbentium magnificentiæ causa illata sunt. Porrò tertiis mensis quæ cœnam

cœnam clauderent, variegata conquinariis artificiis multarum figurarum tragemata bellariaque ministrabantur: nec deerant toto convivio varii generis generosissima vina, stabâtque prestò pincernæ pocula singulis pro libito ingerentes, propinatoresque ad omnes epulas & pocula prægustabant. Illud quoque magnificæ liberalitatis spectaculum multis admirationi fuit, quod post singulas dapes levatæ mappæ & mantilia, unà cum auratis argenteisque patinis & lancibus, cumque cibariis à fenestris in forum præda plebi projiciebantur, structoribus interea alia supra alia imponentibus. Cumque jam absoluta esset cœna, diutis pro more odoratissima aqua manibus, remotis mensis, iterum solennibus precibus redditæ sunt Deo gratiæ. Tunc Imperator accepto in manus sacro gladio, plurimos rursus cum nobiles tum consulares viros equestris ordinis honorem dignitatemque provexit. Magna deniq; parte, noctis transacta, principes singuli consalutato Imperatore, ad sua diversoria cubitum facessunt, populo Bononiensi adhuc pluribus florulentis diebus ignitisq; noctibus festivitatis celebritatem jugiter continuante.

Totius Operis Peroratio.

DIcite io Pæan, & iobis dicite Pæan: illa enim quæ omnibus horis omnium votis indefessis precibus semper optavimus, illa inquam felicissima dies tandem nobis illuxit. Coronatus est Carolus V. Imper. semper Augustus, cujus in Italiam adventu mox pacati hostes, discessum ab armis, composita bella, confœderati principes & respublicæ, sedati tumultus, revocati in concordiam factiosi optimates, totaque Italia post tot armorum miserrimam afflictionem à gravissimo tyrannidis jugo vindicata, & vera Imperii luce recreata securitati & libertati restituta est. Sola Florentia restat armis & obsidione cincta, quæ (si summi pontificis prætensa jura paterentur) ipsa quoque Imperatoris nutibus lubentissime obsequeretur. Cæteræ omnes Christianæ nationes tanti Imperatoris, aut pietate devinctæ, aut metu quietæ sunt. Quem principem divinitus constitutum & ab ipso deo repertum, vocatum, electum atque missum ad hoc amplissimum Imperium moderandum videmus. Cujus gloria humanum modum supergressa, ipsaque rerum gestarum insperata magnitudo, & inimicorum tuorum victores exercitus divinitus profligati testantur, quia non est alius princeps qui habeat sic appro-

appropinquantem sibi Deum, sicut adest illi Dominus Deus noster: quo auspicio jam divinare audemus, non nisi nonum & ingens majusque miraculum secuturum: nullum autem majus neque Reipublicæ Christianæ salubrius evenire poterit, quàm quod sublatis quæ circa religionem nostram in Germania factiones grassantur, expurgatisque & extinctis pravis errorum opinionibus: (quod in proximis istis Germanorum comitiis cum divino consilio tum Imperatoris obsequio futurum certò speramus) ecclesiæ catholicæ pacem tranquillitatemque restituat. Deinde etiam has suas provincias, licet felicissima pace fruentes, adventum numinis sui illustret reddatque feliciores, quo sic tandem pacato orbe Christiano, unanimi principum & populorum consensu contra immanissimos Turcas Christianæ religionis sanguinarios hostes, victrices ferat aquilas, favente Deo optimo, maximo, æterno. Quem nos suppliciter, obnixè & indesinenter, omniq; votorum nuncupatione precamur, ut Carolum V. optimum humani generis Imperatorem Augustum, in longissimos annos nobis & posteris nostris (neque verò illi melius quicquam optare possumus quàm quo fruimur ipsi) semper felicissimum, invictissimum, triumphatorem, conservet & augeat, utque omnia sibi pro desiderio divini animi sui, quo nocere quidem nemini, prodesse verò omnibus velit ad incrementum Christianæ religionis, imperii amplitudinem, & nominis gloriæque immortalitatem prosperè felicissimeque succedant. Et nos omnes tam optimo felicissimoque imperatore, obedientia, fide, gratitudine, dignos reddat & diutissimè frui concedat.

FINIS.

HENRICI CORNELII AGRIPPÆ IN TRIUMPHALEM Caroli Cæsaris coronationem Epigramma.

ROma tuus ſileat Cæſar ſileantq; triumphi,
Et quæ teſtantur pægmata facta ducum.
En quid miramur Gratos iuvenemq; potentem,
Quem meritò magnum ſecula priſca canunt?
Maius habet terras numen, maiorq; triumphus,
Maius & imperium, gloria fama, decus.
Diis genitus, pietate nitens, iuvenilibus annis
Carolus, & bello clarior atque toga.
Arma movet Gallis, Helvetica corda retundit,
Et tua nil trepidat tela Britanne ferox.
Eridanus croceo decurrit ſanguine, Tybris
Illachrymat, Rhodanum triſtior unda premit.
Vos etiam Ligures & Punica littora, Iberum
Quàm nocuit ſero hunc coluiſſe deum.
Nec modò Chriſticolas, verum Garamantes & Indos,
Arctoosq; ſimul continet, urget, habet.
Ergo age qui ſolus, qui victor in orbe triumphas
Carole, ſubiectis parce, ſuperba domans.

Ejuſdem Epigramma ad Flaminem Bononiam.

Quid modò te Memphis laudem, tantumq; laboris
Aſſyrij, & quicquid ſeptem miracula mundi
Corda ciere virûm, doctoſq; ad carmina vates?
Nil modò Niliaci fuerint, quandoque Quirites
Sola triumphales modò digna Bononia laudes
Sola refers, quantum fulgentia ſydera terris
Vrbibus in cunctis præcellis vertice, tantum
Te propter Muſæ Latium, te propter eandem
Pallas, & aſſiſtat divino numine Phœbi
Incoluere ſimul legum & veneranda poteſtas.
At modò Cæſar adeſt, trepidat quo numine mundus,
Cæſar adeſt, meritos præbes tu ſola triumphos,
Quum multi ſua fata lugent, quum latus Iberus

Defluit, ac Renus Romanaq; mœnia ſumant,
Helvetiiq; latent bellacia pectora Martis.
Tu modo captivos proceres, Gallumq; ſubactum,
Innumerosq; alios, quicquid & Indica tellus
Continet, ad Mauros oſtendis læta triumphos.

Ejuſdem aliud Epigramma in perſona Caroli Cæſaris.

Carolus ille ego ſum quintus hoc nomine Cæſar,
Natus ad imperium, Romana ut ſceptra tenerem.
Eſt animus feſſas mutasq; reponere leges,
Iura tribunorum, faſces, priſcosq; Quirites,
Patritios revocare viros, ſanctumq; ſenatum,
Reddere primævo Capitolia priſca nitori,
Oppreſſos relevare manu, frenare ſuperbos
Conſiliis armisq; meis, iuriſq; vetuſti.
Legibus, & veterum ſervato tramite morum,
Omnia in antiquam correcta reducere pacem.

Ejuſdem Epigramma in Imaginem Caroli equo inſidentis.

Carolus Auguſtus belloq; & pace triumphans,
Quantum pugnaci conſpiciendus equo,
Audet & infreno ſeſe committere curſu,
Hac docet artifici picta figura manu.

Ejuſdem Epigramma in Perſona Mercurmi olim Cæſaris cancellarii.

Rexerat imperium Cæſar felicibus aſtris
Inter mortales cùm mihi vita foret.
Omnia tunc ſuperûm nutu teſtabitur omnis
Hoſtis, qui contra duxerat arma deos.
Dijs nunc tratis revocatus ad æthera cælum
Appetimus, mirum ni modo cuncta ruunt.

Ejuſdem Epigramma in Emblema nobilis domini Roſebaldii.

Triſtitiam Alecto, curaſq; Megera, ſed atrox
Omnia Cteſiphone ſuſpicione ferunt.

НАУЧНА БИБЛИОТЕКА ОНЗ "Н.И. ПУШКАРОВА"

Mox Acheron lachrymas, prudens oblivio & unguem
Opponit, picta hæc Gallica verba monent.

In idem aliud ejusdem.

Cuncta modo Alectoâs, Megeraâs, Ctesiphoneâs,
Mœstitia, curis, anxietate ferunt.
Nox Acheron lachrymis, prudens oblivio & unguem
Opponit medium, ut Gallica lingua monet.

Hilarii Bertulphi Ledii Epigramma ad D. Bernhardum Paltemerium, Reverendissimi Cardinalis Campegii Apostolici legati, œconomum.

Quid rogo portendit nimium iam pomifer annus,
Vix tot habet frondes, mala quot arbor habet,
Agrippæ? quid heri visus Bernharde cometes?
Multorum ille: sed hic, unius interitum.
Cuius at interitum? si non est Cæsaris, ut sit
Quantum vis magni principis, exiguum est,
Exiguum est fateor, si non & principis huius,
Quo sibi pontificem sospite Cæsar habet.

Ejusdem Hilarii in Canem Agrippæ, cui nomen erat, Filiolus, Epitaphium.

Hospes, Filiolus quod eram, ter amabile nomen,
Quod mihi Filiolo nobile nomen erat,
Non mirum: Dominus me famigeratus amabat
Agrippa, ingenij cognitor ille mei.
Quippe cui haudquaquam rationis inanis habebar,
Cui tam gratus eram, quam bene fidus hero.
Particula est homini, divina cœlitus aure,
Magna mihi humanæ portio mentis erat.

Aliud.

Hic hospes tibi Filiolus iaceo Agrippinus,
In vita tantum non homo, morte canis.

Aliud.

Filiolum Dominus me cur Agrippa vocaret,
In causa est, memori mente minister eram,
Atque adeo in cunctis fueram paulo minus, id quod
Natus patri etiam, non modo servus hero.

Alind

Aliud.

Quis neget esse animum & quoddam divinius istis
Ingenium canibus qui comitantur herum.
Qui Dominum toties a grassatore tuentur,
Testem Volcatij quis neget esse canem?
Quippe à suburbano rure Asturcone revertens,
Nonne animam Dominus debuit ille cani?
Testis item Licij cantatus Iasonis alter,
Quum post fata sui iam nihil esset heri.
Ille sanatorij neque Cælius ordinis esset
Cæsus ab armata, ni canis ante, manu.
Si paradigma etiam tibi nobile, regia coniunx,
A cane Consynge dilacerata suo.
Res mira est, potuit non agnoscisse puellam,
Quam canis uxorem noverat esse prius?
Forsit an haud visa est illi, quum scilicet uxor
Lasciuo nimium luderet usa ioco.
Quid memorem Populi Romani astante corona
(O quam spectata est digna canina fides)
Corpus ut extinctum domini, mœsto ululatu
Ad proiecta canis detulit ora cibum.
In Tyberim natitans ter sustentare cadaver
Conatus. Tanta est Romule bruta fides.
Pro domino pugnant soli, sua nomina soli
Agnoscunt memores, plus elephante canes.
Quòd si adeo insertis magna experientia parvis,
Vis tanta ingenij si vel araneolo,
Disceptator item superat si Gryllus Vlyssem
Plut archo, solida nec rationis eget:
Cuius, si qua alijs, quota pars animantibus, etsi
Præsertim canibus, particula ulla catis
Agrippæ cuius hic habuit paulominus assem
Vnciolam humanæ si modò mentis habent.

Aliud.

Quis mage Filiolo famulus dextraâs, siniſtraâs,
Obsequio & memori mente sequutus herum?
Quis quam Filiolus fido plus corde sodalis
Atque comes domino quam fuit iste suo?
Ecquod præsidium haud temerè corrumpitur aquè,
Quod minus obsonij quæritet, atque stipis?

РУКОПИСНАЯ БИБЛИОТЕКА ОГРИЗКО-ЕФИМОВА

Filiolus reduci comes huc illuc abeunti
Planè individuus nocte dieq; fuit.
Quid quæso excubiis inconsentientius unquam
Filioli? obsequat pervigil ut dominum.
Quo propulsata est maiore iniuria nixu,
Quis potius dominum quo teneatur habet?
Filiolo domini nihil unquam ut amantius uno,
Hic & in hoc constans semper amore fuit
Filioli, domino nil contra ut amantius uno,
Vni & in hac summus, nunc ita morte dolor.
Vsque adeo agnovit perfectum illius amorem,
Hac cynico ut faceret carmina digna tapho.
Nempe creatura naturam insignis amandam
Duxit, & eximium vel canis ingenium.
Plures sanè homines, qui nil ingratius unquam
Terra tulit, digni vita & honore minus
Quàm canis hic noster, cui non sine nomine nomen
Filiolo, Grylli cætera vultu homines.
Heu obijt domini monumentum hoc fiat amoris
Vanæ haud gloriolæ, sic aberit Nemesis.

Hilarii Bertulphi Ledii in Generosam dominam Ianam Loysiam Tytiam Gebennensem, Henrici Cornelii Agrippæ conjugem.

Quum Veneris Iuno cingulum sibi posceret, in quo
Insit amabilitas omnis, & omnis amor,
Id quod amatori vice posset ferre marito
Arctius amplecti, quo petit una suum.
At Venus, hoc alia sub quercu collige sodes
Illius hæc nunc copia nulla mihi est.
Quin petis hac una præstanteis dote Gebennas,
Quas Rhodanus latas abluit inter aquas?
Henrici est mihi præsignis Iana Loysæ,
Agrippæ coniunx, quæ modo cessit habet.

Reveren-

Reverendi P. Magistri Aurelii ab Aqua pendente, Augustiniani Epigramma ad eandem.

Curarum Agrippæ requies tu Iana Loysa,
Delitium sola es solatiumq; tui.
Cui Venus & Charites pulcherrima dona dedere,
Quæ tibi Pierides contribuere simul.
Quam meritò doctum tibi cælica numina vatem
Fatidicumq; simul contribuere virum.
Doctrinæ hic specimen, Veneris tu gratia magna,
Vndique conveniunt gratia, flamma, fides.
Eia age, ardentem ardens complectere virum,
Perge & amplexu delitiare precor.
Oscula iunge simul fidissima pignora amoris,
Quo tibi perpetuus concelebretur honos.

Ejusdem Aurelii, in eandem defunctam, Epigramma.

Laudarunt alij formam, quam Iana Loysæ
Egregiam superi contribuere tibi:
Ille pudicitiam fert pleno carmine. Pallas
Inquit vive mihi docta Loysa diu.
Et quis non mores, & grandia verba modumq;,
Et genus, & Charitem concelebrare velit?
Impia parca nimis, nimis heu violenta quid ausa es
Diuinum hominibus surripuisse iubar?
Vos superi retinete animum, retinete Loysam,
Iana quidem digna es nectare & ambrosia.

Ad eruditissimum virum Henricum Cornelium Agrippam Decastichon.

Vt tua Corneli Pallas, tua maxima virtus
Afflat Apollineo pectus amore meum,
Non aqua, non ignis nostro sic utilis ævo,
Vt sunt Pierij fœdera sancta gregis.
Luminibus fero sors obtulit invida nostris
Tot bona, tot nobis interière dies.
Corripitur dulci tactura gravissima fructu,
Est vetus a longa mos properare mora.

НАУКОВА БІБЛІОТЕКА ОНУ ім. І. МЕЧНИКОВА

Tarda ſibi ualidas acquirat gratia uires,
Vincamus ſtabili tempora priſca fide.

Marius Celſus Colentinus.

Cur ſylvas traxiſſe ferunt, cur flumina fingunt
Orphea, Threicio detinuiſſe ſono?
Tartareosq́ deos fidibus moꝰiſſe canoris,
Eumenidas q́ feras, tergeminumq́ canem?
Saxa Cytheronis Cadmea in mœnia dicunt
Quare Amphioniæ ſponte coiſſe lyræ?
Agrippæ facunda docet te pagina lector,
Quæ poſſet matres flectere ſtrimonias.
Fraterea Oceani fluctus tibi monſtrat aheno
Exiguo clauſos, parꝰulus iſte labor.

Hilarii Bertulphi Ledii hendecaſyllabi ad Alardetum canonicum Gebennenſem.

SOlo nomine iam recens Agrippæ
(Alardete tuis decus Gebennis)
Audito mihi, protinus per omnes
Iuro numina ſanctiora muſas,
Vero ꝰerius eſſe, quod bonarum
(Sed ſi quis bene nôrit his abuti)
Nugarum cecinit parens Homerus,
Ἰατρὸς γὰρ ἀνὴρ, ut inquit, ἀνδρῶν
Ἐξιάντάξιος, addidit q́ πολλῶν.
Auſim huc addere nunc & ipſe, πάντων.
Sed quum nobilitas libens Agrippam,
Quanquam nobilis eſt ſat ipſe per ſe,
Facunda mihi buccinatione,
Vtq́ ars, cura, fides, pares in illo
Certent colligis: Ingenigeniq́
Vt præſtans, adeo boni ſeratur,
Ne mi ſecula quis ꝰetuſtiora
Nec cantet medicos diu celebres,
Hinc ſint, Hippocrates abi, Machaon
Grandi cum Podalirio faceſſat
Tantam non ſimulô Apollinare
Hinc te numen ad inſulas beatas,

Mater-

Maternam niſi mens adire Delon
Legarem, niſi tam potens præſſos.
Ex æquo medicis ꝰatibusque
In quis omnibus emicans Agrippæus.
Ceu tu ſydera cum mitora condis,
Nedum ꝰel ſuperat ꝰel æquat omnes
Modis omnibus & recentiores,
Modis omnibus & ꝰetuſtiores.
Da mihi ſecla iam recentiora,
Cerno bis medicos beatiores
Iam Copus, Linacrus, Ruelliusq́,
Adſurgent (mihi dicat hac Apollo)
Cedet mirificus Leonicenus.
Adſurges (præit hic Apollo ꝰati)
Quin dicam omnia? docte cum diſerto
Cedes Symphortane Marliano.
Cantet non Italus Leonicenum,
Non Anglus Linacrum, nec ipſe Copum
(Eraſmo licet audiente dicam)
Germanus merito licet celebret
Imprimis alias, nec ipſe iactet
Gallus Campegium Ruelliumq́.
Si qui ſint alij ſuperſedendum eſt,
Iis quos barbaries recondit atra,
Et damnat tenebris latebricoſis,
Et damnat latebris tenebricoſis.

Aliud, ejusdem.

Alardete ſacris decus Camœnis,
Quidam nunc mihi ꝰellicꝰit aurem,
Non augur tamen is potens Apollo,
Pontam putat hanc recentioris
Sublatam mihi clauſulam poetæ,
Me furem mage (ſi placet Laꝰernæ)
Me clamat mage, non Laꝰernionem.
Non auſus plagiarium ꝰocare.
Credo nec libet id licet, liceret
Nec forſan licet id, licet liberet
Vt barbæſculus undecunq́ ꝰates.
At ô deſpeream miſer, miſeræ
Ceu fur emoriar, probatiores
Vnquam ſi mihi contigit ꝰidere

НАУКОВА БІБЛІОТЕКА ОНУ ім. МЕЧНИКОВА

Pontani hendecasyllabos poetæ.
Iurato mihi credit ille nunquam.
Atqui quid vetat impeditq; vates.
Vnum quo minus ac subinde versum,
Quem doctus cecinit Catullus olim,
Quem nuper bene condidit Marullus,
Germanus canat hinc & inde Gallus,
Queis est ingeniis nihil negatum?
Sed nunc quo faciam satis superq;
Moroso tibi tam probe diserto,
Non ipsi mea iam minus probatur,
Quàm Pontanica mi placet coronis.
Quo circa tibi concinam libenter,
Non dicam tenebris latebricosis,
Adfectans duplicabilem tropiscum:
Sed dicam tenebris Lupoldianis.
Quod si nec placet hoc nec adlubescit.
Gingolphi potius vel Ortuini.

Aliud,

Quid mi suggeris ô Apollo? dixtin?
Præstanti omnibus & modis Agrippæ
Cedet mirificus Leonicenus?
Nec victoria, nec triumphus ipsum,
Nec præferre potest λωτα νεικη,
Quid Nice? heus ô Apollo crimen ingens
Per Musas capital Apollo noster
Nice est grandior hæc Leoniceni,
Hæcq; syllaba, quam brevem sonabas,
Longæ longior intonante Græco est.
Græcè nescio. sat scio Latinè
Olim Græcus eram, nec ut Latinus
Essem cura fuit, satis diserte,
Sed nil præterea sat id putaram,
Ac oracula cum darem Pelasgis
Primo, dein Latinq; barbarisq;
Respondere nisi perinde Græco,
Cortina, tripodesq; Phœbadesq;.
Sed quo nunc reripiscerem pudore
Adfectus roseo frequenter ad nos
Musæ me quoq; tunc sagaciores
Oratum undiq; principes Latini

Misere

Misere eloquij viros disertos.
Et quid dissimulo? meis utrinq;
Plane ludibrio fui Camœnis.
Audivi innumeros, sed ut potentis
Callentem modo spiritus Erasmum
Et Græcè simul & simul Latinè,
Idq; examine semper æquilibrij,
Agnovi attonitus stupens, & ore
Vt suspensus inaudijs rotundo.
Hinc sacra, inde prophana disserentem
Crebro quam sacra quam prophana mistim.
Mox incessit Apollini Cupido
Imprimis Latialiter loquendi
Hinc discens studiosius Latinè,
Et cura magè pertinace Græce
Penè didici, tibi ne mirum id?
Nec mirum mihi si subinde lapsus,
Si tempuscula syllabæ, quod aiunt.
Quid quæso hæc morula magis minimum?
Crassa conduplico supinitate,
Et nostri veniam dabunt magistri,
Quis parui Paracletus est momenti
Momenti. Quid Apollo, dic quid hoc est?
Mirum. iam quoq; lapsus es Latine,
Mi quamvis faciles & hoc Magistri
Condonant, tamen id putate factum
A me composito, ut videre discant,
Quantum id quod pretiosius legentes,
Summum temporis interim tonantem
Quo fraudant magis indies in horas,
Cui tam spiritus est brevis per illos.
At maior mihi nunc volo triumphus
Et victoria sit Leoniceni.
Quanquam nolo mei sit hac Agrippæ.
Aut præstantior, aut magis celebris.
Ni quamvis vapui, tamen Latinè
(Graiorum crepidæ crepent licebit)
Vt Prudentius, Idolon, libenter:
Dic, si non placet hoc, tamen licenter,
Cur Graij Latio disertiores?
Tandem non id Apollini licebit?
Quòd si non facit hoc satis peritis,

Quis

НАУКОВА БІБЛІОТЕКА ОНУ ім. І.І. МЕЧНИКОВА

Quis non ſyllabas res minuta paſſim
Et magnis quoq; dignares magiſtris.
Hic præſtare habeam ſat eſt utraq;,
Iam nunc denig; quid neceſſe noſti.
A Græca ſimul & ſimul Latina
Conſtans, altera ut alteri nocere
Ne poſſit, ſtudioſus auſpicabor.
Sic ſic utraq; condocenda lingua eſt,
Sed non mi faciles erant magiſtri.
At ſi nunc hominũm deúmq; ſollers
Sum conſultus, ut eligam diſertum
E multis mihi milibus magiſtrum.
Eraſmum lego, ſive Capnionem,
Maius ſum quibus ipſe conſpicatus
Nil ſurgens, medius, cadéſve. Vterq;
O quàm Neſtora vincit eloquentem,
Si tam Neſtora vinceret Triſeclem
Parcarum vetat quod malarum.
His vitam ſed Agrippa prærogabis.
Atqui dum ſtudijs laborioſus
Sacris inq; peditus eſt uterq;,
Eheu ſemper uterq; non leones,
Sed leos habet hinc, & inde ſtygas
Rudentes magis atq; rugientes.
Et Germania nunc habet diſertos,
Vix dum me iuuenes adultiores,
Vix dum flore genas veſtientes
Formandum his potius libenter ipſum
Summittam modo me, meumq; plectrum.
Quo, ſi confieri queat, ſenectus
Vt par eſt, venerabilis quieſcat.
In promptu datur ecce vel Melanchthon,
Offertur Sapidúsve, Liſtriúsve.

H-89070

Τέλος.

26.798.

НАУКОВА БІБЛІОТЕКА ОНУ ім. І.І. МЕЧНИКОВА

НАУКОВА БІБЛІОТЕКА ОНУ ім. І. МЕЧНИКОВА